





SYNOPSIS PIRHINGIANA

SEU

SS. CANONUM DOCTRINA

EX FUSIORIBUS QUINQUE LIBRIS

HENRICI PIRHING

E SOCIETATE IESU

AB ALIO EIUSDEM SOCIETATIS PRESBYTERO

IN COMPENDIUM REDACTA.



SYNOPSIS PIRHINGIANA

SEC

SS. CANONUM DOCTRINA

EX OPERE

H. PIRHING

IN COMPENDIUM REDACTA.

Editio ... issima

SYNOPSIS PIRHINGIANA

SEU

SS. CANONUM DOCTRINA

EX FUSIORIBUS QUINQUE LIBRIS


HENRICI PIRHING

E SOCIETATE IESU

AB ALIO EIUSDEM SOCIETATIS PRESBYTERO

IN COMPENDIUM REDACTA.





Editio Novissima

ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCXLIX.

LECTORI BENEVOLO.

Utilissimam operam Iurisprudentiae Canonicae studiosis praestitit admodum Reverendus Pater Enricus Pirhing Societatis Iesu ss. theologiae, et sacrorum canonum doctor, quando, post multos laboriosos annos, sacris canonibus explicandis, in alma, catholica, et episcopali universitate Dilingana impensos, emeritus tandem professor, dispersam per diversa capitula sacrorum canonum materiam, ab aliis quidem accurate expositam, nulla tamen observata methodo, et solum capitulorum ordinem servando, in meliorem ordinem redegit, retenta quidem titulorum, in quinque libris Decretalium comprehensorum, serie, scientiam tamen, quae per varia capitula, dispersa tradebatur, pro more aliarum scholarum, in certas sectiones redigens, fusius quidem, omnia quinque distinctis voluminibus, iuxta quinque Decretalium libros tradendo, cuivis tamen libro suum brevem, et compendiosum indicem subiungens, quaestiones, et responsiones continentem, quae in quovis libro moventur, et deciduntur. Hunc ergo indicem in gratiam eorum, qui faciliorem tantum sacrorum canonum notitiam desiderant, proponere placuit; iuxta methodum quidem illius quaestiones, et responsiones afferendo, iura tamen, et rationem his saepius breviter subiungendo, in quibus decisio allata fundatur; et si quae specialia circa tales materias, ex fusiore auctoris explicatione annotanda videbantur, breviter ea referendo. Utere proinde, benevole, et sacrorum canonum studiose lector, hoc labore, ab amico, et accurato calamo viri intelligentis, et ss. canonum non imperiti subministrato; nostris tamen sumptibus, industria, et typo, in publicum protracto: ulteriorem, quam ex variis saepe capitulis doctrinam auctor eruit, et difficiliorum quorundam capitulorum explicationem ex ipsis fusioribus tomis pete.

RUBRICAE DECRETALIUM.

TITULORUM QUINQUE LIBRORUM DECRETALIUM GREGORII IX
INDEX ALPHABETICUS.

T

U



Decretalium Greg. IX.	RUBRICAE DECRETALIUM TITULORUM.	V. Decretal. Bonif. VIII.	Constit. Clementis V.	Extravag. Ioan. XXII	Extravag. commun.
Lib. 1.					
Tit. 1.	De Summa Trinitate, et fide catholica.	1	1		
2	De Constitutionibus.	2	2		
3	De Rescriptis.	3			
4	De Consuetudine.	4			1
5	De postulatione Praelatorum.	5			2
6	De electione, et electi potestate.	6	3	1	3
7	De translatione Episcopi.				
8	De auctoritate, et usu Pallii.				4
9	De renuntiatione.	7	4		
10	De supplenda negligentia Praelatorum.	8	5		
11	De temporibus ordinationum, et qualitate ordinandorum.	9			
12	De scrutinio in ordine faciendo.				
13	De ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui.				
14	De aetate, et qualitate, et ordine praeficiendorum.	10	6		
15	De sacra Unctione.				
16	De Sacramentis non iterandis.				
17	De filiis presbyterorum ordinandis vel non.	11			
18	De servis non ordinandis, et eorum manumissione.				
19	De obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.				
20	De corpore vitiatis ordinandis, vel non.				
21	De bigamis non ordinandis.	12			
22	De clericis peregrinis.				
23	De officio Archidiaconi.				
24	De officio Archipresbyteri.				
25	De officio Primicerii.				
26	De officio Sacristae.				
27	De officio Custodis.				5
28	De officio Vicarii.	13	7		

Decretalium Greg. IX.	RUBRICAE DECRETALIUM TITULORUM.	V. Decretal. Bonif. VIII.	Constit. Clementis V.	Extravag. Ioan. XXII.	Extravag. commun.
29	De officio, et potestate Iudicis delegati.	14	8		6
30	De officio Legati.	15			
31	De officio Iudicis ordinarii.	16	9		7
32	De officio Indicis.				
33	De maioritate et obedientia.	17		2	8
34	De tregua et pace.				9
35	De pactis.	18			
36	De transactionibus.				
37	De postulando.				
38	De Procuratoribus.	19	10		
39	De Syndico.				
40	De his quae vi metusve causa fiunt.	20			
41	De in integrum restitutione.	21	11		
42	De alienatione iudicii mutandi causa.				
43	De arbitris.	22			
Lib. 2. Tit. 1.	De Iudiciis.	1	1		1
2	De foro competenti.	2	2		
3	De libelli oblatione.				
4	De mutuis petitionibus.				
5	De litis contestatione.	3			
6	Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.				
7	De iuramento calumniae.	4			
8	De dilationibus.				2
9	De feriis.				
10	De ordine cognitionum.				
11	De pins petitionibus.				
12	De causa possessionis, et proprietatis.		3		
13	De restitutione spoliatorum.	5			
14	De dolo, et contumacia.	6	4		3
15	De eo qni mittitur in possessionem causa rei servandae.	7			
16	Ut lite pendente nihil innovetur.	8	5		
17	De sequestratione possessionnm, et fructuum.		6		

Decretalium Greg. IX.	RUBRICAE DECRETALIUM TITULORUM.	V. Decretal. Bonif. VIII.	Constit. Clementis V.	Extravag. Ioan. XXII.	Extravag. commun.
18	De confessis.	9			
19	De probationibus.		7		
20	De testibus, et attestationibus.	10	8		
21	De testibus cogendis, vel non.				
22	De fide Instrumentorum.				
23	De Praesumptionibus.				
24	De Iureiurando.	11	11		
25	De Exceptionibus.	12	12		
26	De Praescriptionibus.	13	13		
27	De sententia, et re iudicata.	14	11		
28	De Appellationibus.	15	12		
29	De clericis peregrinantibus.				
30	De Confirmatione utili vel inutili.				
Lib. 3. Tit. 1.	De vita, et honestate Clericorum.	1	1		1
2	De cohabitatione clericorum, et mulierum.				
3	De Clericis coniugatis.	2			
4	De Clericis non residentibus in Ecclesia vel praebenda.	3			
5	De praebendis, et dignitatibus.	4	2	3	2
6	De clerico aegrotante vel debilitato.	5			
7	De Institutionibus.	6			
8	De concessione praebendae, vel Ecclesiae non vacantis.	7	3	4	
9	Ne sede vacante aliquid innovetur.	8	5	3	
10	De his quae fiunt a praelato sine consensu Capituli.				
11	De his quae fiunt a maiore parte Capituli.				
12	Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.				
13	De rebus Ecclesiae alienandis vel non.	9	4		4
14	De precariis.				
15	De commodato.				
16	De deposito.				

Decretalium Greg. IX.	RUBRICAE DECRETALIUM TITULORUM.	V. Decretal. Bonif. VIII.	Constit. Clementis V.	Extravag. Ioan. XXII.	Extravag. commun.
17	De emptione, et venditione.				5
18	De locato, et conducto.				
19	De rerum permutatione.	10	5		
20	De feudis.				
21	De pignoribus, et aliis cautionibus.				
22	De fideiussoribus.				
23	De solutionibus.				
24	De donationibus.				
25	De peculio clericorum.				
26	De testamentis, et ultimis voluntatibus.	11	6		
27	De successionibus ab intestato.				
28	De sepulturis.	12	7		6
29	De parochiis, et alienis parochianis.				
30	De decimis, primitiis, et oblationibus.	13	8		7
31	De Regularibus, et transeuntibus ad religionem.	14	9		
32	De conversione coniugatorum.				8
33	De conversione infidelium.				
34	De voto, et voti redemptione.	15		6	
35	De statu monachorum, et canonicorum, et regularium.	16	10		
36	De religiosis domibus ut Episcopo sint subiectae.	17	11	7	9
37	De capellis monachorum, et aliorum religiosorum.	18			
38	De iure patronatus.	19	12		
39	De censibus, exactionibus, et procurationibus.	20	13		10
40	De consecratione Ecclesiae vel altaris.	21			
41	De celebratione missarum, et sacramento Eucharistiae, et divinis officiis.		14		11
42	De Baptismo, et eius effectu.		15		

Decretalium Greg. IX.	RUBRICAE DECRETALIUM TITULORUM.	V. Decretal. Bonif. VIII.	Constit. Clementis V.	Extravag. Ioan. XXII.	Extravag. commun.
43	De Presbytero non baptizato.				
44	De custodia Eucharistiae, Chrismatis, et aliorum Sacramentorum.				
45	De reliquiis, et veneratione Sanctorum.	22	16		12
46	De observatione ieiuniorum.				
47	De purificatione post partum.				
48	De Ecclesiis aedificandis vel reparandis.				
49	De immunitate Ecclesiarum, coemeterii, et rerum ad eas pertinentium.	23	17		13
50	Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.	24			
Lib. 4. Tit. 1.	De sponsalibus, et matrimoniis.	1			
2	De desponsatione impuberum.				
3	De clandestina desponsatione.				
4	De sponsa duorum.				
5	De conditionibus appositis in desponsatione, vel in aliis contractibus.				
6	Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt?				
7	De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.				
8	De coniugio leprosorum.				
9	De coniugio servorum.				
10	De natis ex libero ventre.				
11	De cognatione spirituali.	3			
12	De cognatione legali.				
13	De eo qui cognovit consanguineam uxoris suae vel sponsae.				

Decretalium Greg. IX.	RUBRICAE DECRETALIUM TITULORUM.	V. Decreal. Bonif. VIII.	Constit. Clement. V.	Extravag. Ioan. XXII.	Extravag. commun.
14	De consanguinitate, et affinitate.		1		
15	De frigidis, et maleficiatis, et impotentia coeundi.				
16	De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae.				
17	Qui filii sint legitimi?				
18	Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari?				
19	De divortiis.				
20	De donationibus inter virum, et de dote post divortium restituenda.				
21	De secundis nuptiis.				
Lib. 5. Tit. 1.	De accusationibus, inquisitionibus, et denuntiationibus.	1			
2	De calumniatoribus.				
3	De simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.				1
4	Ne praelati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant.				
5	De magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi.		1		
6	De Iudaeis, saracenis, et eorum servis.		2	8	2
7	De haereticis.	2	3		3
8	De schismaticis, et ordinatis ab eis.	3			4
9	De apostatis, et reiterantibus baptisma.				
10	De his qui filios occiderunt.				
11	De infantibus, et languidis expositis.				
12	De homicidio voluntario vel casuali.	4	4	9	
13	De torneamentis.				
14	De clericis pugnantibus in duello.				
15	De sagittariis.				
16	De adulteriis, et stupro.				

Decretalium Greg. IX.	RUBRICAE DECRETALIUM TITULORUM.	V. Decretal. Bonif. VIII.	Constit. Clementis V.	Extravag. Ioan. XXII.	Extravag. commun.
17	De raptoribus, incendiariis, et violatoribus Ecclesiarum.				
18	De furtis.				
19	De usuris.				5
20	De crimine falsi.	5	5		
21	De sortilegiis.			10	6
22	De collusione detegenda.				
23	De delictis puerorum.				
24	De clerico venatore.				
25	De clerico percussore.				
26	De maledicis.				
27	De clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.				
28	De clerico non ordinato ministrante.				
29	De clerico per saltum promoto.				
30	De eo qui furtive ordinem suscepit.				
31	De excessibus praelatorum, et subditorum.	6	6		
32	De novi operis nunciatione.				
33	De privilegiis, et excessibus privilegiatorum.	7	7	11	7
34	De purgatione canonica.				
35	De purgatione vulgari.				
36	De iniuriis, et damno dato.	8			
37	De poenis.	9	8	12	8
38	De poenitentiis, et remissionibus.	10	9		9
39	De sententia excommunicationis.	11	10	13	10
40	De verborum significatione.	12	11	14	
41	De regulis iuris.	13			



QUAESTIO PRIMA

PROOEMIALIS.

DE VARIIS IURIS ACCEPTIONIBUS ET DIVISIONIBUS.

1. Ius nonnunquam idem dicit, quod iustum: iustum autem potest sumi dupliciter. Primo enim omne, quod legibus, et rectae rationi conforme est, iustum dicitur, aut legitimum; et iustum, sive ius taliter acceptum non est obiectum specialis virtutis, cum omnis virtus hanc cum legibus et recta ratione conformitatem observet. Secundo sumitur iustum pro eo, quod alteri ex rigorosa iustitiae obligatione debetur, quo modo iustum est obiectum specialis et rigorosae iustitiae, quae communiter definitur *constans, et perpetua voluntas ius suum* (sive iustum, ac debitum ad aequalitatem) *cuique tribuendi*.

2. Accipitur nonnunquam ius prout idem est, ac potestas moralis sive facultas a legibus concessa de re aliqua libere disponendi. Iuxta quam acceptionem dicitur venditor v. gr. ius suum transferre in emptorem, haeres in ius testatoris succedere, dominus iure suo uti etc. et iuxta hanc acceptionem alius dicitur habere ius proprietatis, disponendi scilicet in proprium commodum: alius habere ius iurisdictionis, disponendi scilicet commodum subditorum: alius habere ius in re, sive reale, quod rem ita respicit, ut, ad quemcumque ea devenerit, semper transeat cum hoc onere, ut eam persequi possim, apud quemcumque existat, quale est ius dominii directi, aut utilis, ius servitutis, ius pignoris etc. alius denique ius ad rem, sive personale, vi cuius non ipsam rem ex contractu v. gr. vel quasi contractu mihi debitam etc. persequi possum, sed personam convenire, quae mihi ad aliquid praestandum etc. est obligata.

3. Nonnunquam accipitur ius prout idem dicit, ac locus, ubi iudicium exercetur; ita dicitur aliquis in ius vocari, in ius ambulare, in iure comparere etc. id est ad locum, vel in loco iudicii etc.: nonnunquam prout idem dicit ac ipsa iudicis sententia; sic dicitur litigantibus ius dictum, id est, sententia dicta: nonnunquam prout idem dicit, ac iuris scientia, quomodo sumitur, cum ius definitur *ars boni et aequi*, vel cum dicitur *iurisprudentia esse, divinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia*, id est, scientia, quae docet, quid iustum et iniustum sit, quid ad divinum cultum, et res sacras ac profanas, ad reipublicae ac hominum bonum spectat etc. Hae autem et similes plures acceptiones, quamvis scitu utiles sint, ut ne ex varia iuris acceptione confundatur aliquis, potissima tamen est, quae vel maxime attenditur, iuxta quam

4. Ius accipitur, prout idem dicit, ac lex, quae est regula iusti; et iuxta hanc acceptionem iurisperiti aliud nonnunquam dicunt Ius naturale, aliud Ius Gentium, aliud Ius positivum. *Ius naturale* in genere quidem, et late loquendo, prout hominibus cum brutis commune est, aliud non *est*, quam *ipse instinctus, et propensio naturae sensitivae, ad vitae conservationem, ad speciei propagationem, et media ad tales fines necessaria* etc. *inclinans*;

quae iuris naturalis acceptio, abusiva magis, quam propria est. Proprie ergo, prout soli naturae rationali competit, *ius naturae est, lumen illud rationis, ab Auctore naturae homini* v. g. *inditum, quo, secluso omni alio praecepto positivo, discernit quaedam agenda, et quaedam omittenda etc.* Dicitur autem hoc ius naturale esse immutabile, et indispensabile, eo quod illius obligatio non ex libera praecipientis voluntate, sed ex ipsa rei praeceptae, aut prohibitae natura proveniat, quae manens semper eadem, semper eandem bonitatem, aut malitiam retinet. Quod si tamen materia illa, quae iure naturali in certis circumstantiis prohibetur, mutatur, ratione alicuius circumstantiae advenientis, aut subtractae, vel immutatae, vel quod hic et nunc bono privato bonum commune, bono inferioris ordinis bonum superioris ordinis etc. praeferendum sit etc. potest materia illa sub talibus circumstantiis non tam iuris naturalis esse, quam positivae tantum prohibitionis a libera voluntate pendentis, quae per dispensationem licita fieri potest, vel etiam absque dispensatione esse licita; ita licet iure naturae prohibeatur innocentem occidere, retinere alienum etc. potest tamen utrumque in certis casibus, in circumstantiis v. gr. extremae necessitatis, ad vitam propriam conservandam, ad iustam defensionem etc. esse licitum.

Ius gentium, si rigide illud accipere placeat, prout a iure naturali distinguitur, illud dicitur, *quod omnibus quidem hominibus, aut fere omnibus commune, et proprium est, ita tamen, ut non ex solo rationis instinctu ortum suum habeat, sed humanis postmodum utilitatibus, aut necessitatibus ita exigentibus, usu, ac moribus omnium, aut fere omnium gentium introductum est, per modum legis praeceptivae, aut saltem permissivae*, quo iure introducta sunt bella, paces, foedera, captivitates, servitutes etc. et contractus fere omnes. Distinguunt tamen etiam aliqui inter ius Gentium, ita ut aliud dicant primarium cum ipsis hominibus ortum habens, et a Deo naturaliter mentibus inditum; aliud dicant secundarium, quod quidem ex ratione naturali proficiscitur, ita tamen, ut non solo naturae lumine hominum mentibus sit inditum, sed ob varias necessitates, et utilitates sit introductum, et apud omnes fere homines usu receptum: quia tamen prius membrum huius divisionis cum iure naturali coincidit, hinc magna huius divisionis utilitas non est.

Ius positivum denique dicitur illud, *quod libera Dei, vel hominis voluntate sancitum, vel latum est.* Et hoc quidem aliud Divinum est, quod a Deo, vel Christo Homine Deo latum est; aliud Humanum, quod proxime ab humana auctoritate conditum est. Divinum positivum aliud Vetus, aliud Novum est. Vetus est, quod Deus in veteri testamento tulit, et triplicis generis praecepta continebat: Moralia scilicet, quae ad mores componendos pertinebant, qualia sunt praecepta Decalogi: Caeremonialia, quae ad caeremonias et ritus religionis, qua debitus Deo cultus, honor et veneratio defertur, pertinebant: et Iudicialia, quae ad bonam civilem reipublicae administrationem pertinebant, quibus humana civium salus, pax et tranquillitas conservabatur. Novum est, quod Christus Homo Deus in novo testamento condidit, et potissimum fidei, spei, charitatis, et sacramentorum praecepta continet. Ius humanum positivum subdividi solet in ius Publicum, et

Privatum: Ius publicum dicitur illud, quod tractat de illis praecipue, quae ad publicam utilitatem totius communitatis spectant, et requiruntur, uti sunt publici Magistratus, et Sacra, Sacerdotes etc. Ius vero privatum dicitur, quod ad singulorum civium privatam utilitatem principaliter refertur, quamvis accessorie, et ex consequente in publicam etiam utilitatem redundet, quales sunt leges de contractibus, de iudiciis etc. Utrumque hoc *ius* iterum subdividi potest in Canonicum, et Civile. *Canonicum est*, uti illud ex Gregorio Tholosano et Lancelloto definitur, *quod a summis pontificibus Ecclesiae Catholicae traditum, constitutum, vel approbatum, actiones fidelium, seu christianorum proxime ad divinum cultum, ad pacem, et iustitiam Christianam, in populo Christiano conservandam, et augendam, ultimate vero ad finem aeternae beatitudinis dirigit. Ius Civile vero est, quod auctoritate principis, vel magistratus saecularis est conditum, ad reipublicae civilis gubernationem, et temporalem pacem, ac salutem civium conservandum*, ut adeo differentia iuris canonici a civili non tantum ex parte causae efficientis, sive ferentis leges (ratione cuius ius illud etiam Pontificium dicitur, eo quod a pontifice latum fuerit, aut in vim legis approbatum; hoc vero Imperatorium, Caesareum, Regium, Municipale etc. dicitur, ob diversam legislatoris leges has civiles ferentis, vel in vim legis approbantis etc. auctoritatem) sed etiam ex parte finis, quem proxime diversa haec iura intendunt, clare habeatur; quam finis diversitatem satis etiam exprimit *Panormit. in prooemio Decretalium*, dum dicit: Ius civile intendere hominem dirigere in bonum commune, secundum quod congruit humanae societati civiliter viventi, cuiusmodi vita consistit in legali iustitia, et civili amicitia: Ius canonicum vero intendere hominem dirigere ad bonum commune, secundum quod congruit humanae societati, quatenus non solum civiliter vivit, sed secundum fidem, in Deum intendendo, et vitam aliam expectando.



QUAESTIO SECUNDA

PROOEMIALIS.

DE IURIS CANONICI PARTIBUS, ET ILLIUS CITANDI PRAXI.

Posset quidem ius Canonicum adhuc subdividi in ius scriptum, et non scriptum, ita ut huius nomine veniant consuetudines, traditiones vel ab ipsis Apostolis ad nostra usque tempora derivatae, vel ab aliis iuris auctoribus, et legislatoribus sola voce traditae, et per aliorum relationem, sive etiam per scripturam horum posteriorum ad nos propagatae; scripti vero iuris nomine illud veniat, quod scripto nobis latum est, quia tamen maior difficultas est in cognoscendis variis partibus iuris scripti, omissâ hac divisione, de solius iuris scripti partibus sermo nobis erit.

Ius ergo scriptum desumptum est, vel ex sacra Scriptura, vel ex decretis, et canonibus conciliorum, vel ex constitutionibus, ac decretalibus, epistolis, aut responsis summorum pontificum, vel ex placitis, et constitutionibus principum saecularium, vel ex sententiis patrum, ita tamen, ut nec conciliorum decreta, nec principum saecularium constitutiones, sive leges, nec patrum dicta, aut sententiae vim, et auctoritatem canonicae legis, totam Ecclesiam obligantis habeant, nisi auctoritate summi pontificis in Corpus iuris Canonici (Decretalium scilicet aut aliarum pontificiarum constitutionum) fuerint recepta, et canonizata. Neque tamen dedignantur sacri canones alias etiam leges civiles in iudicando, et agendo etc. sequi, etiamsi ex defectu auctoritatis in illarum legislatore robur, et auctoritatem legis obligantis in foro canonico non habeant, si tamen nihil contra bonos mores, aut canonum decreta, vel sacram Scripturam decernunt, neque expresse, et nominatim de rebus et personis ecclesiasticis statunnt; et ideo ait *Archidiacon. apud Vallensem in suis Prolegomenis* §. 6. *n.* 6. quod leges civiles, quando non obviant sacris canonibus, tacite censeantur approbatae.

Totum autem hoc ius scriptum quinque partes praecipuas ac principales in se continet: Decretum; Decretales; Sextum; Clementinas; et Extravagantes, tam Ioan. XXII. quam quorundam aliorum pontificum, in Corpus Iuris receptas. Prima ergo pars iuris Canonici est Decretum, quod a compilatore suo dici solet Decretum Gratiani, et ab hoc inscribitur Concordantia discordantium canonum, ac collectum fuit a Gratiano, monacho ordinis s. Benedicti, ex variis sacrae Scripturae textibus, decretis, et responsis pontificum, et conciliorum, tam generalium, quam particularium, legibus romanorum imperatorum, sententiis SS. PP. ac propriis ipsius Gratiani verbis, quibus immiscentur etiam capitula aliqua sub nomine Paleae, quod nomen aliqui putant significare nomen cuiusdam, qui Gratiani discipulus fuit: alii dicunt nomen hoc significare cardinalem aliquem, qui horum capitulorum auctor fuerit, et vel Palea dictus fuerit, vel suae Gratiani collectioni admiscuit, sicuti Palea admiscetur tritico. Dividitur autem hoc Gratiani decretum in tres partes, quarum prima continet distinctiones centum et unam, in canones sive capitula

divisam; ita ut in 20. prioribus distinctionibus agat Gratianus de iuris ecclesiastici elementis, principiis, fontibus et dignitate; inde usque ad 93. agat de cleri, seu personarum ecclesiasticarum origine, institutione, ac forma instituendi, vita, moribus, et officiis; et inde usque ad finem ultimae distinctionis, de principatu pontificis, et universae iurisdictionis ecclesiasticae, sive pontificiae praestantia sive dignitate. Secunda pars continet 36. causas, quarum quaelibet in plures quaestiones, et quaestio quaelibet in capitula, seu canones dividitur, ita tamen ut causa 33. q. 3. in 7 distinctiones de poenitentia subdividatur; in qua secunda parte varia genera causarum explicantur, quae sub iurisdictionem ecclesiasticam cadunt. Tertia denique pars continet Tractatum de consecratione, in 5. distinctiones divisum, et in plura capitula, seu canones subdivisum, in quibus varia de consecrationibus rerum sacrarum, sacramentis, ritibus et caeremoniis sacris etc. continentur. Et quia Gratianus homo privatus fuit, qui nullam habuit legis ferendae auctoritatem, hinc quae in hoc decretum collecta sunt, nullam vim, aut anctoritatem legis canonicae obtinent, nisi in Decretalium libris, aut alia legitima auctoritate pontificis v. g. canonizata, aut decisa sunt. Solent autem, quae in decreto hoc continentur, iuxta partium diversitatem diverso modo citari: quae in prima parte in distinctionibus reperiuntur, citantur hoc modo, *can. vel cap. Nulla ratio, dis.* 62.; *can. Quoniam. dist.* 100. id est in distinctione 100. in canone, vel capitulo (quod communiter sumitur hic pro eodem) quod incipit a verbo *Quoniam;* in distinctione 62. in canone, qui incipit a verbis *Nulla ratio*. Quae in secunda parte reperiuntur, citantur, hoc modo: *Can. Nullus primas* 9. (nonnunquam additur τὸ) *q.* 2. id est, in secunda parte decreti in causa 9. in quaest. 3. in capitulo vel canone, qui incipit *Nullus primas*. Si vero ex distinctionibus de poenitentia citetur aliquid, additur citationi ordinariae *τὸ de poenit. dist.* 1. hoc modo: *can. Poenae* 33. *q.* 3. *de poenit. dist.* 1. vel omissis prioribus tantum dicitur: *Poena de poenit. dist.* 1. cuius citationis valor est, ac si dicerem: in 2. parte decreti, in causa 33. in quaestione 3. in distinctione 1. sub titulo de Poenitentia, in capitulo vel canone, qui incipit a verbo *Poenae*. In tertia parte quae continentur, hoc modo citantur: *cap. Non dico, de consec. dist.* 5. id est, in 3. parte decreti, sub titulo seu rubrica de consecratione, in distinctione 5. in canone vel capitulo, quod a verbis *Non dico* inchoatur.

Secunda pars iuris Canonici sunt quinque libri Decretalium in varios titulos divisi, et quilibet fere titulus in plura capitula subdivisus, ex mandato Gregorii IX. summi pontificis per Raymundum de Penniafort ordinis s. Dominici religiosum, summi pontificis capellanum et poenitentiarium (nunc Sanctorum numero adscriptum) collecti. Dicuntur autem hi libri Decretales, eo quod in illis contineantur plurimae decretales epistolae summorum pontificum ad varias propositas quaestiones dissolvendas missae, quae vim legis obtinent. Ordo autem librorum horum est iste, ut in primo libro, post explicata communia quaedam iuris principia, agatur de modo constituendi praelatos ecclesiasticos, et ordinandi personas ecclesiasticas, ac variis earum personarum officiis, et tandem in fine libri aliqui tituli subiungantur, in quibus aliqua habentur, quae ad principium iudiciorum referri possunt. In

2. libro examinentur ea, quae ad iudicium, et ad iudicialem processum pertinent. In 3. quae de clericorum obligationibus, vel de regularibus, vel etiam de quibusdam, quae clericis cum laicis communia sunt, uti sunt varii contractus, testamenta, sepulturae etc. quaeri possunt. In 4. quae propria sunt laicis, uti sunt sponsalia, matrimonium, et his annexa. In 5. denique libro agatur de delictis, eorum accusationibus, et inquisitionibus ac poenis; ut adeo recte librorum horum ordo, et potissima materia hoc versu exprimatur, Iudex, Iudicium, Clerus, Sponsalia, Crimen. Dicuntur autem hi libri etiam antiqui, respectu Sexti Decretalium, et aliorum recentiorum iurium; et citari solent, quae in illis continentur, prima verba capituli allegando, vel sola, vel addendo τὸ capit. (quod communiter sub minuto *c.* significatur) et rubricam seu titulum, sub quo capitulum illud continetur v. gr. *c. Dudum, de praebendis. c. Dilecti, de appellat.* etc. id est sub titulo de appellationibus (qui titulus in 2. libro Decretalium reperitur, quia materia de appellationibus praesertim in iudiciis locum habet) in capitulo, quod incipit a verbo *Dilecti.* Addunt aliqui huic citationi τὸ *extra. capit. Dilecti, extra, de appellat.* quod titulum hunc extra decretum Gratiani quaerere debeas, non video tamen huius τὸ *extra* addendi necessitatem, cum ea, quae in Decretis continentur, alio modo citentur, ut dictum est, et consequenter satis discerni possit, etiamsi τὸ *extra* non addatur, utrum hoc, quod citatur in Decretis, aut Decretalibus contineatur. Quod idem dici potest de Civilistarum citatione, iuxta quam et ipsi τὸ *extra* addunt, si quid ex Iure Canonico citant, innuentes per hoc, quod textus citatus reperiatur extra ius suum Civile, quia tamen discrimen iuris civilis citandi, et citandi iuris canonici aliunde satis habetur, consequenter neque ad hunc finem necessarium est τὸ *extra* apponere.

Tertia pars iuris Canonici est Sextus Decretalium a Bonifacio VIII. ex variis diversorum pontificum Gregorii X. Innocent. IV. Clementis IV. ac aliorum, ac propriis etiam Bonifacii VIII. responsis collectus, et sub annum 1298. promulgatus, in quo speciales aliqui, qui illis temporibus emerserunt casus, continentur, et quod in prioribus deest, suppletur, aut melius declaratur: et quamvis haec etiam pars quinque libris constet, eodem ordine, et sub iisdem titulis (non tamen omnibus, quibus priores Decretalium libri constant, in capitula etiam et paragraphos divisis, *Sexti* tamen nomine venit, quod prioribus quinque sub antiquorum nomine venientibus, additus sit. Eodem modo citari solet, quo citantur antiqui Decretales, nisi quod in fine citationis addatur *in* 6. v. gr. *c. Si motu proprio, de praebendis, in* 6. id est sub titulo de praebendis (qui sicuti in antiquis in 3. libro Decretalium reperitur, ita etiam in hoc libro in Sexto habetur) in sexto libro Decretalium, vel in libro, qui inscribitur sextus Decretalium, in capitulo, quod incipit, *Si motu proprio:* habet hic liber eandem auctoritatem cum 5. libris antiquis Decretalium, et in illis, in quibus aliter loquitur, ac antiquis etiam praefertur.

Quarta pars iuris Canonici dicuntur Clementinae (subintellige constitutiones) quas Clemens V. ex suis, in concilio Viennensi, sub annum 1310. celebrato, Constitutionibus, ac Decretalibus epistolis collegit, easque tan-

dem, quas Clemens V. morte praeventus exequi non potuerat, successor eius Ioannes 22. in lucem dedit, distributis illis in 5. libros, ac titulos, et capitula, iuxta modum et ordinem antiquorum Decretalium et Sexti; et quamvis pauciores titulos ac capitula Clementinae hae contineant, sunt tamen eiusdem cum antiquis et Sexto auctoritatis. Citantur capitula sub nomine Clementinarum, vel si capitula exprimantur, additur saltem in Clementinis, ut sciri possit, qua in parte iuris Canonici capitulum illud inquiri debeat, dicendo v. gr. *Clemen.* 1. *Ad nostrum*, *de haereticis*, vel c. *Ad nostrum*, *de haereticis*, *in Clementinis*, id est, in 4. parte iuris Canonici, quae Clementinae Inscribitur, sub titulo de haereticis (qui sicuti in antiquis et Sexto, ita hic etiam in 5. libro Clementinarum harum constitutionum habetur) in capitulo, quod incipit *Ad nostrum*.

Quinta denique pars iuris Canonici continet Extravagantes Ioannis XXII. (Constitutiones, quas numero 20. iuxta ordinem Decretalium Ioannes XXII. successor Clementis V. fecerat) quibus postmodum aliae etiam Constitutiones, ac sub aliis pontificibus factae accesserunt, ac sub nomine Extravagantium communium in Corpus iuris receptae sunt; ut eandem hodie cum aliis Decretalibus auctoritatem habeant: et quamvis Extravagantium nomine eae Constitutiones pontificiae veniant, quae extra Corpus iuris Canonici habentur, retinent tamen hae species Extravagantium nomen, quamvis in Corpus iuris receptae sint, quod ob suam paucitatem, et diversorum pontificum auctoritatem certum nondum nomen sibi appropriaverint. Citantur prout alia capitula Decretalium, nisi quod addatur *inter Extravagantes Ioan. XXII. vel in Extravagantibus communibus:* vel quod loco capituli nomen Extravagantis ponatur, cum addito Ioannis XXII. vel inter communes, dicendo v. gr. *Extravag. Ambitiosae*, *inter communes; de rebus Ecclesiae non alienandis*, vel c. *Ambitiosae*, *in communibus Extravag. de rebus Eccles. non alienandis*, *Extravag. Quorumdam*, vel c. *Quorumdam*, *in Extravag. Ioan. XXII. de V. S.* id est in 5. parte Decretalium inter Extravagantes Ioannis XXII. sub titulo de verborum significatione, in capitulo, quod incipit a verbo *Quorumdam*.

Accessit denique his omnibus liber septimus Decretalium, quem ex variis pontificum Constitutionibus, iuxta ordinem titulorum, cum antiquis Decretalibus communem, in quinque etiam libros collegit Petrus Mathaei, iurisconsultus lugdunensis; quae collectio, cum a nullo pontifice auctoritatem aliquam sumpserit, manent relatae in illo libro pontificum Constitutiones in eo valore, quem independenter ab hac collectione habent, et non aliter ac aliae Bullae pontificiae citantur, sub nomine scilicet illius pontificis, qui Constitutionem talem fecit, addendo, prima Bullae vocabula, et annum, ac diem, qua Bulla talis emanavit. v. gr. *in Constitutione*, seu *Bulla Sixti IV. Deo et hominibus*, 14. 1484.

Ceterum quamvis libri Decretalium, et quae in Corpus iuris Canonici tamquam pontificiae Constitutiones, aut Decretales epistolae, receptae sunt, auctoritatem habent legitimam ad omnes Christi fideles obligandos, ita ut ius faciant, non tantum in foro canonico ad decidendas lites, sed in foro etiam civili, in certis quibusdam casibus, iuxta dicta, omnino observandum, nisi per posteriora iura correctae illae sint, aut per contrariam consuetudi-

nem, vel praescriptionem, vel per contraria statuta particularia auctoritate Sedis Apostolicae facta, vel confirmata derogatum eis iam sit; aut earum aliquae in particularibus terris nunquam receptae fuerint: novissimo tamen Concilii Tridentini iure, universalem Ecclesiam obligante, non aliter ac alia Concilia generalia a supremo pontifice approbata, quod antiquo iuri in aliquibus derogatum fuerit, negari non potest; uti pluribus patet ex *Thesibus super hac re disputatis Ingolstadii* 1681.



LIBER PRIMUS

DECRETALIUM.

TITULUS I.

DE SUMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

Quaeritur 1. quaenam proponantur credenda in *cap.* 1. *h. t.? Resp.* proponi 1. firmiter credendum, quod nnus, solus, verus sit Deus, una essentia simplex, et tres Personae, eaeque consubstantiales, coaequales, coomnipotentes, et coaeternae; et quod hic Deus unus et trinus sit unum universorum principinm, creator omnlum visibilium, et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui scilicet ab initio temporis utramqne de nihilo condidit creaturam, angelicam scilicet et mundanam etc. 2. Proponi credendnm firmiter mysterium incarnationis. 3. Quod una sit fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. 4. Quod detur verum sacrificium Missae, cnius minister sit tamen sacerdos rite ordinatus, secundum claves Ecclesiae: et quod detur sacramentum Baptismi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, tam parvulis, qnam adnltis, in forma Ecclesiae conferendum: et quod relapsi post Baptismum per veram poenitentiam semper possint reparari: et 5. denique proponi firmiter credendum, quod non solum virgines et continentes, sed etiam coniugati, per rectam fidem, et bona opera, ad aeternam beatitudinem pervenire mereantur. De quibus uti et pluribus aliis fidei nostrae articulis in hoc capite propositis, vide *Theologos*, *et Controversistas.*

Quaeritur 2. Quinam errores damnentur circa misterinm ss. Trinitatis in *c.* 2. *h. t.? Resp.* Damnari errores Ioachimi Abbatis, quos docuit circa mysterium sanctissimae Trinitatis, contra Petrum Lombardum, Magistrum sententiarum, cuins doctrinam circa mysterinm approbavit *Concil. Lateran. in cit. c.* 2. et damnari etiam perversissimum dogma impii Almarici, ut loquitur *cap.* quod vide.

Quaeritur 3. Quales errores damnentur in *cap. unico h. t. in* 6. circa processionem Spiritus Sancti? *Resp.* definiri in hoc *cap.* contra errorem Graecorum, quod Spiritus Sanctus ab aeterno a Patre, et Filio, non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio; non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedat; et omnes qui hoc negare praesumpserint, damnari et reprobari.

Quaeritur 4. Qnae dogmata proponantur tenenda, et qui errores reprobentur in *Clem. Un. h. t.? Resp.* plura etiam in *hac Clement.* Fidei dogmata definiri circa Christi incarnati, et passi mysteria, circa veram Ecclesiam, circa Baptismum etc. et damnari eorum sententiam, qui pntant animam rationalem non esse formam humani corporis etc. vide relatam *Clem.* cuius doctrinam circa infnsionem gratiae, et virtutnm supernaturalinm theologicarum in Baptismo, approbat *Trident. sess.* 6. *c.* 7.

TITULUS II.

DE CONSTITUTIONIBUS.

SECTIO I.

De Constitutionibus in genere, earumque obligatione et effectu.

§. I. *Quid et quotuplex sit Constitutio?*

Resp. 1. Constitutionem dupliciter sumi posse, 1. quidem generaliter et late, pro quocumque iure humano scripto, sive a principe, sive ab inferiore, qui tamen ius habet ferendae legis, conditum illud sit. 2. Specialiter et stricte, pro illo iure scripto, quod vel summus pontifex, vel imperator, vel alius supremus princeps statuit, *Can. Constitutio dist.* 2.

Resp. 2. Constitutiones alias esse civiles, quae a saeculari potestate latae sunt; alias esse canonicas, quae a potestate ecclesiastica latae sunt: et si velis de Constitutionibus late acceptis loqui, sicuti Constitutiones civiles aliae dicuntur leges, aliae plebiscita, aliae senatus consulta, aliae principum placita, aliae edicta praetorum, et aliae responsa prudentum §. *Constat, et seqq. Institut. de iure nat. gent.* etc. ita canonicae etiam Constitutiones in plures species subdividi possunt, ut alia dicatur Canon, Constitutio scilicet edita in concilio; alia dicatur Decretum, Constitutio scilicet edita a pontifice de consilio cardinalium ad nullius consultationem; alia dicatur epistola decretalis, Constitutio scilicet a papa, ad consultationem alterius, vel cum, vel sine consilio cardinalium scripto transmissa, et publicata; aliae denique aliis nominibus appellentur, iuxta *Gloss. dist.* 3. *in summa, ver. omnes:* hodie tamen saepe pro synonimis, saepe in alium sensum accipiuntur.

§. II. *De potestate condendi leges, sive Constitutiones.*

Resp. 1. Constitutiones ecclesiasticas posse condere in primis summum pontificem et alios praelatos obtinentes iurisdictionem episcopalem (iuxta limites tamen suae iurisdictionis) *cap. fin. de off. legat. c.* 1. *et* 11. §. 2. *de maiorit. et obed.*

Resp. 2. Posse etiam Constitutiones ecclesiasticas facere Concilia, generale quidem potest facere Constitutiones, quae totam Ecclesiam obligent, si tamen illae a pontifice, ut tales approbentur: provinciale vero vel dioecesanum, infra limites suae iurisdictionis, *Can. Catholica dist.* 11.

Resp. 3. Posse etiam Constitutiones ecclesiasticas facere Capitulum ecclesiae cathedralis, vacante sede, pro tota dioecesi; et alia collegia inferiora ecclesiarum, saltem in rebus minoribus, pertinentibus ad suae communitatis administrationem, si tamen in vim statuti haec talia obligent.

Resp. 4. Communitates etiam, seu Ordines religiosos, eorumque praelatos posse etiam Constitutiones ecclesiasticas facere, iuxta modum in regulis earum, aut consuetudine, vel per privilegia praescriptum, quorum omnium ratio est, iurisdictio ad gubernandum concessa, quae sine legum ferendarum potestate subsistere non potest.

Leges vero politicas, sive civiles facere possunt, 1. summus pontifex in terris temporali suo dominio subiectis; imperator pro imperio; reges alii pro suis regnis; duces alii aut principes supremi, vel liberae respublicae pro suis provinciis; aliique secundum limites suae, sibi, a iure, vel a supremo principe concessae, aut per praescriptionem, consuetudinem, vel per reservationem obtentae potestatis, prout ex variis legibus habetur, et probat ius gubernandi, vario tamen modo iuxta voluntatem conferentium tale ius, restrictum.

§. III. *Quousque se extendat legislativa potestas humana.*

1. Non extendit se potestas legislativa humana ad ea immutanda, vel relaxanda etc. quae sunt iuris naturalis, divini aut gentium praeceptiva, aut prohibitiva etc. (neque enim inferior potest legem superioris abrogare, aut dispensando eam relaxare) potest tamen legislativa humana potestas mutare, aut tollere, non tantum ea, quae sunt iuris positivi humani, iuxta status sui conditionem, sed etiam ea, quae sunt iuris naturalis etc. permissivi tantum, sicuti enim ars naturam, ita lex humana positiva perficere nonnunquam potest ius naturale, supplendo v. gr. quae natura reliquit indefinita et indeterminata.

Potestatem tamen etiam legem naturalem interpretandi, seu declarandi in rebus spiritualibus habet magistratus ecclesiasticus, et saecularis in rebus politicis, ac profanis: (neque enim qui declarat, immutat, aut de novo addit) ita tamen ut declaratio, seu interpretatio iuris naturalis clara sit, si enim dubia sit declaratio talis a laico magistratu facta, ad iudicium Ecclesiae spectat, declarare, quid tali in re sit faciendum, cum ad iudicium Ecclesiae pertineat, declarare, an peccatum interveniat in tali declaratione.

2. Non potest vi legislativae suae potestatis humanae per leges vel statuta, aliis sine iusta causa auferre ius suum, iisque praeiudicare, magistratus seu princeps etiam supremus *Argu. c. Quae in Ecclesiarum 7. h. t.* quamvis enim princeps talis iurisdictionem habeat in omnes suo imperio subiectos, non tamen habet dominium rerum privatarum ad subditos spectantium: ex iusta tamen et urgente causa, ob publicam v. gr. necessitatem, aut utilitatem, potest tale quid statuere (cum publicum bonum sit praestantius bono privato, et hoc merito illi cedere debeat) quod tamen in dubio non censeri debet fecisse (cum non facile utatur potestate extraordinaria) et facilius praesumi potest derogare iuri acquirendo, quam acquisito, cum firmius hoc sit, et certius.

§. IV. *Quomodo, et quando Leges, sive Constitutiones humanae obligent?*

Quod Leges sive Constitutiones humanae obligent in foro conscientiae, et sub peccato, patet ex *c. Concupiscentia. 4. h. t.* ut enim iustis legibus obediant omnes subditi, non tantum sacrae Litterae docent, *ad Roman.* 1, 3. ubi dicitur: *Dei ordinationi resistere* tales, *et damnationem acquirere*, sed lumine naturae etiam notum est.

Incipiunt autem obligare non prius, quam sint publice promulgatae *Can. In istis* 3. §. *Leges distinct.* 4. absque hoc enim, ut proponatur et de-

nuntietur publice Communitati, obligationem non possunt inducere Communitati.

Debent autem promulgari loco, et tempore a legislatore praescriptis (si tamen locum et tempus promulgationi faciendae determinavit legislator) ita ut ab eo tempore, quod praescriptum est, lex obligare incipiat, *c. Cum singula* 32. *in fin. de praebend. in* 6. Sicuti enim lex dependet a legislatoris voluntate, ita etiam ab ea dependet vis obligandi, vel si nec locus nec tempus promulgationis faciendae, aut inchoandae obligationis praescriptum sit, obligent leges Caesareae quidem, post duos menses elapsos, ab earum in singulis provinciis facta promulgatione, *Authent. ut novae Constitutiones Novell.* 66. (Cum sufficere hoc tempus, et taliter facta promulgatio videatur, ut omnibus manifesta fiat nova Constitutio). Pontificiae vero Constitutiones prohibitivae, aut praeceptivae, probabilius statim post earum promulgationem in Curia romana factam, obligant (neque enim relata *Authent. ut novae etc.* in iure Canonico recepta est, ut praxis communissima Curiae romanae docet, causas orbis universi Romam delatas, iuxta Constitutiones pontificis Romae promulgatas decidens) ita tamen, ut quantum est ex se, ubique terrarum vim obligandi habeant, remotos vero et longius a Curia absentes, post tempus moraliter necessarium et sufficiens, ut lex promulgata in eorum notitiam devenire possit, spectata scilicet distantia locorum a Curia *c.* 1. §. *Nec obstaret. De conse. concess. praebend. in* 6. cum modo impossibili lex obligare non possit; et hinc in effectu, nec quoad poenam, nec quoad culpam bona fide ignorantes promulgationem obligat.

Aliorum denique inferiorum magistratuum tam ecclesiasticorum, quam saecularium leges, statim post earum promulgationem in Curia principis, vel ecclesia matrice, aut alio loco publico, secundum morem patriae, vel religionis factam, obligant, nisi aliud exprimatur; neque enim aut leges positivae aliud requirunt, aut requirere videtur legislatorum talium iurisdictio, quae tam ampla non est, ut peculiarem promulgationem in pluribus locis ad inducendam obligationem exigat.

Si vero sint leges irritantes contractus, vel alios actus etc. non prius obligant, saltem ex aequitate, si irritent contractum, iure naturali, vel divino validum, quam in singulis provinciis, aut dioecesibus, promulgatae sint, vel saltem alia via communiter sciantur (ut ne scilicet plus obsint, quam prosint bono publico) nisi versentur circa beneficia, professionem religiosam, aut similes materias, vel actus, in quibus pontifex plenum ius habet disponendi, quae leges statim post promulgationem in Curia factam obligant, ob plenam pontificis circa tales res disponendi potestatem.

§. V. *An obligent Leges, seu Constitutiones usu non receptae?*

Leges et Constitutiones canonicae post promulgationem, statim quidem obligant subditos ad eas acceptandas, tum quod sit ex parte legislatoris potestas obligandi subditos independenter ab horum acceptatione (ut ne vana illa sit et inefficax, si a populi consensu et acceptatione dependeat) *l.* 1. *ff. de Constit. Princip.* §. *Sed et quod Principi. Can.* 1. *Dist.* 20. tum quod merito hanc ipsam voluntatem taliter obligandi censeatur habere legislator,

non tantum absolute loquens, praecipiens, et obligans, sed quod hoc magis impedire bono communi censeatur (nisi aliam suam voluntatem exprimat, qui legem tulit; vel a populo restricta illi potestas fuerit, dependens a populi acceptatione, quoad leges obligantes, quod de legislatore civili quidem, non autem de summo pontifice dici potest) si tamen Constitutio talis vel lex, ex rationabili causa, ab initio non fuit recepta, nec observata a tota Communitate aliqua, vel a maiore illius parte, tandem desinit respectu illorum obligare *Argu. c. ult. de consuet.* (si enim Constitutio, vel lex talis, recepta, et observata ab initio, abrogari tamen potest iuxta *relat. c.* per contrariam consuetudinem, poterit multo magis per talem non usum tolli lex nunquam in usum deducta, sive nunquam recepta) et ita quidem, ut ad talis legis nunc receptae ablationem, sive fiat haec sciente, sive ignorante principe, non requiratur certum tempus, sed sufficiat repugnantia populi per actus legi contrarios in numero sufficiente, iuxta arbitrium prudentum positos; cum princeps, quamvis ignoret subditorum non usum, semper tamen censeatur habere illam voluntatem: quod nolit obligare contra morem, seu usum populi. *Argu. c. 1. de consuet. in 6.* et virtualiter illam legem revocare censeatur, quae facta est populo inutilis.

§. VI. *An Leges, seu Constitutiones Canonicae, vel civiles obligent etiam ignorantes?*

Resp. 1. Ignorantes invincibiliter legem promulgatam non obligari (in actu secundo) ad legis talis observationem *Argu. c. 2. h. t.* (ubi enim invincibilis ignorantia, non potest committi culpa, cum ignorantia tollat voluntarium, ad omnem culpam requisitum) nisi lex esset praecise irritans v. gr. actum aliquem, certam praescribens formam etc. quo in casu contra talem legem praecise irritantem factus actus nullus esset, quamvis cum invincibili ignorantia positus fuisset, cum irritatio talis non sit poenalis culpam supponens, sed statuens certam formam pro bono communi.

Resp. 2. Statutum etiam esse de iure Canonico *in c. 2. h. t. in 6.* ut sententiis quibuscumque (quae animam ligant, censuris v. gr.) non ligentur ignorantes, nisi crassa aut supina fuerit eorum ignorantia; non tantum bono animarum exigente taliter non ligari ignorantes tales, sed ipsa etiam censurarum natura, quae non incurri solent, nisi a contumacibus; ubi autem est ignorantia invincibilis, ibi contumacia locum non habet.

§. VII. *An Lex, vel Statutum obliget subditos extra territorium statuentis existentes?*

Resp. 1. Non ligari subditos statutis, aut legibus, si extra territorium statuentis existant *c. 2. §. statuto h. t. in 6.* (cum nemo possit extra terminos suae iurisdictionis eam extendere) et consequenter puniri non possunt, si extra territorium statuentis contra statuta illius faciant (cum *extra territorium ius dicenti impune non pareatur*) nisi persona quidem extra territorium existat, actio vero, quae ponitur, aut omittitur, in ipso territorio poni, aut omitti censeatur; vel res circa quam fit operatio, in ipso territorio

existat; vel denique bonum et commodum ipsius territorii principaliter respiciat statutum tale, ut contra agens graviter illud laedat: His enim in casibus etiam extra territorium existentes, et contra statutum in suo territorio latum operantes delinquunt; et poenam in territorio statutam incurrunt Beneficiati, a suis ecclesiis longiore tempore absentes, quam per statutum sui territorii liceat (cum residentiam omittant ibi, ubi beneficium habent) et qui extra territorium existentes, delictum quidem extra illud inchoant, intra illud tamen consumant, sagittam v. gr. emittendo extra territorium, occidendo tamen hominem in ipso territorio existentem; et quibus prohibetur ob bonum patriae, extra territorium negotiari, frumentum exportare, cum hi non censeantur simpliciter extra territorium delinquere.

Resp. 2. Haec ipsa etiam vera esse, et asseri debere pari modo de subditis, qui intra territorium quidem, in locis tamen plenissime a domino iurisdictionis territorii exemptis, existunt (in ordine enim ad iurisdictionem aequiparatur locus talis exemptus, loco extra territorium sito) nisi quoad populum tali loco subditum non esset exemptus talis locus, sed praecise ratione personarum privilegiatarum in tali loco habitantium, ob strictam scilicet exemptionis, ordinario loci talis praeiudicantis, interpretationem.

Resp. 3. Praeceptum tamen, et sententia iudicis ligat etiam extra territorium praecipientis, aut sententiam legitimam ferentis, cum enim ferantur haec talia directe et immediate personis subiectis, consequenter ubicumque persona fuerit, ligabitur illis.

§. VIII. *Quosnam obligent Constitutiones Canonicae sive Ecclesiasticae.*

Resp. 1. Canonum statuta, sive leges ecclesiasticas, ligare omnes Christi fideles Ecclesiae subiectos *c.* 1. *h. t.* (cum enim pro omnibus taliter subiectis ferantur leges tales, consequenter etiam omnes illis ligabuntur, si tamen legitime sint promulgatae, et usu contrario non abrogatae, sed receptae; neque particulares tantum sint, certo generi hominum tantum latae) non quidem quasi omnes obligentur omnibus quoad vim coactivam, cum pontifex nulli iurisdictioni humanae subiectus, a nemine cogi possit; sed quoad vim directivam, saltem indirecte, et ex aequitate naturali, qua quis pati legem iubetur, quam ipse tulit *cap. Cum omnes* 6. *h. t.* nisi statutis ac dignitati non congruant.

Resp. 2. In foro etiam externo saeculari iuxta sacros canones iudicandum esse in materia ecclesiastica, quidquid in iure civili de tali materia decisum sit, cum tales civiles decisiones per ius Canonicum correctae sint, et ob defectum iurisdictionis in civili legislatore circa talem materiam nullae sint.

§. IX. *Utrum leges civiles, et statuta magistratus saecularis obligent personas ecclesiasticas?*

Resp. 1. Quae expresse et nominatim de rebus, aut personis ecclesiasticis, praecipiendo aliquid, aut prohibendo, decernunt, non obligare personas ecclesiasticas *cap. Quae in Ecclesiarum* 7. *h. t.* etiamsi in commodum, et favorem Ecclesiarum disponant (cum tales leges ob defectum iurisdictionis ipso iure nullae sint) sive deinde disponant in specie de bonis ecclesiasticis

clericorum, aut personarum ecclesiasticarum, sive de bonis earum patrimonialibus (cum certum sit, quod si persona exempta est, res illius etiam exemptae sint, velut accessoriae personis exemptis) quamvis bona talia intra laicorum principum v. gr. districtum, aut territorium sita sint *c.* 1. *de immunit. Eccles. in* 6. (cum territorialis iurisdictio non se extendat, nisi erga personas, et res subditas, quales non sunt exemptae personae, et res ecclesiasticorum, nisi bona feudalia essent, quae ex dispositione utriusque iuris sub iurisdictione dominii directi manent *c.* 6. *et* 7. *de foro compet.* vel nisi lex civilis disponat quidem specifice de bonis aut personis ecclesiasticis, nihil tamen praecipiat, aut prohibeat, sed merum favorem, seu privilegium clericis, aut personis ecclesiasticis concedat; neque enim dans privilegium ullam iurisdictionem in privilegiatum exercet, cum possint enim extraneis, non subditis dari privilegia.

Resp. 2. Quod, si lex civilis, aut statutum magistratus saecularis in genere tantum praecipiat aliquid, aut prohibeat, nullam in specie mentionem faciendo personarum, aut rerum ecclesiasticarum, non comprehendantur personae tales, aut earum bona in praeiudicium earum, verba enim generalia legis talis, ut vim suam habeant, et iustae leges tales dicantur, restringenda sunt ad limites potestatis statuentis, ut non comprehendant, nisi subditos.

Resp. 3. Quae vero leges civiles, aut statuta magistratus saecularis ob publicam reipublicae utilitatem in communi latae sunt, circa materiam tam clericis, quam laicis communem (quales sunt materiae contractuum, testamentorum, iudiciorum etc.) nec ss. Canonibus repugnant, aut statum clericalem dedecent, etiam a clericis, et personis ecclesiasticis observari debent; non quidem quasi directe illis legibus, ut a laico magistratu latis obligentur, aut quod obligentur quoad vim coactivam (cum desit in legem talem ferente respectu harum personarum, tam ad cogendum, quam obligandum directe iurisdictio) sed quod illis obligentur, quoad vim directivam, saltem indirecte, vel quod aequitas naturalis exigat, ut aliis eiusdem communitatis membris pro bono publico circa talem materiam conformentur.

SECTIO II.

De Legibus, seu Constitutionibus reprobatis, seu prohibitis iure Canonico.

§. I. *De legibus et statutis civilibus, quae adversantur immunitati ecclesiasticae.*

Resp. 1. Iniustas eas esse, et irritas de utroque iure, sive directe sive indirecte immunitati Ecclesiarum, aut personarum ecclesiasticarum, earumque rebus praeiudicentur, merum onus v. gr. aut gravamen imponendo, aut iuri acquisito earum derogando. *c.* 7. *et* 10. *h. t. c. Noverit.* 49. *c. Gravamen* 53. *de sent. exco. l. Placet.* 5. *l. Privilegia.* 12. *authent. cassa. codice de ss. Ecclesiis.* Videatur *Bulla Urban. VIII. edita* 1641. *die* 23. *decemb.* quae incipit, *Romanus Pontifex*, et extat in *Bullario Romano tom.* 4. *Constit.* 159.

Resp. 2. In specie tales leges iniquas, et irritas enumerari illas, 1. quae feruntur de solvendis, ac praestandis vectigalibus, angariis, collectis, et similibus exactionibus, si ad clericos, aut personas ecclesiasticas extendantur

c. Non minus, 4. *etc. adversus* 7. *de immunitate Ecclesiarum. c.* 1. *et* 3. *eodem in* 6. *c. Quamquam* 4. *de censibus in* 6. 2. Per quas fiunt tributaria praedia ecclesiarum et clericorum. 3. Per quas gravantur personae ecclesiasticae, si migrent de uno loco in alium, et iubeantur, partem aliquam bonorum, quae secum deferunt, fisco, vel communitati solvere; aut ex relictis ad piam causam publicae fabricae solvere aliquid. 4. Per quas ingredientes Religionem aliquam a successione haereditaria excluduntur, vel iubentur parte aliqua haereditatis, aut usufructu ad dies vitae esse contenti. 5. Per quas res immobiles triennio praescriptibiles fiunt, si ad personas ecclesiasticas, et res illarum immobiles lex talis extendatur. 6. Denique per quas redduntur personae aliquae ad contrahendum etc. ad testandum et donandum inhabiles in poenam v. gr. delicti alicuius, vel ab ipsis, vel ab eorum maioribus commissi, ita ut velint, personas etiam ecclesiasticas legibus his comprehendi etc. His enim, et similibus legibus, si ad personas etiam ecclesiasticas extendantur, graviter praeiudicatur immunitati ecclesiasticae, contra talia a saecularibus imposita onera privilegiatae; et consequenter iniquae illae sunt, et nullae, in quantum ad tales personas et res extenduntur.

§. II. *An lex civilis vel statutum principis, vel magistratus saecularis, prohibens quovis modo alienari bona immobilia in Ecclesias, vel personas ecclesiasticas, sit validum et licitum?*

Resp. 1. Prohiberi statutum tale, vel legem talem, sub poena excommunicationis, si specifice et expresse prohibeat, ne bona talia immobilia a subditis vendantur, aut donentur Ecclesiis, aut personis ecclesiasticis, aut alio modo in illas alienentur, prout satis clare colligitur ex *c. ult. de immunit. Eccle. in* 6. Ubi poenae excommunicationis subiiciuntur illi saeculares magistratus, qui suis subditis prohibent, ne quidquam vendant ecclesiasticis, ita ut, si non ex verbis textus, ex mente tamen, et intentione legislatoris, quae anima legis est, recte dicatur, sub poena excommunicationis prohibita lex vel statutum talia talibus vendi prohibens, cum talia in derogationem libertatis ecclesiasticae, ut ait pontifex, praesumantur, sive attententur, certe ius naturae concedit personis ecclesiasticis, quod possint (caeteris paribus) a quibuscumque bona immobilia emere, vel acquirere etc. ergo si prohibita sint illa statuta, quibus aliquid illis personis adimitur, quod iure communi positivo concessum illis est, uti patet ex variis iuribus; multo magis prohibita erunt illa statuta, quibus ea ipsis iura adimuntur, quae de iure naturae competunt: et quamvis quilibet privatus prohibere possit, ne res sua, cuius plenum dominium habet, taliter in Ecclesiam v. gr. transferatur; cum de re sua, cuius est dominus proprietatis, pro suo libitu disponere possit; non potest tamen talem prohibitionem facere magistratus saecularis, circa bona suorum subditorum, cum penes illum sit tantum dominium iurisdictionis, vi cuius circa subditos statuere aliquid potest, non tamen circa personas non subiectas.

Resp. 2. Non tantum dicto modo prohibita esse statuta talia et leges, sed etiam irrita et nulla; prout etiam illa statuta nulla sunt in ordine ad

personas ecclesiasticas, quae nihil quidem in specie de personis ecclesiasticis statuunt, in genere tamen prohibent, ne talia in extraneos v. gr. et non subditos iurisdictioni statuentis alienentur (cum statuta, quae libertati ecclesiasticae praeiudicant, nulla sint iuxta saepius allata iura) nisi cum licentia, et permissione summi pontificis ea condita fuissent, aut ab illo approbata, cum non tantum derogare possit pontifex clericorum privilegiis, sed licentiam etiam dare possit personis talibus ecclesiasticis, ut iuri suo, quod sibi de natura competit ad acquirendum et retinendum, ob bonum publicum cedere possint: quamvis ex recepta in pluribus locis praxi pateat, nullitatem hanc alicubi non agnosci, non debet tamen de valore talium statutorum ex praxi colligi aliquid, sed ex iure Canonico, cum regula nostrarum actionum non sint facta hominum, sed iura competentia.

§. III. *De aliis Constitutionibus reprobatis a iure Canonico.*

I. Statutum alicuius communitatis vel collegii, quod vergit in aliquorum commodum, et in aliorum damnum, sive per quod aliqui magis, quam alii eiusdem collegii et aequale ius habentes gravantur, iniustum est et invalidum. *c. Cum omnes*, 6. *h. t.* Cum enim lex, sive Constitutio commune sit praeceptum, ad cuius normam communiter omnes eiusdem communitatis vivere debent, et ferri debeat ob publicum bonum, et communem utilitatem totius Collegii; consequenter nulla est, et invalida talis Constitutio, si privatum tantum commodum singulorum attendat, et sine ulla rationabili causa inaequalitatem indicat inter eiusdem communitatis partes; ac optime taliter constituenti dicatur: *patere legem, quam tu ipse tulisti.*

II. Non valet statutum, quod cedit in diminutione cultus divini *c. Ex parte*, 12. *h. t.* (ut imminuatur v. gr. numerus praebendarum in ecclesia aliqua collegiata contra antiqua statuta, aut consuetudinem, vel fundationem, certum numerum praescribentem, quo piuguiores obveniant praebendae paucioribus canonicis) cum divinus cultus augeri potius, quam imminui debeat, et statutum tale videatur ex radice avaritiae, et proprii commodi potius provenire, quam ex legitima causa, cum reditus in tali ecclesia consueto canonicorum v. gr. numero competentes, nihil fuerint imminuti.

III. Non valent statuta clericorum, ab inferioribus pontifice facta, contra ius Canonicum *c. Quod super his, de maiorit. et obed.* Quamvis enim laicis concessa sit haec potestas, ut possint etiam contra leges Caesareas statuta facere, haec tamen potestas contra ius Canonicum statuta faciendi non legitur concessa clericis pontifice inferioribus.

SECTIO III.

De Interpretatione, Extensione et Abrogatione Constitutionum, seu statutorum.

§. I. *De Interpretatione legis vel statuti.*

Certas regulas observandas esse in legum aut statutorum interpretatione, docent communiter omnes: et 1. quidem non tam verba, quam mens et intentio legislatoris (quae potissimum ex ratione motiva, propter quam lex

fertur, colligi potest) observanda sunt in legis interpretatione *c. In his*, 15. *de V. S. reg. ult. in* 6. cum intentio recte dicatur anima legis. 2. Interpretanda sunt verba legis iuxta communem, et usitatam, ac propriam significationem, a qua recedendum non est, nisi ratio, vel necessitas cogat, ad evitandum v. gr. absurdum, antiquorum iurium correctionem, aut receptae consuetudinis praxim etc. quarum correctiones odiosae sunt, et ad verba nonnunquam improprianda cogunt. 3. Quae generatim et indefinite loquitur lex, generaliter etiam, et universaliter intelligenda est, ut locum habeat in omnibus, quae sub tali genere in propria verborum significatione continentur, (*ubi* enim *lex non distinguit neque nos distinguere debemus*) nisi per legem priorem, aut posteriorem in specie loquentem generalitas illa limitetur, aut casus aliquis in ea excipiatur. 4. Ita intelligenda sunt verba legis, ut lex non reddatur inutilis et otiosa, sed ut aliquid operetur et effectum aliquem habeat iuxta *Gloss.* communiter receptam *in c.* 2. *§. fin. V. Aliter facta, de usu in* 6. 5. In dubio explicari verba statuti debent, ut quantum fieri potest, salva eorum proprietate, a communi iure non recedatur (iuxta *Gloss.* communiter receptam *in cap. Cum dilectus*, 8. *v. Iuri communi, de consuet.*) et non sit explicatio illa contra stylum Curiae principalis in foro illo observandae, aut contra consuetudinem communiter receptam *c. Ex litteris* 11. *h. t.* et hinc eae etiam clausulae in statutis talibus et legibus subintelligi debent, quae secundum ius commune, et stylum Curiae, aut loci consuetudinem apponi solent *c. Cum, M.* 9. *h. t.*

§. 11. *De extensione legis.*

Extensio legis duplex est, comprehensiva alia, sive inclusiva, quae tamen minus proprie legis extensio dicitur, et aliud non est, quam quod per eam dispositio, sive decisio legis transferatur ad alium casum, aut personam, non quidem sub verbis expressis legis clare significatam, comprehensam tamen in mente legislatoris, ad quam in decisione legis praecipue attendi debet: alia legis extensio, quae proprie dicta est, dicitur extensiva, quando scilicet dispositio legis ad alium casum aut personam, nec sub verbis legis, nec in mente legislatoris comprehensa, propter paritatem rationis extenditur, non quidem contra mentem legislatoris, sed praeter, aut ultra illam.

Illa, comprehensiva scilicet extensio, locum habet ob identitatem rationis, non tantum in materia favorabili, sed etiam odiosa poenali, exorbitante, et iuris correctoria (rarius tamen, et non nisi urgente necessitate, ne absurdum admittatur) tam intra, quam extra iudicium; quia merito praesumi potest, legislatorem expressisse quidem aliquem casum e. g.; alios tamen similes casus, in quibus omnino eadem ratio pugnat, et absque iniquitate, et absurdo aliud dici non potest, pari modo decidendos in animo habuisse. Haec vero mere extensiva proprie dicta extensio, extra iudicium et in foro conscientiae locum non habet (*neque* enim *lex obligare potest in conscientia ad id, quod non praecipit*) nisi sit mere favorabilis materia (cum favores sint ampliandi iuxta *regulam* 15. *in* 6.) aut agatur tantum de facultate agendi aliquid, vel de exceptione a legis obligatione, ubi propter paritatem rationis, praesertim si ea in lege expressa sit, extensio etiam proprie

dicta fieri potest (argu. *c. Inter caeteras*, 4. *de rescript.*) nisi in speciali casu contrarium statutum esset.

§. III. *An Lex, sive Constitutio extendatur ad praeterita?*

Lex sive Constitutio, quae novum ius condit, sive de novo aliquid statuit, ac disponit, ad praeterita, sive ea, quae iam facta sunt, non extenditur, sed futuris tantum negotiis formam, modumque praescribit (*c. 7. et ult. h. t. ne detrimentum* scilicet, ut ait pontifex, *ante prohibitionem ignorantes incurrant*) nisi in lege nominatim expressum sit, ut ad praeterita etiam extendatur, ut si nullam quidem faciat de praeteritis mentionem, sit tamen lex antiqui iuris declarativa tantum, vel actus iam facti rescissiva tantum etc. In his enim casibus etiam ad praeterita extenditur, cum absolute penes legislatorem legitimum sit, ex iusta causa non tantum taliter statuendi potestas, sed sit etiam potestas antiquum ius declarandi (*c. Cum tu*, 5. *de usu, iuncta Gloss. verb. Post.*) et actum mero quidem iure validum, contra tamen Canones prohibentes factum irritandi et rescindendi, praesertim ubi eadem ratio rescissionem praeteritorum contra iura prohibentia factorum urget, quae urget nullitatem futurorum, quin etiam, quamvis lex iuris novi constitutiva ad praeterita non extendatur, si absolute nec futurorum nec praeteritorum memor loquatur, et de ipso facto aut forma faciendi decernat, *c. ult. h. t.* si tamen disponat de executione aut ulteriore processu negotii caepti, tunc extenditur etiam ad praeterita nondum executioni mandata, modo eadem omnino vel maior ita statuendi ratio reperiatur in praeterito arg. *Clem. un.* 4. *de testa.* iuncta *gloss. verb. Deputatis.*

§. IV. *An statutum Superioris auctoritate confirmatum possit a statuentibus sine illius consensu tolli, et revocari.*

Duplex est Confirmatio, essentialis alia et necessaria, alia accidentalis: essentialis sive necessaria confirmatio est, quae dat formam, seu substantiam legi sive statuto, necessario scilicet et essentialiter ad illius valorem requisita, quando inferiores scilicet non habent per se ipsos potestatem statuendi, seu ferendi legem, quae vim obligandi habeat, nisi prius a Superiore confirmetur, vel quando superior tale statutum confirmat cum clausula: *ex certa scientia*, vel *ex plenitudine potestatis:* aut cum clausulis omni contrario derogatoriis, etc.; accidentalis vero confirmatio vocatur, quae non dat formam quidem et substantiam, ac valorem legi, seu statuto, quia inferiores per se ipsos habent vim statuta condendi, quae obligant, petitur tamen a superiore, et admittitur, ut maius robur, et auctoritatem statutum tale habeat. Quo supposito ad quaesitum §. huius R). quod statutum ab inferiore magistratu factum, si confirmatione tantum accidentali a superiore confirmatum sit, ab eodem inferiore magistratu, qui statutum tale tulit, revocari et tolli possit, absque consensu superioris desuper habito: non autem si confirmatione essentiali, et necessaria a superiore confirmatum sit; cum enim per hanc essentialem confirmationem totam vim suam, obligandi hic et nunc habeat, et accipiat a superiore confirmante, non autem in illo casu confirmationis tantum accidentalis, quo in casu vim omnem suam obli-

gandi statutum tale, non a confirmante superiore, sed a magistratu inferiore statutum ferente habet, consequenter per illam confirmationem necessariam factum est statutum tale, statutum principis iuxta *c.* 1. *Cod. de vet. iur. Enucl.*: per accidentalem tamen confirmationem suam naturam non mutavit, sed mansit obligans in vim statuti ab inferiore magistratu facti, ergo cum inferior nihil possit citra tollenda superiorum statuta, praesertim, si ob bonum publicum principaliter ea lata sint, possit autem eadem auctoritate tollere statutum a se factum, qua fecit, poterit absque consensu superioris hoc a se factum statutum tollere, quamvis accidentali confirmatione a superiore confirmatum sit, non poterit autem tollere absque consensu confirmantis superioris statutum illud, quod essentiali et necessaria confirmatione a superiore confirmatum est, si ob bonum publicum tale statutum factum sit. Dico *ob bonum publicum*: si enim statutum tale factum esset, et essentialiter confirmatum directe, per se ac principaliter in favorem tantum statuentium, sicuti *quivis favori per se introducto renuntiare potest*, ita possent etiam hi statuentes statutum tale, quamvis essentialiter a superiore confirmatum, sine alio huius consensu tollere, et abrogare *c. Cum accessissent,* 8. *h. t.* Quin immo, si per revocationem statuti specialis redeatur ad observationem iuris communis pristini, tolli et revocari potest a statuentibus inferioribus tale statutum speciale, quamvis essentialiter et necessario a papa confirmatum sit, absque alio expresso consensu superioris, qui essentialiter confirmavit, cum ex praesumptione prudenti consensus superioris, qui pro iure communi semper magis praesumitur, in tali casu tacite saltem intervenit.

§. V. *An et qua ratione prior Constitutio tollatur post posteriorem?*

Resp. 1. Lex seu Constitutio principis posterior, si sit directe contraria priori Constitutioni, tollit eam, et abrogat, quamvis de priore Constitutione nullam mentionem faciat; si tamen princeps prioris Constitutionis notitiam habuit, prout supponitur scire iuris communis leges, *c.* 1. *h. t. in* 6. (cum enim habeat potestatem tollendi priorem, consequenter, si novam condat, quam scit priori directe contrariam esse, censetur eam tollere et abrogare) nisi prior illa Constitutio sit Conciliaris, cui per posteriorem absque expressa illius derogatoria non derogatur Arg. *c. ex parte* 3. iuncta *Gloss. v. Nulla mentio, de Capellis, Monach.* (cum tali tanta maturitate factae Conciliari dispositioni noluit tam facile derogare pontifex) vel certis quibusdam clausulis contra derogationem munita sit; quae si specificam mentionem requirat, non tollitur per clausulam generalem, non obstantibus quibuscunque in contrarium: sed debet habere clausulam specialem clausulae priori, expresse vel aequivalenter derogantem.

Resp. 2. Non tantum per posteriorem principis Constitutionem derogatum censetur particularibus statutis, quamvis lex posterior directe contraria sit illis, ut constat ex relato *c.* 1. quorum enim nullam notitiam princeps habet, sicuti praesumitur non habere notitiam eorum, quae particularia locorum certorum sunt, illis non censetur per suam contrariam Constitutionem derogare, nisi expresse caveatur, saltem per clausulam generalem *non obstante quocunque contrario statuto, etc.* ut ait *Gloss. in relatum c. v. Facti;*

aut nisi statutum tale particulare idem disponat et decernat, quod disponit et decernit ius commune, nihil ei addendo, vel detrahendo, prout iterum probat relata glossa, et ex eo desumpta ratio, quod scilicet cum aliud nihil statuat ius particulare, quam ius commune, consequenter qui derogat iuri communi, censeatur etiam derogare iuri particulari, idem prorsus asserenti, quod asserit ius commune.

TITULUS III.

DE RESCRIPTIS.

SECTIO I.

De Rescriptis in genere, eorumque divisione et impetratione.

§. I. *Quid sit Rescriptum et quotuplex ?*

Rescriptum aliud non est, quam responsum principis supremi ecclesiastici vel secularis, supplicanti vel consulenti in scripto datum: quamvis enim si rescripti nomen latius accipere velis, omnis responsio ad petitionem alterius, quamvis a privato facta sit, in scripto obtenta, rescriptum dici possit, quia tamen in *h. t.* maxime de rescriptis pontificiis agitur, et leges etiam civiles in strictiore acceptione de rescriptis loquuntur, hinc ab illa strictiore, et magis propria acceptione discedi non debuit; quae tamen ipsa acceptio strictissima non est, cum multi adhuc distinguant inter privilegium, beneficium, dispensationem, et rescriptum; quae tamen haec distinctio magni momenti non est, magis placet sub rescripti nomine haec omnia comprehendere.

Plures sunt quidem rescriptorum divisiones; potissima tamen ea est, qua rescripta dividuntur in rescripta *Iustitiae* et *Gratiae*. Illa dantur ad explicandum, seu declarandum ius, sive ad lites expediendas, dicendum ius, et administrandam iustitiam: haec dantur ob obtinendam aliquam gratiam, seu beneficium: addunt his aliqui rescripta etiam mixta, quae scilicet gratiam et iustitiam continent, ut si executori mandetur, ut conferat beneficium, simulque detur potestas compellendi resistentes, vel impendientes.

§. II. *Quinam impetrare possint Rescriptum, qui non; et a quibus, contra quos, et in quibus rebus impetrari possit ?*

Supplicare principem, sive impetrare rescriptum potest quilibet, sive actor, sive reus sit, nisi specialiter prohibeatur: qualiter prohibetur haereticis *l.* 2. *cod. de summa Trinit.* Servius *l.* 1. *cod. de precibus Imperat. offerendis*, (nisi causarum atrocitas aliud extraordinarie concedat) et excommunicatis excommunicatione maiore *c. Directus*, 26. *h. t.* sive occulti sive notorii fuerint, sive per se, sive per procuratorem, etc. ita ut tam rescriptum ab his impetratum, quam processus vi talis rescripti institutus, sint ipso iure nulla (quamvis enim, si coram iudice ordinario egerit excommunicatus, et nec per iudicem ex officio, nec per exceptionem adversarii repulsus sit, acta illius omnia, et sententia valida sint, uti colligitur ex *c.* 1. §. *fin. de except. in* 6. hoc tamen de iudice delegato per rescriptum impe-



trato, dici non debet, cum enim nullum rescriptum sit, et irritum, per quod iudex delegatns ab excommnnicato impetratur, conseqnenter nullam vi talis rescripti iurisdictionem acquirit, ergo si aliunde eam non habeat, acta iudicii illius, et sententia nulla erunt) nisi super causa ipsius excommunicationis propriae agat excommunicatus, aut super causa appellationis (ut ne medium necessarium ad sui defensionem videatur illi negari) vel impetraverit taliter excommunicatus rescriptum ab episcopo, aut alio ordinario, qui papa inferior est, vel a principe saeculari, a quibus per excommunicatum impetrata rescripta ipso iure valida sunt, cum éa, quae de rescriptis in iure Canonico dicuntur, potissimum se extendant ad rescripta pontificia, prout ex fine huins tituli satis colligitnr.

§. III. *An quis non tantum pro se, sed etiam pro alio impetrare possis rescriptum?*

Resp. Rescripta ad lites, sive rescripta iustitiae, non posse aliquem alterius nomine impetrare (ad cavendam scilicet nimiam litium mnltiplicationem) nisi speciale ad hoc mandatum ab eo, cuius nomine impetrat, habeat *c. Nonnulli*, 28. §. *Sunt et alii h. t.* aut sit ex illis personis, a quibus non debet de iure civili mandatum exigi, quales sunt personae sanguine ant alia propinquitate coniunctae, iuxta prndentis iudicis arbitrium, aut sit procurator generalis ad lites constitutus, qui nomine proprio ad causas, quas agere potest, vi generalis mandati rescripta etiam impetrare potest; sunt tamen aliqui, qui eam volnnt hodiernam Curiae romauae consuetudinem, ut a quibuslibet etiam extraneis personis, alieno nomine rescripta ad lites etiam impetrari possint, sine speciali mandato: quod de rescriptis gratiae facile concedent omnes (ad beneficia enim ecclesiastica obtinenda, ad dispensationes, vel alias gratias impetrandas, etc. supplicari a quolibet, pro quolibet capaci posse sine speciali mandato ex *Gloss. in citatum* §. *Sunt et alii v. Sine speciali mandato, et ex l. Universis. Cod. de precib. Imperat. ff.* patet) fortassis non tam facile de rescriptis ad lites.

SECTIO II.

De interpretatione Rescriptorum.

§. I. *Quomodo interpretari oporteat rescripta iustitiae, sive ad lites.*

Resp. 1. In dubio, si de contraria voluntate rescribentis non constet, intelligi et explicari debere inxta ius commune, ne illi derogetur, etiamsi a proprietate verborum recedendnm esset, aut clausula adiecta transponenda esset, prout sumitur ex *c. Causam*, 18. *h. t.* cum enim rescripta talia fiant iuxta ius commune, consequenter nihil contra ius commune decerni recte praesumetur (nisi per clausulam expressam ei derogaretnr) ita ut potius error scriptoris praesumi debeat, quam quod contra ius commune a principe rescriptum sit.

Resp. 2. Strictam plerumque interpretationem faciendam rescriptorum iustitiae, sive ad lites (tum quod odiosa illa sint, litium occasionem praebentia, tum quod derogent iurisdictioni ordinariorum) ita nt extendi non

debeant ad casus, aut personas non expressas, et quamvis rescriptum tale impetratum sit cum expressa clausula, *quod vi illius aliae etiam quaedam personae conveniri possint:* aut *quod tam super his, quam super aliis quibusdam causis delegatus iudex cognoscere possit*, in iudicium tamen vi talis rescripti, neque causae graviores, aut maiores deduci possunt, neque personae digniores expressis, conveniri, sed aequales tantum, aut etiam leviores, quam sint expressae: neque rescriptum tale ad quemvis numerum personarum, aut causarum extendi debet, sed ad tres aut quatuor personas, *c. Sedes*, 15. *h. t.* in prima citatione coram iudice delegato nominandas *c.* 2. *h. t. in* 6. ad tres vel quatuor causas arg. *relati c. Sedes* (nisi ex subiecta materia amplior fuisse mens rescribentis colligi possit); et hinc 1. si per rescriptum conveniri possunt homines quidam in dioecesi existentes, non possunt vi talis rescripti conveniri homines, qui in civitate episcopali existunt, prout sumitur ex *c. Rodulphus*, 35. *h. t.* quamvis enim civitas talis episcopalis in dioecesi sit tanquam caput totius dioecesis, ob suam tamen dignitatem sub stricta acceptione dioecesis, quoad odiosa, non venit; sicuti mandatum, quod quis impetrat, ut de beneficio sibi provideatur in dioecesi, aut civitate, ad ecclesiam cathedralem se non extendit, prout expresse decidit pontifex *in c. Quamvis*, 4. *de praebend. in* 6, 2. Non potest conveniri haeres vi rescripti ad lites impetrati, cum clausula generali, *ut vi illius conveniri possint etiam quidam alii clerici, vel laici.* Si res adhuc sit integra, et ante litem contestatam mortuus fuerit, qui in rescripto illo expresse nominatus quidem non fuerat, vi tamen clausulae illius conveniri poterat, prout sumitur ex *c. Significavit*, 36. *h. t.* Quia obligationes personales, quas defunctus ante mortem non contraxit, non transeunt ad eius haeredem. Dixi, si nominatus expresse non fuerat in rescripto papali, vel si contra aliquem rescriptum impetratum fuerat, ratione ecclesiae, aut dignitatis, quam possidet, conveniendum, poterit vi clausulae generalis adiectae etiam haeres illius aut successor in dignitate conveniri, ut si enim res integra amplius non censetur. 3. Si rescriptum impetratum sit ad lites simpliciter, vel cum clausula, *et quibusdam aliis causis*, non debet rescriptum tale extendi ad controversias, quae post impetrationem rescripti primum exortae sunt, *c. ult. h. t.* quia dispositio, quamvis generalis, censetur tantum fieri de praesentibus, non autem de futuris, quae nondum existunt, nisi aliud exprimatur, argu. *l. Si scripsisset*, 46. *ff. de legat.* 2.

§. II. *Qualis interpretatio fieri debeat in rescriptis gratiae, sive ad beneficia.*

Resp. Stricte interpretanda esse, ita ut neque a persona in personam, neque a casu expresso ad casum non expressum extendi possit, nisi aliter de intentione rescribentis appareat, vel ex clausula adiecta, vel quod res ad primaevum suum statum reducatur per rescriptum, vel quod motus proprius, aut damni compensatio ampliorem favorem mereatur: ratio autem huius responsionis est, quod rescripta talia beneficia retinenda sint ambitiosa, *cap. Quamvis*, 4. *de praebend. in* 6. et mandatum contineant de facienda provisione, mandati autem fines diligenter sunt custodiendi, *l. Diligenter*,

5. *ff. mandati;* et hinc per se talia rescripta extendi non debent ad beneficia aliter vacantia, ac in rescripto expressum est; ad beneficium post datum rescriptum erecta, et de novo creata etc. *c. Susceptum*, 6. *h. t. in* 6. *Clement. ult. eod.*

§. III. *De quibusdam clausulis Rescriptorum.*

Sunt certae quaedam clausulae, quae in rescriptis communiter exprimuntur, vel saltem subintelligi debent, nisi expressam mentionem stylus illius Curiae requirat; ab harum autem intellectu multum dependet rescripti notitia, explicatio, et interpretatio.

I. Ergo in omni rescripto ad instantiam impetrato, exprimitur, vel subintelligitur illa clausula: *si preces veritate nitantur;* aut huic aequivalens *c. Ex parte*, 2. *h. t.* ita tamen, ut in rescriptis iustitiae saepe non sit essentialiter requisita, et consequenter rescriptum tale non sit ipso iure irritum, si narrata in eo non sint vera, cum talia non tam ad fundandam, et inchoandam iudicis iurisdictionem inserantur, quam ad aliquam illius instructionem, quomodo secundum iustitiam procedere debeat, et saepius ad id tantum referatur, quod immediate antecessit, prout scilicet materia subiecta exigit, ut colligitur ex *c. Olim*, 25. *h. t.*

II. In omnibus rescriptis tam gratiae, quam iustitiae opponi solet, vel subintelligi debet clausula: *salvo iure alterius*, sive *sine praeiudicio alterius:* neque enim papa, aut princeps rescribere censendus est cum derogatione iuris alterius, nisi aliud exprimat, cum commodius sit, si non possit subvenire alteri, nisi alter laedatur, neutrum iuvari, *can. Denique causa*, 14. *quaest.* 5.

III. In rescriptis ad beneficia datis, ea etiam clausula habetur, *si is, cui datur, dignus sit* (id est, nullum canonicum impedimentum habeat) ad beneficium ecclesiasticum obtinendum, uti colligitur ex *c. Cum alio*, 17. iuncta *Gloss. fin. h. t.* Ita ut haec clausula ipso iure rescripto tali insit, et non tam faciat collationem conditionatam, quam informet conferentem, quid agere debeat.

IV. Habentur etiam in rescriptis aliae nonnunquam clausulae speciales, ut cum causa v. g. pluribus quidem decidenda delegatur, ea tamen etiam clausula additur: *ut si omnes nequiverint simul exequendis commissis interesse*, *alter vel plures alii nihilominus exequantur:* intelligendo hanc clausulam, tam de impotentia iuris, quam de impotentia facti iuxta *c. Sciscitatus*, 13. iuncta *Gloss. V. imped. h. t.* et τὸ nequiverint, intelligendo etiam pro noluerint iuxta *c. Prudentiam*, 21. *de officio delegati*, ut ne scilicet per alterius malitiosam voluntatem, nulli praeiudicans rescripti gratia impediatur: debet tamen impeditus, per nuntium ad alios coniudices destinatum, aut alia ratione impedimentum hoc illis significare.

Simili modo plerumque rescriptis gratiae ad beneficia obtinenda, ea etiam clausula inseritur, aut inserta habetur: *si pro alio non scripsimus*, *qui eandem gratiam prosequatur; c. Mandatum*, 38. *h. t.* neque enim mens pontificis est, collatorem ordinarium super receptione, seu institutione duorum gravare (nisi id exprimatur) nisi posterioris pontificis litterae prioris pontificis

mandatum, quod ad talem Ecclesiam dedit de providendo alicui circa beneficium, vel canonicatum in ecclesia tali, tantum prosequerentur, prout habetur in *c. Litteris*, 39. *h. t.* cum in tali casu non tam hic posterior pontifex gravaverit ecclesiam duobus mandatis, quam prioris pontificis gravamen prosecutus sit; ad quod vi officii sui, saltem ex aliqua decentia, et honestate tenebatur: vix tamen aliquis huius *c.* bodie usus est, non tantum, quod gratiae exspectativae sublatae sint per *Concil. Trident.* sed quod est stylo romanae Curiae statim post promotionem suam pontifex talia de providendo mandata, quae nondum executioni data fuerunt, revocet, prout habetur in *c.* 39. *et* 40. *de praebend.* in 6.

SECTIO III.

De forma Rescriptorum

§ I. *Qua ratione servandus sit ordo, et forma seu modus in Rescriptis praescriptus?*

Resp. In rescriptis verborum seu scripturae ordinem servandum omnino esse, ita ut si ordo hic pervertatur, aut transponatur, non tantum contra formam rescripti, sed etiam ultra, aut praeter eam agendo aliquid, irritus sit processus, *c. Cum dilecta*, 32. iuncta *Gloss. ver. Transponentes h. t.* (tum quod mandati fines diligenter sint custodiendi, tum quod nullam potestatem habeat delegatus, nisi quantum ipsi iuxta rescripti formam a delegante conceditur) nisi forma rescripti, in favorem praecise partium concessa, ab his remittatur, aut forma, vel modus procedendi praescriptus non tam de iure communi (quo in casu iuxta iuris communis praescriptum forma talis, vel substantialis, vel accidentalis tantum erit) sed de novo a delegante praescribatur (quo in casu modus ille praescriptus substantialis erit) ita ut tali forma non servata, actus sit irritus, prout probant relatum *cap.* et relatae rationes; si tamen de alia mente delegantis, vel ex stylo Curiae, vel ex modo loquendi, vel ex aliis circumstantiis etc. nihil colligatur. Et hinc, quamvis de pluribus alternative, vel disiunctive, ut inquirat delegatus, delegans praeceperit, ad executionem tamen rescripti obtinendam, unum ex illis esse verum sufficiet, iuxta *c. Inter caeteros*, 4. *h. t.* cum satis sit ad veritatem propositionis disiunctivae, alterutram veram esse.

§. II. *An et quomodo duobus Rescriptis impetratis in eadem causa, in posteriore mentio fieri debeat de priore.*

Certum est 1. quod in rescriptis iustitiae, sive ad lites impetratis, si in eadem causa ad diversos iudices delegatos plura talia rescripta impetrentur, in posterioribus mentio fieri debeat de prioribus, ita ut absque tali mentione posterius rescriptum impetratum, non quidem ipso iure nullum sit, annullari tamen et resciudi per oppositam exceptionem possit, et possint per prius rescriptum, iam delegatis praesentatum, impetrati delegati iudices procedere in tali causa, *c. Caeterum*, 3. *h. t.* nisi, qui prius rescriptum impetravit, dolose et malitiose per annum eo usus non fuerit, aut nisi prius fue-

rit subreptitie impetratum: his enim in casibus omnino validum est posterius rescriptum impetratum, quamvis prioris nullam mentionem fecerit, *iuxta c. Plerumque*, 23. *h. t.*

Certum est 2. tolli prius rescriptum, et procedi debere iuxta posterius, si in hoc posteriore mentio prioris rescripti, seu factae iam delegationis facta fuerit, iuxta relat. *c. Caeterum*, §. *Si vero*, cum posteriora, si legitima priorum mentio fiat, derogent prioribus, argum. *c. Bonae*, 3. *de confirm. ut. et inut.* nisi fortasse ad instantiam, in favorem praecise partis, concessum hoc posterius rescriptum sit, atque huic favori suo cedere velit, qui posterius hoc rescriptum impetravit, ut iuxta prius rescriptum procedi possit.

Certum est 3. si prius rescriptum ad iudices delegatos communi partium litigantium consensu impetratum fuit, nullum esse posterius rescriptum, ab una postea parte, nesciente altera, et nulla facta mentione, quod prius rescriptum communi consensu impetratum fuerit, ad alios iudices delegatos impetratum, iuxta relat. *c. Caeterum*, iuncta *gloss. V. de commiss.* non tantum, ut ne alter iniustum damnum patiatur, quo nesciente alii iudices petiti fuerunt, contra eos, qui communi consensu prius impetrati fuerunt, sed ut satis fiat etiam per expressam derogationem regulae Cancellariae de non tollendo ius alteri quomodolibet quaesitum.

§. III. *De quibus mentio fieri debeat in Rescriptis beneficialibus.*

Rescriptum, quod conceditur clerico in forma communi clericorum pauperum (et ab aliquibus rescriptum beneficiale iustitiae dicitur, eo quod iustum sit clerico pauperi, beneficium conferre, ne mendicare cogatur) si in eo non fiat mentio proprii patrimonii, quod habet, aut pensionis, vel aliorum redituum etiam laicalium, nullum est, et invalidum: non tamen invalidum est illud rescriptum, quod ad beneficium obtinendum clerico conceditur in forma dignum, et communiter dicitur rescriptum gratiae, aut gratiosum, quamvis de patrimonio, aut talibus reditibus, quos etiam pingues habet, nulla fiat mentio: sicuti enim in forma pauperum ad obtinendum beneficium rescribere non vult pontifex, nisi vere pauper aliquis sit, qualis non est, qui patrimonium, aut similes reditus comparentes habet, ita gratiose etiam nonnunquam rescribit ad obtinendum beneficium, ubi paupertas non urget, sed merita, et aliae convenientes qualitates exigunt; ergo ad illa rescripta impetranda, ut ne errare videatur pontifex, patrimonium, et similes reditus explicandi sunt, si aliquos habeat impetrans; si tamen beneficium quod quis habet, quamvis illud tenue sit, in impetrando rescripto beneficiali, sive iustitiae illud sit, sive merae gratiae, taceat impetrans, nullum est illud, et subreptitium, *c. Postulasti*, 27. *h. t. etc. c. Proponente*, 42. *eodem:* cum enim nolit pontifex ad multas fraudes cavendas, beneficium alicui concedere, qui beneficium iam habet, et huius in impetrando alio nullam mentionem facit, consequenter expressio beneficii iam obtenti (qualecumque illud sit, cum iura simpliciter, et absolute loquantur) est de essentia, sive forma rescripti beneficialis postmodum obtinendi, nullum autem est rescriptum, quod sua forma sive essentia caret.

Quin immo in *cap. Ad aures*, 8. *h. t.* vult etiam pontifex, ut in rescripto

ad aliud beneficium a se impetrandum, exprimatur etiam qualitas beneficii iam ante obtenti, utrum scilicet hoc sit dignitas, personatus, beneficium curatum, aut perpetuam residentiam requirens, utrum sit iuris patronatus, electivum, vel unitum alteri beneficio, aut beneficium ecclesiae cathedralis, quorum redituum sit, attendendo saltem praxim, et stylum Curiae, ac regulas Cancellariae (nisi certum aut verisimile sit, papam nihilominus, etiamsi qualitas beneficii expressa fuisset, illud concessurum fuisse, cum haec qualitatis expressio, quamvis requiratur, de forma tamen rescripti non sit argum. relat. *cap. Ad aures,* iuncta *Gloss. In casu,* (et in *cap. Ad audientiam,* 31. *h. t.* vult, ut de rescripto, seu mandato prius impetrato a sede apostolica, ad beneficium obtinendum ab impetrante, fiat mentio, quamvis eidem renunciarit pro pensione v. gr. aliqua impetranda (cum renuntiatio talis sine consensu pontificis facta, simoniaca censeatur, argum. *cap. Relat. Ad audientiam,* iuncta *gloss. v. Renunciantes, etc. c. ult. De pactis*) et in *c. In nostra,* 32. *h. t.* vult pontifex, ut, si quis vi rescripti apostolici in canonicum v. g. certae ecclesiae receptus iam sit, absque eo tamen, ut praebendam habeat, in posterioribus litteris ad aliud beneficium in alia ecclesia obtinendum, factae iam in canonicum receptionis, vi prioris rescripti, specialem mentionem faciat (cum in tali casu ius ad rem iam habeat, ad praebendam scilicet in prima ecclesia, ubi canonicus receptus est, obtinendam, cuius expressam mentionem, ob allatam fraudum cavendarum rationem vult fieri pontifex) et in *cap. Constitutus,* 19. *h. t.* ac *cap. Cum aliquibus,* 4. *eod. in* 6. vult, ut impetrans rescriptum ad beneficium in certa ecclesia obtinendum, si contra illius ecclesiae statutum aliquod, aut consuetudinem, praesertim si iuramento haec aut alio speciali modo confirmata sint, statuti illius, aut consuetudinis mentionem faciat, ita ut, nulla tali mentione facta, rescriptum tale sit ipso iure nullum, et irritum, nisi clausula derogatoria: *non obstante, statuto aut consuetudine, etiam iuramento, aut alia qualibet, etiam pontificia confirmatione roboratis,* in rescripto tali addita fuerit; neque enim mens pontificis est, tollere talia statuta per rescriptum suum, nisi derogationis huius per clausulam insertam mentio fiat. Et denique in *cap. Cum adeo,* 17. *h. t.* vult, ut impetrans litteras a papa ad obtinendum beneficium mentionem faciat, quod sit clericus, quod canonicus quidem sit, nullam tamen praebendam habeat, cum haec scire intersit pontificis ad rescribendum simpliciter, vel saltem hoc vel illo modo.

Quod si tamen absenti, et ignoranti ab Ordinario collatum sit beneficium, vel etiam scienti, quod tamen nondum acceptavit, et hic ad aliud beneficium obtinendum, nulla facta mentione prioris collationis rescriptum impetret, valida quidem est impetratio rescripti, et collatio alterius beneficii; utrumque tamen simul retinere non potest, si sint secundum Canones incompatibilia talia beneficia; hoc quidem iuxta communem doctrinam sacrorum Canonum, et *cap. Gratia,* 7. *h. t. in* 6. iuncta *gloss. v. A sede apostolica.* Illud vero, eo quod talis collatio ante acceptionem nec ius in re, nec ius ad rem proprie, et absolute loquendo conferat, et consequenter nulla videtur necessitas mentionis huius faciendae.

§. IV. *De aliis quibusdam, quae exprimenda sunt, in impetratione Rescripti vel non?*

Resp. 1. Contra Ordinem religiosum a sede apostolica privilegiatum, ut per rescriptum conveniri non possit, nisi expresse illius mentio fiat, nihil valebit rescriptum, contra monasterium illius ordinis impetratum, si non fiat mentio in rescripto, cuius ordinis monasterium illud sit *capit. Cum ordinem*, 6. *h. t.* Neque enim valet rescriptum, si non servetur forma ad valorem illius in privilegio praescripta, et requisita, nisi tali privilegio, per clausulam derogatoriam in tali rescripto positam, sufficienter derogetur.

Resp. 2. Non valere rescriptum ad lites ab excommunicato (inhabili ad litigandum) impetratum, si nulla excommunicationis in eo fiat mentio *capit. Dilectus*, 26. *h. t.* iuncta *Gloss. v. Excommunicationis*, ex quo *capit.* etiam illud habetur, quod non valeat rescriptum ab eo impetratum, qui a iudice sua possessione deiectus est, a beneficio v. gr. amotus, si ad restitutionem hoc concedatur, et tamen nulla mentio fuerit facta de causa amotionis: cum enim pro iudice iudicialiter procedente stet praesumptio, quod iuste processerit, consequenter interdictum possessorium recuperandi contra illa locum non habet, nisi causa amotionis prius examinetur, prout etiam *Gloss.* habet in *relat. cap. V. Viribus carere.*

Resp. 3. In rescripto impetrato in causa, quae communis est praelato, et conventui, quamvis ferme consuetum sit, ut fiat mentio ipsius etiam conventus, absolute tamen necessarium hoc non est, prout sumitur ex *cap. Edoceri*, 21. *h. t.* cum enim praelato rerum talium seu bonorum communium libera administratio competat, consequenter pro talibus rebus in iudicio ille agere potest, et rescriptum contra ipsum impetratum (caeteris paribus, valebit, etiamsi nulla conventus facta fuerit mentio.

Resp. 4. In rescripto gratiae beneficialis, dato pro eo, ad idem beneficium obtinendum, in quod per vim prius se intruserat, vel quod per laicam potestatem acceperat, violentae intrusionis, aut non canonicae assecutionis mentionem fieri debere; alias rescriptum, et dependens ab eo facta inhabilii collatio nulla forent, eo quod tacita fuerit veritas, quam si cognovisset pontifex, vel omnino non rescripsisset ad hoc beneficium, vel saltem non tali modo.

SECTIO IV.

De subreptione Rescriptorum, et aliis modis, quibus Rescripta vitiantur.

§. I. *An ob subreptionem vitientur Rescripta ipso iure seu facto, et ob quas causas fiant obreptitia?*

Si proprie, et rigide loqui velimus, alia rescripta dicuntur subreptitia, alia obreptitia: *subreptitie obtenta* dicuntur, quae obtinentur tacita veritate de iure vel consuetudine, aut stylo Curiae necessario, et substantialiter exprimenda; *Obreptitie obtenta* dicuntur illa, quae narrata falsitate circa causam motivam, aut aliud substantialiter requisitum obtinentur: quia tamen communis usus hodie loquendi haec duo nomina confundit, neque nobis

vitio verti poterit, si sine singulari vocum harum discrimine de vitiis rescriptorum loquamur.

Ad huius proinde paragraphi quaestionem respondendo, an scilicet ob subreptionem vitientur rescripta ipso iure seu facto, dicendum videtur, quod rescripta beneficialia, et quaecumque alia gratiosa, ipso iure nulla sint, si sub, aut obreptitie impetrata fuerint *cap. Ad audientiam*, 31. *h. t. et Clement.* 1. *de praeben.* Rescripta vero ad lites ordinarie quidem, et communiter non sint ipso iure irrita, ope tamen exceptionis ab adversario elidi possint, *cap. Si autem*, 9. *et cap. Plerumque*, 23. *h. t.* Cum enim in casu rescripti beneficialis, aut gratiosi, non sit pars, quae contra illud excipere possit, sit autem in casu rescripti ad lites, consequenter in illo casu, cessante provisione hominis, debuit providere lex, ne diu detineat beneficium illegitime obtentum ille, qui per rescriptum subreptitie obtentum illud acquisivit, contrarium vero dicendum fuerat in casu rescripti subreptitie obtenti ad lites.

§. II. *An, et quomodo Rescripta fiant obreptitia, si per dolum sint impetrata.*

Si obreptio dolosa commissa sit in rescripto, sive taceatur verum, sive exprimatur falsum (substantiale, et essentiale) totum rescriptum, quoad omnes partes in eo contentas fit irritum (saltem ope exceptionis, si rescriptum ad lites fuerit) ita ut index in eo datus non debeat, si ob aut subreptio talis ei probata fuerit, vel notoria sit ex facti evidentia, nec possit de causa principali, ne quidem secundum formam iuris communis cognoscere, quamvis princeps, si dolus non intervenisset, adhuc saltem secundum formam, et terminos iuris communis rescripturus fuisset: prout habetur expresse *in cap. Super litteris*, 20. *h. t.* et patet etiam ex *cap. Sedes*, 15. *etc. ex tenore* 16. *h. t.* (ne fraus sua alicui patrocinetur) nisi subreptio talis per dolum commissa, nec substantiae rescripti ad lites obsit, quae in iurisdictione delegata consistit, nec formae rescripti, quae est ipse modus procedendi iudici delegato praescriptus, nec alicuius alterius, quod per se, et intrinsece ad causam commissam pertinet, causa fuerit, cum ex fraude taliter commissa nullum commodum sentiat mendax precator; vel nisi non tam impetrans, qui verum proposuit, quam curialis seu sollicitator, aut scriptor fraudem commiserit, cum in tali casu non impetrans, qui verum proposuit, in culpa sit, sed sollicitator talis; vel de veritate precum tantum, et articulo subreptionis cognoscat iudex in tali rescripto datus, quod facere potest.

§. III. *An, et quomodo ob subreptionem vitientur Rescripta obtenta per simplicitatem vel ignorantiam?*

Si subreptio non dolosa fuerit, sed ex simplicitate, vel ignorantia etiam crassa fuerit commissa, sive per expressionem falsi, sive per suppressionem veri (substantialis, et essentialis) contigerit, rescriptum ad lites non redditur absolute irritum, si taciturnitas talis, aut talis falsitas non sit causa concessionis absolute, prout patet ex citato *cap. Super litteris*, §. *Inter alios* (nisi causa concessionis, hic et nunc per ignorantiam, aut simplicitatem tacita, vel falso expressa, aliud quoad substantiam rescriptum impetrasset) hoc

enim casu, non tam attendendum est, quid princeps acturus fuisset, si nulla veri suppressio, aut falsi expressio intervenisset, sed attenditur, quid egerit. Et hinc 1. Nullum esset (saltem ope exceptionis) rescriptum, si solutionem petens ex causa donationis etc. debitam, ad solutionem hanc faciendam rescriptum impetrasset, petens ex simplicitate, aut per ignorantiam solutionem ex causa mutui, cum tamen illa ex causa donationis, venditionis etc. debeatur. 2. Vitiatur totum rescriptum; si suppressio veri, aut expressio falsi causa sit concessionis rescripti quoad substantiam alterius ab eo, quod impetratum fuisset, si veritas expressa vel falsitas omissa fuisset, quamvis ex simplicitate, aut per ignorantiam subreptio illa commissa fuisset. Et 3. invalidum etiam est rescriptum tale, in quo impetrando commissa fuit ex simplicitate, vel per ignorantiam subreptio, si a principe v. gr. contra sententiam iam olim ab eo latam impetratum sit, et nulla huius sententiae iam olim latae mentio in tali rescripto fiat, prout patet tum *ex cit. cap. Super litteris,* tum ex *cap. Cum olim,* 12. *de sent. et re iudic.* et ex defectu voluntatis in concedente satis probatur.

§. IV. *An ob subreptionem, quae contingit circa causam non finalem, ac principalem, sed impulsivam tantum, vitientur Rescripta?*

Probabilius est Rescriptum quodcumque sive ad lites illud sit, sive Gratiae, non esse subreptitium, nisi suppressio veritatis, vel expressio falsitatis ad rem postulatam per se, et intrinsece pertinentis contingat circa causam finalem, seu principalem concessionis, non autem, si contingat tantum circa causam impulsivam, nisi stylus Curiae, vel ius veri expressionem specialiter requirat, ut sumitur ex *capit. Dudum,* 14. §. *Nos igitur, de praebend. in* 6. quod scilicet in illo casu, non autem in hoc deficiat voluntas concedentis, uti ex relato *cap.* colligitur; et quamvis in omni rescripto, saltem tacite, subintelligatur ea clausula: *si preces veritati nitantur,* intelligi tamen haec clausula de veritate causae motivae, non autem causae impulsivae, cum illius veritas moveat, ad rem simpliciter concedendam, vel saltem ad rem certo modo, et cum certis restrictionibus, clausulis, limitationibus, etc. concedendam, non autem veritas huius, quae tantum movere potest, ad facilius, citius, et liberalius, etc. rem quae petitur, concedendam. Colligi autem potest, quod expressa v. gr. veritas in rescripto causa finalis sit, si in aliis rescriptis dependenter a tali causa expressa, res, quae hic et nunc petitur, concessa fuit, iuxta stylum Curiae, et rescribentis consuetudinem; vel si sola, et unica aliqua causa expressa fuerit; cum enim non rescribat pontifex sine causa finali, consequenter, si unica tantum expressa sit, finalis ea esse debet: si vero plures in rescripto causae positae sunt, unica tamen tantum vera sit, quae sola in aliis similibus rescriptis ad concedendum tale rescriptum sufficiens est, haec unica causa finalis erit, cum pro valore actus, nemini praeiudicantis, non tantum in hoc casu, sed in dubio etiam, ubi colligi non potest, utrum finalis, an impulsiva causa tantum sit, praesumi debeat; potest tamen etiam ex eo colligi, quod impulsiva tantum causa aliqua sit, si ad rem postulatam extrinsece tantum, et mere accidentaliter se causa talis habeat.

§. V. *An vitiata una parte Rescripti ob subreptionem, vitientur etiam aliae partes eiusdem Rescripti?*

Si plures partes inter se separabiles rescriptum contineat, sive gratiae, sive ad lites illud fuerit, et sub vel obreptio circa causam finalem totius rescripti contingat, totum rescriptum est irritum, sive scienter, et per dolum, sive per ignorantiam, aut simplicitatem sub vel obreptio contigerit, ex defectu scilicet voluntatis in concedente, concessionem suam huic causae finali alligante. Si vero contingat subreptio circa unam partem tantum rescripti, et partes separabiles sint, nullum quidem erit rescriptum tale, circa omnes partes, si dolose mendax fuerit circa causam finalem, aut substantialem expressam precator talis (in poenam scilicet commissae malitiae); si partes tamen sint separabiles, et circa unam tantum partem subreptio per ignorantiam, et simplicitatem contigit, validum erit rescriptum tale, circa illam partem, circa quam nulla subreptio contigit, tum quod utile per inutile vitiari non debeat, tum quod taliter per ignorantiam, aut simplicitatem errans nullam poenam mereatur, ut dictum. Quin etiam probabile est, si plures gratiae in eodem rescripto concedantur, ita tamen, ut nulla ab altera dependeat, aut alteri connexa sit, circa quam subreptio dolose commissa fuit, quod rescriptum tale circa gratiam quidem illam, circa quam subreptio commissa fuit, nullum sit, validum tamen sit circa gratiam illam, nihil cum altera connexam, circa quam nulla fuit commissa subreptio; tum quod censeantur virtualiter duo rescripta, et tantum unum materialiter, tum quod poenae extendendae non sint, ergo etiamsi quoad partes connexas noceat dolus commissus, non tamen nocebit, quoad partes non connexas, argumen. *cap. Si eo tempore*, 9. *h. t. in* 6. nisi illa pars, circa quam dolus commissus non est, habeat se tantum, ut accessorium quid ad alteram partem, circa quam dolus commissus est, quae principalis pars habetur *c. Constitutus*, 19. *h. t.* cum cadente principali cadat etiam accessorium, argumentum *Regulae*, 42. *in* 6.

§. VI. *An Motus proprius tollat vitium subreptionis in Rescriptis?*

Rescripto motu proprio concesso opponi non potest vitium subreptionis ob tacitam veritatem necessario explicandam *cap. Si motu proprio*, 23. *de praebend. in* 6. *et Clement. Si Romanus*, 4. *eod.* nocet autem illi, et nullum facit rescriptum tale, si vitium obreptionis commissum sit circa causam finalem, etc. in hoc enim casu clare patet, concedentium intentionem deesse, quae explicatis alligatur, quod non patet in priori casu, cum motus proprius non alligetur illis, quae tacentur, et mereatur liberaliorem explicationem ut operetur aliquid. Neque tamen motus proprius tollit inhabilitatem personae, aut inducit dispensationem circa aetatem v. gr. defectum natalium irregularitatem, incompatibilitatem beneficiorum, etc. uti colligitur ex *Gloss. in relatum cap. Si motu, v. Non ob hoc*, et ex *Gloss. in relatam Clement. v. Validum:* (cum motus proprius, quamvis liberalis explicationis sit, non ampliet tamen, aut extendat gratiam ultra intentionem concedentis) ita ut in dubio, utrum motus proprius hanc etiam gratiam, quae v. gr. in praeiudicium tertii

foret, concedat, iuxta iuris communis dispositionem explicari ille debeat, cum motus proprius tantum vitium subreptionis, nulli praeiudicans tollat.

§. VII. *An, et quomodo propter errorem qualitatis adiecta vitientur Rescripta, et obreptitia fiant?*

Si error contingat circa qualitatem adiectam per modum demonstrationis non vitiatur rescriptum, si de rei substantia constet (quae enim qualitates patriae v. gr. dioecesis, nominis proprii, familiae, opificii, etc. adduntur ad demonstrandam personam, cui gratia conceditur, vel ad demonstrandam rem, quae conceditur, non tollunt intentionem concedentis, etiamsi vera non sint, sed tantum iuvant ad certius rem, vel personam cognoscendam, ergo si constet de rei substantia, error talis nihil oberit) nisi error talis sit causa finalis, ac principalis concessionis rescripti *cap. Significante*, 34. *h. t.* aut redundet in substantiam personae, cum certum sit apud omnes, errorem, si substantialis sit, vitiare rescriptum: quod si tamen error contingat circa qualitatem, taxationis, seu restrictionis, aut determinationis causa adiectam, vitiatur rescriptum, seu dispositio, quamvis error non sit illius concedendi causa, nisi aliud expresse constet de intentione concedentis, uti colligitur ex *relato cap. Significante*; cum enim ob deficientem, in tali casu adiectae taxationis, intentionem rescribentis, rescriptum nullum sit, si error in taxata qualitate intervenit; consequenter, ubi de contraria intentione constat, non oberit admissus error rescripti valori, uti colligitur etiam ex *c. Cui*, 27. *de praebend. in* 6.

§. VIII. *De aliis modis sive causis, ob quas Rescripta redduntur invalida, vel suspecta de falsitate?*

1. Si Rescriptum a sede apostolica impetratum, manifestum in constructione errorem, seu soloecismum contineat, fidem non meretur illud, sed in totum est invalidum *c. Ad audientiam*, 11. *t. h.* cum enim talia rescripta per manus multorum officialium transeant, legantur, et relegantur, non est verosimile, illos vel errorem non advertisse, vel non emendasse. Ob quam causam nullum etiam est illud rescriptum, quod contra ius commune, et communem stylum, seu praxin Curiae romanae emanavit, nulla per clausulam derogantem mentione illius facta, ut colligitur ex *c.* 2. *et* 5. *h. t.*

2. Reiici debet rescriptum ad lites concessum tamquam suspectum de falsitate, si per illud omnia eorum, qui rescriptum impetrarunt negotia tam praesentia, quam futura, unius iudicis, vel plurium arbitrio committantur *c. Ad hoc*, 10. *h. t.* ob nimiam scilicet generalitatem, ordinariorum iudicum praeiudicium, et incertitudinem delegatorum, nisi, salva aequitate naturali, in talibus etiam rescriptis concedendis, ex certa scientia, aut ex plenitudine potestatis agat pontifex; aut secunda iussio sive alterum mandatum in cassu dubiae intentionis, circa modum concessionis insolitum, videatur expectandum, prout iterum collitur ex *c. relato Significante.*

3. Redditur falsum, vel de falsitate suspectum rescriptum, si in illo patriarcharum aliquis, archiepiscoporum, vel episcoporum, quos pontifex venerabiles fratres vocare solet, appelletur filius: vel si aliquis ex regibus,

aut principibus, quos filios nominare solet, vocetur frater *c. Quam gravi* 6. *de crimine falsi*. Ex quo capite uti et pluribus aliis rescriptorum vitia colligi poterunt, ut in sequentibus apparebit.

SECTIO V.

De usu, et executione Rescriptorum, eorumque abusu

§. I. *Quibusnam personis committi possit, ac debeat executio Rescriptorum apostolicorum, et ubi eorum executio fieri debeat.*

Resp. 1. Executio rescriptorum in causis, aut negotiis ecclesiasticis concessorum, quae a sede apostolica, eius legatis, aut delegatis ab his emanant, nonnisi personis in ecclesiastica dignitate constitutis (sive perpetnam hanc habeant, sive temporalem tantum ad nutum revocabilem) aut personarum obtinentibus, vel cathedralium ecclesiarum canonicis committi potest, ac debet: prout constat ex *cap. Statutum*, 11. *h. t. in* 6. (tum ob reverentiam sedis apostolicae, tum quod hi censeantur ss. Canonum periti, ut secure illis talia committi possint) si tamen saltem mixti sint hi executores, ita ut iurisdictionem aliquam admixtam habeant, ad examinandas preces v. gr. ad contradictores compescendos etc. et non sint tantum meri executores, quibus nulla iurisdictio commissa est, sed nudum ministerium executionis, aut articulus aliquis non iurisdictionalis, aut talis commissio ex certa scientia concessa esset clerico simplici, uti patet *ex Gloss. in relat. c. Statutum v. Litterarum*. Ordinarii vero inferiores rescriptorum suorum executionem dirigere possunt ad quemvis clericum, tum quod speciale nihil de his statutum sit in iure communi, tum quod ordinarius suorum clericorum in dioecesi sua existentium sufficientem notitiam habere censeatur, ut bene ipsi perspecta sit cuiusvis, ad executionem mandatam exequendam, idoneitas. Notandum tamen etiam *ex Tridentin.* quod hoc *sess.* 25. *capit.* 10. *De reformatione* statuat, ut praeter ordinarios locorum, in singulis Conciliis provincialibus, aut dioecesanis, aliquot personae (quatuor saltem in quailibet dioecesi) iuxta Constitutionem *Bonifacii VIII. in cit. c. Statutum*, qualificatae desiguentur, quibus causae ecclesiasticae a sede ecclesiastica, vel eius legato, aut nuntio committi possint.

Resp. 2. Causae, quae auctoritate sedis apostolicae, vel legatorum eius delegantur, nonnisi in civitatibus, aut locis insignibus, ubi copia peritorum (iuris scilicet) haberi facile potest, cognosci, aut tractari debent, iuxta relatum *cap. Statutum*, ut ex assessorum talium, aut consiliariorum prudentia res tales commodius expediantur.

§. II. *In quo loco reus per Rescriptum impetratum contra illum, conveniri debeat?*

De iure antiquo non potest aliquis per litteras apostolicas trahi, vel citari ad iudicium ultra duas dietas, idest, ultra iter duorum dierum, extra fines dioecesis suae, ubi domicilium habet; nisi cum consensu utriusque partis litterae aliter sonantes fuerint impetratae, aut iuri huic expresse derogatum fuerit *c. Nonnulli*, 28. *h. t.* cum aequitas non patiatur, cum tali iniuria, damno, et sumptibus vexari reum ad placitum solum actoris: et

hinc de iure novo hoc ipsum magis restrictum est, ut trahi non possit per litteras tales ad iudicium reus extra fines suae dioecesis ultra unam dietam, sive unius diei iter *c. Statutum*, 11. §. *Cum vero h. t. in* 6. nisi res, de qua litigatur, sita sit extra dioecesim habitationis, ultra unam dietam. Immo si actor, et reus sint eiusdem civitatis, aut dioecesis, domicilium in eadem dioecesi vel civitate habentes, causae inter illos exortae non possunt a sede apostolica, vel legatis eius, committi extra civitatem, aut dioecesim, ubi domicilium habent, prout habetur in relato *cap. Statutum, iuncta Gloss. v. Eiusdem civitatis*, nisi contra episcopum suum, aut capitulum cathedralis ecclesiae, vel contra universitatem civitatis, villae, aut castri, actio sit instituenda, aut ob potentiam adversarii, vel aliud iustum impedimentum civitatem talem, aut dioecesim ingredi non possit actor, aut reus; non potest autem iudex a sede apostolica delegatus (sive actor, et reus eiusdem sint civitatis, aut dioecesis, sive sint diversarum) partes citare, aut causam cognoscere, extra civitatem, aut dioecesim, ad quam est deputatus, nisi expressus partium consensus accesserit, prout habetur in relato *c. Statutum*, §. *In nullo quoque, iuncta Gloss. v. Praedictorum, et v. Expressus*, ne videatur sub formam mandati in favorem partium determinati excedere.

§. III. *De executione Rescriptorum sedis apostolicae, vel delegatorum, facienda ab episcopo, seu ordinario loci, vel capitulo cathedralis ecclesiae, sede vacante.*

Resp. 1. Si delegatus papae ordinario loci mandat aliquid, quod ad executionem causae sibi commissae pertinet, illud ordinarius exequi debet, dummodo delegatus litteras suae delegationis exhibeat; quae fidem faciant de potestate accepta, prout habetur in *cap. Sane*, 11. *de officio delegati*, et colligitur etiam ex *cap. Cum contingat*, 24. *h. t.* quia in ea causa delegatus superior est ordinario, eo quod vices papae repraesentet.

Resp. 2. Quod, vacante sede, cathedralis ecclesiae capitulum, si ad illud rescripta sedis apostolicae, de conferendo alicui beneficio, destinentur, non possit ea exequi circa beneficium vacans, ad solius episcopi liberam collationem pertinens, *cap. unico*, §. *Cum vero, ne sede vacante etc. in* 6. (nisi certam personam nominasset pontifex, cui beneficium conferri vellet, cum haec collatio non iam libera, sed necessaria videretur, cuius executio, vacante sede, penes capitulum est) praesertim si tempore praesentationis litterarum novus episcopus electus iam sit, et confirmatus, cum capitulum post confirmationem novi episcopi, episcopalia negotia exercere non possit, *c. Eam te*, 7. *h. t.* neque possit praeiudicare successori, circa beneficium ad liberam illius solius collationem pertinens, iuxta relatum *c. unicum in* 6. *et c.* 2. *eodem, In antiquis.*

§. IV. *De executione Rescripti impetrati ad absolvendum excommunicatum.*

Rescriptum impetratum, ad absolvendum excommunicatum, qui servata forma Concilii Lateranensis (non praemissa scilicet monitione canonica, et sine causa rationabili, ac manifesta *cap. Sacro*, 48. *de sentent. excomm.*) excommunicatum se fuisse apud pontificem, simplici querela, conquestus

fuit, exequi quidem debet excommunicator (regulariter enim eiusdem est solvere, cuius est ligare) si ita se habeat res, prout apud pontificem excommunicatus conquestus est, non exacto prius iuramento, aut cautione praestita de parendo mandatis ecclesiae; si tamen excommunicator parere nolit, iudices alii delegati deputari debent, qui mandatum praestita prius cautione de parendo mandatis, et cognita causa exequantur, ac excommunicatum absolvant *cap. Ab excommunicato,* 41. *h. t.* (nisi periculum in mora sit, vel notorie iniusta sit excommunicatio; in his enim casibus potest metropolitanus statim excommunicatum absolvere, aut declarare quod ligatus non sit, *c. Ad reprimendam,* 8. *de officio iudicis ordinarii*, et excommunicatorem punire, iuxta *relatum c. Sacro.*

§. V. *De aliis quibusdam observandis circa executionem Rescriptorum.*

1. Iudex delegatus ad lites a sede apostolica, nullum munus a partibus litigantibus accipere potest, praeter esculenta, et poculenta (et haec quidem ex mera liberalitate oblata, ita ut nec directe, nec indirecte, nec expresse, nec tacite petita sint; et quae possint intra paucos dies iuxta prudentis arbitrium, et spectatis aliis circumstantiis personae dantis, ac recipientis, et rei, quae offertur etc. absumi) nisi necessarium sit, propter causam sibi commissam extra domicilium suum excurrere, ubi moderatas expensas a partibus accipere illis conceditur iuxta *c. Statutum,* 11. §. *Insuper h. t. in* 6. Sicuti enim vult pontifex, ut cum omni puritate iudicium coram delegato suo procedat, ita nec urbanitati circa esculenta, et poculenta praeiudicare vult, nec damnum aliquod pati delegatum ob commissionem sibi factam. Quin etiam in hoc ipso capite non vult pontifex, ut iudex a se delegatus, assessorem, sive consiliarium ad causae sibi commissae decisionem adhibeat, nisi necessitas aliqua, aut iudicis delegati imperitia urgeat (ita quidem consulens sumptibus partibus litigantium, ut tamen illis etiam per negligentiam, aut aliud rationabile iudicis delegati impedimentum, praeiudicare non velit) et tam huius, quam necessariorum notariorum salaria ita moderari, ut non cum ipsis in lucro participet, ad restitutionem obligandus, si quid contra egerit, nihil illi proficua remissione partium (nisi post remissionem factam, et causa iam finita partes ultro donum hoc iudici iterum offerant, quod accipere non videtur prohiberi) ita ut hac Constitutione non servata, processus de iure hoc novo sit nullus, et invalidus, prout in *citato c.* §. *ult.* decidit pontifex, et advertit *Gloss. fin. in hoc capitulum;* si tamen ab ordinario inferiore delegatus iudex sit, prohibitus est, quod ne esculenta, aut poculenta a litigantibus accipere possit, nec itineris faciendi expensas; cum haec omnia sufficienter ab ordinario delegante praestanda sint, qui sicuti ex officio ad causas tales expediendas obligatur, ita delegato a se iudici in causis talibus ex officio providere debet.

2. Auditor in romana Curia deputatus a papa ad cognoscendum, et pronunciandum in controversia super aliquo beneficio, cuinam illud de iure sit debitum, potest illud de iure novo absque alia commissione ei conferre, cui debitum esse pronunciavit *Clement. Adiutor,* 3. *h. t.* non potest autem hoc adiutor extra Curiam romanam deputatus, qui sine nova commissione non potest taliter conferre beneficium, de quo litigatur, neque enim hic causam

sibi commissam cum aliis adiutoribus conferre solet, sicut ille; et consequenter huic cum pluribus consultanti facilius etiam collatio conceditur, quam illi, qui suum unius iudicium sequendo facile in tali causa errare potest.

§. VI. *De variis abusibus, qui fieri possunt in usu, et executione Rescriptorum.*

1. Abutitur rescripto, qui quod suo nomine impetravit, postmodum alii eiusdem nominis, ad utendum tradit, ut hic qui tali modo accipit per easdem litteras, quosvis alios indebite fatiget *cap. ult. h. t.* Cum enim rescripta iustitiae sint iura personalia, consequenter personam, cui concessa sunt, non excedunt, ita ut ob commissum crimen falsi, puniri etiam possit, qui litteras tales alteri taliter dedit, et ob crimen stellionatus, qui litteras taliter accepit.

2. Abutitur rescripto, qui litteras tales impetrat contra illas personas, contra quas nullam habet actionem, eo quod calumniose tales ad iudicium trahat, prout habet *Gloss. in citatum c. ult. v. Quaest.*

3. Abutitur rescripto, qui, quas litteras ad controversiam praesentem decidendam impetravit, ad futuras controversias, aut causas, quae tempore impetrationis nondum erant, trahit, iuxta *cit. c. ult.* et ea, quae supra dicta sunt.

4. Abutitur rescriptis, qui super eodem negotio plura rescripta ad diversos iudices impetrat, vel super diversis quidem negotiis, quae commodius tamen coram uno iudice, ratione connexionis v. gr. tractarentur: haec enim cum ad fatigandum v. gr. reum variis laboribus, ac sumptibus fieri videantur, merito improbantur relato *c. ult. et c. Dispendia,* 3. *eod. in* 6. ita ut de iure novo processus sit ipso iure irritus.

5. Abutitur rescripto reus, si reconvenire volens suum actorem, litteras et ipse adversus actorem impetrat ad diversos iudices, et vi illarum citari faciat actorem eodem tempore ad diversa loca, ut si non comparuerit, quasi contumax excommunicetur, et ab agendo sic repellatur, iuxta relatum *c. ult.* cum in reconventione apud eosdem iudices agi debeat, nisi forte, ut suspecti repelli possint etc.

SECTIO VI.

De derogatione, revocatione, et extinctione Rescriptorum.

§. I. *An per Rescriptum speciale derogetur Rescripto generali?*

Resp. Si rescriptum generale nihil aliud concedat, quam quod iure communi concessum est, tunc rescriptum speciale, continens aliquid, contra vel praeter ius commune, derogat rescripto generali, tametsi de eo non fiat mentio *c. 1. h. t.* quia cum princeps, cuius est iuri communi derogare, praesumatur notitiam sufficientem iuris communis habere, consequenter, sicuti iuri communi derogare censetur, si contra illud rescriptum concedit, ita etiam rescripto tali generali ius commune continenti, derogare per speciale rescriptum censetur, si contra ius commune contineat aliquid, etiamsi nullam huius mentionem faciat. Quin immo, quia absolute mandatum speciale derogat generali *iuxta relat. c. 1.* et generi per speciem absolute derogatur, *iuxta*

reg. 34. *in* 6. etiamsi per rescriptum generale concederetur aliquid, ultra ius commune, ut saepius v. gr. appellari possit, quam de iure concessum est etc. adhuc tamen per speciale mandatum sive rescriptum derogaretur generali, quamvis in posteriore speciali nulla illius mentio facta fuisset *cap. Dudum,* 14. §. *Igitur, de praebend. in* 6. Cum princeps alicui privilegium concedendus, semper sibi potestatem reservasse censeatur, exigente necessitate, vel utilitate, generali illi concessioni, per speciale rescriptum derogandi, vel limitandi illud, si scilicet per generale rescriptum, non sit alicui, quoad omnem speciem couteutam, iam acquisitum ius in re (cum nolit princeps huic praeiudicium facere circa tale ius in re, nisi specialem mentionem faciat, iuxta hodiernas etiam regulas cancellariae), et si speciale rescriptum posterius, alteri in terminis quidem generali, in effectu tamen speciali non sit directe oppositum; in hoc enim casu rescriptum posterius, non derogat generali priori, nisi specialis huius mentio fiat *cap. Ex parte,* 12. *de offic. deleg.* iuncta *Gloss.* 5. *Non obstantibus, et Gloss. in cap. v. mandatum h. t.* quia censetur in tali casu priorum litterarum non fuisse memor pontifex. Quod autem hactenus de rescripto speciali, derogante rescripto generali prius concesso dictum est, multo magis dici debet de rescripto generali, post speciale iam impetratum, concesso, quod nempe huic posteriori generali deroget etiam rescriptum speciale prius concessum, vel potius, quod per rescriptum speciale prius concessum, hoc posterius generale limitetur, et restringatur, nisi de speciali expressa mentio fiat; sumitur ex *c. Abbatem,* 40. *iuncta Gloss. v. Per litteras generales h. t.* quia *in toto iure generi per speciem derogatur, reg. iur.* 80. *ff.* sive species praecedat, sive subsequatur.

§. II. *De pluribus Rescriptis beneficialibus, simul vel successive impetratis, quodnam validum, ac praeferendum sit, et deroget alteri?*

Resp. 1. Si quis plura rescripta ad idem beneficium, sive eodem tempore data, sive successive, sub eodem tamen tenore impetret, quamvis nulla fiat mentio de altero, omnia tamen sunt valida, modo inter se non pugnent *Argum. cap. In nostra,* 32. *h. t.* cum enim eandem formam habeant, merito in effectu censentur unum rescriptum, vel alterum, ad maiorem tantum securitatem censebitur obtentum. Si tamen sint ad diversa beneficia, probabilius est, posterius validum non esse, si prioris non meminerit, ne fraudibus detur occasio.

Resp. 2. Si duo impetrent rescripta ad idem beneficium, in certa ecclesia, praeferri debet, in assecutione praebendae, is qui prius impetravit litteras tales, ei qui posterius impetravit, prius tamen praesentavit, quamvis hic prius in canonicum receptus sit (neque enim praeventio iuris in una parte, inducit etiam praeventionem in altera parte) nisi praebenda etiam iam illi collata esset, priusquam ille, qui prius rescriptum impetravit, litteras has suas legitime praesentavit *cap. Tibi,* 12. *h. t. in* 6. Quod si tamen prior rescriptum beneficiale impetrasset, ut de praebenda, et canonicatu ipsi provideretur, si episcopi, et capituli consensus accederet; posterior vero rescriptum absolute impetrasset, ut de canonicatu, et praebenda ipsi provideretur: hoc in casu, si uterque iam in canonicum receptus sit, hic tamen, qui posterius

rescriptum absolute impetravit, prius receptus fuerit, quam conditio in priore rescripto facta impleta fuit, debet hic in assecutione praebendae praeferri illi, quamvis iam canonico, qui prius, conditionatum tamen, rescriptum obtinuit, ut habetur in *cap. Si pro te*, 3. *h. t. in* 6. cum enim conditio suspendat effectum gratiae usque ad eventum conditionis, conditio autem in hoc casu primum impleta fuerit, postquam alter in canonicum iam receptus est, consequenter huius, quamvis posterioris in rescripto impetrando, prioris tamen in canonicatu obtinendo, conditione illius nondum impleta, potius ius videtur esse ad praebendam obtinendam.

Resp. 3. Si plures a sede apostolica litteras beneficiales pro eadem ecclesia, eodem die datas, impetraverunt; nec apparet, quis eorum suas prius obtinuerit (qui aliis praeferendus esset, si una tantum hora citius suas litteras obtinuisset *iuxta Reg.* 54. *in* 6. potiorem iure eum asserentem, qui tempore prior est) praeferri debet is, cui papa beneficium contulit, illi cui tantum conferri in hac ecclesia mandavit, quamvis hic prius suas litteras praesentaverit, ob praerogativam scilicet conferentis *cap. Si sede*, 31. *de praebend. in* 6. si vero neutri ipse papa contulerit beneficium, utrique autem conferri in eadem ecclesia mandaverit, vel utrique ipse contulerit, cum gratiae sint aequales, praeferendus est is, qui prius suas litteras praesentavit; vel certe si nec in praesentando unus praevenerit alterum, possunt illi, ad quos spectat canonicorum receptio, unum ex illis, qui placuerit, recipere, altero excluso, nisi de mente pontificis aliter constet *c. Duob.* 14. *h. t. in* 6. cum enim praesumi non possit, quod voluerit pontifex unam, et eandem ecclesiam duplici hoc rescripto gravare, nihil tamen apparet, ex quo magis pro uno, quam pro altero praesumi possit; consequenter penes recipientes erit, quem recipere velint, excluso altero.

Resp. denique 4. Si quis a principe ad gratiam legitime revocatam, et consequenter extinctam, restituatur, restitutionem tamen non fieri cum praeiudicio seu laesione iuris alteri interea acquisiti, cum restitutio iuris, legitime amissi sit nova gratiae concessio, quae in praeiudicium alterius, cui ius legitime iam acquisitum fuit, non operatur: et hinc, si quis rescriptum beneficiale obtinuit, quod postea revocatum fuit, similis tamen gratia in eamdem ecclesiam tertio alicui concessa fuit, praeferendus hic erit priori in assecutione beneficii, nisi pontifex expresse aliter disponat, *cap. Quamvis*, 8. *h. t. in* 6.

§. III. *Quomodo procedendum sit, si super eadem causa impetrentur plura diversa Rescripta ad diversos iudices, et dubitetur, quodnam ex illis sit alteri praeferendum?*

Resp. Si velit in tali casu una pars iudicum delegatorum deferre alteri, ut cognoscat, ad quos super causa principali iurisdictio pertineat, possunt illi soli, quibus taliter defertur, super hoc dubio, priusquam de causa principali cognoscatur, decidere. Si tamen neutra pars alteri ad prius dubium decidendum deferre velit, utraque pars iudicum, inspectis rescriptis, et eorum datis, decidere debet, cui competat iurisdictio, nisi consentire, et convenire inter se non possint, quo in casu arbitri, (quos iuris vocant) communi consensu eligi debent, qui controversiam hanc definiant, *c. Pastoralis*, 14. *h. t.*

Ut tamen, si plures in quolibet rescripto iudices delegati sint, causam valide decidant, non sufficit maior omnium delegatorum pars consentire, sed debet maior pars cuiuslibet rescripti consentire, ut si v. gr. in uno rescripto quatuor iudices delegati essent, in altero tres, debent, ut valide causa decidatur, vi huius rescripti, duco consentire, et vi alterius tres, prout sumitur ex *relato c. Pastoralis*, sic enim habetur consensus omnium, quod enim maior pars communitatis facit, omnes facere censentur.

§. IV. *De revocatione Rescriptorum.*

Duplici quidem modo revocantur rescripta, tacite, et expresse; quia tamen de tacita revocatione sufficienter iam dictum videtur, de sola expressa revocatione dicendum aliquid, et quidem in *cap. ult. h. t. in* 6. specialiter summus pontifex concessas gratias, et mandata revocat, quae propter ambitiosam petentium importunitatem in perpetuum sive ad vitae tempus concessa sunt, ut quod sibi licere non vult pontifex, suis successoribus indicetur. In *c.* vero *Ex parte,* 33. *h. t.* revocatas litteras a procuratore revocato ad lites impetratas, quae (saltem a persona extranea) impetrari non possunt, sine speciali mandato domini, ut ex dictis patet.

§. V. *An Rescripta extinguantur, seu expirent per mortem concedentis.*

Rescripta Gratiae a principe concessae, cum clausula*: Usque ad beneplacitum illius*, vel *dum voluerit concedere*, vel *dum placuerit concedenti*, exspirat per mortem tam naturalem quam civilem concedentis, sine alia revocatione, *c. Si gratiose*, 5. *h. t. in* 6. Si vero concedens dicat, *donec revocavero*, non exspirat per mortem concedentis; sicuti enim, ut in illo casu exspiret rescriptum, plus non requiritur, quam ut exspiret voluntas concedentis, sive ut non maneat amplius beneplacitum aut voluntas concedentis, quod fit, quando naturaliter, vel civiliter (per depositionem scilicet ab officio, vi cuius potentiam habet ad concedendam talem gratiam) moritur concedens, ita ut in hoc casu, *donec revocavero* exspiret rescriptum, requiritur positivus actus revocans, qualis actus positivus non est sola mors concedentis. Similiter non exspirant rescripta gratiae per mortem concedentis, si concessa sint cum clausula, *usque ad beneplacitum sedis apostolicae*, vel cum clausula, *usque ad pontificis concedentis, et sedis apostolicae placitum*, cum in utroque casu sedes apostolica maneat, etiam post mortem personae concedentis, prout etiam habetur in *Gloss. in relatum c. Si gratiose*, *v. Perpetuo.*

TITULUS IV.

DE CONSUETUDINE.

SECTIO I.

De Consuetudine, et requisitis ad eam inducendam.

§. I. *Quid, et quotuplex sit Consuetudo?*

Duobus modis accipi solet consuetudo: 1. pro ipso usu diuturno, sive moribus ipsis, et actibus a populo frequentatis, et haec consuetudo dicitur

facti consuetudo. 2. Accipitur pro ipso iure, sive lege ex eiusmodi moribus, et actionibus publicis totius populi, vel maioris partis orta, et dicitur consuetudo iuris, sive ius moribus constitutum. Differt autem consuetudo a traditione in hoc, quod haec originem suam habeat non ex usu, seu frequentatione actuum similium, sed ex institutione alicuius iuris, quod hominibus a legitimo legislatore datum est, non tam scripto, quam verbo, et per continuum usum facti conservata est; a stylo Curiae vero differt, quod stylus Curiae potissimum attendat materiam, consuetudo vero certam materiam non respiciat etc.

Dividi solet consuetudo in generalissimam, quae toti v. gr. orbi, vel certe toti Ecclesiae communis est; in specialem, quae viget in aliquo oppido, pago, urbe etc.; et in specialissimam, quae uni familiae v. gr. communis est: in eam, quae est secundum legem, quae nullum novum ius inducit, sed latam v. gr. legem, continua executione observat, et tantum facti consuetudo dici potest; in eam, quae est praeter legem, per quam novum ius inducitur; et in eam denique, quae est contra legem, per quam ius antiquum abrogatur. Sicuti autem lex alia civilis est, alia canonica, ita et consuetudo canonica alia est, alia civilis; quae diversitas potissimum desumitur ex ratione materiae ita ut illa canonica dicatur, quae est circa materiam ecclesiasticam; civilis vero, quae est circa materiam temporalem, et mere politicam.

§. II. *Penes quos sit potestas introducendi Consuetudinem?*

Resp. Solum communitas perfecta, quae vel ipsa potestatem habet leges condendi, vel saltem huius potestatis capax est, aut sufficiens, ut vera lex illi imponi possit, potest introducere ius consuetudinis, saltem accedente tacito consensu principis, vel legitimi legislatoris, *l. Sed et ea*, 35. *ff. de legibus;* neque enim forma induci potest, nisi in subiectum capax, iuris autem legalis sive legis sola perfecta communitas capax est (non quidem loquendo de specialissima consuetudine, de qua nulla hic consideratio, cum consuetudinis nomen vix mereatur) ergo sola etiam capax est consuetudinis, quae vim legis habet introducendae. Ut autem introducatur ius consuetudinis, debet consuetudo illa, vel a toto populo, vel a maiore eius parte esse frequentata, et observata (sicuti enim minor pars populi non potest condere legem omnes obligantem, nisi ex speciali commissione, ita nec potest inducere consuetudinem, quae omnes obliget) et adesse tacitus saltem consensus principis (in eo saltem casu, quo non tantum populus talis subiectus est principi, sed ipsa etiam consuetudinis inducendae materia) ac ipsos inducentes consuetudinem habiles esse ad consensum praestandum in legem aut consuetudinem inducendam, quales non sunt amentes, infantes, minores 25. annis, mulieres etc.

§. III. *Qualis consensus principis necessarius sit ad inducendam Consuetudinem.*

Ad inducendam consuetudinem requiri consensum illius superioris, qui potest in tali materia legem condere, certum mihi videtur, sicuti bene ur-

gultur ex *c. ult. h. t.* qualis autem consensus ille esse debeat, dubitatur, cum duplex communiter consensus asseratur, personalis alius, sive particularis, quo princeps, vel expresse in talem consuetudinem inducendam consentit; vel saltem tacite, sciens scilicet populum, animo introducendi consuetudinem, illa et illa agere; et cum possit, non contradicit. Alius vero sit consensus generalis, sive legalis, aut iuridicus, quando scilicet non immediate ipse princeps personaliter consentit in consuetudinem, quae a populo introducitur, sed ius tale scriptum novit esse, quo consuetudo populi, si certas conditiones habet, approbatur, quale ius habetur tam in *c. fin. h. t.* quam in *c. ult. cod. Quae sit longa consuetudo:* his ergo suppositis.

Resp. Ad §. huius quaesitum, quamvis probabile sit, quod ad introducendam consuetudinem iuris constitutivam requiri videatur scientia, et personalis consensus principis, aut superioris, saltem tacitus, cum talis consuetudo introduci non possit sine iurisdictionis usurpatione, qua populus caret (saltem in ecclesiasticis, et nisi transferendo iurisdictionem in principem, potestatem introducendi consuetudinem sibi reservavit) probabile tamen etiam est, sufficere ad talem consuetudinem introducendam, si conditiones alias requisitas habeat, consensum legalem, et iuridicum *arg. c. ult. h. t.* cum enim eadem potestas sit ligare, et solvere, ad abrogandum autem ius per consuetudinem sufficiat consensus legalis, uti patet ex *relato c. ult.* consequenter hic ipse etiam sufficiet ad introducendum ius per consuetudinem: et quamvis si directa potestate iurisdictionis sine praescriptione legitima nova lex constituatur, requiratur fortassis consensus personalis principis, sive superioris, non autem, si indirecte tantum, et per viam praescriptionis legitimae.

§. IV. *Quot, et qualibus actibus introducatur Consuetudo?*

Requiri actuum frequentiam ad ius consuetudinis introducendum, tum ex *l. 1. et 2. cod. Quae sit longa consuet.* tum ex defin. consuetudinis patet; ita ut non sufficiat unus actus (nisi successivus hic sit in effectu suo, et continuationem temporis habeat, et ut sic sit virtualiter multiplex, ut si molendinum v. gr. contra legem prohibentem aedificetur, et per totum tempus, quo ius talis aedificii praescribi potest, duret) sed plures illi esse debent; quot esse autem debeant, dubitatur.

Qua in re cum varii sint auctores, et nihil certi in iure constitutum sit, rectissime dicitur, relinquendum id esse prudentum iudicum arbitrio, qui considerata qualitate actuum, personarum etc. decidant, ad eum numerum actuum rem iam devenisse, ut non minus de populi voluntate, quam de superioris (legali saltem) consensu praesumi possit.

Debent autem actus, per quos introducitur consuetudo. 1. esse publici, et notorii, ipso facto, non clam, et in occulto fieri, sed palam, et publice, ita ut in notitiam populi deveniri possint, non quidem, quasi notorietate iuris esse debeant publici, ita ut in contradictorio iudicio per sententiam iudicis, parte contradicente, pro consuetudine iudicatum sit, cum nec ex ratione naturali, nec ex iure positivo talis publicitas requiratur, sed ut apti sint ad consensum populi, aut maioris partis, praesumendum, in introducendam consuetudinem per frequentiam talium actuum consentientis.

2. Debent esse voluntarii (cum populi consensus, qui ad introducendam consuetudinem requiritur, non habeatur sine libera voluntate) et hinc actus ex errore praecepti circa substantialia, aut quod putent homines ex ignorantia praecepto se obligari, ad actus tales substantialiter ponendos, non sufficiunt ad introducendam consuetudinem, quia errantis non est voluntas introducendi, *leg. Si per errorem*, 15. *ff. de iurisd. omn. iudic.* neque etiam sufficiunt actus per vim gravem extorti, cum talis vis ab extrinseco illata tollat voluntarium.

3. Debent exerceri a populo introducente consuetudinem, quasi ex obligatione, sive animo saltem interpretativo, introducendae consuetudinis obligantis, neque enim actus agentium operantur ultra intentionem eorum, qui tales actus exercent *c. fin. De praebend.*

§. V. *Quomodo debeat Consuetudo esse rationabilis, et legitime praescripta?*

Ex ult. *c. h. t.* probatur, quod consuetudo, ut vim aliquam habeat, debeat esse rationabilis, et legitime praescripta. Rationabilis autem dicitur illa consuetudo, quae est de re honesta, ac utili reipublicae; sive ut alii fusius eam explicant, quae non est contraria iuri naturali, nec divino positivo, nec religioni adversatur, nec est contra Ecclesiae libertatem, nec licentiam, vel occasionem peccandi praebet, nec bono communi, et publico noxia est etc., de quibus omnibus, utrum consuetudo ea habeat, prudentis iudicis arbitrio relinquendum putant aliqui. Ut autem legitime praescripta dicatur, debet tanto tempore cum bona fide, et aliis conditionibus, ad introducendam consuetudinem requisitis, esse continuata, quantum ad legitime praescribendum de iure requiritur, ut pluribus mox dicetur.

§. VI. *De conditionibus requisitis ad legitimam praescriptionem Consuetudinis.*

Resp. 1. Ad introducendam consuetudinem praeter legem, si via conniventiae illa introducatur, id est, si introducatur sciente, et tollerante principe, cum tamen facile contradicere posset, si vellet; probabilius est, non requiri certum tempus, quia tunc non tam per praescriptionem, sed per tacitam principis personalem approbationem introducitur consuetudo. Sufficit ergo ad introducendam talem consuetudinem tanto tempore eam continuare, quantum necesse est, ut ex prudenti arbitrio princeps consensisse in eam personaliter censeri possit. Si vero via praescriptionis, ignorante scilicet principe, consuetudo civilis introducenda sit, requiritur, et sufficit decennium, quo elapso vim iuris non scripti consuetudo illa habet; cum enim ad introducendum ius per praescriptionem, longum tempus de iure civili requiratur *l. de quibus*, 32. *et l. sequente ff. de legibus, ac toto tit. c. Quae sit longa consuet.* longum autem tempus censeatur *decennium*, §. *primo institut. de usucap. l. ultim. et toto cit. cod. de praescript. long. temp.* consequenter ad introducendum taliter via praescriptionis ius consuetudinis sufficit decennium: quod ipsum tempus recte putant DD. sufficere ad introducendum via praescriptionis ius consuetudinis canonicae praeter legem, saltem si non de-

rogetur illi iuri alterius ecclesiae: cum enim in illis, quae non sunt contra, sed tantum praeter ius Canonicum, nihil certi quoad tempus statuatur, videntur ea observanda ad praescriptionem, quae sunt de iure civili statuta. Si tamen consuetudini introducendae resistat lex, non quidem reprobando eam, tanquam irrationabilem, aut corruptelam (quae consuetudo quamvis immemorialis sit, ad praescriptionem non sufficit) sed expresse eam prohibendo, requiritur cum titulo (saltem colorato) 40. annorum tempus, vel sine titulo tempus immemoriale, id est, tempus, de cuius initio memoria non exstat. Requiritur autem, ut haec etiam consuetudo, cuiuscunque temporis illa sit, si via praescriptionis novum ius introducere debeat, legitimo tempore sit continuata, et semel coepta, nullo actu contrario sit interrupta, iuxta communem doctrinam, de praescriptione.

Resp. 2. Quamvis multi valde probabiliter doceant non requiri bonam fidem ad introducendam consuetudinem praeter legem, cum actus mali in tali casu non tam sint causa consuetudinis, quam indicia consensus principis, vel iuris; et consuetudo in facto esse bonesta sit, ac rationabilis, et utilis communi bono, licet in fieri peccatum includat: probabilius tamen distinguunt alii, et concedunt quidem, quod ad consuetudinem via conniventiae introducendam, non requiratur bona fides, quia princeps in tali casu sciens, et tolerans actus ad consuetudinem introducendam requisitos, quos facile probibere posset, si vellet, merito censetur ad introducendum ius consuetudinis consentire: quod si tamen via praescriptionis, et ignorante principe novum ius consuetudinis introducatur, tunc bona fides, aut probabilis ignorantia praescribentium, qua actus suos malos esse ignorant, requiritur, cum ex regula *secunda*, *in sexto*, possessor malae fidei nullo tempore praescribat, ita ut nec incipere, nec currere possit cum mala fide praescriptio.

§. VII. *De interpretatione, et extensione Consuetudinis.*

Consuetudo, quae est secundum legem, duplicem habet effectum. Primus est legem scriptam declarare, vel interpretari, si sensus illius dubius sit sive obscurus, *c. Cum dilectus*, 8. *h. t.* ubi dicitur, consuetudo *optima legum interpres*. Secundus est, quod legem confirmet: *instituuntur enim leges, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur*, dicitur in *Can. In istis*, *distinct.* 8. Si tamen consuetudo sit praeter, vel contra ius, et huic repugnet, ordinarie, et regulariter extendi non debet ab hoc casu ad alium; vel ab uno loco ad alium; vel a persona ad personam, cum enim sit stricti iuris, consequenter tantum habet de potentia, quantum de usu, nisi subinde similis aequitatis ratio similia iura suadere videatur: et hinc, si consuetudo aliqua a solis laicis observata fuit in materia mere civili cum consensu etiam laici magistratus, non obligat illa clericos, qui sunt diversi fori, nisi nihil illa praeiudicaret immunitati ecclesiasticae, et non tam onerosa esset, quam pro communi civium, qua talium bono, quo in casu saltem indirecte obligarentur clerici: si vero consuetudo versetur circa materiam mere spiritualem, obligabuntur illa clerici, et laici, et quidem ex consensu praelati ecclesiastici tantum, cui in ordine ad talem materiam tam laici quam clerici subiiciuntur.

§. VIII. *De abrogatione legis per contrariam Consuetudinem.*

Sciendum circa huius §. tit. 1. per nullam consuetudinem, quantumvis diuturnam, aboleri posse ius naturale, aut ius divinum, aut ius gentium, cum, quae his contrariatur consuetudo, corruptela potius dicenda sit, quam rationabilis consuetudo: posse tamen abrogari per contrariam consuetudinem, si rationabilis haec sit, et legitime praescripta, omnem legem positivam humanam, tam civilem, quam canonicam, prout patet ex *c. ult. h. t.* universaliter loquente.

Sciendum 2. ad hanc consuetudinem contra legem easdem requiri conditiones, quae supra requirebantur ad introducendam consuetudinem praeter legem, ut nempe rationabilis illa sit, et legitime, animo abrogandi legem, a tota, vel maiore parte communitatis praescripta, si via praescriptionis lex abroganda est; quae autem rationabilis consuetudo dicatur, uti etiam, quot, et quales actus, quodnam tempus, et qualis consensus principis ad abrogandam taliter legem requiratur, ex dictis iam patet, cum sit quoad haec talia, eadem ratio. Et quamvis putent aliqui, ad abrogandam legem non requiri bonam fidem (cum enim actus abrogantes legem, animo abrogandi legem fieri debeant, et quidem a scientibus se contra legem agere; consequenter ab illis, qui abrogant legem, immunitas ab obligatione legis possideri bona fide non potest) probabilius tamen alii putant, ob universalem doctrinam *c. ult. de praescript. et reg.* 2. *in* 6. ab illis, qui scienter contra legem agunt, et sic bonam fidem suae immunitatis non habent, abrogari legem non posse, via praescriptionis, sed a successoribus bona fide agentibus contra legem, eo quod putent, hac tali lege se non teneri, cum videant ab antecessoribus suis non fuisse servatam (utique ob iustas causas, cum male eos egisse praesumi non debeat) et Principem illius observationem, nec personaliter, nec legaliter urgere. Neque dici potest, quod ut sic non agant animo abrogandi legem, cum putent eam nihil obligare: conceditur enim, quod non agant expresse, et formaliter animo abrogandi, negatur autem, quod non agant virtualiter, et tacite animo abrogandi legem.

Sciendum 3. non tantum leges poenales per consuetudinem contrariam abrogari posse (vel simpliciter, tam quoad culpam, et poenam, vel secundum quid, quoad poenam tantum manente culpa, sive deinde latae illa sententiae sit, sive ferendae, ut probari potest ex variis iuribus, cum possit derogari legi, quamvis non abrogetur; derogatur autem legi, cum pars detrahitur, *l. Derogatur*, 101. *ff. de V. S.*) sed etiam leges irritantes, per quas forma, seu solemnitas substantialis, sive essentialis actui, aut contractui praescribitur, per quas persona nonnunquam aliqua inhabilis ad contrahendum, aut eligendum etc. redditur; tantum enim potest consuetudo, quantum lex scripta, potest autem per legem scriptam posteriorem, prior lex, sive poenalis illa sit, sive irritans, abrogari, ergo etiam per consuetudinem contrariam, si requisitas conditiones haec habeat; immo ob hanc ipsam rationem etiam leges circa sacramentalia, nihil ad substantiam sacramenti pertinentia, abrogari possunt, prout colligitur etiam *ex canon. de trina*, 80. *dist. quarta, de consecrat.*

Sciendum 4. per consuetudinem saltem immemorialem, posse eam etiam legem abrogari, cui inserta est generalis clausula, quae non tantum praecedentem consuetudinem tollit, sed futuram etiam prohibet (modo hanc non reprobet, aut damnet, velut irrationabilem) subditos in perpetuum obligans, non obstante quacunque contraria consuetudine in futurum; tum, quod consuetudo immemorialis maioris est potentiae, quam sint aliae consuetudines, ad quam impediendam specialis, et expressa derogatio requireretur, tum quod sola prohibitio consuetudinis in futurum, non est sufficiens signum, quod talis consuetudo sit irrationabilis, sed ad maiorem cautelam additur, ut non concedatur, tam facile legem tolli, via conniventiae, et ne iudices facilem contra talem legem admittant praescriptionem. Quod autem per consuetudinem immemorialem, a iure tamen reprobatam, lex abrogari non possit, facit illius irrationabilitas, quam habet a iure; a quo non tam consuetudo legitima, quam corruptela censetur; nisi fortassis ita obiectum talis consuetudinis reprobatae mutatis circumstantiis mutaretur, ut iam utilis reipublicae, et bono communi haberetur.

SECTIO II.

De nonnullis Consuetudinibus in specie.

§. I. *De quibusdam Consuetudinibus validis, et in specie a iure Canonico approbatis.*

I. Potest consuetudine introduci, ut non tantum rei dominium, sed etiam possessio eius (saltem ficta fictione iuris) sine reali, corporali rei apprehensione in alium transferatur; prout sumitur ex *c. Ex litteris h. t.* cum enim utroque iure cautum sit, sufficere, in quibusdam casibus, ad acquirendam possessionem rei, fictam illius apprehensionem iuxta iuris dispositionem, per clavium v. gr. ad aedes traditionem, per annuli, gladii investituram etc. non apparet ratio, quare non hoc ipsum etiam consuetudine introduci possit, ita ut per huiusmodi fictam apprehensionem omnes effectus, et omnia commoda verae ac realis possessionis acquirantur.

II. Potest consuetudine introduci, ut episcopus in inquirendis, corrigendis, ac puniendis etc. excessibus suorum subditorum, uti et in aliis negotiis suae ecclesiae, etiam arduis, quamvis de iure communi sine consilio sui capituli ea expedire non possit, solus procedere possit, nihil requisito consilio aut consensu sui capituli, prout habetur in *c. Non est*, 3. *h. t. in sexto; et cap. Eo noscitur*, 6. *de his quae fiunt a praelat. etc.* Quamvis enim illa iura, quae praescribunt, sine consilio aut consensu capituli, in rebus arduis nihil agere posse episcopum, rationabilia sint, non tamen ex iure naturae praescripta sunt, sed tantum ex iure positivo humano, ita ut, mutatis v. gr. circumstantiis, rationabile etiam esse possit, quod sine consilio aut consensu taliter habito agere possit episcopus, prout plerique fatentur, extra alienationem bonorum ecclesiasticorum sine consensu capituli factam.

III. Potest introduci consuetudo in ecclesia aliqua, qua antiquiores canonici gradatim praebendas sibi meliores, in ecclesia sua vacantes intra viginti dies, a tempore scientiae habitae computandos, optare sive eligere

possint, non obstante mandato papae alicui concesso, ut de praebenda proxime ibi vacatura, ipsi provideatur (prout habetur statutum in *c. ult. h. t. in* 6. tum quod aequitas naturalis dictet, maiori eos honore, et commodo afficiendos, qui diutius ecclesiae tali servierunt, tum quod pontifex suo mandato non velit praeiudicare laudabili consuetudini loci alicuius, nisi per clausulam derogatoriam certa ex causa id exprimat) si tamen in tali ecclesia aut beneficio optio locum habeat, qualem non censetur habere in illis ecclesiis, ubi certus numerus canonicorum, aut certa divisio praebendarum non est; nec in beneficiis apud sedem apostolicam vacantibus iuxta citatum *c. ultim. §. in praebend.* aut beneficiis papae reservatis, et probabiliter nec in beneficiis ex causa permutationis vacantibus, *argum. Clement. unicae, de rerum permut.* quamvis in casu, quo praebendae tantum temporales permutantur, contrarium etiam probabile sit.

§. II. *De pluribus Consuetudinibus invalidis, et a iure Canonico specialiter prohibitis, ac reprobatis.*

I. Illae consuetudines, quae per se, et directe magnum gravamen inferunt ecclesiis, aut personis ecclesiasticis irritae sunt, et ut tales declarari debent, prout sumitur ex *c.* 1. *h. t.* iuncta *Gloss. v. Consuetudines*, vel certe officio iudicis ecclesiastici tolli debent, si ab initio non fuerunt multum onerosae ecclesiae, ex post facto tamen multum gravamen ecclesiae intulerunt, (cum enim consuetudo vim legis obtineat, consequenter sicuti lex talis irrita est, ita etiam consuetudo talis irrita erit) ita ut nec summo pontifici, aut aliis praelatis ecclesiasticis liceat talia gravamina indebite, et sine necessitate clericis imponere.

II. Consuetudo etiam temporis immemorialis, secundum quam principes, et magistratus saeculares propria auctoritate ecclesiis vel personis ecclesiasticis, etiam in bonis suis patrimonialibus tributa, aut collectas imponunt, vel vectigalia exiguut, nulla est, et a iure Canonico damnata, et reprobata *c. ult. h. t. c. Quamquam, de censibus in* 6. *c. Non minus*, 4. *et c. Adversus*, 7. *de immunit. eccles.* cum enim haec talia facere sint actus proprie dictae iurisdictionis, saecularibus autem in clericos nulla competat iurisdictio, *argu. c.* 2. *de iudiciis*, consequenter nulla praescriptio illis prodesse poterit. Accedit, quod incapax possidendi, sit etiam incapax praescribendi; laicus autem nullum ius spirituale possidere potest, quale ius est iurisdictio in clericos, consequenter neque hoc praescribere poterit.

III. Non potest consuetudine introduci, ut auditis utriusque partis allegationibus, a quibuscunque praesentibus litteratis, et illiteratis causae decidantur, cum sententia a iudice non suo, sive ab eo, qui iurisdictionem non habet, lata, nulla sit: quamvis enim cuiuscunque mens audiri possit circa negotium propositum, sententiam tamen ferre, cui stare debeat pars, iurisdictionem requirit.

IV. Non possunt inferiores clerici etiam presbyteri, non episcopi, ulla etiam immemoriali consuetudine acquirere facultatem exercendi ea, quae sunt ordinis episcopalis, *c. Quanto*, 4. *h. t.* cum enim hi non sunt capaces actuum exercendorum, pro quibus praescriptione introducitur consuetudo, conse-

quenter neque talis consuetudinis introducendae sunt capaces; et quamvis per privilegium a pontifice obtentum, talium actuum exercendorum capax fieri possit etiam inferior sacerdos, non tamen hoc fieri potest per praescriptionem etiam immemorialem, cum potentius sit privilegium ad capacitatem talem obtinendam, quam sit praescriptio, ut colligitur ex *relato c. Quanto.*

V. Nulla etiam est ea consuetudo, per quam disciplina ecclesiastica, interdictum v. g. generale, suspensio, cessatio a divinis etc. solvitur *c. Tum inter*, 5. *h. t.* cum enim per censuras tales, ant earum incurrendarum periculum, fideles in officio contineantur, aliud non est, tales censuras tollere, quam nervum disciplinae ecclesiasticae solvere, quod utique irrationabile est: et quamvis per privilegium a summo pontifice concessum omnes effectus talium censurarum in certis circumstantiis cessare possint, per consuetudinem tamen hoc fieri non potest, cum consuetudo talis irrationabilis sit.

VI. Nulla etiam est ea consuetudo, qua praelati immediate subiecti sedi apostolicae sine licentia huius, ecclesias suas dimittunt *c. Cum venerabilis*, 7. *h. t.* vel iuxta quam putant, se legitime electos non teneri confirmationem a superiore petere *argum. c. Qualiter*, 17. *de elect.* (quia per tales consuetudines destrueretur bonus ordo, et disciplina Ecclesiae) ita ut nec temporis immemorialis consuetudo in contrarium aliquid operetur; quamvis enim consnetudo immemorialis vim tituli habeat, aut privileginm praesumere velit, nihil tamen in illis casibus operatur, in quibus consuetudo tanquam iniqua, et irrationabilis a iure reprobata est.

VII. Nulla est consuetudo, vi cuius capitulum, sive collegium canonicorum, antiquas Ecclesiae consuetudiues, vel constitutiones approbatas, absque consensu ordinarii immutare se posse putat *c. Cum consuetudinis*, 9. *h. t.* cum haec consuetudo ad perturbandam magis Ecclesiae disciplinam, quam conservandam conducat, nisi a laxiori vivendi modo contra primaevum institutum ad primam iterum originem reducatur.

VIII. Nulla etiam est consuetudo, per quam homines ad peccandum inducuntur *c. Ex parte*, 10. *h. t.* cum consuetudines tales sint vel maxime irrationabiles.

IX. Non potest consuetudine introduci, nt in eadem ecclesia idem canonicus duos personatus, duas dignitates, vel duo officia, vel canonicalem praebendam simul cum dignitate, personatu, aut officio, absque licentia summi pontificis habeat, cum talis consuetudo sit inimica sacris Canonibus, et de radice ambitionis, ac velnt corruptela reprobetur in *c.* 1. *h. t. in* 6.

X. Nulla etiam est consuetudo, ut a vicario generali ad episcopum appellari possit, cum unum idemque sit utriusque tribunal, *c.* 2. *h. t. in* 6. nec consuetudo aliqua impedire potest, quo minus legati apostolicae sedis recipiantur, aut libere terras, ad quas destinantur, ingrediantur, *Extravag. unic. h. t. inter com.* cum iustae iurisdictioni pontificiae talis consuetudo graviter noceat.

—

TITULUS V.

DE POSTULATIONE PRAELATORUM.

§. I. *Quid, et quotuplex sit Postulatio, et quomodo ab Electione differat.*

Resp. 1. Postulationem proprie, et stricte dictam, prout ab electione differt, esse petitionem collegii seu capituli, factam a superiore, ut ille, qui propter defectum, vel impedimentum canonicum, de iure communi, ad praelaturam, vel dignitatem ecclesiasticam eligi non potest, ad eandem per dispensationem admittatur, si tamen in tali inhabilitate dispensare soleat superior: ut adeo postulatio introducta sit in subsidium electionis; et praecipue tantum in his ab electione differat, quod haec iuri, quod acquirit legitime electus, qui electionem admisit, postulatio vero gratiae innitatur; quod electio fiat de persona habili, postulatio vero sit personae de iure impeditae; et quod denique electus in electionem absolute consentire possit, postulatus vero tantum sub conditione dispensationis obtinendae.

Resp. 2. Duplicem esse postulationem, solemnem aliam, aliam non solemnem, sive simplicem; solemnis est, quae fit a superiore super impedimento canonico, in quo potest ille, et solet dispensare, quam superiore responsione definivimus. Simplex, sive non solemnis est, quae non tam in impedimento canonico dispensat, inhabilem habilitando, quem licentiam, ac facultatem a superiore v. gr. petit, ne laedatur ius aliquod illius; sic religiosus illegitime natus, si ad episcopatum assumatur, solemniter, et non solemniter postulari debet; solemniter a pontifice, ut cum eo, qui ratione natalium inhabilis est ad dignitatem ecclesiasticam, super hac inhabilitate dispensetur; non solemniter autem a praelato suo, ut ne illi invito subtrahatur, qui ratione religiosae obedientiae illi subiectus est.

§. II. *De his, qui postulari possunt, et non possunt.*

Resp. 1. Illos tantum postulari posse in genere, qui impedimento aliquo canonico impediuntur, quo minus eligi possint (cum enim in subsidium electionis sit postulatio proprie dicta, consequenter tantum illi proprie postulari possunt, qui non possunt eligi) non quidem omnes, sed qui inhabiles sunt, ut eligantur, propter defectum aliquem, in quo superior potest, ac solet dispensare, uti colligitur ex *c.* 1. §. *Nos igitur, iuncta Gloss. v. Personam h. t.* ne frustranea scilicet sit postulatio. Et hinc postulari non possunt ad praelaturam, qui laborant publica morum infamia, aut in crimine aliquo, quo notati sunt, perseverant, vel qui omnino sunt illitterati, bigami, spurii ex damnato coitu nati, uti colligitur ex c. *Nisi cum pridem,* 10. §. *Persona vero, de renunt.* qui interdictum loci scienter, ac temere violavit *c.* 1. *h. t.* qui 27. aetatis annum non attigerunt etc. nec postulari possunt religiosi professi ordinum mendicantium ad inferiores cathedralibus ecclesias, aut ad monasteria extra suos ordines, ut patet ex *Extravagante uni. h. t. inter comm.* qui tamen vinculo alterius episcopatus tenetur, etiamsi

tantum confirmatus sit, quamvis eligi non possit in episcopum, aut archiepiscopum alterius ecclesiae, cum sit spirituali matrimonio primae suae ecclesiae iunctus, et sic incapax alterius matrimonii spiritualis contrahendi, prius quam a priore vinculo solvatur; postulari tamen potest a pontifice, qui potest, et solet in casu necessitatis, aut magnae utilitatis, dispensare, ut cum priore episcopatu retento alium etiam episcopatum recipiat postulatus, vel saltem priore dimisso, ad alium transeat, prout constat *ex c. ult. h. t.* et ex *c. ult. de translat. episc.* et quamvis cardinalis S. R. E. non episcopus in episcopum alicuius ecclesiae postulari debeat a summo pontifice, postulatio tamen huius non est postulatio solemnis, cum nullo canonico impedimento prohibeatur, quo minus eligi possit, sed postulatio simplex, sive non solemnis, ne scilicet ecclesiae universali, cuius administrationem pontifex habet, per talis cardinalis absentiam, in sua ecclesia particulari residere obligati, sua subtrahatur utilitas, quam ex huius cardinalis in romana Curia praesentia sperare potest: quo modo etiam praelati episcopo inferiores, quamvis simplici saepe postulatione a suis capitulis v. gr. postulandi sint, rectissime tamen dicuntur eligi, et non postulari, cum nullo canonico impedimento impediantur, quo minus eligi possint.

§. III. *De superiore, a quo fieri debeat Postulatio.*

Fieri debet ab eo superiore postulatio, cuius est praelati, si electus esset, confirmatio; si tamen super impedimento canonico, ratione cuius fit postulatio, dispensandi licentiam habet (habet enim admissio postulationis vim confirmationis, ergo ab eo fieri debet postulatio, a quo petenda foret electi confirmatio) neque tamen ex obligatione iustitiae admittere postulationem concorditer factam, et a se petitam tenetur superior, quamvis admittere teneatur ex iustitia electionem legitime factam, et legitime electum confirmare, cum postulatio gratiae, electio iuri innitatur, ut dictum: neque tamen etiam nego, quod ex debito officii postulationem admittere teneatur, si necessitas, aut utilitas ecclesiae exigere videatur, cum ex officio illi incumbat talis ecclesiae utilitati, aut necessitati providere.

§. IV. *De illis, qui habent ius, sive potestatem postulandi.*

Omnes, qui eligere possunt, ius etiam postulandi habent *c. Bonae*, 4. §. *Caeterum h. t.* eo quod postulatio in supplementum electionis concessa sit, et tanquam accessorium regulariter non acquiratur sine iure eligendi, nisi extraneus v. gr. aliquis ex mera gratia ad electionem praelati admittatur, et ius postulandi nondum legitime praescripserit, quo in casu potest talis a postulatione excludi. Ut autem postulatio a superiore admitti possit, debent duplo plures postulare, si facta sit in discordia, ita ut aliqui capitularium elegerint aliquem, alii postulaverint aliquem *c. Scriptum*, 40. *de electione*, (merito enim plus requiritur ad extraordinaria, uti est postulatio, quam ad ordinaria, uti est electio) ita ut si in tali casu a maiore quidem parte facta fuerit postulatio, a minore vero electio, penes superiorem sit confirmare num velit a minore parte electum, an maioris partis postulationem admittere: si vero nulla electio intervenit, sed tam hi, quam illi diver-

sos postulaverint, sufficit ad postulationem alicuius admittendam, si a maiore parte capituli postulatus sit, ut probatur ex *c. Postulationem*, 5. *h. t.* cum in tali casu non sit, pro una via providendi, maior ratio, quam altera. Et quamvis eligentes variare non possint post factam legitime electionem, et ab electo admissam, cum per talem electionem, et admissionem huic ius fuerit acquisitum, quod adimere ipsi per variationem amplius non possunt, qui elegerunt; possunt tamen variare, qui postulationem alicuius fecerunt, modo postulatio talis superiori nondum fuerit praesentata, ita ut ante talem praesentationem, alium postulare possint sine praeiudicio illius, quem prius postulaverunt, tum quod per postulationem talem nullum adhuc ius postulato acquisitum fuerit, tum quod superiori, cui postulatio iam praesentata fuit, videatur illudi, si post praesentatam postulationem priorem, alia iterum tentaretur, quae omnia habentur in *cit. c. Bonae*, 4. *h. t.*

§. V. *De poenis Postulantium indignum.*

Qui scienter ad praelaturam postulant indignum propter vitium, seu defectum indispensabilem, pro ea vice, ipso iure seu facto, privati sunt potestate postulandi, et eligendi, *Gloss. in c.* 1..*v. Privare h. t. et c.* 2. *eod.* quae enim poena statuta est contra indignum scienter eligentes *c. Cum in cunctis*, 7. §. *fin. de elect.* extenditur *in c. h. t.* ad scienter indignum postulantes: quam poenam etiam incurrunt illi, qui postulationem personae indignae temere ab illis factam, et a superiore ob vitium personae reprobatam, repetunt *c. Gratum*, 2. *h. t.* (quia, qui concessa sibi potestate abutitur, meretur ea privari) ita ut ad eos, qui in postulationem indigni, aut revocationem postulationis reprobatam non consenserunt, sed expresse contradixerunt, licet numero pauciores sint, immo etiamsi unus tantum innocens supersit (cum in uno collegii iura conserventur) pro hac vice devolvatur ius eligendi, aut postulandi, prout colligitur etiam ex *c. Bonae*, 23. et ex *c. Cum Vintonensis*, 25. *de electione.*

§. VI. *De forma Postulationis, eiusque effectu.*

Quamvis tutius sit, ut in postulatione solemni forma scrutinii, et aliae solemnitates ad electionem a iure requisitae observentur, absolute tamen necessarium non est; eo ipso enim, quod per electionem ab electo admissam ius aliquod contra electores acquiratur, non autem per postulationem; consequenter maior cautela necessaria est in illa, quam in hac. Reprobantur autem a iure expresse illae formae postulationis, quae sub formis ambiguis fiunt v. gr. *eligo postulando;* vel *postulo eligendo;* vel *eligo postulandum;* aut *postulo in eligendo;* vel denique *eligo, et postulo prout melius de iure valere potest c. unic. h. t. in* 6. (cum tales formae incertitudinem, et obscuritatem contineant, et ex illis colligi clare non possit, utrum postulatio fiat, an electio; neque enim, qui eligi debet, postulari potest, aut qui postulari debet, eligi potest) nisi probabile dubium sit de canonico impedimento, quo in casu sub ea forma, *eligo, et postulo, prout melius de iure valere potest*, postulatio fieri potest, prout ex *relato c. unic.* habetur; ita tamen, ut taliter electus, et postulatus determinare debeat, utrum electionis, an

postulationis viam prosequi velit, et non possit ab una ad alteram variare, cum praeiudicio tertii iuxta regul. 21. *in* 6. effectus autem postulationis solemnis praecipuus est, quod postquam ea a superiore admissa fuit, vim habeat electionis confirmatae, ita ut postulatus admissus ius omne consequatur, perinde ac si esset electus, confirmatus, et alia confirmatione non indigeat, ut licite, et valide administret. Simplicis vero postulationis, sive non solemnis, ille effectus est, ut obtenta licentia superioris eligi ille possit, vel electus confirmari, si ante obtentam licentiam postulatus fuit, quod fieri posse concedunt communiter.

TITULUS VI.

DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE.

SECTIO I.

De Electione in genere, et electoribus.

§. I. *Quid sit Electio, et quomodo ab aliis modis providendi ecclesiae differat?*

Electio subinde in latiore sensu, subinde in strictiore, etiam in iure accipitur: stricte et proprie dicta recte describitur, quod sit *personae idoneae* (nullo canonico impedimento impeditae) *ad ecclesiae vacantis, seu viduatae* (sponso scilicet suo carentis, qualiter sponso suo carere dicuntur ecclesiae cathedrales, mortuo episcopo, aut aliae etiam regulares ecclesiae suo praelato destitutae) *pastoralem dignitatem, seu praelaturam, per eos, quibus ius eligendi competit, canonica* (a sacris canonibus approbata) *vocatio.* Differt autem haec electio stricte dicta a collatione libera, quod per hanc ius in re, seu quasi dominium in beneficio acquiritur, per electionem vero acceptatam, ius ad rem tantum, et hinc tantum vocatio ad beneficium dicitur: et ante confirmationem electi, hoc mortuo v. gr. vel renunciante electioni, quod libere potest facere ante confirmationem electus, etiam sine consensu superioris, praelatura talis vacare dicitur, non per mortem huius modo electi ante confirmationem mortui, vel renuntiantis, sed per mortem prioris etc.; a praesentatione vero differre dicitur, quia plus iuris confert electio, quam praesentatio; facta enim electione, et illa publicata, illud saltem ius confertur electo, ut ante illius etiam admissionem variare non possint electores, sed electi consensum exigere debeant; in praesentatione vero variare potest patronus (saltem si laicus sit) neque consensum praesentati requirere. A nominatione denique differt, si tamen haec a praesentatione differat, quod per nominationem nihil prorsus iuris acquiratur nominatus, neque unus tantum, sed plures simul nominari possint, ex quibus uni deinde episcopus v. gr. beneficium conferat, vel praesentans unum aliquem praesentet.

§. II. *De illis, qui potestatem eligendi habent.*

Ex ss. Canonibus satis patet, magnam olim diversitatem servatam in

episcoporum v. gr. electione: aliqui enim in primitiva ecclesia ab ipsis apostolis ecclesiarum episcopi constituti fuerunt; postea diversis personis, ex speciali pontificum privilegio concessum fuit ius providendi ecclesiae viduatae, ita ut nonnunquam ius eligendi fuerit penes clerum tantum illius dioecesis, cui dari episcopus debebat; nonnunquam penes clerum, et populum, ut hi saltem in electum a clero consentire deberent, vel nominare plures, ex quibus clerus aliquem eligeret; nonnunquam etiam principibus laicis ius nominandi, aut praesentandi episcopum concessum fuerit, prout hodie adhuc habent ad certos episcopatus reges aliqui etc. ita ut sacri Canones, si diverso modo loquantur, de diversis temporibus, aut privilegiis intelligendi sint. De iure tamen communi, et ordinario, electionem praelati ecclesiastici, tam saecularis quam regularis, ad capitulum ecclesiae, cui providere debet, spectare, ex *c.* 1. *h. t.* patet; merito enim his conceditur ius eligendi sibi capitis, et suae ecclesiae de sponso providendi, qui maiorem suae ecclesiae notitiam habere censentur, ac talis capitis membra habentur; non quidem quasi propria auctoritate praelatum constituant, cum ipsi praelaturam episcopalem v. gr. non habeant, sed ex potestate officii, a communi iure, vel a pontifice concessi.

Intelligitur autem capituli, aut collegii nomine, non quaevis clericorum uni ecclesiae adstrictorum collectio seu communitas, sed qui nomine canonicorum, seu capitularium veniunt, qui unum quasi corpus constituunt, cuius caput ipse praelatus est, et communi sigillo utuntur, atque unum communem syndicum, ac procuratorem constituere possunt *c. Dilecta*, 14. *iunct. Gloss. v. Nec sint unum corpus, de excess. praelat.* et *l.* 1. §. 1. *ff. quod quisque univers. nom.* et quamvis ad constituendum primo collegium tres personae ad minimum requirantur, *l. Neratius*, 85. *ff. de V. S.* cum praeter capitulum (quod pluralitatem dicit) a rectore distinctum debeat, vel actu vel potestate saltem, habere rectorem, potest tamen semel constitutum collegium, eiusque iura in duobus, immo etiam in uno conservari, iuxta *Gloss. in cit. c.* 1. *v. Duo h. t.* cum plus ordinarie requiratur ad generationem, quam ad conservationem. Neque tamen omnes etiam qui sunt de collegio ecclesiae alicuius collegiatae, aut cathedralis, habent ius eligendi episcopum, seu praelatum talis ecclesiae, sed illi tantum, qui in ss. ordinibus (subdiaconatus saltem) constituti sunt (iuxta *Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 4. *De reformat.*) saltem tempore electionis, et quamvis talem in sacris non constitutum exspectare caeteri non debent, licet prius quam electio fiat, ordinari vellet, si tamen canonicorum v. gr. nullus, quando sedis vacatio contingit, in sacris constitutus esset, et consequenter penes nullum tum esset ius proximum eligendi, prius tamen quam ad superiorem provisio talis ecclesiae devolveretur, exspectare hic deberet usque ad terminum electioni concessum elapsum; ut si intra hoc tempus aliqui ordinari in maioribus vellent, ius eligendi illis non impediretur.

§. III. *An potestas eligendi aliis quoque clericis, qui e collegio non sunt, vel etiam laicis competere possit, vel iis, qui solum sunt in possessione iuris eligendi?*

Resp. 1. Posse competere ius eligendi etiam extraneis clericis, qui e

collegio, seu capitulo non sunt, non tantum vi privilegii, prout sumitur ex *c. Cum dilectus*, 8. *de consuetud.* neque tantum vi legitimae per 40. annos praescriptae consuetudinis *c. Cumana*, 50. *h. t. iuncta Gloss. v. Consuetud.* sed pacto etiam, seu voluntate eorum, ad quos ius eligendi spectat, ita tamen, ut si in extraneam personam, vel dignitatem, a capitularibus perpetuo transferatur, superioris consensus cum aliis solemnitatibus, ad alienandum res ecclesiae requisitis, accedere debeat, cum talis in extraneum translatio species quaedam alienationis sit; et omnes capitulares in hoc consentire debeant, cum quod singulis praeiudicat, a singulis sit approbandum.

Resp. 2. Laicis nec per pactum, nec ullo alio modo a capitularibus communicari potest ius eligendi praelatos ecclesiasticos, *c. Sacrosancta*, 51. *h. t.* cum spiritualia negotia tractare non debeant laici *c.* 2. *De iudiciis*, et quod in *c. Nobis*, 25. *de iure patronat.* conceditur, ut facta iam electione consensus patroni requiratur, non tam de obligatione necessaria, sed de honestate intelligi debeat, ne iura videantur iuribus contradicere; vel certe de patrono ecclesiastico textus ille intelligi debet, aut de consilio tantum petendo, quo posito libera adhuc penes capitulum erit electio; nisi aliter de sua iurisdictione (per privilegium v. gr. a summo pontifice obtentum) doceat patronus.

Resp. 3. Nec per ullam consuetudinem, quamvis immemorialis illa sit, possunt laici, etiam patroni, saeculares ius eligendi praelatum ecclesiasticum acquirere, sive soli, sive cum canonicis eligere praesumant *c. Massana*, 56. *h. t.* (cum corruptela potius, quam consuetudo, ut pontifex ait, dicenda sit contraria praesumptio, independenter a pontificio privilegio attentata) nec valeat electio cum talibus laicis coëligentibus facta, si clerici scienter et voluntarie ad coëligendum admiserunt laicos, cum actus individuus, qualis est electio, nullus sit, si vel unus inhabilis scienter, et voluntarie admittatur ad actum talem constituendum, et in his individuis utile per inutile vitietur; quod si tamen laici coëligant quidem cum clericis, admissi ad coëligendum vel per ignorantiam, vel quia prohiberi non poterant, vel quia gravi metu ad tales admittendos coacti fuerunt, valde probabile est, electionem valere, ex solis clericorum suffragiis; reiectis laicorum, tamquam incapacium, praesertim si contra laicorum suffragia protestati sunt clerici, cum constitutio invalidans electionem coëligentibus etiam laicis, valde probabiliter, non tantum in odium laicorum, sed clericorum etiam culpabiliter laicos admittentium facta sit: neque a praesentatione laicis competente, si aedificaverint, dotaverint, vel fundaverint ecclesiam parochialem, ad electionem in ecclesiis collegiatis ducenda est paritas, quamvis ex uno relato capite talis ecclesiae patroni sint, cum per praesentationem a praesentato admissam, nullum ius spirituale acquiratur praesentato, sicuti per electionem admissam ab electo, facilius proinde praesentatio, quam electio laicis conceditur.

Resp. 4. Ius eligendi etiam illis competit, qui tantum sunt in huius iuris possessione, cum bona fide, si de possessione tali constet, modo ante electionem factam nulla lis super hoc iure illis mota fuerit, quae fuerit etiam contestata, ita ut non tantum votum huius prae alio, penes quem postmodum proprietas huius iuris fuisse electionis tempore deprehenditur,

valeat, sed electio etiam ex hoc capite postmodum nunquam impugnari possit *cap. Cum olim*, 7. *iuncta Gloss. v. Duobus*, *de caus. possess. et propriet. et c. Querelam*, 24. *iuncta Glos. v. Super iure h. t.* cum bonae fidei possessor fructus percipere possit (quos interest ius eligendi) quamdiu lis cum illo contestata non fuit super rei proprietate.

§. IV. *An sicut Electio episcopi, ita etiam electio, sive institutio canonicorum in ecclesiis cathedralibus pertineat ad capitulum.*

Resp. Spectato iure, canonicorum electio, sive potius collatio canonicatuum in ecclesiis cathedralibus, vel ad episcopum simul et capitulum pertinet, ut tradit *Gloss. in c. Cum ecclesia*, 31. *v. Postulavit h. t.* vel ad solum episcopum iuxta *c. Cum iniunctio*, 12. *de haeretic.* cum consilio tamen capituli iuxta *c. Novit*, 4. *de his quae fiunt a praelatis*, *etc.* sicuti enim episcopo ecclesiarum cura demandata est, et consequenter ad eum etiam pertinet instituendorum beneficiatorum cura, ita etiam capituli interest scire, quos concanonicos, et fratres habeat; potest tamen etiam fieri non tantum per privilegium, sed per receptam in talibus ecclesiis consuetudinem, ut ad solum capitulum assumptio canonicorum, vel ad solum episcopum, nihil requisito consilio capituli, pertineat, prout probari potest ex *relat. c. Cum ecclesia.* Cum nec a iure improbetur haec consuetudo.

§. V. *De iis, qui prohibentur eligere episcopos, aliosque praelatos ecclesiasticos.*

Generatim loquendo aliqui prohibentur eligere, natura; aliqui lege, vel moribus: natura prohibentur eligere, sive ob impedimentum naturale, pupilli, seu impuberes, hoc est minores 14. annis, si sint masculi, aut 12. annis, si sint foeminae, *c. Ex eo*, 32. *h. t. in* 6. cum plenam rationis discretionem non censeantur habere; ob quam rationem etiam furiosi, amentes, et mente capti eligere non possunt, nisi lucida intervalla habeant, et sibi praesentes sint tempore electionis. Lege autem prohibentur eligere 1. excommunicati excommunicatione maiore, ut patet ex *cap. Constitut.*, 23. *iuncta Gloss. v. Excommunicationis, de Appellat.* et quidem vitandi, sive non tolerati irritam ipso iure electionem faciunt, si scienter, et voluntarie, absque protestatione, ad electionem admittantur, cum absque gravi incommodo repelli possent *argu. c. ult. de procurat.* Tolerati autem, et non vitandi, per exceptionem repelli possunt, cum omnis actus iurisdictionis, et officii ipsis prohibitus sit. 2. Eligere non possunt lege prohibente suspensi ab officio *c. Cum inter*, 16. §. *fin. h. t.* (sive sint a iure, sive ab homine suspensi) ita ut ob rationem prius allatam electio ab huiusmodi suspensis non toleratis facta sit irrita: neque tamen haec prohibitio extendi debet ad suspensos a beneficio tantum, quia eligere potius est actus officii, qui prohibentur illis, quam fructus beneficii, cum inter fructus proprie dictos beneficii, quibus privat suspensio a beneficio, non veniant talia pretio non aestimabilia iura, sed ea tantum, quae utilitatem temporalem beneficiato afferunt. 3. Eligere prohibentur a iure, qui in personali sunt interdicto iuxta relat. *c. Cum inter*, et qui irregulares sunt *c. Is qui*, 18. §. *Is vero*, *de sent. excommun. in* 6. si

tamen denuntiati sint, vel per exceptionem repellantur, et sicuti vi consuetudinis legitime introductae ius eligendi competere potest aliquibus, quibus de iure communi non competit, ita etiam vi consuetudinis receptae excludi possunt aliqui, qui de iure communi gaudere hoc iure eligendi possent. 4. Denique eligere prohibentur ex nova Tridentini Constitutione, qui quamvis canonici sint, subdiaconatus ordinem tamen nondum susceperunt, prout etiam iam olim statuit *Clementina* 2. *de aetate*, *et aequalit.* etc. Cum autem nemo subdiaconatus ordinem iuxta *Trident. sess.* 23. *c. De reformat.* suscipere possit ante 22. annum inchoatum, consequenter etiam ante hunc annum de iure novo, nemo ad episcopi in ecclesia cathedrali electionem admittetur.

§. VI. *De poenis illegitime, et contra iuris prohibitionem eligentium.*

Resp. 1. Qui praesumit electioni, per abusum saecularis potestatis de se factae, consentire, nullum ex tali electione commodum habet (cum talis electio, ut supra dictum, nulla sit) et ad omnem dignitatem ecclesiasticam ante dispensationem (saltem ab episcopo obtentam) inhabilis est. Illi vero clerici capitulares, qui taliter electionem scienter, et voluntarie celebrare praesumpserint, eligendi potestate pro ea vice, ipso iure, privati sunt, et per iudicem ecclesiasticum in poenam ab officiis suis, et beneficiis per triennium suspendendi sunt, ut decidit pontifex in *c. Quisquis*, 43. *h. t.* Censetur autem per abusum saecularis potestatis electus ille, ad cuius electionem inter eligentes admissi fuerunt, sine privilegio pontificio, saeculares; vel si ante, aut post electionem consensum saecularis potestatis, quasi de iure ad legitimam electionem necessarium, requisiverunt eligentes, cum in utroque casu libertas ecclesiastica patiatur: et quamvis saecularis potestas adesse possit ecclesiae, aut monasterio, de cuius electione agitur, ut contra discolos, et pacis perturbatores capitulum defendere possit, putant tamen valde probabiliter aliqui, quod ipsi actui, in loco electionis interesse, non debeat.

Resp. 2. Qui contra formam in iure canonico in *c. Quia propter*, 42. *h. t.* praescriptam eligunt, potestate eligendi pro ea vice per ecclesiasticum iudicem sunt privandi, prout patet non tantum ex *relat. c. Quia propter*, §. *Qui vero*, sed etiam ex *c. Cumana*, 50. *h. t.* conveniens enim est, ut quis in eo puniatur, in quo peccavit, cum ergo hi tales in eligendo peccaverint, in eligendo etiam puniri debent, auferendo ab illis pro ea vice ius eligendi: si tamen eligerent iterum, priusquam per sententiam iudicis eligendi iure privarentur, subsisteret talis electio, utpote facta ab iliis, qui iure eligendi nondum privati fuerunt.

Resp. 3. Qui eligunt aliquem in episcopum, aut aliam praelaturam, contra prohibitionem *c. Cum in cunctis*, 7. *h. t.* (minorem scilicet aetate, illegitimum, malae vitae hominem, illitteratum, aut alio iuris defectu laborantem) si scienter id fecerint, ipso iure privati sunt pro ea vice eligendi potestate, et insuper suspensi sunt ab ecclesiasticis beneficiis per triennium, iuxta *relat. c. Cum in cunctis* (ubi rationem etiam reddit pontifex eo quod scilicet dignum sit, ut quos Dei timor non revocat a malo, saltem severitas ecclesiasticae disciplinae coerceat) quod ipsum etiam habetur *c. Dudum*, 22. *h. t. et c. Si compromissarius*, 37. *eod. in* 6. et si simoniacum elegerint, eam

insuper poenam incurrunt, ut non possint, durante suspensione, ad dignitatem ecclesiasticam in illa ecclesia, cui scienter simoniacum elegerunt, assumi, prout constat ex *c. Per inquisitionem*, 26. *h. t.*

§. VII. *Ad quos pertineat potestas eligendi, quando capitulares elegerunt indignum?*

In casu huius §. vel aliqui tantum capitulares indignum scienter elegerunt, vel omnes; si aliqui tantum, potestas eligendi penes illos remanet pro hac vice, privatis aliis, qui in electionem indigni non consenserunt, licet numero pauciores sint, quia in his, etiamsi unicus tantum esset, remanet ius collegii, *Gloss. in c. Perpetuo*, 7. *h. t. in* 6. Ita ut possint hi pauciores in tali casu, vel statim, eodemque contextu, decretum electionis suae, si in ea persistant, promulgare, vel novum scrutinium inchoare, exclusis illis, qui indignum scienter elegerunt. Si vero omnes deliquerunt indignum eligendo, potestas providendi, in metropolitanis, et cathedralibus ecclesiis ad summum pontificem, pro ea vice, de iure antiquo devolvitur, uti et in ecclesiis inferioribus ad eum superiorem, cuius est electum confirmare, *cap. Quamquam*, 18. *h. t. in* 6. Quae devolutio etiam fit in eo casu, quo in secunda electione delinquunt, indignum eligendo, qui in prima electione non deliquerunt, cum in tali casu etiam poenam privationis incurrant *cap. Bonae*, 23. *iuncta Gloss. v. Et non h. t.* quae tamen poena, nec ab his, nec ab illis incurritur, nisi subsecuta sit communis electio, ex votis male eligentium, ita ut, quamvis scrutinium publicatum sit, poenam tamen hanc non incurrant, sed ad aliud scrutinium procedere possint, cum verba poenalia non loquantur de solo scrutinio indigni, sed de electione indigni, ut constat etiam ex *cit. cap. Perpetuo*, 7. *h. t. in* 6. possunt tamen, si velint, qui soli habiles sunt in tali casu eligendi praelati, etiam illos ad coëligendum admittere, qui propter indigni electionem pro illa vice privati sunt iure eligendi, ut notat *Gloss.* in *c. Cum Vintoniensis*, 25. *v. Admiserant, h. t.* Cum privatio talis fiat in favorem digne eligentium, cui cedere possunt. Sive tamen ad hanc secundam electionem gratiose admissi fuerint, qui propter indigni electionem pro ea vice iure eligendi privati fuerunt, sive exclusi fuerint, ad tertiam tamen electionem, si tertia facienda est, eo quod secunda effectum suum sortita non fuerit, admitti debent, ut pontifex decidit *in cit. c. Cum Vintoniensis*, 25. *h. t.* cum isti suspensi non sint ab officiis, quorum actus est electio, sed iure eligendi tantum sint privati pro una vice.

§. VIII. *De electione a capitulo facta in discordia, concurrente postulatione; facta partim de persona digna, partim de indigna.*

Si postulatio, et electio concurrant in discordia, ita ut aliqui capitularium v. gr. eligant, alii postulent aliquem, ut admitti possit postulatio facta de digno, reiecta electione, requiritur, ut duae partes postulantium in postulandum consentiant, prout superiore *tit.* §. 4. iam dictum, et habetur in *c. Scriptum*, 40. *h. t.* si vero indignum postulaverint duae partes, quem ignorabant tamen indignum, eligentium vero tertia pars, vel minor etiam dignum elegerint, reprobatur tam postulatio, quam electio, illa quidem,

quia facta est de indigno; haec vero quia minor pars capituli in eam consensit; cum enim in tali casu, quo indignum quidem, ignorantes tamen, postulaverunt duae partes capitularium, privatae hae non sint iure suo eligendi, consequenter a tertia parte electus, non est a maiore parte capituli, ius eligendi habentis, electus, ergo nulla est talis electio.

§. IX. *Ad quos pertineat potestas eligendi, si capitulares inhabilem, sive postulandum, sine licentia, ac dispensatione superioris, ad administrationem receperint?*

Resp. Pertinere ad eos capitulares, quamvis pauciores sint, qui non consenserunt, ut postulatus, ante admissionem postulationis ad administrationem aliquam admitteretur: si vero omnes in eo admittendo consenserunt, et deliquerunt, ad superiorem, ad quem postulati admissio pertinet, devolvitur ius providendi tali ecclesiae *c. Bonae*, 23. *h. t.* cum enim illi, qui talem admittunt ad administrationem ante postulationis admissionem, pro ea vice privati sint iure eligendi, consequenter dicto modo fit devolutio; vide quae in pari casu dicta sunt §. 7.

SECTIO II.

De Electis, vel Eligendis ad praelaturas, et dignitates ecclesiasticas.

§. I. *De qualitatibus requisitis in eo, qui eligendus est in episcopum.*

Quatuor qualitates requiri in eo, qui promovendus est in episcopum ex *c. Cum in cunctis*, 7. *h. t.* patet, aetatis scilicet maturitas, morum honestas seu probitas, litterarum scientia, et ut sit legitimo matrimonio natus; si enim, ut pontifex in hoc capitulo loquitur, in promovendis ad quaevis officia ecclesiastica hae qualitates requirantur, multo magis in episcopo haec requiri debent; et quidem circa aetatem statuit in hoc ipso capitulo pontifex *iuxta Concil. Lateranensis decretum*, ut nemo in episcopum eligatur, nisi annum aetatis 30. compleverit. De scientia vero, quamvis pontifex asserat in *c. Nobis*, 19. *h. t.* desiderandam quidem eminentem, tolerandam tamen competentem, *ut muneris sui necessitati possit satisfacere*, ut dicit *Trident. sess.* 22. *c.* 2. *de Reform.* et ideo vult, ut talis eligendus vel *doctor* sit, aut *licentiatus in sacra Theologia*, vel *iure Canonico*, vel saltem *publico alicuius academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.* Qualis autem vitae, morumque probitas requiratur in eo, qui eligendus est in episcopum, describit *Sanctus Paulus ad Timoth. cap.* 3. *et ad Titum cap.* 1. Quod autem ex legitimo matrimonio natus esse debeat, qui in episcopum est eligendus, ex *cap. Innotuit*, 20. *h. t. patet*, et quamvis cum illegitime nato dispensatum iam fuisset, ut ad alias dignitates ecclesiasticas, episcopali inferiores, eligi posset, non tamen vi talis dispensationis eligi posset ad dignitatem episcopalem, aut hac maiorem, prout sumitur ex *cit. c. Cum Vintoniensis.*

§. II. *De qualitatibus requisitis, in promovendis ad dignitates episcopatu inferiores, et ad beneficia curata.*

Easdem quidem qualitates requiri, quae superiore §. referebantur ex

c. Cum in cunctis, patet, ita tamen, ut circa quasdam sit aliqua diversitas. Sic ad beneficia, quae curam animarum annexam habent, nemo assumendus dicitur, nisi 25. aetatis annum attigerit saltem, et ordinem sacrum ad beneficium tale requisitum saltem intra annum suscipiat, prout infra *in tit.* 14. dicetur: ad beneficium tamen parochiale ita haec aetas requiritur, ut si alicui eam non habenti, quamvis ad ordinem presbyteratus dispensatus sit, beneficium parochiale conferatur, collatio nulla sit, ut colligitur ex relato *c. Cum in cunctis*, §. *Inferiora*, et constat ex *c. Si eo tempore, de rescript. in* 6. et ex *c. Licet, canon.* 14. *h. t. in* 6. nisi accessorie tantum unita esset ecclesia parochialis dignitati alicui, aut canonicatui, quo in casu eadem aetas sufficit ad parochialem accessorie unitam, quae requiritur ad beneficium principale.

§. III. *Quaenam qualitates, sive conditiones requirantur, ut alicui commendari possit ecclesia parochialis?*

Si perpetuo alicui in commendam detur ecclesia parochialis, cum talis perpetua commenda aequiparetur beneficio, et vim, ac effectum habeat tituli, quamvis de iure Canonico nulla illius habeatur notitia, quia tamen usu et consuetudine introducta est, easdem etiam qualitates de se requirere videtur, quae requiruntur in beneficiato ecclesiae illius: si vero in commendam tantum temporalem ecclesia alicui committatur, ut curam illius habeat, dum idoneus rector instituatur, debet is esse actu sacerdos: sicuti autem perpetua commenda conferri non potest nisi a pontifice, ita talis temporalis (ordinarie ad sex menses) commenda conferri alicui ab episcopo potest de iure antiquo, de iure vero *Trident. sess.* 24. *c.* 18. *de Reformat.* non tam commendatarius temporalis, quam vicarius institui debet, cui ecclesiae talis cura incumbet, et congrua portio ex reditibus ecclesiae detur.

§. IV. *De illis, qui eligi prohibentur ad praelaturas, et dignitates ecclesiasticas.*

Generatim loquendo impediuntur aliqui ad praelaturas ecclesiasticas ob impedimentum naturale; aliqui ob crimen, seu defectum morum; alii ob aliud impedimentum canonicum. Natura ineligibiles sunt furiosi, vel fatui *arg. c. Venerabilem*, 34. *h. t.* vel qui vitio corporis laborant, ob quod suo munere, honeste, et decenter fungi non possunt; vel qui illegitime nati sunt; aut requisitam aetatem nondum obtinuerunt, cum valde periculosum sit, praeponere regimini aliorum, qui non noverunt gubernare se ipsos *c. Indecorum*, 3. *de aetate et qualitate.*

Ob crimen, et defectum morum eligi prohibentur, qui propter crimina sunt infames (his enim portas dignitatum in damnum ecclesiae non patere ex *c. Inter dilectos*, 11. *de Excess. praelat.* certum est) sive deinde iuris, sive facti infamia laborent, usque dum, si infamia iuris laborent (per iudicis scilicet sententiam de crimine condemnati quod ex iure secum trahit infamiam) per legitimi superioris dispensationem in integrum sint restituti: si vero infamia facti laborent, ita ut propter crimina sua publice nota pessime apud plerosque audiant, usque ad publicam, et constantem emendationem. Est autem criminosi infamis electio, si electus sit iuris infamia infamis, ipso

iure nulla (cum enim ipso iure hi tales acquisitis dignitatibus priventur, multo minus ad eas acquirendas de iure admittuntur); si vero facti infamia laboret, in foro externo irrita quidem est talis electio, ut a iudice cassari possit, in foro tamen conscientiae potest praelaturam, ad quam electus est, recipere et retinere, si nemo ipsi defunctum obiiciat, et speret quod intra breve tempus per constantem, et publicam emendationem sit infamiae notam aboliturus *argu. relati c. Inter dilectos.* In specie autem ob crimen eligi prohibentur sacrilegi, *argu. relati c. Venerabilem*, ambitiosi, qui scilicet in sui electionem absolute consentiunt ante capitulare electionis decretum formatum et publicatum, *c. Cum post petitam*, 46. *h. t.*, falsarii litterarum apostolicarum *c. Ad falsariorum*, 4. *de crimine falsi*, usurarii manifesti, et notorii, uti et publici aleatores, *c. Inter dilectos*, 11. *de excess. praelat.*, periurii *c. Quaerelam*, 10. *de iureiurand.*, simoniaci *c. Super eo*, 12. *h. t. et c. Maltaeus*, 23. *De simonia etc.*

§. V. *De iis qui eligi prohibentur ob contractas censuras, vel irregularitates, vel ob alias causas, et impedimenta.*

1. Eligi non possunt excommunicati excommunicatione maiore, quamvis tolerati sint, ad praelaturam ecclesiasticam, ita ut eorum electio sit irrita *c. Postulastis*, 7. *de cleric. excomm.* (cum enim excommunicatus tali excommunicatione sit omnis iuris ecclesiastici acquirendi incapax, consequenter etiam inhabilis est, ut ad praelaturam ecclesiasticam eligatur) et quamvis etiam electio, de excommunicato minore excommunicatione, scienter facta non teneat, vel saltem irritari possit, si tamen cum ignorantia probabili minoris excommunicationis electus est aliquis, tenet electio, uti ex alibi dicendis patebit.

2. Eligi non possunt suspensi, sive ab homine, sive a iure suspensi sint, sive suspensi sint ab officio tantum, sive tantum a beneficio, sive ab utroque: neque enim potest novum beneficium, aut novum ius ad beneficii fructus acquirere ille, qui ab exercitio, aut a iure percipiendi fructus sui beneficii, vel beneficiorum absolute suspensus est.

3. Nec interdicti personaliter eligi possunt, nec irregulares ex delicto aut defectu; nec schismatici, quamvis ex schismate ad unitatem ecclesiae reversi sint, nisi papa cum illis dispenset, aut ab interdicto absoluti sint, *c. ult. De clericis excom. c. Is qui* §. *iis vero, de sent. excomm. in* 6. et *c. Quia diligentia*, 5. *h. t.*

4. Qui semel electus est ad praelaturam, et ob vitium personae repulsus fuit, non potest iterum eligi (nondum plene curatus, aut emendatus, aut dispensatus) nec ad eandem, nec ad aliam praelaturam: si vero electio, aut nulla fuit, aut cassata fuit, non ob vitium personae, sed ob aliam quamcumque causam, ob modum v. gr. seu formam non servatam etc. tum iterum eligi potest ad eandem praelaturam, prout habetur in *c. Super eo*, 12. *h. t.* excepto casu simoniae de quo infra.

5. Ineligibilis etiam est ad praelaturam, qui plura beneficia incompatibilia electionis tempore absque dispensatione pontificia simul retinet *c. Dudum*, 54. *h. t.* ita ut eius electio ipso iure sit irrita, tamquam indigni, et vita ac

moribus improbi, quod etiam de iure novo iuxta *Extravagantem, Execrabilis Ioan. XXII. de praebend.* verum est.

§. VI. *An in episcopum, vel praelatum eligi possit extraneus, qui non est e corpore, seu collegio ecclesiae?*

Resp. Conveniens quidem esse, ut unus e gremio sive capitulo ecclesiae eligatur, si idoneus adsit, ita ut non possit invitis canonicis extraneus obtrudi; cum ecclesiae necessitatibus melius provisum videatur, si unus ex illius gremio eligatur, cui suae ecclesiae necessitates magis cognitae sunt: absolute tamen hoc necesse non est, cum possint canonici favori pro se introducto cedere, ut ait pontifex in *cap. Cum nobis,* 19. *h. t.*

SECTIO III.

De praeparatoriis ad Electionem, sive de illis, quae ad illam praecedere debent.

§. I. *Quaenam ante electionem praemittenda, et observanda sunt?*

Requiritur priusquam ad electionem deveniatur, ut ecclesia illa suo praesule viduata sit, sive ut vacet, non tantum de facto, sed de iure *c. Quia propter*, 42. *h. t.* ita ut vivente praelato, quamvis de vita illius iam conclamatum sit, nihil collegialiter tractare possint capitulares quod ad futuram electionem necessarium est, prout sumitur ex *c. Bonae*, 36. *h. t.* et non tantum talis tractatus, ante mortem episcopi factus, ipso iure nullus sit, ob defectum potestatis in capitularibus, sed etiam electio, vi talis tractatus ante mortem habiti, post mortem consequens, annullari, et cassari debeat, ceu facta contra iuris dispositionem: et quamvis decens non sit, ut de electione successoris tractetur a capitularibus collegialiter, ante sepulturam praelati defuncti, iuxta relat. *c. Bonae*, absolute tamen hoc fieri potest, cum ecclesia absolute vacet; et si necessitas urgeat, licite etiam fieri potest.

§. II. *De vocandis Capitularibus ad electionem.*

Vocandi sunt, cum electio fuerit celebranda, omnes absentes, ut compareant, et sint praesentes, sive ex communi iure, sive ex speciali privilegio, sive ex consuetudine, aut alio titulo ius eligendi habeant, *c. Quia propter*, 42. *h. t.* nisi notorie impediti, aut prohibiti sint, et sic ab eligendo excludantur; sicuti enim non excludi debet, qui ius habet ad eligendum, sic frustra vocaretur, qui notorie impeditus, aut prohibitus est: et hinc vocari non debent, qui vel ob defectum ordinis, vel ob defectum aetatis eligere non possunt *c. Ex eo*, 32. *h. t. in* 6. neque etiam vocari debent, qui ob delictum privati sunt iure eligendi, vel qui notorie excommunicatione maiore ligati sunt, vel suspensi, vel interdicti, vel irregulares, aut ex alio capite ad eligendum inhabiles; neque denique vocari debent, qui ita a loco electionis faciendae absunt, ut sine periculo vocari, exspectari, aut venire non possint, *c. Sicut*, 28. *iuncta Gloss. v. Sine periculo h. t.* aut ita remote distant, ut intra tempus a iure praefixum, aut legitime iuxta loci consuetudinem praefigendum, commode accedere non possint, *c. Cum inter*, 18. *h. t.* aut nescitur, ubi morentur; rectissime tamen circa hanc absentium

vocationem, ecclesiae illius, de cuius praelato eligendo agitur, consuetudo attenditur, cum ipsa etiam iura diversimode de his vocandis loquantur, attendendo scilicet diversarum ecclesiarum diversas consuetudines, et concedant etiam ob ecclesiae necessitatem, aut utilitatem, tempus a iure definitum ad electionem faciendam, prorogari, *argum. c. Ne pro defectu,* 41. *h. t.* ita ut capitulares praesentes, qui longius absentes vocaverunt, praefigendo illis terminum, intra quem adesse debeant, non possint illis absentibus procedere ad electionem, ante terminum praefixum elapsum, si sine praeiudicio ecclesiae hoc fieri possit. Nullus tamen, quamvis vocatus sit, tenetur electioni adesse, cum quilibet favori pro se introducto cedere possit, et quamvis aliqui coepto iam de electione tractatu, sine causa discedant, valebit tamen electio a praesentibus facta, illis etiam non revocatis, cum semel illos vocatos fuisse sufficiat, et per talem sine causa factum discessum iuri suo renunciasse videantur, *c. Cum nobis,* 19. *h. t.* nisi aliud circa haec statuta talis ecclesiae consuetudo, aut illius necessitas iubeat.

§. III. *De electoribus contemptis, seu non vocatis ad electionem.*

Contempti censentur illi electores, qui, cum vocari potuissent, et debuissent, vocati tamen ad electionem non sunt; vel certe tam tempestive vocati non sunt, ut commode ad electionem venire potuerint; et quamvis aliqui putent, etiam illos contemptos haberi debere, et posse, qui vocati quidem sunt, ut tractatui de statuendo electionis die intersint, adesse tamen huic tractatui noluerunt, postmodum tamen statuto electionis die vocati ad electionem amplius non sunt: rectius tamen putant alii, hos de contemptu agere non posse, si diem electionis futurae aliunde resciverunt, vel absolute responderunt, nolle se, vel non posse huic electioni adesse, cum in hoc casu satis favori suo renunciaverint, ut ait *Gloss. in cap. Ecclesia,* 57. *v. Vocato h. t.* in priore vero casu, iuxta *regulam* 31. *in* 6. certiorari ulterius non debeat, qui certus iam est.

In casu tamen, quo aliqui dicto modo contempti fuerunt, electio quidem facta, casu quo duae partes eorum, qui potuerunt, et voluerunt, electioni adfuerint, ac alia observata fuerint, velut de iure valida subsistit, quia duae partes tales collegii, seu universitatis, totius collegii vicem exhibent iuxta *Gloss. in l. Nulli,* 3. *v. Duae partes, ff. quod cuius, univers. nom.* possunt tamen contempti agere, etiamsi unicus tantum sit, ad rescindendam superioris auctoritate electionem talem, se contemptis peractam, ob iniuriam scilicet illis factam, prout expressum habetur in *c. Quod sicut,* 28. *h. t.* *iuncta Gloss. v. Consentire*, quamvis electus ille confirmatus, immo consecratus iam esset, nisi post cognitam electionem, se contemptis factam, ob bonum pacis, in eam postmodum consenserunt, et sic iuri suo, et favori pro se introducto cesserunt. Immo si ius eligendi alicui competat, non tantum ratione canonicatus, quem habet, sed ratione dignitatis, potest etiam successor in dignitate de contemptu agere, ut tradit recepta *Gloss. v. Consentire*, cum iniuria, quae illata est dignitati, non exspiret cum eo, qui dignitatem habet, *c. Si gratiose*, 5. *de rescrip. in* 6. Quod si tamen capitularis absens, et nunquam citatus, aliunde resciat diem electioni praefixum,

probabile est, quod de contemptu agere non possit ad rescindendam electionem; neque enim scienti denuntiatio facienda est iuxta *Reg.* 31. *in* 6. si ea fieri tantum debeat, ad notitiam rei habendam, sicuti fieri debet in casu electionis.

§. IV. *An elector absens procuratorem constituere possit, qui suo nomine, et loco eligat, vel per litteras suum votum, seu suffragium dare possit?*

Resp. 1. Posse Procuratorem constituere, qui sit de gremio capituli, si capitularis absens quidem sit, sit tamen in loco, unde vocari debeat, tam tempore vocationis, quam tempore electionis, et iusto impedimento detineatur, ob quod ad electionem venire non possit, de quo, si opus fuerit, sive si requiratur, fidem faciat iuramento, uti pontifex statuit in *c. Quia propter,* 42. *h. t.* §. *Illud autem.* Quamvis enim ordinarie per procuratorem quemcunque in aliis negotiis agere quis possit, speciale tamen hoc est in casu electionis, ubi videtur electa industria personae eligentis, et maior cautela necessaria censetur; et hinc possunt quidem iuramentum de impedimento legitimo electores remittere, cum potissimum sit in favorem eorum introductum, et ob hanc etiam rationem extraneum admittere, ut procuratorio nomine loco absentis legitimi capitularis eligere possit; requiritur tamen, ut omnes capitulares praesentes unanimi consensu, et nemine contradicente, procuratori iuramentum, aut probationem impedimenti remittant, aut extraneum admittant *argum. c. Scriptum*, 40. *h. t.*

Quod si vero absens ob legitimum impedimentum ab electione, procuratorem constituere velit, potest vel unum tantum de gremio capituli, vel plures etiam constituere, prout ipsi expresse conceditur, in relato *c. Quia propter.* Ita tamen ut singulis in solidum committat potestatem suo loco eligendi, ut scilicet unus sine altero eligere possit, et uno impedito, aut recusante, alter vices suppleat, et inter hos detur locus praeventioni, nisi ex mandato procuratorio ille admittendus videatur, qui priore loco nominatus est: qui duo quidem vota habebit, unum ex proprio nomine, tanquam capitularis illius ecclesiae; alterum nomine procuratorio, illius scilicet nomine, cuius procuratorem agit; in casu tamen, quo cum mandato generali tantum constitutus est, non potest in scrutinio alium suo nomine, et alium illius nomine, cuius procuratorem agit, nominare, prout expresse statuit pontifex in *c. Si quis*, 46. *h. t. in* 6. nisi de speciali persona eligenda speciale mandatum habeat: sicuti enim in casu generalis tantum mandati constituti procuratoris industriae relinquitur, quaenam persona digna videatur, ut eligatur, non possit autem idem ipse iam hunc, iam alterum digniorem altero iudicare, consequenter in casu talis generalis mandati ad eligendum, non potest alium suo nomine, alium procuratorio nomine nominare, sicuti potest in casu specialis mandati ad specialem personam procuratorio nomine nominandam.

Resp. 2. Casu quo nullius ex gremio in se suscipere velit procuratoris officium, in ordine ad eligendum, absentis nomine, neque capitulum velit extraneum admittere, non potest absens capitularis per litteras suum suf-

fragium, et votum submittere, si accurate servari debeat in tali electione forma scrutinii in relat. *c. Quia propter* praescripti, uti patet ex *cit. c. Si quis;* cum enim iuxta *c. Quia propter*, non ante scrutinium, sed in hoc secreto, et sigillatim suffragia ferenda sint, consequenter nullum est suffragium, quod ante scrutinium scriptum est; nisi per conspirationem, et fraudem nullius procuratoris in se munus suscipere velit, quo in casu impeditus capitularis, qui legitime procuratorem constituere vult, postest de iniuria, et contemptu agere, ac petere rescissionem electionis *argu. c. Cum dilectus*, 32. *h. t.*

§. V. *De expensis faciendis pro funere praelati defuncti, et electione successoris.*

Pro exequiis, et funere defuncti ordinarii, et moderati sumptus, pro famuiis etiam, et officialibus defuncti etc. debent praestari ex reditibus ecclesiae vacantis, seu ad mensam episcopalem spectantibus; et si hi non sufficiant, debet etiam capitulum ex reditibus suae mensae, subsidium afferre, cum non tantum ecclesiae, sed ipsius etiam capituli intersit, honorifica praelati sepultura. Expensas autem in electionem successoris necessario faciendas, ecclesia vacans omnes subministrare debet, non tantum, quae fieri debent in nuntiis mittendis ad convocandos absentes capitulares, in notarios, iurisperitos necessarios etc. sed illa etiam, quae fieri debent ad petendam confirmationem etc. *c. Ut praeteritae*, 45. *h. t.* cum haec omnia fiant principaliter in bonum ecclesiae. Quod si vero electio oppugnetur, quis expensas suggerere debeat opponentibus, aut prosequentibus eam, ex diversis iuribus desumi debet: si enim maior pars capitularium, electionem factam contra minorem partem opponentem prosequatur, expensas subministrare debent prosequenti parti praelaturae bona, dummodo bona fide agat, (quia habet praesumptionem pro se) sive vincat, sive succumbat: minor vero pars, si prosequatur electionem contra maiorem partem, aut opponat se contra electionem a maiore parte factam, expensas ad hanc litem necessarias ipsa facere debet, et si non vincat, repetere non potest ab ecclesia, cum non praesumatur in utilitatem ecclesiae egisse: quod longe verius est, si unus tantum contra reliquos in electione concordes agat, et succumbat, vel si ipse electus contra maiorem capituli partem se opponat, sui electionem defensurus, et succumbat, cum in talibus casibus potius praesumatur suum negotium tales agere, quam negotium ecclesiae.

§. VI. *De administratore constituto, sede vacante, eiusque potestate, et ad quem spectent fructus, seu reditus praelaturae vacantis.*

Resp. 1. De iure communi quidem et ordinario, vacante sede, ad capitulum spectat administratio, *c. His quae*, 11. *et c. Cum olim*, 14. *de maiorit. et obed.* saepe tamen alius a capitulo constitui solet, tam in spiritualibus, quam in temporalibus administrator, cui tamen, quamvis cum plena et libera potestate constitutus sit, non competit collatio beneficiorum, ad solum episcopum pertinens, nisi a pontifice ille datus sit *c. Is cui*, 42. *h. l. in* 6. *iuncta Gloss. v. Soli*, aut alienatio bonorum immobilium ecclesiae,

quae, nec adhibita etiam solemnitate, administratori a papa etiam constituto, in *relat. c. Is cui*, conceditur.

Resp. 2. De reditibus sive fructibus ecclesiae vacantis nihil sibi usurpare, aut occupare posse capitulares, sub poena suspensionis ab officio, et quibuscunque beneficiis, usque ad plenam omnium occupatorum restitutionem, *c. Quia saepe*, 40. *h. t. in* 6. cum enim bona talia ad praelaturam pertineant, et capitulum illa debeat gratis administrare, sicuti tutor pupilli bona; consequenter, vel in utilitatem ecclesiae expendenda sunt, vel futuro successori per administratorem reservari debent; quam constitutionem extendit *Clement. statut.* 7. *h. t.* ad omne emolumentum proveniens ex iurisdictione, et ex sigillo Curiae episcopalis, aut quovis alio titulo (ut ne scilicet capitulares ansam arripiant differendi electionem) nisi certis dignitatibus vacante sede, iurisdictio ex consuetudine, privilegio, vel alio iure speciali competat, ut emolumenta etiam inde provenientia participare possint. Immo laici, qui regalia, ius advocatiae, vel custodiae in bonis ecclesiasticis sibi de novo vendicant, et ex hoc titulo bona vacantis ecclesiae usurpare praesumunt, excommunicantur in *c. Generali*, 13. *h. t. in* 6. uti et clerici, qui, id ut fiat, positive procurant; quam tamen excommunicationem non incurrunt illi, qui sub titulo quidem regaliorum, custodiae, vel advocatiae, ex fundatione tamen, aut ex antiqua, et praescripta (saltem immemoriali) consuetudine sibi competente, administrant ecclesiam (saltem in temporalibus) et fructus (modicos) vacantis ecclesiae percipiunt.

SECTIO IV.

De forma Electionis, sive variis modis eligendi.

Ex *c. Quia propter*, 42. *h. t.* habetur, quod certae quaedam solemnitates ad electionem requirantur, quarum aliquae sunt accidentales tantum, quae omissae non faciunt irritam electionem, uti sunt Missa de Spiritu sancto in die electionis; communio eligentium; pulsus campanae ante horam electionis ad capitulum convocandum; invocatio Spiritus sancti per illius hymnum recitatum; protestatio ab aliquo totius capituli nomine facta, contra eos, qui ius suffragii non habent; absolutio ab omnibus censuris, in ordine ad effectum electionis, ab eo facta, qui ius tale absolvendi habet; tractatus in quo plures capitulo proponuntur, et nominantur digni ad electionem etc. aliae sunt substantiales, necessariae ad formam, quae adhibetur, et sine quibus nulla est electio: potest autem fieri electio, vel per scrutinium, vel per viam compromissi, vel per viam inspirationis: de hac posteriore forma nulla amplius fit mentio, cum illa fiat sine tractatu praecedente, ex concordi electorum suffragio, in unum consentientium, dictante utique Spiritu sancto. De aliis duabus formis plura requiruntur, et primo quidem de forma scrutinii, quae plures partiales actus continet, ipsum scilicet scrutinium, seu secretam suffragiorum collectionem per scrutatores a capitulo electos factam; scrutinii deinde publicationem; suffragiorum collationem, et denique decretum capitularis, seu communis electionis, eiusque promulgationem.

§. I. *De scrutatoribus constituendis in Electione, quae fit per formam scrutinii, et de modo, quo scrutinium fieri debet.*

Resp. 1. Pontifex in relat. *c. Quia propter*, primo electoribus omnibus, qui volunt et possunt electioni adesse collegialiter congregatis, tres e collegio, fide dignos, assumendos scrutatores; et quamvis pauciores (praesertim ubi capitulum numerosum non est) et extranei etiam assumi possint, ut advertit etiam *Gloss. v. Sanior, et v. Viris*, dummodo extranei non sint laici, prout etiam in pluribus ecclesiis Germaniae usu receptum est; tutius tamen est, ad omnem contradictionem contra electionem praecavendam, ut exacte observetur relati *c. Quia propter* constitutio circa scrutatores ex gremio capituli assumendos, fidelius ex praesumptione non vana suae ecclesiae commodum procuratores, quam extranei; valebit tamen scrutinium, quod illorum aliqui, quibus ius eligendi competit, inchoant, si nemo praesentium contradicat, quamvis expresse nominati non sint (cum taciturnitas in tali casu favorabili pro consensu habeatur) ita tamen ut capitulo semper ius remaneat, non tantum hos, sed etiam expresse constitutos, ex causa etiam re non amplius integra revocandi.

Resp. 2. Pontifex in relat. *c. Quia propter*, scrutinium debere fieri *secreto*, et *sigillatim*, *diligenter*, et *ordinate*. *Secreto* quidem, ut singuli electores viva voce coram scrutatoribus proferant, quem eligunt, et aliquis scrutatorum scribat nomen electi (ita tamen ut secreto huic non obsit, tabellionem etiam, et testes, quamvis laici sint, ad tollendam omnem fraudis suspicionem adhibere) vel ut in schedula votum suum scribant eligentes, et scriptum, ac clausum deferant, vel dent scrutatoribus. *Sigillatim* fieri censetur, ut singuli, nemine, qui ius eligendi habet, et electioni huic potest et vult adesse, praetermisso, taliter secreto exquirantur, ut nullus coëligentium de alterius voto notitiam habeat, quo maior scilicet in votis dandis sit libertas, si nemini coëligentium constet de alterius voto. *Diligenter* autem fieri censendum est, si exquirantur etiam electores, ob quae merita, et quo zelo hunc prae alio nominent, et quae sint qualitates nominati, cum in tali electione non sufficiat pura tantum conscientia, sed rationis etiam iudicium. *Ordinate* tandem fieri censetur, ut ordo servetur inter scrutandos, ut primum votum primo exquiratur ab eo, qui toti capitulo praeest; deinde a se ipsis mutuo suffragia exquirant scrutatores, si tamen ipsis ius eligendi competit, et denique ab aliis capitularibus, prout praerogativa, aût recepta consuetudo postulat: quae etiam attendi debet in exquirendis eorum votis, qui quidem in eadem civitate fortassis existunt, ob infirmitatem tamen v. gr. loco electionis interesse non possunt, et per se tamen volunt suffragium suum dare, ita ut horum suffragium missi ex capitulo scrutatores ab illis requirere, et excipere debeant, ac statim ad capituli locum redeant: et quamvis scrutinium fieri debeat ita continuato actu, ut nulla alia actione extranea interrumpi debeat, si tamen multitudo eligentium non patiatur, ut eodem die, omnes eligendi facultatem habentes exquirantur, potest illius continuatio in alterum diem differri, cum et sic moraliter adhuc continuum habeatur tale scrutinium. Vult etiam pontifex in *c.* 2. *h. t. in* 6., ut electorum

suffragia sint pura, absoluta, et certa, ita ut alternativa (*eligo Titium vel Caium*), conditionata (*eligo Caium, si eum etiam decanus elegerit*), et incerta vota (*eligo eum, in quem decanus consentit*) sint absolute nulla, et pro non datis habeantur; non quidem quasi iure eligendi privati essent, qui talia vota dederunt, cum possint, saltem ante publicationem scrutinii, errorem hunc in voto alternativo, conditionato, aut incerto dando commissum emendare, qui ita erraverunt, sed quod talium votorum, si non corrigantur, nulla ratio sit habenda.

§. II. *De publicatione Scrutinii.*

Peracto scrutinio, ubi omnium vota collecta fuerunt, et in scriptum redacta, mox, unoque contextu, seu nullo alio actu extraneo interposito, facienda est eorum publicatio (sine qua nulla esset electio) coram omnibus a scrutatoribus, vel ab uno eorum, aliorum nomine, aut quocunque alio a capitulo vel a recepta consuetudine ad hanc publicationem faciendam substituto, non quidem quasi nomina eorum, qui vota dederunt, publicari debent, sed ut appareat, quis, vel quinam nominati fuerint, ut habetur in *relat. c. Quia propter.*

Effectus autem huius publicationis est, ut ea facta, electores variare nequeant, datum suffragium revocando, et alteri novum dando, quia post publicationem hanc factam iam censentur plene suo functi officio, a iure ipsis concesso, ita ut, quae subsequuntur, necessario subsequantur, ad quae cogi etiam possint capitulares per superiorem, cuius est factam electionem confirmare, si morari vellent, *c. Publicato*, 58. *h. t.* et nulla sit electio, si post scrutinium moram trahant capitulares, et ad electionem faciendam devenire morentur, *c. Cum post*, 46. *h. t.* ita ut si dolose, et in fraudem canonis morentur, compelli debeant etiam post moram ad electionem faciendam capitulares, quae in tali casu valida erit, quamvis post moram notabilem facta, cum negotium electionis per scrutinium, et huius publicationem coeptum perfici debeat, ut habet *Glossa in relat. c. Publicato, v. Compellantur.*

Haec tamen, quae de non facienda variatione post publicatum scrutinium dicta sunt, intelligi debent. 1. Si non contra formam iuris peccatum sit, neque petat contemptus unus scrutinium irritari. 2. Nisi facta publicatione appareat, quod communis electio ex tali scrutinio fieri non possit, cum maior et sanior pars capituli in unum aliquem non consenserit; vel nisi appareat, indignum fuisse nominatum, qui eligi non possit; vel iuri suo renuntiaverit nominatus in scrutinio, cum in talibus casibus per variationem nemini fiat praeiudicium.

§. III. *De collatione suffragiorum.*

Ex relat. *c. Quia propter*, ulterius habetur, quod post publicatum scrutinium, statim debeat fieri suffragiorum collatio, vel ab ipsis scrutatoribus, si tacite vel expresse ad hanc ipsam collationem faciendam a capitularibus approbentur; vel ab aliis ex consuetudine recepta, aut mandato capitularium deputatis, ut appareat, quis a maiore, et saniore parte capituli nominatus sit, ita ut hac omissa collatione nulla sit electio, *c. Cumana*, 50. *h. t.*

facienda autem est collatio tum numeri ad numerum, tum zeli ad zelum, tum etiam meriti ad meritum, ut constat ex *c. in Genesi*, 55. *h. t.* Censetur autem numeri ad numerum facta collatio, si attendatur, in quem maior pars capituli praesentis consenserit; zeli vero ad zelum collatio tum fieri censetur, si ad ipsorum eligentium intentiones, et motiva, quae exposuerunt, et ex quibus ad hunc aliis praeferendum moti fuerunt, attendatur; qui zelus etiam sub nomine sanioris partis capituli venit, ita tamen ut haec maioris zeli collatio saepius praesumatur in electionibus ex solo maiore numero capituli in unum consentientis, et semper omittatur haec collatio zeli ad zelum, uti etiam meriti ad meritum, quis prae altero scilicet mereatur dignitatem illam, ad quam fit electio, si duae partes praesentis capituli in unum aliquem consenserunt, uti colligitur ex *c. Si quando*, 9. *h. t. in* 6. vel si per privatas schedas fit scrutinium, quo in casu pro probitate eligentium, iuramento saepius ad dignissimum eligendum adstrictorum praesumitur *Clement.* 1. §. *Demum de V. S.* et si nullum dubium super habito scrutinio, aut qualitatibus nominati, etc. moveatur, sufficiat saepe generalis aliqua collatio.

§. IV. *De Electione communi, seu capitulari, et solemni.*

Collatione facta, si appareat, in quem maior, et sanior pars capituli consenserit, et dignus hic sit, ac habilis, fieri debet statim, eodemque contextu, antequam ad alia extranea divertatur, nisi necessitas aliud iubeat, decretum electionis; et omnium nomine ab uno, qui praeest v. gr. capitulo, vel alio quocunque iuxta loci consuetudinem, aut capitularium voluntatem, publice promulgari, quis sit electus, uti iterum ex relat. *c. Quia propter*, habetur; forma autem decreti huius, et huius publicationis communiter haec est: *Ego N. nomine meo, et omnium eligentium, mihique consentientium, invocata gratia s. Spiritus, in episcopum, vel abbatem huius ecclesiae N. eligo et electum pronuntio, et coram vobis publico, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen.* Et hinc clandestinae electiones, quae non publicantur in capitulo, aut quae fiunt clamculum in locis, seu conventiculis occultis, reprobantur in relato *c. in Genesi*, et in *c. Ecclesia*, 48. *h. t.* quae sine verbali promulgatione facta fuit, vel deportatione v. gr. ad aram, etc. si tamen sint electiones praelatorum ecclesiasticorum, in quibus observari debet forma *c. Quia propter.*

§. V. *De electione facienda a maiore, et saniore parte capituli.*

Resp. 1. A minore capituli parte facta electio, quae iure naturali etiam irrita est, non potest convalescere, per accessionem votorum, si ea ab aliis fiat post decretum electionis communis factum, et solemniter promulgatum (ut patet ex *c. Auditis*, 29. *h. t. quod* enim *initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere*, iuxta *reg. iuris* 29. *ff. de reg. iuris*); si tamen talis accessio fiat post promulgatum quidem scrutinium, nondum tamen facto, aut promulgato electionis capitularis decreto, eo quod ex scrutinio illo nulla capitularis electio fieri possit, valida erit electio, si maior pars capituli in unum aliquem taliter consentiat. Censetur autem maior pars

capituli in unum consentire, non quidem, si plures capitulares tantum sint pro aliquo, et pro aliis sint pauciores, sed pro quo stat maior pars capituli praesentis, ita ut plus quam dimidia pars praesentium, et volentium eligere, in unum aliquem consenserint, modo duae partes eorum, qui volunt, et possunt adesse, praesentes sint, prout patet ex relat. *c. Ecclesia*, 48. *h. t.*

Resp. 2. Requiri quidem ad validam electionem copulative, ut a maiore (quoad numerum), et saniore (quoad auctoritatem et zelum eligentium, ac electi meritum) parte electio fiat, ita ut a maiore quidem parte facta electio, non tamen a saniore, et vicissim, nulla sit, prout constat ex *c. Ecclesia*, 57. *h. t.* saepius tamen, ut supra dictum, sanior pars non tam in examen adducitur, quam ex maiore capituli numero pro una parte praesumitur, ita tamen, ut contra hanc praesumptionem admittatur in contrarium probatio; et si in discordia duae v. g. electiones factae sint, ita ut pro una parte stet maior numerus capituli, pro altera parte sanior, si duplo maior sit pro una parte eligentium numerus, electio talis valida sit, modo electus sit habilis; si vero non sit numerus multum excedens saniorem partem, neutrius electio valida sit, sed novum scrutinium sit faciendum, uti habetur in *c. Si quandoque h. t. in* 6.

Sicuti tamen supra iam animadversum fuit, observanda haec, si iuxta *c. Quia propter* per scrutinii formam in illo capitulo descriptam facienda est electio, quae tantum adhibenda est in electionibus episcoporum, et praelatorum regularium, qui in multis aequiparantur episcopis, et ex quorum morte non minus suo sponso viduata ecclesia regularis dicitur, quam ex morte episcopi ecclesia cathedralis; ita etiam hic adverti debet, quod saepius in ecclesiis etiam talibus haec forma non observetur, ubi receptissima a tempore immemoriali consuetudo, aut speciale privilegium, aliam iam eligendi formam introduxit, aut exiguus numerus eligentium aliud iubet, ut supra iam dictum.

§. VI. VII. et VIII. *De forma Electionis per compromissum.*

Altera species electionis est, ut illa fiat per compromissum, quod tunc fieri censetur, quando illi, quibus ius eligendi competit, communi consensu facultatem eligendi praelatum in certas quasdam personas transferunt, qui compromissarii dicuntur, et nomine ac iure omnium, ecclesiae vacanti de pastore provident: quod compromissum ut valeat, debet fieri expresse consentientibus omnibus, qui ius suffragii habent, in tale compromissum, ita ut nemo dissentiat, uti habet etiam *Gloss. in c. Quia propter, v. Vice omnium:* quia *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*, iuxta *reg. iuris* 29. *in* 6. et taciturnitas in tali casu praeiudicante non habetur pro consensu. Et quamvis compromissarii debeant esse viri idonei, ut loquuntur iura, clerici non laici, cum huiusmodi iura spiritualia non cadant in laicos *c. Sacrosancta*, 51. *h. t.* nisi ex speciali commissione sedis apostolicae, non tamen debent necessario esse de gremio capituli *Gloss. in c. Quia propter v. Viris*, neque necesse est, ut fiat legitimum compromissum in plures, cum unus sufficiat, episcopus v. gr., respectu sibi subiecti capituli, uti sumitur ex *c. Causam*, 8. *h. t.* aut, ut fiat in numero impares, sed fieri etiam po-

test in numero pares, ut colligitur ex *c. Cum in veteri*, 52. *h. t.* (quamvis ad multa incommoda vitanda commodius illud sit) et a tali compromissario, vel a maiore numero talium compromissariorum electum admittere debent compromittentes, si dignus et idoneus est, cum electus a compromissariis, ab ipsis electus censeatur, quorum nomine compromissarii eligunt.

Potest autem duplici modo fieri electio per compromissum, absolute scilicet et limitate. Absolute, si sine ulla conditione addita potestas eligendi in compromissarios translata fuit; limitate vero, si cum restrictione aliqua certa ipsis data est potestas eligendi v. gr. uuum de gremio capituli, adhibito certorum consilio, exquisitis secreto et sigillatim aliorum capitularium voluntatibus etc. et quamvis sint, qui putent, modum hunc limitati compromissi hodie sublatum esse per *c. Quia propter*, ubi absoluti tantum compromissi fit mentio; rectius tamen putant alii, ad evitandam inutilem iurium correctionem, eum hodie adhuc valere posse, etiam cum inquisitione secreta singulorum capitularium; quamvis enim relat. *c. Quia propter* absoluti compromissi tantum mentionem faciat, mixtam tamen hanc ex scrutinio, et compromisso formam non improbat, prout declaravit pontifex in *c. Cum expediat*, 29. *h. t. in* 6. sicut autem electio non valet ex solo capitularium maiore numero respectu unius, cum alii minorem numerum tulerint, sed fieri debet a maiore parte capituli, ut dictum supra, ita electio per compromissum nulla est, si maior tantum numerus compromissariorum comparatione aliarum partium in unum aliquem convenerit, sed debet ea fieri, ut valida sit, maiore parte compromissariorum absolute in unum consentiente, cum alii compromissarii, si plures sint constituti, minorem partem faciant: et si factum fuit compromissum sub limitatione, ut eligant cum consilio aliorum quorundam determinatorum, debent compromissarii, ut valida sit eorum electio, consilium ab his petere circa eligendum, et congruo tempore exspectare, ac si intra illud tempus consilium dare velint, audire illud, ita tamen, ut non teneantur sequi *c. Cum veteri*, 52. *h. t.* nisi consilium accipiatur pro consensu.

Quando vero plures compromissarii constituti sunt, possunt illi non tantum unum ex se ipsis eligere, licet in compromisso hoc expressum non sit, modo non sit expresse prohibitum (cum ex eo, quod compromissarii sint, non debeant esse deterioris conditionis, quam si compromissarii non essent), sed potest etiam unus eorum, si prius eorum aliqui compromissarii eum elegerunt, consentiendo in se ipsum; et si aliorum votis accedendo, numerum ad electionem requisitum complere, modo suffragio suo accedente suffragiis aliorum, qui eum ante elegerunt, maiorem numerum eligentium constituat, prout sumitur ex *c. Cum in iure*, 33. *h. t.* ut ne ambitiosus videatur; quod de tali non dicitur, si aliorum tantum vobis cognitis et publicatis accedendo, numerum maiorem ad electionem requisitum praecise faciat, ad quam ambitionis notam cavendam, nec principaliter ipse sui electionem inchoare debet, sed votis tantum aliorum de se factis, et publicatis, accedere; nec dicere debet, eligo aut coëligo me ipsum, sed consentio electioni de me factae.

Cessat autem, et exspirat compromissum, si electio, aut postulatio a

compromissariis facta fuerit, quamvis suum effectum illa consecuta non fuerit, cum suo officio iam functi sint compromissarii, vel si tempus a compromittentibus praefixum compromissariis ad eligendum, elapsum iam sit, cum compromissum in tali casu ad certum tempus restrictum sit, vel si re adhuc integra (id est, si nondum ad substantialia in negotio compromissi processum sit, caepto v. gr. iam tractatu de eligendo) compromissum revocetur, quum revocationem facere posse compromittentes, non quidem re non amplius integra, sed re adhuc integra, ex *c. In causis*, 30. *h. t.* patet, quia re nondum incepta, nondum censetur in compromissariis radicata eligendi per compromissum facultas, nisi compromissum factum fuisset in gratiam, et favorem compromissariorum, quod cum factum sit per modum liberalis donationis, revocari amplius non potest, etiamsi res integra adhuc esset.

§. IX. *De devolutione potestatis eligendi, propter negligentiam, vel delictum Compromissariorum.*

Casu, quo compromissarii intra tempus a iure praefixum eligere per culpabilem negligentiam intermittant, devolvitur potestas eligendi non ad capitulum, quod compromissarios elegit, sed ad proximum capituli talis superiorem; si vero intra tempus a iure praefixum eligant quidem, eligant tamen indignum, sive scientes sive ignorantes hunc elegerint, redit potestas eligendi ad compromittentes; uti etiam in illo casu, quo electus per compromissarios renuit in eam sui electionem consentire: prout haec omnia in *c. Si compromissarius*, 37. *h. t. in* 6. deciduntur, tum quod negligentia compromissariorum ipsis in primo casu compromittentibus, qui debito modo compromissarios non urgebant, adscribi debet, et consequenter devolutio fieri debet in hoc casu iuxta communia iura; tum quod dolus commissarii in committendo consistendo obesse non debeat principali, si hic non est in culpa, prout in culpa non sunt compromittentes, si a compromissariis indignus eligatur, qui est secundus casus: tum quod denique compromissarii functi sint officio suo, dum pro illa vice eligebant, quod solum illis concessum fuit, quamvis sui electionem admittere non velit electus, qui tertius casus est relat. *c. Si compromissarius.*

§. X. *An, et quomodo electio praelati debeat fieri libere?*

Certum est, quod substantialiter ad canonicam electionem requiratur, ut libere illa facta sit ab eligentibus; et hinc nulla consuetudine introduci potest, ut fiat dependenter ab arbitrio alicuius tertii, quod necessario eligentes sequi debeant, uti habetur in *c. Cum tertia*, 14. *h. t.* cum nomen, et natura electionis importet, penes eligentes esse libertatem, unum aliquem ex pluribus propositis praeoptandi: nihil tamen huic libertati obest, si post electionem factam electus intimari debeat principi v. gr. vel patrono ecclesiae, non quidem, quasi ad validam electionem consensus illius requiratur, sed quod ut sic, si consensum suum in electum princeps talis, vel patronus dederit, certius et securius patrocinium illius, ac defensio electi sperari possit; et hinc consuetudo, huius consensus taliter etiam a laico requirendi, valida est, et saepe multum ecclesiae utilis.

§. XI. *De poena gravantis eos, qui recusant certam personam eligere, ad petitionem illius.*

Qui iniusto gravamine vexant clericos, aut alias personas ecclesiasticas ius habentes eligendi praelatum ecclesiasticum, quod eum non elegerint, pro quo eligendo rogati fuerant (spoliando v. gr. eos rebus suis, vel alia sibi de iure debita impediendo, auferendo etc. vel aliter persequendo, personas etiam sanguine illis coniunctas, usque ad quartum gradum), ant mandant taliter vexari, ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt, ut habetur in *c. Sciant cuncti*, 12. *h. t. in* 6. *iuncta Gloss. v. Alios, et v. Consanguineos.* Quam excommunicationem communiter AA. extendunt etiam ad eos, qui clericos, aut personas ecclesiasticas taliter iniuste vexant, quod non praesentent, postulent, instituant, aut confirment eum, pro quo rogati fuerunt, quamvis enim textus tantum loquatur de cogentibus iniuste eligentes, omnimoda tamen rationis identitas hanc constitutionem poenalem quidem, non tamen prorsus odiosam, sed favorabilem ecclesiae libertati, vult dicto modo extendi; non quidem ad eos, qui laicos dicto modo vexant, et cogunt, sed qui clericos, aut personas ecclesiasticas dicto modo vexant, aut cogunt, de quibus tantum in *relat. cap.* fit mentio.

SECTIO V.

De circumstantiis et accidentibus, comitantibus vel consequentibus Electionem.

§. I. *De loco, et tempore electionis, et poena non eligentium intra tempus a iure statutum.*

Electio fieri debet ab electoribus in uno loco simul congregatis *c. Cum terra*, 14. *h. t.* (cum sit actus collegialis) et quidem de die, ad multas frandes cavendas iuxta *Gloss. in cap. unicum. Ut eccl. benef. etc. v. Occulta;* et quamvis episcopi electio fieri deberet iuxta canonicas sanctiones in ecclesia cathedrali, sive intra illius ambitum, in choro ecclesiae, vel in capitulo, vel alio honesto conclavi, iuxta consuetudinem talis loci, si tamen capitulares ex iusta causa in tali loco in ordine ad electionem celebrandam convenire non possint, poterit ea celebrari etiam extra propriam ecclesiam, quo maior pars capitularium, vel si periculum sit in mora, quo minor etiam pars capitularium convenit, prout varia iura docent, et licet etiam propter solam maiorem commoditatem, extra propriam ecclesiam fieri possit valida electio, debent tamen in illo casu ad talem locum, electionis causa, convenire duae partes capitularium.

Ad tempus quod attinet, intra quod novi praelati fieri debet electio, statutum in *c. Ne pro defectu*, 41. *h. t.* ut ultra tres menses, a die cognitae vacationis computandos, non differatur episcoporum, aut praelatorum regularium, quorum morte viduatae censentur tales ecclesiae, electio, ne scilicet ex mora longiore patiatur ecclesia (statuente iure brevius tempus ad horum electionem, quam ad aliorum inferiorum electionem, aut praesentationem etc. ob periculum quod subesse potest, si longiore tempore tales ecclesiae vacant) ita tamen, ut neque cum hoc tempore ipsorum ius eligendi exspiret, si intra

illud eligere non potuerunt, et nullam negligentiam commiserunt; aut si electio effectum sortita non sit, quia electus v. gr. consentire noluit, vel iuri suo, postquam consensit, ante confirmationem tamen, renuntiavit etc. quibus in casibus ad novam electionem faciendam, trium iterum mensium spatium electoribus conceditur ad eligendum, modo nihil in fraudem factum sit a capitularibus, uti habetur in c. *Si electio*, 26. *h. t. in* 6. *iuncta glossa v. Fraudolenter*) et non tantum iure devolutionis, sed proprio iure potestas eligendi ad eos pertineat: hoc tamen tempus ita a iure concessum est eligentibus, ut ubi periculum in mora est, superior praelatus, cui capitulum tale subest, tempus constringere possit, quod pontifici etiam concessum est extra casum necessitatis, si velit ex plenitudine suae potestatis agere circa hanc, de iure quidem communi, determinatam materiam, ipsius tamen potestati absolute subiectam.

Quod si tamen per negligentiam, seu moram culpabilem non eligant, intra tempus a iure praescriptum, capitulares, sunt ipso iure privati, pro ea vice iure eligendi (ut puniantur in eo, in quo negligentes fuerunt) et providendi pro ea vice potestas ad eum superiorem immediate devolvitur, a quo eligendus confirmari deberet, uti sumitur ex c. *Cum dilectus*, 12. *de concessione praebendae*, et ex c. *cit. Ne pro defectu*, prout pluribus infra dicetur.

§. II. *De Electione intimanda electo, eiusque consensu requirendo, et exhibendo.*

Electione celebrata, debent electores, quam primum commode poterunt, electo electionem praesentare, eius consensum petere, quem hic etiam infra mensem, a tempore praesentationis, aut notitiae habitae de sui electione c. *Cupientes*, 16. *h. t. in* 6. computandum, praestare debet, si electionem acceptare velit, et sui iuris sit; ita ut si absque iusto impedimento diutius consensum distulerit, ipso facto privatus sit iure, quod illi ex electione competebat, prout statuitur in c. *Quam sit*, 6. *h. t. in* 6. tum et ne per diuturnam moram, et vacationem ecclesia patiatur; tum ut ipsi electo commodum etiam tempus conveniat, dispiciendi, num electionem acceptare velit. Quod si tamen electus sui iuris non sit, quod fieret, si regularis v. gr. eligeretur in episcopum, vel praelatum extraneae ecclesiae, licentia ab eius superiore ab electoribus, qua fieri potest celeritate, peti, ac obtineri prius debet, quam mensis ad deliberandum de iure concessus, ipsis currere incipiat, tum ut ne superiori eius invito hic subtrahatur, tum ut ipsi religioso etiam consultum sit, per tempus competens, ad deliberandum post obtentam licentiam.

SECTIO VI.

De appellatione, et oppositione contra Electionem.

§. I. *An, et a quibus contra Electionem appellari, sive ea impugnari possit, et an electio post appellationem facta sit valida?*

Quamvis quilibet clericus pro ecclesia, cuius membrum est, contra factam illi provisionem per electionem, opponere se possit, et contra electionem factam, aut faciendam ad superiorem appellare, uti colligitur ex cap. *Cum*

inter, 21. *h. t.* ipsi tamen electores, qui suffragium electo dederunt, postquam est promulgata electio, admittendi, vel audiendi non sunt, si electionem, quasi canonice facta non sit, oppugnare velint *c. Nulli*, *h. t. in* 6. (neque enim quod semel approbavit aliquis, reprobare potest contra proprium factum agendo, ut vult *regul.*21. *in* 6.) nisi post electionem factam causa iusta impugnationis de novo evenerit, aut ignorata prius fuerit iusta impugnationis causa, dummodo electores impugnaturi iuramento postmodum probent, tempore electionis sibi cognitam non fuisse causam talem: neque ille, qui renuntiavit electioni de se factae, potest appellare ad impediendam novam alterius praelati electionem *cap. Cum inter*, 16. *h. t.* cum huius nihil intersit, novus eligatur, an non eligatur praelatus. Quod si tamen legitime contra electionem faciendam appellatum sit, simpliciter inhibendo, ne electio fiat, aut ne in ea procedatur, non debet quidem ulterius in electione procedi, donec superioris de appellatione iudicium habeatur, nisi appellatio manifeste inanis, et frivola sit; electio tamen (caeteris paribus) non obstante appellatione valida est, donec superior cognoscat appellationem legitimam fuisse, et contra electionem pronuntiet *cap. Consideravimus*, *h. t.* quia per talem appellationem, seu inhibitionem nulla inducitur suspensio, vi cuius capitulares ad eligendum essent inhabiles.

§. II. *Quae requirantur, ut in electionibus episcoporum, iisque superiorum, appellari possit ad sedem apostolicam?*

1. Requiritur in talibus appellationibus ut eae fiant in scriptis, et causa rationabilis inseratur in ipsa appellatione, ne malitiose et cum damno ecclesiarum lites protrahantur, dum tardius ecclesiae de praelato providetur. 2. Requiritur, ut appareant partes coram papa ad terminum praefixum, quamvis inferior tantum iudex, aut praelatus terminum talem praefixerit, cum hoc huic liceat, neque ut sic se immisceat causis ad summum pontificem delatis. 3. Potest tamen, qui appellavit in causa electionis renuntiare appellationi factae, et ab ea recedere, priusquam pontifici ea praesentata fuit: quo tamen in casu diligenter inquirendum est a iudicibus inferioribus, ad quos causae cognitio pertinuisset, si appellatio interposita non fuisset, an in renuntiatione tali simoniaca pravitas non intervenerit, ut, si talis intervenit, causa tota (ecclesiae noxia) ad pontificem referatur: quae omnia statuit pontifex in *c. Quamvis*, 10. *h. t. in* 6. ita ut in eos, qui haec non observant, certa etiam poena decernatur in *c. Provide*, 44. *h. t. in* 6.

§. III. *Quaenam iure Canonico statuta sunt ad moderandas oppositiones, et appellationes, in causis electionis, et provisionis beneficiorum?*

Quae tam hoc, quam sequentibus duobus paragraphis ab auctore Methodi dicuntur, rectius apud ipsum auctorem videri possunt (cum horum paragraphorum materia locum fere tantum habeat in causa appellationis ad papam, et consequenter ratae praxis sit, ac ex decisione pontificum, in pluribus *cap. h. t. in* 6. tradita, dependeat, quae per brevem et succinctam doctrinam insinuari non possunt) legatur *c.* 1. 4. 11. 19. cap. 20. 38. et 41. *h. t. in* 6. *et Clement.* 4. *eod.*

SECTIO VII.

De potestate, confirmatione, et consecratione electi.

§. I. *An, et quando potestas iurisdictionis, seu administrationis episcopo electo competat?*

Quod episcopus, vel praelatus electus ante impetratam confirmationem non habeat potestatem iurisdictionis, aut administrationis, nec in rebus, aut iuribus spiritualibus, nec in temporalibus ex *c. Nosti,* 9. *h. t.* patet (ut ne inanis fere sit confirmatio, si ante hanc omnis iurisdictio, aut administratio in actu secundo electo competat) ita ut, si ante confirmationem obtentam administrationi rerum ecclesiae se ultro immisceat, eius electio in poenam non tantum cassari debeat, ut ait pontifex, in *c. Qualiter*, 17. *h. t.* neque hoc ipsi liceat sub titulo oeconomi, aut procuratoris, etc. uti constat ex *cap. Avaritiae,* 5. *h. t. in* 6. et quamvis capitulum, penes quod est administratio, sede vacante, possit alicui vel oeconomo, aut vicario committere administrationem, non tamen potest eam committere electo, ne fraus fiat huic constitutioni: quin ex *Extravag.* 1. *h. t. inter com.* etiam statuit pontifex, ut nullus episcopus, aut superior praelatus, nullus abbas, aut cuiusvis ordinis praepositus, qui apud sedem apostolicam promovendus, confirmandus, aut consecrandus, aut benedicendus est, administrationem temeraria praesumptione suscipiat, nisi litteras apostolicas promotionem eius, vel confirmationem, etc. continentes, obtinuerit, easque capitulo ostenderit, seu praesentaverit.

§. II. *Quinam episcopi, seu praelati administrare possint praelaturam, etiam ante obtentam confirmationem?*

Quae in priore §. negatur administratio cuivis electo episcopo ante obtentam confirmationem, aut suae provisionis litteras, haec in *c. Nihil*, 44. §. *Caeterum h. t.* conceditur immediate pontifici subiectis praelatis, et tamen valde a curia pontificis remotis; qui extra Italiam v. gr. constituti sunt, si in concordia fuerunt electi; ne damnum scilicet patiantur ecclesiae tales, si diutius exspectari debeat electionis v. gr. confirmatio: et quamvis haec constitutio tantum mentionem faciat de praelatis immediate sedi apostolicae subiectis, probabile tamen est, quod in favorem ecclesiarum, etiam de illis praelatis intelligenda sit, quae ab episcopo quidem, aut archiepiscopo confirmationem obtinere debent, ob longam tamen distantiam intra breve tempus obtinere non possunt. Quod si tamen electio illius, qui ante obtentam confirmationem administravit vi huius *cap. Nihil,* ob vitium aliquod rescindatur, censeri tamen debent omnia ab ipso ante rescissionem facta valida, eo ipso enim quod electio talis non fuerit ipso iure irrita, et valide electo in casu *c. Nihil,* administratio etiam ante confirmationem concessa sit, consequenter ipso iure valida erunt ab eo facta. Conceditur tamen his omnibus administratio sub ea limitatione, ut nihil de rebus ecclesiae alienare possint, per quod bona praelaturae diminuerentur; et secundo conceditur hoc praelatis ultramontanis in concordia electis, non tamen postulatis, antequam postulatio admissa fuit, quamvis multum a Curia absint, et in concordia postulati fuerint,

cum postulato ante postulationis admissionem nullum absolute ius competat ad praelaturam talem, ut ex dictis patet.

§. III. *De confirmatione episcopi, seu praelati electi.*

Certum est, quod omnes praelati canonice electi ad praelaturam ecclesiae viduatae a superiore confirmari debeant *c. Postquam*, 3. *h. t.* ad cavendum omnem defectum, qui fortassis intervenire potuit, ita tamen, ut si nullus defectus canonicus intervenerit in electione, confirmari debeat electus, et electio libera quidem sit, confirmatio tamen necessaria, quam legitime electus ex iustitia etiam petere potest, et obtinere debet, nisi summus pontifex ex plenitudine suae potestatis ob maiorem ecclesiae utilitatem etiam legitime electum reiiciat, quod vi concordatorum Germaniae etiam facere potest. Et quamvis de ordinario iure confirmatio electi ad immediatum superiorem, cui ecclesia vel dignitas electiva subiecta est, pertineat *c. Cum dilectus*, 32. *h. t.* in Germania tamen confirmatio episcoporum, et praelatorum exemptorum ad summum pontificem, vi concordatorum Germaniae spectat: est autem de iure communi antiquo ab electo (saltem per procuratorem) petenda confirmatio, intra tres menses a die consensus praestiti numerandos, ita ut ius omne amittat, quod per electionem acquisivit, si intra dictum tempus sine iusto impedimento confirmationem non petiverit: hoc ipsum tamen tempus, intra quod petenda est confirmatio, ius novum *in cap. Cupientes*, 16. *h. t. in* 6. (quod etiam vi concordatorum observandum est) circa cathedrales, et regulares virorum ecclesias, immediate sedi apostolicae subiectas, restrinxit, et limitavit magis, ut hodie petenda sit confirmatio infra unum mensem (iter saltem arripiendo Romam, vel procuratorem sufficienter instructum mittendo) a die consensus in electionem praestiti numerandum. Plura alia videri possunt *in relat. cap.* quae ad petendam hanc confirmationem novissima haec iura statuunt, et observari debent, nisi consuetudo alia alicubi vigeat.

§. IV. *De iis, quae praecedere debent confirmationem.*

Confirmatio dari non debet, nisi prius instituta inquisitione, de forma, et processu electionis, ac de meritis, et conditione electi *cap. Nihil*, 44. *h. t.* ut ne cum detrimento ecclesiae, aut indigni assumantur ad regimen ecclesiae, aut contra legitimam electionis formam procedatur, et hinc decretum electionis continens totam seriem, seu processum electionis, authentice descriptum Romam submitti debet, (ut ait *Gloss. in cap. Innotuit*, 26. *h. t. v. Decreto*) una cum examine super qualitatibus electi, per testes probatis; de quo examine plura statuit *Gregorius XIV. in sua Bulla*: *Onus apostol.*, 1510. 1. *Maii*, ac observari debet, si non aliud recepta consuetudo, et praxis habeat. Deinde si electus coëlectum, vel alium suae electionis adversarium habeat, ii ante confirmationem nominatim vocandi sunt, ad causam agendam: si vero concors fuerit electio, et nullus se opponat, edictum tamen generale, ad valvas ecclesiae, in qua electio facta est, affigendum, in quo contradictores, si qui sint, peremptorie vocentur, ut statuto die, et loco confirmationis faciendae veniant causas impugnandae electionis, et impediendae confirmationis dicturi iuxta *cap. fin. h. t. in* 6. ita ut his omissis, nulla sit

confirmatio : qui tamen, edicto tali proposito ante confirmationem, nihil contra electionem agit, confirmatione subsecuta non audietur amplius, si velit postmodum contra electionem hanc opponere aliquid, nisi absens fuerit, ant probabilem edicti ignorantiam per verisimiles coniecturas, et accedens iuramentum probare possit, argum. *c. ult. Qui matri accus. poss.* vel non per viam exceptionis, sed per viam denuntiationis canonicae contra electum, et confirmatum opponat aliquid.

§. V. *Alia quaedam ad confirmationem electionis pertinentia.*

Si quis ad eamdem praelaturam pluribus diversis electionibus electus est, non potest ad impetrandam confirmationem utraque uti, *cap. Ut quis*, 25. *h. t. in* 6. quamvis enim pluribus defensionibus ad titulum beneficii acquisitum defendendum, nti possit, iuxta *Reg. iuris* 20. *in* 6. qnia tamen confirmatio vagari non potest in incerto, sed super re, vel iure certo fieri debet, conseqnenter una aliqna electio ab electo determinanda est, cuius confirmatio petatur. Fieri autem debet confirmatio electionis non in curia, aut palatio saecularis alicuius principis, sed in ecclesia vel palatio superioris ecclesiastici confirmantis, uti colligitur ex *cap. Qua fronte*, *de Appellat.* eo ipso enim, quod causae cognitionem requirat confirmatio, conveniens est, ut fiat in loco ecclesiastico. Neque tamen cassata confirmatione, ob defectum aliquem canonicum, qui in ea intervenit, cassatur etiam electio, legitime facta, ut constat ex *cap. Si confirmationem*, 39. *h. t. in* 6. quia utile per inutile non vitiatur, si unum ab altero separari possit, inxta *Reg. iuris* 37. *in* 6. et hinc fieri potest, ut electio quidem valida sit, confirmatio vero nulla, si v. gr. ecclesiae alicui, ut provideant canonici, prohibuit quidem pontifex, canonici tamen ante prohibitionem talem, praelatum iam eligerunt, confirmatio tamen illius facta fuit post prohibitionem, ut patet ex *cap. Si eo tempore*, 45. *h. t. in* 6.

§. VI. *De potestate archiepiscopi, vel episcopi electi, et confirmati, sed nondum consecrati.*

Resp. 1. Archiepiscopum electum, et confirmatum, uondum tamen consecratum, et qui pallinm archiepiscopale nondum accepit, posse quidem actus iurisdictionis aliquos, quales sunt causas audire, et cognoscere, delegare, iudices constituere, committere potestatem ordinandi etc. exercere, non autem licite posse actus maioris iurisdictionis exercere, qui proprii sunt dignitatis episcopalis, uti patet ex *c. Quod sicut*, 28. §. *Praeterea h. t.* per pallium enim, quod ante consecrationem non confertur, archiepiscopo plenitudo potestatis ad eiusmodi actus archiepiscopales exercendos, quos quamvis valide etiam sine pallio exercere potest, non tamen licite, cum a sacris canonibus hoc illi prohibeatur.

Resp. 2. Episcopum electum, et confirmatum, licet consecratus non sit, posse ea omnia exercere, quae solius iurisdictionis episcopalis sunt, non autem ea, quae sunt ordinis episcopalis; prout sumitur ex *cap. Transmissam*, 15. *h. t.* iuncta *Gloss. v. De talibus.* Cum enim ordo episcopalis non conferatur, nisi per consecrationem, consequenter ea exercere non potest, quae sunt ordinis episcopalis, si consecratus nondnm sit; contra vero, cum ad

actus iurisdictionis exercendos nullus ordo per se requiratur, sed requiratur tantum, ut ius in re sive ius administrationis illi conveniat, hoc autem ius per confirmationem obtineat; poterit consequenter actus iurisdictionis exercere, quamvis consecratus non sit, modo sit confirmatus. Sunt quidem qui putant, episcopum nondum consecratum, non posse per se causas criminales, quae inter arduas numerantur, et maioris inquisitionis discussionem requirunt, cognoscere, et iudicare; verius tamen sentiunt, qui etiam has causas criminales iudicari posse putant ab episcopo confirmato, non consecrato; quod enim potest alicui simplici sacerdoti, qui nec ordinem, nec iurisdictionem episcopalem habet, delegare episcopus, hoc utique etiam per se potest, quamvis ordinem episcopalem non habeat. Potest autem episcopus actus hos iurisdictionis exercere, si confirmatus sit ante solemnem installationem, seu corporalem introductionem in possessionem, cum per solam confirmationem iam omnia iura illi competant, et sedes non amplius vacet, nisi aliud aliquid particularis loci consuetudo requirat.

§. VII. *De consecratione episcopi electi, et confirmati.*

Confirmationem episcopi electi sequitur consecratio, uti colligitur ex *cap. Provide*, 44. *h. t. in* 6. *iuncta Gloss. v. Consecrationes.* Debet autem haec consecratio, sine speciali gratia obtenta, non differri sine legitimo impedimento ultra tres menses, a die confirmationis acceptae numerandos, sub certis poenis a iure tam antiquo, quam novo *Trident. sess.* 23. *cap.* 2. *de reformat.* statutis, et si a pontifice confirmari electus debuit, fieri ea non potest, nisi ab ipso summo pontifice, aut ex eius expressa commissione ab aliis episcopis inferioribus: et quamvis de iure communi a tribus episcopis episcopus consecrandus esset; probabilius tamen est, quod ex dispensatione pontificis ab uno etiam episcopo, assistentibus duobus abbatibus, aut aliis in ecclesiastica dignitate constitutis presbyteris loco duorum episcoporum, ubi horum copia haberi non potest, consecrari possit episcopus, prout testatur *Barbosa*, *B. Pium V.* concessisse, et quidem fieri debet haec episcopi consecratio inter missarum solemnia, inter epistolam, et evangelium, die dominico, ita ut plenum ius postmodum habeat, non tantum ad eas functiones, quae iurisdictionis sunt, sed ad ea etiam exercenda, quae sunt ordinis episcopalis; et quae prius obtinebat, beneficia inferiora perfecte iam vacent; *cap. Licet*, 28. *de praebend. in* 6. si tamen tempus, consecrationi definitum a ss. Canonibus, elapsum iam sit, vel pacificam, et utilem sui episcopatus possessionem iam acquisiverit consecratus episcopus. Quod si tamen a pontifice dispensatus fuit confirmatus episcopus, ut etiam post elapsos tres menses consecrationem accipere non teneatur, certum quidem est, quod ante elapsum longum etiam tempus, ad quod dispensatus fuit, non teneatur consecrationem accipere, probabilius tamen est, quod post lapsum trium mensium spatium, omnia confirmati episcopi beneficia inferiora vacent, ne melioris conditionis sit, qui sacros Canones non observat, sub quocumque praetextu dispensationem obtinendo ad differendam consecrationem, quam qui eos, consecrationem intra tres menses accipiendo, observat. Quae tamen hic dicta sunt de beneficiorum inferiorum vacatione in casu consecrationis acceptae, aut elapsi trimestris

spatii, intelligi debent non de episcopis titularibus tantum, qui non possunt habere spem pacificae possessionis sui episcopatus, quorum beneficia, nec per consecrationem vacant; nec de illis episcopis in Curia promotis, aut confirmatis, quando in ipso promotionis actu consistorialiter decernit pontifex, omnia alia promoti beneficia a tempore confirmationis vacare, sed de illis episcopis, ubi tale decretum non intervenit, et qui pacificam sui episcopatus possessionem vel iam obtinent, vel securi sunt de ea mox obtinenda.

SECTIO VIII.

De abbatum, seu praelatorum regularium electione, confirmatione, et benedictione.

§. I. *De illis, quibus competit ius eligendi praelatos regulares.*

De iure communi talium praelatorum electio pertinet ad collegium, seu conventum illius ecclesiae religiosorum, quibus de praelato providendum est *cap.* 1. *h. t. et cap. Cum dilectus,* 8. *de consuetud.* nisi per specialia privilegia aliter de talium promotione, et institutione cautum sit, quae observari in qualibet religione debent; neque tamen etiam in illis conventibus, ubi electio praelatorum regularium iuxta iura communia celebratur, omnibus hoc ius eligendi convenit, sed illis tantum, qui sunt vel tacite, vel expresse, saltem electionis tempore, religionem illam professi, de cuius praelato eligendo agitur *c. Ex eo,* 32. §. *In ecclesiis h. t. in* 6. neque laici tantum conversi sunt, qui nec ordinati sunt, nec ad ordines suscipiendos destinati, qui ad eligendum non admittuntur, quamvis veri religiosi professi sint; nisi etiam ab his in aliquo v. gr. monasterio, aut religione ius capitulare legitime praescriptum sit, aut ex instituto suo non tam ad spiritualia, quam corporalia, in bonum ecclesiae praestanda obligentur, ut sunt ordines militares hospitales, ubi omnibus professis de iure competit ius eligendi; et quamvis *Clement.* 2. *de aetat. et qualit.* nemini regulari canonico ius eligendi concedat, nisi in maioribus sit constitutus ita, ut saltem subdiaconus sit, extendi tamen haec constitutio non debet ad monachos, quasi ob defectum ordinis sacri, si professi fuerint, ius eligendi illis non competeret, quia Clement. illa iuris communis correctoria de aliis non loquitur, nisi de canonicis, et consequenter ultra verba propria extendenda non est. Mendicantium tamen ordinum religiosis, si cum auctoritate etiam pontificia ad alios ordines non mendicantes transeant, non conceditur ius eligendi *in Clemen.* 1. *de Regular.*

§. II. *De iis, qui eligi possunt ad praelaturas regulares.*

Resp. Ad praelaturam regularem, aut alia beneficia regularia administrationem habentia nemo eligi potest, nisi ordinem illum actu, et expresse professus sit *cap. Cum in Magistrum,* 49. *h. t. et cap. Nullus,* 28. *eod. in* 6. non obstante quacumque, quamvis longaeva, et diuturna consuetudine *cap. Cum causam,* 27. *h. t.* (ut ne scilicet cum damno, fortasse religiosae disciplinae ad magisterium ordinis talis assumatur, qui nunquam illius ordinis discipulus fuit, ut ait pontifex) et quamvis ad simplicia beneficia regularia, quae nullam administrationem habent, non requiratur actualis praevia professio, aut habitus regularis susceptio, sed illi etiam talium beneficiorum

capaces sint, qui nondum quidem aut habitum susceperunt, aut ordinem professi sunt, ita tamen, ut ad haec praestanda maneant obligati, ut patet ex citat. *cap. Cum causam, et ex Trident. sess.* 14. *cap.* 10. *De reform.* merito tamen plus in illis requiritur, qui in regulari administratione aliis praeesse debent. Neque potest aliquis simul professionem facere in ordine, et simul in abbatem eligi, ut patet ex *cap. Cum ad nostram*, 37. *h. t.* et ex allata ratione: quin immo ordinarie fieri non debet, ut ille qui paulo ante professionem emisit, in praelatum eligatur, ob prudentem praesumptionem, quod in disciplina, et instituto regulari nondum satis instructus sit. Potest tamen ille, qui nondum professus est, postulari in abbatem, seu praelatum regularem, prout sumitur ex *cap. Cum monasterium*, 13. *h. t.* et potest summus pontifex ex plenitudine suae potestatis non tantum in his dispensare, sed tales etiam abbatias, et praelaturas regulares, in perpetuam commendam saecularibus concedere, etiam post Tridentinum, ita ut tales commendatarii ius omne habeant administrationis, quale habent regulares praelati intitulati.

§. III. *De electione praelatorum regularium extra suum monasterium, vel ordinem.*

Potest religiosus, etiam abbas, et praelatus regularis episcopum quidem, tam saecularis, quam regularis ecclesiae eligi, et ad alterius etiam monasterii praelaturam, si monasterium sit eiusdem ordinis, non autem si sit diversi, prout statutum habetur *in Clement.* 1. *h. t.* aut ad inferiora episcopali dignitate beneficia, sine pontificis dispensatione etc. prout *s. Congregat. Tridentin. declaravit*, aut *San. L.* 7. *Moral. cap.* 29. *num.* 71. Non potest tamen religiosus sine licentia sui immediati superioris consentire in electionem de se factam, extra suum monasterium, etiamsi esset eiusdem ordinis, sub poena amittendi iuris, quod per electionem acquisiverat *cap. Si religiosus,* 27. *h. t. in* 6. ne argui possit praesumptuosae ambitionis. Et quamvis olim dubium fuerit, an non etiam conventus, seu capituli licentia requiratur ad transferendum religiosum, in alterius monasterii praelatum electum, cum iura antiqua super hoc varient, et speciem alienationis habeat haec translatio, quia tamen clara decisio *Bonifacii VIII. in relat. cap. Si religiosus*, habetur, de nihil necessario capituli seu conventus consensu, consequenter hodie nihil necessaria est haec licentia, cum iura antiqua merito correcta videri possint per iura recentiora; et quae de alienatione iura statuunt, intelligi non debeant de translatione personarum ab uno monasterio ad aliud, quae proprie alienatio non est, per quam proprie loquendo dominia rerum transferuntur, sed de alienatione rerum mobilium, aut immobilium.

§. IV. *An religiosus professus unius monasterii, si transferatur ad aliud monasterium, vel assumatur in abbatem alterius monasterii, retineat ius eligendi abbatem prioris monasterii?*

Quod translatus talis ipso facto amittat vocem, sive ius suffragii, in priore monasterio, a quo translatus vel assumptus est, et consequenter non retineat amplius ius eligendi abbatem prioris monasterii, ita ut nec possint ius hoc illi concedere prioris monasterii regulares, expresse statuit *in cap.*

Constitutis, 47. *h. t.* pontifex, si tamen alterum monasterium sua adaequate distincta iura habeat, et non sit priori monasterio tamqnam principali sub eodem abbate subiectum, et subordinatum, qui ins habeat, vel in hoc, vel in illo loco religiosum sibi subiectum constituere: in hoc enim casu, cum religiosus in inferiore monasterio constitutus, sit adhuc membrum, et pars principalis monasterii, consequenter mirum non est, quod non amittat iura prioris monasterii. Neque talia inra contra sacros Canones, et favorem ecclesiae possunt concedere prioris monasterii regulares, cum pacta privatorum, iuri publico, et communi (quod non vult monachum in duobus monasteriis capitularem existere) praesertim in favorem ecclesiae constituto, derogare non possit.

§. V. *De electione religiosorum mendicantium ad praelaturas, extra ordinem suum, in discordia facta; et de electione aliorum religiosorum non mendicantium a minore parte eligentium facta.*

In *cap. Quorumdam*, 24. *h. t. in* 6. statuit *Bonifacius VIII.* ut nc ulli religiosorum mendicantium ad aliquam praelaturam extra suum ordinem, in discordia electo, ullum ius acquiratur, quamvis in illius electionem consenserit praelatus regularis: neque possit talis religiosus mendicans, in discordia taliter electus, in sui electionem talem consentire, quamvis licentiam sui praelati super hoc habeat. Et *in* §. *Cura*, *in eod. capit.* statuit insuper, nullum ius acquiri cuicumque etiam non mendicanti religioso, quamvis superioris licentiam, et consensum super sui electione habeat, si a minore parte capituli, ad praelaturam talem, extra suum ordinem electus fuerit, ita ut quidquid contra praemissa attentatum fuerit, irritum sit et inane; statuens haec ob maiorem religiosorum perfectionem, et ne litibus ambitiosis, quae facile ex talibus electionibus oriuntur, immiscere se teneantur, cum perturbatione religiosae quietis, et cultus divini diminutione. Dicitur autem in ordine ad huius capituli constitutionem, in discordia facta electio, si vel plures electiones factae, et publicatae sint, quarum una v. gr. fuerit de religioso mendicante, vel si una quidem de religioso mendicante facta est, cui tamen aliqui, vel etiam unus contradicat, iuxta *Gloss. Hic, v. In discordia;* a minore vero capituli parte facta electio dicitur, si minor pars ex capitularibus, qui de facto eligunt, quamvis eorum aliqui iure eligendi privati sint, in unum aliquem religiosum non mendicantem consentiant. Veluti, si ex 12. capitularibus, decem eligerunt religiosum mendicantem, cui duo tamen contradicunt; vel si octo eligant indignum, quatuor vero religiosum non mendicantem dignum, dicitur in illo casu, electio religiosi mendicantis facta esse in discordia; et in posteriore casu dicitur religiosi non mendicantis electio facta a minore parte capituli, non quidem de iure eligentis, cum illi qui indignum eligunt, si scienter hoc faciant, pro illa vice sint privati iure eligendi, sed de facto eligentis: neque enim in hac constitutione attenditur, an iure suo privati sint, sed an ius aliquando habuerint, et nunc eligant: si tamen capitulares ad eligendum habiles non tantum in genere, sed expresse, et nominatim protestati fuerint, nihil valebunt tamen vota, ut dicatur talis electio a minore parte facta.

§. VI. *De forma Electionis Praelatorum regularium, eorumque confirmatione, et benedictione.*

Forma electionis Praelatorum regularium, quamvis eadem sit, quae supra praescripta, et explicata est, ex *capit. Quia propter, 54. h. t.* hodie tamen fere omnes praelatorum talium regularium electiones fieri solent per modum scrutinii, ita tamen, ut a singulis eligentibus suffragia, non viva voce dentur, coram scrutatoribus, sed scripto, in schedulis secretis tradantur; quem modum videtur etiam *Triden. sess. 25. c. 6. de Regu.* approbare, si per viam scrutinii fiat electio; neqne enim alias duas formas electionis per compromissum, et per inspirationem, ubi suffragia non sunt secreta, tollit Tridentinum.

Debet autem electio praelatorum regularium confirmari de iure communi a summo pontifice, vel ab eius legato a latere in provincia existente, si talium praelatorum regularium sit haec electio, qui exempti sunt, et immediate subsunt sedi apostolicae: non exemptorum vero electio ab episcopis, quibus proxime sunt subiecta eorum monasteria, confirmari debet, nisi ex peculiaribus ordinis talis statutis, privilegiis, vel consuetudinibus aliter fieri debeat, quae peculiaria ordinum statuta, privilegia, et receptae consuetudines, sicuti plurimum possunt in electione praelatorum regularium, ita multum possunt etiam iuris communis constitutiones circa confirmationem, et alia eiuscemodi requisita variare etc. Et quamvis abbates, et similes praelati regulares, etiamsi ius infulae, et baculi habeant, non consecrentur, cum consecratio proprie dicta fiat per sacri chrismatis unctionem, benedicuntur tamen per simplicem, et deprecatoriam manuum impositionem, ab Ecclesia institutam; et quidem ab episcopo, cui subiecti sunt, vel si non sint immediate illi subiecti, ex commissione summi pontificis, assistentibus communiter duobus aliis abbatibus, die dominica, vel ut probabilis sententia docet, quolibet die festo, (nisi specialia iterum statuta, aut privilegia, vel receptae consuetudines aliud iubeant) quae tamen benedictio semel collata, si ad aliam abbatiam postea benedictus talis abbas transferatur, reiterari non debet, quamvis enim characterem non imprimat, cum proprie loquendo non sit ordo, aut sacramentum, sicuti tamen alia quaedam sacramentalia, benedictio nuptiarum verb. gr., semel collata non iterantur, ita nec benedictio haec: et sicuti episcopus post confirmationem obtentam, ante consecrationem omnia potest, quae sunt iurisdictionis episcopalis, post consecrationem vero etiam ea, quae sunt ordinis episcopalis, ita etiam confirmatus abbas ante benedictionem potest omnia ea, quae sunt iurisdictionis abbatialis, post benedictionem vero ea etiam, quae ordini quasi Abbatiali respondent, qualia sunt conferre minores ordines, solemniter benedicere vasa sacra, et sacras vestes etc. nisi ex speciali consuetudine, vel privilegio sola illius confirmatio ad haec omnia exercenda sufficiat, modo sit sacerdos.

§. VII. *De Abbatissarum, seu Praepositarum regularium electione, confirmatione, et benedictione.*

De iure antiquo ius eligendi Abbatissas, aut Praepositas regulares, non habebant moniales, nisi duodecimum aetatis annum compleverint, et tacite vel

expresse professae fuerint, ut patet ex *capit. Indemnitatibus*, 43. *h. t. in* 6. De iure autem novo *Tridentini*, sicuti ad professionem non admittuntur ante 16. aetatis annum completum, ita nec ius eligendi ipsis competere potest: et quamvis ad hoc, ut ius eligendi activum habeant, sufficiat tacite eas professas fuisse, modo per annum continuum post susceptum habitum in probatione steterint; ad hoc tamen, ut aliqua in abbatissam eligi possit, debet esse expresse professa, et de iure antiquo trigesimum aetatis annum exegisse; de iuro autem novo Trident. requiritur 40. annorum aetas completa; et ut annis 8. post expressam professionem laudabiliter in eodem monasterio vixerit; vel si talium qualitatum in eodem monasterio nulla reperiri possit, potest alia ex eiusdem ordinis monasterio assumi; vel si neque hoc commodum monasterio videatur, poterit una eligi, quae 30. aetatis annum egressa est, et 5. saltem annis in illo monasterio laudabiliter post expressam professionem vixit, uti habetur *in Trident. sess.* 25. *cap.* 7. *de regularibus*. Debet autem taliter eligenda esse virgo legitime nata (ita tamen ut circa utramque hanc qualitatem superior, qui electioni praeest, dispensare possit, et ipsa etiam consuetudo attendenda sit) quo maior sit illius auctoritas inter virgines religiosas, et dignitatis ecclesiasticae splendor non obscuretur a defectu natalium.

Forma eligendi abbatissas eadem quidem est, quae forma est eligendi alios praelatos regulares per scrutinium scilicet et secreta vota; qui tamen vota excipiunt, non debent ad ea excipienda iuxta *Tridentin. loco citat.* claustra monasterii ingredi, sed ante cancellorum fenestram vota singularum monialium audire, vel excipere (nisi aliud aut recepta, et approbata consuetudo, aut necessitas iubeat) et si electio fiat in discordia, non obstante minoris partis contradictione, ea abbatissa erit, quae a duabus partibus capituli electa fuit, nisi per examen postea faciendum, indigna reperta fuerit; si vero neutra ex electis in discordia duas pro se partes habeat; possunt aliae moniales, quae cum maiore parte non consenserunt, post publicatum scrutinium, suam mutare sententiam, et illi parti accedere, quae plura pro se vota habuit, dummodo hoc fiat in continenti, et nulla simoniaca pravitas interveniat, ut ait pontifex in *relat. capit.* Quamvis enim publicato scrutinio variatio haec viris non permittatur de iure, ut supra dictum, nisi in electione summi pontificis ad expediendam illius electionem, permittitur tamen haec variatio post scrutinium publicatum, et electionem iam factam foeminis, quibus tanta prudentia non est. Legat relat. *cap. Indemnitatibus*, qui talibus electionibus praesse debet, et observet illud, in quantum peculiaria statuta, privilegia, et consuetudo hoc permittunt, quae multum etiam possunt circa confirmationem, et benedictionem abbatissarum, si tamen haec necessaria sit, aut ex consuetudine introducta fieri soleat.

SECTIO IX.

De electione Summi Pontificis.

§. I. *De illis, quibus competit potestas eligendi romanum Pontificem.*

Quae circa electionem huius peculiaria notari debent, non tam ex iure communi, quam ex peculiaribus pontificum Bullis desumenda sunt; ut ta-

men brevis aliqua etiam corum, quae iure communi statuta sunt, habeatur notitia:

Notandum 1. ius eligendi Romanum Pontificem pertinere hodie ad romanae ecclesiae cardinales, ut constat ex *cap. Licet*, 6. *h. t.* et ex *c. Ubi*, 3. *eod. in* 6. (hi enim merito dicuntur ecclesiae romanae Capitulum referre) ita ut ius hoc cardiuali competat, etiamsi nondum pileum, aut alia cardinalitia insignia adeptus sit, non quidem quasi etiam iuste impeditus, et absens alteri suum suffragium committere possit, et sic per procuratorem eligere, quod ipsi non conceditur, sed quod si ipse intersit, electioni suum etiam suffragium dare possit.

Notandum 2. etiam stante Concilio generali potestatem eligendi pontificem summum, penes cardinales esse, sive moriatur pontifex tempore Concilii, sive a Concilio a gradu pontificatus amoveatur, cum electio summi pontificis cardinalibus concessa, in relato *c. Licet*, non sit restricta tantum ad casum mortis, aut ad casum Concilii nou subsistentis.

Notandum 3. si omnes cardinales mortui essent, pertineret electio romani pontificis, vel ad Concilium generale, si facile tale convocari posset, vel ad Clerum romanum, sive canonicos ecclesiae lateranensis, ubi primus summus episcopus sanctus Petrus suam Cathedram, ac sedem habuit, et consequenter sicuti aliarum cathedralium ecclesiarum canonicis competit, suae ecclesiae per electionem episcopi providere, ita etiam hoc competet in dicto casu canonicis lateranensibus.

Notandum 4. Conveniens quidem esse, nt e gremio suo pontificem eligant cardinales, si inter ipsos reperiatur idoneus; absolute tameu uecessarium hoc non esse, cum non minus qnoad eligeudum pontificem concessum sit cardinalibus, quam concessum est aliis canonicis quoad eligendum suae dioecesis episcopnm.

§. II. *De potestate, quam habet Papa statuendi circa faciendam electionem futuri pontificis, vel substituendi sibi successorem, et de forma huius electionis.*

Quod possit pontifex snmmus de forma, et modo eligendi Romanum Pontificem futurum statuere, et constitutionem super his edere, non tantum ex relat. *cap. Licet*, sed ex pluribus aliis summorum pontificum constitutionibus patet, quibus optimo modo semper providere desiderabant ecclesiae circa futuri pontificis electiones: et quamvis successorem sibi uominare non possit pontifex, non tantum ex prohibitione sacrorum canonum, sed etiam ex prohibitione iuris uaturalis, ue grave scilicet damnum ex indignorum saepius nomiuatione eveniat ecclesiae, potest tamen designare, quem putaverit dignum, vel deliberare cum cardinalibus de suo successore, manente tamen ad eligendum libertate cardinalibus; vel de forma, aut modo electionis statuere pro bono ecclesiae, et illius pace, prout plures canones concedunt.

Ad formam tamen quod attinet, quae in electione summi pontificis adhibenda est, servanda quidem esset forma in *capit. Licet.* praescripta, ex concilio lateranensi, ubi statuitur, ut ille absque ulla exceptione ab universali ecclesia pontifex habeatur, in quem duae partes cardinalium convenerunt,

et prohibet sub gravissimis poenis, ut ne ullus, qui a tertia tantum parte cardinalium electus est, pro pontifice se haberi permittat, (ut adeo in electione summi pontificis non sufficiat tantum maior, et sanior pars cardinalium capitulariter congregatorum, sed requirantur ad validam illius electionem duae tertiae consentientes, quo magis matura sit romani pontificis electio, ob maius damnum ecclesiae ex minus discreta illius electione) neque absentium, si decem diebus post mortem pontificis expectati fuerint, habeatur aliqua ratio, neque locum habeat collatio zeli ad zelum, meriti ad meritum etc. et poterint publicato etiam scrutinio mutare, qui volunt, suam sententiam, ac aliis pluribus, si nemo duas tertias habeat, accedere, neque possit illa impugnari per obiectionem excommunicationis, aut alterius censurae, cum in *Clement.* 2. §. *Caetera h. t.* expresse statuatur, nullum cardinalium impeditum iri sub ullo censurae cuiusque praetextu ab electione summi pontificis; prout ad cavenda plurima incommoda, et celerius expediendam electionem varii sacri Canones statuunt. Haec inquam, quamvis observanda essent, ad maiorem tamen electionis huius cautelam, alia insuper statuerunt multi pontifices, praesertim Gregorius XV. et Urbanus VIII. quae si observentur, alia confirmatione non indiget electio pontificis, cum supremam suam potestatem in universalem ecclesiam non ab aliquo homine accipiat, a quo confirmari deberet, sed immediate ab ipso Christo, iuxta illud *Innocentii III. in c. Novi*, 12. *de iudiciis*, ubi dicit pontifex, *Potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo.*

§. III. *De tempore, loco, et aliis observandis in electione Romani Pontificis.*

Si pontifex in civitate, ubi cum sua Curia residebat, moriatur, cardinales, qui in ea civitate tum fuerint praesentes, absentes quidem expectare debent decem diebus, vocare tamen aliter eos non debent, sed elapsis illis diebus, sive absentes venerint, sive non, convenire debent in loco ad eligendum designato, et quamprimum, ad multa incommoda devitanda, eligere, subtractione etiam ciborum compellendi ad electionem celeriter expediendam, ut patet ex *capit. Ubi periculum,* 3. *h. t. in* 6. ubi plura alia ad fraudes, et pericula devitanda statuuntur, et quid fieri debeat, asseritur, si extra civitatem, ubi suam Curiam habet, moriatur. Vide citatum *cap. et Clemen.* 2. *h. t.* quibus plura addere necessarium non est, cum pleraque non tam ex iure communi, quam ex specialibus Bullis dependeant.

§. IV. *De electione Senatorum, Rectorum, et similium officialium urbis Romanae.*

Vide de his *c. Fundamenta* 17. *h. t. in* 6.

SECTIO X.

De Romani Imperatoris electione, confirmatione, consecratione, et coronatione.

Haec tota materia, quia magis ex aurea Bulla *Caroli IV. Imperatoris*, desumi debet, quam Germani nostri observant hodie, ita tamen, ut ea, quae de iure Canonico statuta sunt *in cap. Venerabilem,* 34. *h. t.* non negli-

gantur, ideo aliis relinquitur examinanda. Vide *relat. cap. et Clement. unicam, de iure iurando*, ac *Gloss. in cap. Ad Apostolicae*, 2. *de sent. et re iudic. in* 6. *v. Illa autem*.

TITULUS VII.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

§. I. *A quo, et cuius auctoritate translatio Episcopi, vel alterius praelati inferioris fieri possit?*

Translatio in genere aliud non est, quam personae alicuius ab una ecclesia ad aliam saecularem, vel regularem, superioris auctoritate ob causam necessitatis, vel utilitatis, facta mutatio: In specie vero sumitur translatio, prout hic de ea sermo est, pro sola mutatione episcopi taliter facta, de qua certum est 1. fieri non posse eam propria tantum transeuntis auctoritate, quamvis electus tantum et confirmatus, nondum autem consecratus fuisset *cap.* 2. *h. t.* (quia talis transitus multarum perturbationum, et multae ambitionis origo esset), sed a solo summo pontifice, ex plenitudine potestatis, episcopum a sua ecclesia, cui desponsatus fuit, transferente ad aliam, uti habetur *in c.* 1. *h. t.* sicuti enim matrimonium carnale indissolubile est, humana potestate, quia ex Dei institutione indissolubile vinculum est, ita etiam spirituale matrimonium inter episcopum, et suam ecclesiam, mera potestate humana solvi non potest, et quamvis etiam alii inferiores praelati, suo modo, et in sensu quodam latiore sponsi suarum ecclesiarum dici possint, quia tamen haec appellatio tam propria non est, hinc tales inferiores praelati auctoritate suorum superiorum immediatorum, saepe taliter a suis ecclesiis transferri possunt.

§. II. *De poena episcopi, propria auctoritate transeuntis ad aliam ecclesiam; et an is cogi possit ad transeundum?*

In poenam autem transitus talis, quem propria auctoritate a sua ecclesia ad aliam, praesertim maiorem, et ditiorem fecit episcopus, utraque carere debet iuxta *c. Quanto*, 3. *h. t.* (saltem post sententiam condemnatoriam iudicis), vel si propria auctoritate suam dimisit, aut alienam accepit, saltem illa, quam taliter dimisit, aut accepit, privari debet, ut in eo puniatur, in quo deliquit, et suo effectu careat ambitio illius. Quod possit autem invitum etiam, si necessitas, aut utilitas iubeat, ab una ecclesia separare episcopum summus pontifex, et alteri nolentem alligare, communis ecclesiarum cura, quae summo pontifici imminet, probat.

§. III. *De modo, quo facienda est translatio episcopi, et de causis, ac effectibus eiusdem.*

Regulariter fieri debet, a minore ad maiorem dignitatem, cum promotiones tales gradatim ab inferioribus ad superiora fieri debeant, prout colligitur ex *c.* 1. *h. t.* et hinc, cui concessa est facultas transeundi ad maiorem dignitatem, non potest vi illius transire ad parem, seu minorem dignitatem, uti habetur etiam ex *c. Licet h. t.* cum facilius pontifex dispenset,

exigente ita utilitate ecclesiae, in promotione ad maiora, quam ad paria, aut minora, nisi fundetur causa concessionis, seu dispensationis super habilitate personae, quae nonnumquam sufficiens, et utilis esse potest ad minora. Causae autem translationis communiter sunt duae. Necessitas scilicet et utilitas ecclesiae. Effectus autem huius translationis sunt, 1. Quod matrimonium spirituale inter episcopum transferendum, et priorem ecclesiam, a qua transfertur, dissolvatur. 2. Quod alteri ecclesiae iungatur taliter episcopus, et omnem potestatem taliter translatus acquirat, ac si per electionem, aut alium legitimum provisionis modum obtinuisset. 3. Quod vacet prior ecclesia ipso iure, postquam in translationem consensit transferendus episcopus, etiam ante acquisitam possessionem posterioris ecclesiae, ne translatus taliter episcopus, duarum ecclesiarum sit sponsus, quod spirituale adulterium esse videretur.

TITULUS VIII.

DE AUCTORITATE, ET USU PALLII.

§. I. *Quid sit Pallium, a quo, quibus, quando, et quomodo petatur, et tradatur?*

Pallium recte dicitur praecipuum archiepiscoporum insigne, et ornamentum de corpore s. Petri sumptum (vel quia benedicitur, et consecratur super altari s. Petri a papa; vel quod ex altari capellae pontificiae sumatur; vel quia a solo romano pontifice de iure confertur) in quo pontificalis officii plenitudo cum archiepiscopalis nominis appellatione confertur: sicuti enim episcopus non habet plenum ius in suo episcopatu, antequam consecretur, ita nec archiepiscopus plenum ius habet in sua provincia, antequam pallium acceperit; ita ut nec archiepiscopum absolute se nominare possit ante acceptum pallium *c. Nisi*, 3. *h. t.* nec alia, quae intra missarum solemnia ab archiepiscopis fieri solent, facere. Petitur autem, et confertur pallium (quod est vestis candida, ex lana alba contexta, in coronae seu circuli modum, pectus ac humeros circumdans, ac quatuor nigris, vel purpureis crucibus distincta, anteriore parte nonnihil dependens) a solo pontifice; et quamvis conferendi pallii licentia *in c. Significasti, h. t.* etiam quatuor patriarchis principalibus, postquam a romano pontifice pallium suum acceperunt, et eidem obedientiam iuraverunt, respectu suorum suffraganeorum concedatur, hoc tamen his ex privilegio tantum convenit, et ex commissione summi pontificis. Patet autem etiam ex descriptione, de iure solis archiepiscopis huius pallii petendi, et utendi ius convenire; episcopis vero aliis quibusdam ex speciali privilegio, quale privilegium habere dicitur quinqueecclesiensis in Ungaria, ostiensis in Italia, papiensis in Longobardia, lucensis in Tuscia, et bambergensis in Germania. Qui omnes petere pallium debent, iuxta intra tres menses a die consecrationis, vel si ante consecratus iam fuit, a die confirmationis computandos, *c. Ad honorem*, 4. *h. t.* iuncta Gloss. ubi etiam forma traditionis refertur.

§. II. *De usu Pallii.*

Soli romano pontifici concessum est uti pallio in omnibus missarum solemniis semper, et ubique locorum (in quo scilicet plenitudo potestatis ecclesiasticae est); alii vero, quibus pallii usus concessus est, nec semper eo, neque ubique uti possunt, sed tantum in ecclesiis suae iurisdictioni archiepiscopali subiectis, ut patet ex *c.* 1. *h. t.* et ex *c. Ad honorem*, 4. *eod.* ita ut uti eo nec possit extra provinciam suam, nulla consuetudine in contrarium aliquid valente, uti habetur *in c.* 5. *h. t.;* nec extra ecclesiam suam, si extra eam celebret; nec extra missarum solemnia; nec quando privatim tantum celebrat, etiamsi dies sint solemnes etc. Quibus autem diebus uti pallio possit inter missarum solemnia, intra ecclesiam celebrans, *Gloss.* enumerat *in c. cit. Ad honorem, v. eod.* Alia tamen plura concedere potest etiam pontifex, a cuius dispositione, aut obtento privilegio, usus pallii dependet.

§. III. *De auctoritate Pallii, sive quae potestas per illud conferatur, et an ad alios transferri possit?*

Confertur cum pallio plenitudo archiepiscopalis officii archiepiscopo, ut possit post acceptum pallium omnes actus archiepiscopalis dignitatis, tam ordinis, quam iurisdictionis exercere in sua provincia; et quamvis ad substantiam collationis ordinum v. gr. aut aliarum episcopalium functionum, pallium non requiratur, ita ut rogatus ab alio episcopo alterius provinciae ad ordines v. gr. conferendos, conferre quidem ordines possit, pallio tamen extra suam provinciam uti non possit sine speciali privilegio, licite tamen in sua provincia talia non faciet, quae inter missarum solemnia fieri debent sine pallio. Transferre tamen acceptum pro hac provincia v. g. pallium non potest, si ad alium archiepiscopatum a pontifice transferatur, sed novum pro novo episcopatu petere debet, et illud quidem, olim secum sepeliendum conservare, uti tamen eo in novo archiepiscopatu non potest, nec potest alii archiepiscopo commodare illud, nec ad suum successorem moriens illud transmittere, cum sit personale quid, certae personae concessum, cum restrictione ad locum, ut adeo prout respondet pontifex *in c. Ad hoc*, 2. *h. t.* personam non egrediatur, sed cum ea sepeliri debeat. Attendenda tamen etiam in his loci consuetudo.

TITULUS IX.

DE RENUNTIATIONE.

SECTIO I.

De renuntiatione in genere, eiusque divisione.

Renuntiatio, prout hic de ea loquimur, aliud non est, quam remissio, seu resignatio, seu cessio iuris, quod quis habet in beneficio ecclesiastico; duplex autem est haec renuntiatio, tacita alia, alia expressa.

§. I. *De tacita beneficiorum renuntiatione.*

Renuntiatio tacita est, quae ipso iure fieri censetur absque ullis verbis expressis, et iuxta iuris interpretationem, ex actu directe contrario reten-

tioni beneficii per consequentiam colligitur; prout fieri solet, si beneficiatus matrimonium contrahat, *c.* 1. *et* 3. *de cleri. coniug.* si solemniter profiteatur religionem *c.* 4. *De regula. in* 6. *etc.* Videtur autem haec tacita renuntiatio in eo differre a privatione beneficii ipso iure facta, quod, si protestetur beneficiatus, se per talem actum nolle renuntiare beneficio, protestatio talis id operetur, ut talis actus vim tacitae renuntiationis non habeat, in privatione vero, quae ipso facto incurritur, protestatio talis nihil prosit: haec tamen tacita renuntiatio non est facile praesumenda, si ss. canones non inducant beneficii talis resignationem; quod enim multis fortasse expensis, et laboribus acquisitum est, tam facile renuntiari non censetur *c. Super eo,* 5. *h. t.* Videatur *c. Sane,* 7. *c. Veniens,* 13. *et c. Lectae,* 14. *h. t.* ubi referuntur casus aliqui apparentis quidem renuntiationis, quae tamen a iure pro vera non agnoscitur.

§. II. *De expressa renuntiatione beneficiorum.*

Renuntiatio expressa ea dicitur, quae fit verbis ad hoc accomodatis, et voluntatem renuntiandi aperte declarantibus, vel etiam scripto iuxta formam a iure praescriptam. Duplex ea est, pura una, et simplex, seu absoluta, quae fit sine ulla conditione, modo, et pacto; et altera conditionalis, qualis est 1. quae fit in favorem tertii, sub ea scilicet conditione, ut conferatur illud certae personae, in cuius favorem aliquis resignat: 2. quae fit cum reservatione fructuum toto vel ex parte: 3. quae fit cum regressu (reservato scilicet sibi iure, ut resignans possit ad beneficium redire, si ille, cui cessit beneficium, praemoriatur) vel cum ingressu, quando scilicet collati quidem beneficii, ante huius tamen possessionem, fit resignatio sub ea conditione, ut mortuo resignatario possit resignans propria auctoritate ingredi sive possessionem huius beneficii accipere; vel cum accessu, quando scilicet beneficium puero destinatum, ob aetatem tamen illius incapaci, alteri interea confertur, ea tamen conditione, ut post legitimam aetatem pueri, possit hic propria auctoritate beneficium tale accedere, et recuperare. 4. Denique conditionalis designatio beneficii dicitur, quae fit ex causa permutationis, quando scilicet beneficium, quod habet, dimittit aliquis, ut alterius beneficium sibi conferatur.

SECTIO II.

De beneficiis, quae resignari possunt, vel non possunt.

§. I. *Quae beneficia resignari possint?*

Omnia beneficia ecclesiastica, sive sint curata, sive simplicia, sive sint maiora beneficia, et dignitates, sive minora, sive requirant residentiam, sive non requirant, etiam manualia, patrimonialia, beneficia quae optari possunt, beneficia affecta iure patronatus, beneficia electiva, exempta, reservata sedi apostolicae, et cuiusque demum generis, ac qualitatis sint, resignari possunt (nisi specialiter iure aliquo scripto hoc prohibeatur) modo ea observentur, quae beneficia talia exigunt, ut ne fiat aliquid contra fundatorum voluntatem, vel cum praeiudicio aliquo.

§. II. *Quae beneficia resignari non possunt?*

Expresso tamen iure prohibetur 1. resignatio beneficii litigiosi, de quo scilicet lis alicui mota fuit, pendente lite; sicut enim alienatio rei litigiosae, dum lis pendet, fieri non potest, ut constat ex *toto tit. ff. et c. De litigiosis;* ita nec resignatio beneficii litigiosi fieri potest, lite pendente, ad cavendas praesertim omnes fraudes, quae in tali licita resignatione facile fieri possent. Si tamen in gratiam collitigantis beneficio aiter cedat, valida est talis cessio, cum fiat ad extinguendam litem.

2. Prohibetur resignatio beneficii uniti, antequam unio sortiatur suum effectum, prout patet ex *Trident. sess.* 23. *c.* 18. *de reform.* quia per unionem talem ius acquisitum est illi collegio v. gr., dignitati, aut monasterio, etc. cui unio facta fuit, ut per mortem beneficiati unitum beneficium transferatur in monasterium, collegium, etc. cui plurimum praeiudicaret permissa talis beneficii resignatio, nisi fieret illa pure, et libere, vel in favorem illius, cui unio haec facta est, vel per sufficientem clausulam derogaretur, quoad illam vicem a summo pontifice, tali factae unioni.

3. Prohibentur resignari beneficia in commendam temporalem data, ob utilitatem ecclesiae, donec ei de rectore provisum sit, cum talis nullum ius, aut titulum in beneficio habeat, cui renuntiare possit; et quamvis administrationem habeat, et fructus percipere possit, quae simpliciter, et pure in manibus ordinarii dimittere potest; proprie tamen haec dimissio non dicitur resignatio, sed depositio tantum administrationis.

4. Denique prohibentur resignari pensiones ecclesiasticae, quae apud aliquos beneficii nomine veniunt, nisi pure, et libere eae resignentur, vel in favorem illius, a quo solvenda est pensio, si enim pensionarius hanc pensionem non exigat, censetur tacite ei renuntiare.

SECTIO III.

De iis, qui possunt renuntiare beneficiis, et iis, quibus possunt illa resignari.

§. I. *Qui possint beneficia resignare?*

Ordinarie omnes beneficiati, sive in minoribus beneficiis constituti sint, sive in maioribus, si annos pubertatis excesserint, ex iusta causa beneficia sua, si ea habeant, et haec resignabilia sint, resignare possunt, cum ut sic proprio tantum iuri renuntient, quod quilibet facere potest, qui ius quaesitum in tali re habet, et bono publico, aut nulli alii per talem renuntiationem praeiudicat: et quamvis dubitent aliqui, an summus pontifex papatui renuntiare possit, post Constitutionem tamen *Bonifacii VIII. in c.* 1. *h. t. in* 6. dubitationi huic locus non est, cum expresse in illa Constitutione deciderit pontifex, quod fieri hoc ex iusta causa possit, ita ut nec cardinalium ad hoc consensum habere debeat, nec ullius alterius approbationem, cum neminem superiorem in terris habeat, qui talem resignationem admittere, et approbare debeat. Neque tamen etiam omnium resignationes eadem facilitate admittuntur, facilius enim admittitur resignatio simplicium beneficiorum, etiam canonicatuum, quam resignatio ecclesiarum parochialium, quae se-

cundum stylum Curiae romanae ordinarie non recipiuntur, nisi tribus saltem annis ecclesiam illam parochus resignans possederit; difficilius adhuc admittuntur praelatorum, et similium dignitatum renuntiationes, quae non nisi ex causis gravibus admittuntur.

Adeo tamen, qui post obtentam parochiam sacerdos intra annum ordinari debeat iuxta *c. Licet*, 14. *de electione in* 6. utrum ante elapsum annum, ultimo v. gr. anni illius die, quamvis nondum sacerdos sit, et altero mox die privationem beneficii ipso facto incursurus sit, beneficio huic suo renuntiare possit, etiam in favorem tertii, dubitatur, uti et de quovis criminoso, qui per sententiam iudicis suo beneficio privandus est, antequam beneficio suo sit privatus; cui dubio respondetur, posse tam illum ante elapsum annum, quam hunc ante sententiam iudicis, beneficio suo renuntiare, etiam in favorem tertii, modo in posteriore casu fiat mentio criminis, et motae contra se accusationis, aut inquisitionis, si tamen crimen resignantem non reddat indignum beneficio, ut ne sit dolosa talis renuntiatio: et quamvis etiam illi beneficiati, qui in religione profiteri volunt, possint, durante novitiatus anno, in favorem etiam alterius *argum. c. Beneficium*, 4. *de regula in sexto, iuncta Glossa v. Assensus;* de iure novo tamen Tridentini non potest talis renuntiatio fieri, nisi intra duos menses proximos ante professionem, pluribus aliis etiam adhibitis, de quibus alibi.

§. II. *An, et quomodo clerici infirmi possint beneficia resignare?*

Quod clerici etiam in gravi infirmitate constituti, resignare beneficia sua possint, in favorem etiam alterius, certa, et communis sententia est, cum enim alii actus legitimi a iure illis permittantur, nulla est ratio, quare hoc negetur in materia beneficiorum resignandorum. Ne tamen videantur hi tales de beneficiis suis disponere per viam successionis haereditariae, et ad multas fraudes cavendas, vult *reg.* 18. *Cancellariae apostolicae ab Innocentio VIII. ex c.* 2. *h. t. in* 6. desumpta, validam non fore resignationem talem, sive simpliciter, sive in favorem alterius facta sit, nisi post resignationem factam, 20. adhuc dies (a die per ipsum resignantem praestandi consensus computandos) supervixerit resignans infirmus: quae regula sicuti locum habet in omnibus beneficiis, ac dignitatibus, etiam patronatis, tam in, quam extra Curiam romanam, etiam cum reservatione pensionis, aut fructuum, vel ex causa permutationis factis, ita locum etiam habet in eo casu, quo quis sanus quidem resignavit, ex aliquo tamen superveniente accidente ante 20. dies post factam resignationem, non quidem civili tantum morte, sed naturali moriatur; et requiritur insuper ad verificandam hanc regulam, ut actu hic talis resignaverit per se, vel per procuratorem, coram eo superiore, qui legitimus est, ad talem resignationem acceptandam, et resignatio ab hoc fuerit admissa: et hinc sufficit, signatam tantum a resignante fuisse resignationem, aut promissam, aut constitutum ad resignandum procuratorem, vel Romam quidem missam, aut ad superiorem legitimum, resignationem, nondum tamen ab hoc admissam etc. his enim in casibus non vacaret beneficium per resignationem, quamvis ultra 20. dies a tempore talis constitutionis, transmissionis, signationis, etc. factae hic supervixisset, sed vacaret

vi huius regulae per mortem beneficiati, si a die praestiti consensus coram legitimo superiore ultra viginti dies non supervixisset.

§. III. *Qui resignare beneficia non possint, et quibus possint resignari?*

1. Resignare sua beneficia non possunt criminosi, qui ipso iure, beneficiis suis privati sunt, aut intrusi, et omnes illi, qui nullum titulum canonicum habent, cum enim nullum ius in beneficio, sed sola fortassis possessio illis competat, consequenter nullum etiam ius per resignationem cedere, vel in alterum transferre possunt. 2. Resignare non possunt prius beneficium, qui ad secundum cum primo incompatibile promoti sunt, quia per legitimam adeptionem secundi, primum ipso iure vacat, iuxta *c. De multa*, 28. *de praebend. et Trident. sess.* 7. *c.* 4. *de reform.* 3. Resignare non possunt sua beneficia, nec ex causa permutationis, mente capti, et furiosi clerici, cum enim careant iudicio rationis, consequenter non minus inepti sunt ad resignanda sua beneficia, quam ad alios actus legitimos, nisi fortassis lucida intervalla habeant, et tum temporis resignationem faciant, cum tali tempore cesset causa, propter quam resignare non possunt. Possunt autem per se omnibus clericis beneficia resignari, modo debitas qualitates, et conditiones habeant, cum regulariter, cui conferri potest beneficium, illi etiam resignari possit.

SECTIO IV.

De causis, ob quas renuntiationes beneficiorum valide, et licite fieri possunt.

Certum est, quod beneficiorum renuntiatio fieri non possit, sine iusta, et legitima causa, ne nimia in resignandis beneficiis libertas in maximum detrimentum ecclesiae cedat: qualis autem causa sit iusta, et legitima, in genere definiri non potest; quamvis certum sit, quod gravior causa requiratur in resignatione episcoporum v. gr. quam in resignatione aliorum minorum beneficiatorum.

§. I. *Ex quibus causis possit Episcopus, aut debeat episcopatui renuntiare.*

Sex causae de iure canonico sunt expressae, propter quas episcopus confirmatus cedendi licentiam potest, vel etiam debet postulare, uti habetur *in c. Nisi cum pridem*, 10. *h. t.* Prima scilicet est conscientia criminis (quod impedit executionem officii sui, etiam post peractam poenitentiam, qualia sunt illa crimina, quae depositionis poenam, aut perpetuam suspensionem, aut iuris infamiam secum trahunt). Secunda est debilitas corporis (per quam impotens redditur ad exequendum officium suum pastorale, uti colligitur ex *c.* 1. *h. t.*). Tertia est defectus scientiae (praesertim ad spiritualium administrationem necessariae, et sufficientis, nisi confirmatus talis sufficientem quidem scientiam non habeat, spes tamen sit, quod intra breve tempus sufficienter de ea sibi sit provisurus). Quarta est malitia plebis (cui cum suo episcopo pessime convenit, ut nullius ex hoc episcopo fructus apud cervicis durissimae plebem spectari possit). Quinta est grave scandalum po-

puli, quod ex praesentia huius episcopi patitur (non quidem si scandalum tantum pharisaicum sit, quod cavendum non esse, ipse Christus admonet, sed si scandalum sit, quod ex ignorantia, aut infirmitate populi provenit, et communiter scandalum pusillorum vocatur). Sexta denique causa est irregularitas, cum talis episcopus non possit exercere actus episcopales, nec cum illo a summo pontifice dispensetur. Hae tamen causae omnes ad duas potissimum revocari possunt, ad utilitatem scilicet, aut necessitatem ecclesiae; harum enim una si non interveniat, neque cum his causis facile dispensatur.

§. II. *An ex aliis causis, praeter sex allatas, possit episcopus renuntiare episcopatui?*

Resp. probabile esse, quod possit, dummodo causa sit utilis ecclesiae, et honesta, cum per enumeratas a iure Canonico causas, frequentius occurrentes, non excludantur aliae honestae causae, utilitatem ecclesiae maxime concernentes; et quod in iure dicatur, petitionem cessionis ex aliis causis factam, non esse discretam, prout habetur *in c. cit. Nisi pridem*, §. *Verum h. t.* intelligendum tantum videtur de aliis causis non iustis, nec honestis, sed indiscretis, etc. nisi malis dicere, omnes alias causas ad has 6. revocari posse, ita ut non audiendus sit episcopus, si nullam ex allatis sex assignare possit: et hinc non videtur audiendus episcopus, ad renuntiandum suo episcopatui, cui utiliter adhuc praeesse potest, si sub praetextu humilitatis, aut divinae inspirationis, ut quietius Deo servire possit, ut contemplativae vitae magis deditus sit, ut in religione profiteatur etc. renuntiare velit, ut patet ex citato *c. Nisi*, et *ex cap. secundo, de translat. episcop.* neque professio in religione sine licentia summi pontificis facta, aut votum, quod de ingredienda religione episcopus fecit, valet, quia Deus talem promissionem contra prohibitionem ab ecclesia factam non acceptat.

§. III. *Ex quibus causis fieri possit renuntiatio ecclesiarum, dignitatum ecclesiasticarum, et beneficiorum curatorum, vel etiam simplicium?*

Quae causae a iure conceduntur, ut episcopi suis episcopatibus renuntiare possint, eae etiam sufficientes sunt ad renuntiandum aliis dignitatibus, et beneficiis, tam curatis, quam simplicibus; quae enim sufficiunt, ut arctius vinculum dissolvatur, sufficiunt etiam, ut dissolvatur minus arctum vinculum: immo plures adhuc, et leviores causae sunt, ob quas extra Curiam, ordinarii locorum resignationes beneficiorum pure factas admittunt, ut praxis docet, et videri potest in *Bulla Pii V. Quanta Ecclesiae*, quae legi potest apud *Quarantam in summa Bullarii, v. Beneficiorum resignationes*, ex quibus causis admittere possunt episcopi resignationes, ita tamen, ut resignans clericus aliunde habeat, quo vitam honeste sustentare possit, et cum expressa prohibitione, ne taliter resignata beneficia, suis, aut resignantis consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, conferant episcopi; quae tamen cautio, ad multas quidem fraudes cavendas utilis, in nostris partibus vix obligare videtur.

SECTIO V.

Coram quo superiore, et cuius auctoritate renuntiatio beneficiorum facienda est, et admittenda.

§. I. *An clericus beneficiatus possit, propria auctoritate sine consensu superioris, beneficium resignare?*

Quod non possint clerici beneficiati, pro suo arbitratu, beneficia, quae canonice obtinuerunt, et quorum collatio, confirmatio, aut institutio illis iam facta fuit, dimittere sine episcopi consensu, cuius auctoritas, admittentis resignationem, intervenire debet, clare patet ex *c. Admonet*, 4. *h. t.* ubi sub poena excommunicationis hoc prohibetur, ut ne scilicet fiat aliquid in praeiudicium superioris; et quamvis aliqui probabiliter putent, hoc intelligi non debere de beneficio litigioso, quod in favorem collitigantis cedere quis potest, cum in tali renuntiatione nullum videatur fieri superiori praeiudicium, contrarium tamen etiam probabile est, cum prohibitio loquatur universaliter, et ecclesiae intersit, etiam hanc renuntiationem scire, et hinc etiam clericus criminosus, qui quidem ipso facto beneficio suo excidit, si tamen titulum coloratum, et putativum, ac possessionem beneficii retineat, debet coram superiore legitimo renuntiare, non quidem titulum, et ius verum in beneficio, quod nullum amplius habet, sed titulum putativum, et possessionem: qui modus, ut in superioris manibus dimittatur beneficium, in eo casu etiam locum habet, quo per pacificam adeptionem secundi beneficii cum priore incompatibilis, prius ipso iure vacat, iuxta *c. De multa de praebenda.*

§. II. *An renuntiatio beneficii facta, sine superioris auctoritate, sit valida?*

Coram laico, quamvis patronus ille sit, aut regia dignitate praefulgeat, facta renuntiatio irrita est, *c. Quod in dubiis*, 8. *h. t.* cum laicus non sit legitimus in causa spirituali beneficiorum superior: et licet resignatio talis coram laico facta, nulla sit, resignans tamen taliter suo beneficio, spoliandus esse dicitur (si iterum de manu laica illud recepit) in poenam scilicet attentatae huius renuntiationis coram laico faciendae; si tamen sponte, et non coacte resignationem hanc fecit; quod si tamen resignatio beneficii coram clerico, sive in manibus clerici fiat, qui tamen legitimus superior non est, in ordine ad admittendam resignationem, neque huius admittendae potestatem habet, valida quidem est talis renuntiatio, in praeiudicium resignantis, qui beneficium taliter resignatum, repetere non potest; quoad ecclesiam tamen, seu superiorem legitimum invalida est, ita ut in superioris arbitrio sit, utrum taliter renuntiantem cogere velit ad retinendum beneficium resignatum, aut ad dimittendum, iuxta *Gloss. in relat. c. Quod in dubiis, v. In manum laicam.* Probabile tamen etiam est, quod resignans, sive in clerici non superioris sui manibus, sive in manibus laici beneficium suum resignaverit, poenitere adhuc possit, et retinere suum beneficium, si nondum a legitimo superiore resignatio admissa fuit, cum eum tantum privandum suo beneficio dicant iura, qui postquam in manibus laici suum benefi-

cium resignavit, ab eodem iterum, et ex manibus laici, hoc beneficium recipit.

§. III. *Quinam habent potestatem admittendi renuntiationes beneficiorum, vel non?*

Fieri ergo debet renuntiatio in manibus superioris ecclesiastici, prout sumitur ex *relat. c. Quod in dubiis*, et quidem illius superioris, ad quem pertinet non tantum ius sive potestas conferendi beneficia, sive instituendi beneficiatos, sed etiam eosdem destituendi, seu deponendi, cum renuntiationis admissio babeat vim destitutionis; et hinc, cui ex speciali privilegio, vel consuetudine praescripta, competit ius, et potestas conferendi beneficia, non ideo etiam potest renuntiationes talium beneficiorum admittere, cum aliud sit destituere beneficiatum, aliud sit instituere; et quamvis hodierna praxis habeat, saltem circa simplicia beneficia, etiam canonicatus, ut iidem capitulares resignationes talium beneficiorum recipiant, si ad eos independenter ab episcopo de iure ordinario conferre ea pertineat (in quem sensum etiam intelligi debent illi auctores, qui generatim dicunt, coram illis resignationes beneficiorum faciendas, quorum est ea conferre) de curatis tamen, quorum institutio, et destitutio ad episcopum pertinet, hoc intelligi non debet.

Et hinc sequitur, quod omnia beneficia, qualiacunque illa sint, in tota ecclesia, in quibusvis etiam ordinariorum mensibus, resignari possint in manibus pontificis, cui plena potestas in beneficialibus competit; et quae ab eo ordinariis data est circa haec potestas, cumulative illis cum pontifice, non privative competat. Immo sunt aliqua beneficia, quae ratione suarum praerogativarum, exemptionum, privilegiorum etc. non nisi in Curia romana resignari possunt, uti sunt cardinalatus, patriarchatus, primatus, archiepiscopatus, et episcopatus, item beneficia maiora in cathedralibus post pontificatus, et principales dignitates in collegiatis, beneficia exempta, soli summo pontifici subiectas, etc. et quamvis etiam legati a latere eorum beneficiorum, quae conferre possunt, resignationes recipere possunt, quia ob praerogativam honoris, maiore etiam auctoritate pollent, nuntiis tamen apostolicis, sive legatis missis, haec resignationum recipiendarum potestas non competit, nisi speciali privilegio illis commissa sit. Possunt tamen etiam locorum ordinarii eorum beneficiorum in sua dioecesi existentium resignationes recipere, quae sunt illorum iurisdictioni subiecta, nisi speciale quid sit circa maiora aliqua beneficia statutum: quam potestatem tamen, nec archiepiscopus extra casum visitationis in toto suo archiepiscopatu habet, cum extra casum visitationis, et appellationis nullam habeat in suorum suffraganeorum dioecesibus: nec vicarius generalis, nisi specialiter haec etiam potestas illi commissa sit: nec capitulum cathedrale, vivente episcopo, respectu totius dioecesis, sed tantum vacante sede, cum in hoc casu episcopalis iurisdictio ad illud devolvatur.

§. IV. *Quinam habent potestatem admittendi renuntiationes beneficiorum puras, seu simplices, aut conditionales?*

Simplex, seu pura beneficiorum renuntiatio etiam coram ordinariis locorum fieri potest, aut aliis, qui ius resignationes admittendi praescripse-

runt, nisi qualitas beneficii aliud iubeat; non autem, quae in favorem certae personae fiunt, quae tantum fieri possunt in manibus papae, prout stylus, et usus curiae, ac recepta consuetudo docet, ad avertendum scilicet omne periculum, quod in tali conditionali resignatione facile intervenire potest, et ut ne beneficium nondum vacans alteri conferatur, quod nemo facere potest, nisi solus summus pontifex; et quamvis resignans velle possit, ut certae cuidam personae beneficium hoc a se resignatum conferatur, aut renuntiationi, seu certum modum addere possit, obligare tamen non potest eum, qui talem resignationem admittit, ut hoc facere teneatur, cum facta coram ordinario resignatio simplex, et pura sit, nullam admittens clausulam conditionis, aut modi obligantis ad conferendum tale beneficium certae personae. Putant quidem aliqui factam resignationem, cum tali clausula obligante, ab episcopo admitti posse, ita tamen, ut clausula talis reiiciatur, et pro non adiecta habeatur: rectius tamen putant alii, quod neque hoc fieri possit, cum actus sub conditione aliqua factus, non possit secundum partem aliquam admitti, et secundum aliam partem non admitti, quod fieret in tali casu, sed debet vel totus admitti, vel totus reiici, ut ne, si dividatur, immutatus videatur. *L. Aurelius* §. *idem quaeritur ff. de libertate legata.*

Simili modo resignatio conditionalis beneficii, cum reservatione certae pensionis, sive haec in pecunia, sive fructibus danda sit, aut cum reservatione ingressus, accessus, aut regressus fieri non potest, coram ordinario, sed tantum coram summo pontifice, qui solus ex plenissima sua circa beneficia potestate, pensionem beneficio imponere, et regressum, accessum, aut ingressum concedere potest, cui plenitudini non praeiudicat *Tridentin.* regressus tales, aut accessus prohibens *session.* 25. *cap.* 7. *De reformat.*

SECTIO VI.

De modo, quo fieri debet, vel potest renuntiatio beneficiorum.

§. I. *Quae requirantur ad legitimam renuntiationem beneficii faciendam?*

1. Requiritur, ut renuntiatio talis sit spontanea, et libera, non vi aut gravi metu extorta, aut dolo obtenta, quae vel ipso iure irrita est (in casu scilicet absolutae violentiae illatae) vel per sententiam iudicis rescindenda est (in casu scilicet quo gravi metu, aut dolo extorta est) prout sumitur ex *c. Super hoc*, 5. *h. t. et ex c. Accepta*, 3. *De restit. spoliat.* 2. Debet esse pura, nulla scilicet interveniente simonia *c. Cum pridem*, 4. *et c. ult. De pact. c. Ex parte*, 12. *iuncta Gloss. v. Omnino, de offic. iud. deleg.* ita ut ipso iure irrita sit, si simonia intervenerit, ut constat ex *Extravag.* 2. §. *Per electiones, de simonia*, *inter communes*, etiamsi iuramento firmata sit. 3. Si beneficium patronatum resignetur, aut quod ad alterius collationem pertineat, requiritur huius consensus non quidem, quod ordinarium, qui putat ob utilitatem aut necessitatem ecclesiae, renuntiationem hanc admittendam, urgere possit, ut non admittat, sed ut ab illis approbetur, quos talis renuntiatio tangit: et hinc putant aliqui sufficere, etiamsi post admissam resignationem haec illis significetur, ut norint alium sibi praesentandum, vel alii

beneficium tale conferendum. 4. Ut fiat specifice, et expressis verbis, si sit expressa renuntiatio (cum in dubio nemo praesumendus sit beneficia resignare, magnis expensis, et laboribus fortassis quaesita, et unde sustentari debet), et quidem extra romanam Curiam fieri debet in scriptis (quamvis necessario, et de iure communi hoc non requiratur) ad meliorem scilicet renuntiationis probationem, supplicando illi, cuius est admittere resignationem, ut hanc admittere velit, ob causas in tali libello supplici expressas. 5. Denique requiritur, ut praestetur consensus a resignante, vel personaliter per ipsum resignantem, vel per procuratores eorum in cancellaria vel camera apostolica, si renuntiatio coram papa fiat, ut certior notitia habeatur de voluntate resignantis.

§. II. *De renuntiationibus quibusdam beneficiorum in specie, an sint simoniacae, nec ne?*

Certum est, quod simoniam contra ius naturale, et divinum committat, qui beneficium suum resignat pro pecunia, aut alia temporali re, ex pacto vicissim accepta, prout sumitur ex *c. Cum pridem*, 4. *de pact.* cum sit clara venditio rei spiritualis pro temporali: quod si vero res spiritualis pro resignatione beneficii ex pacto accipiatur, non quidem iuris divini simonia committitur, sed iuris positivi ecclesiastici, huiusmodi pactiones omnes, tanquam simoniacas, prohibentis *c. ult. De pact.* neque tamen simoniaca resignatio est, in favorem alterius coram papa resignare (cum in tali casu nec det temporale pro spirituali, nec pactio aliqua illicita interveniat) neque simoniaca resignatio est, resignare beneficium, cum reservatione pensionis certae, si coram eo fiat, qui potest beneficio imponere pensionem, cum nec in isto casu pactio interveniat, cogens illum, qui admittit renuntiationem, ut pensionem imponat, sed supplicet tantum resignans pro pensione sibi reservanda, quam alter in gratiam resignantis libere imponere potest, vel resignationem non admittere; vel si pactio aliqua interveniat inter eum, qui resignat, et inter eum cui resignatur, illa tantum sit sub conditione papae approbantis. Quod si tamen resignans in favorem tertii absolute cum eo paciscatur, ut expensas, et sumptus in acquirendo beneficio, aut huius possessione etc. factos, sibi restituat, ex probabiliore sententia, simoniaca resignatio est, cum omne pactum in rebus spiritualibus de onere temporali a iure Canonico reprobetur: quo modo etiam illicita, et simoniaca est illa transactio, qua partes litigantes propria auctoritate inter se conveniunt, ut una pars lite, et iure beneficii cedat, altera vero temporale quid det, expensas v. gr. factas restituat: *c. Cum pridem*, 4. *de pact.*

§. III. *An, et quo pacto contra repetentem beneficium, spontaneae renuntiationis exceptio opponi possit?*

Repetenti beneficium, sive ius proprietatis beneficio, obstat spontaneae renuntiationis exceptio, et amitti debet, etiamsi nulla causa factae renuntiationis fuerit expressa, modo probari possit a reo exceptio: et hinc quamvis actor suae petitionis causam exprimere debeat, et proponere in iudicio *c. 2. De libel. oblat.* reus tamen causam suae exceptionis exprimere ordina-

rie non tenetur, cum sint favorabiliores partes rei, quam actoris, et hic ad obligandum alterum agat, ille ad se liberandum. Si tamen beneficiatus actor ad recuperandam possessionem, qua spoliatus fuit, agat, et probare velit spoliationem, non potest illi factae renuntiationis exceptio obiici, nisi prius restitutus sit, cum spoliatus ante omnia sit restituendus.

§. IV. *De renuntiatione beneficiorum, quae fit per Procuratorem.*

Potest quidem renuntiare aliquis beneficio suo, non tantum per se ipsum, sed etiam per procuratorem (quod enim quis potest per se ipsum, id ipsum potest etiam per alium, nisi iure prohibeatur), et quidem non tantum per procuratorem clericum, sed etiam per laicum (cum etiam laici possint tractare res spirituales, si nudum ministerium, sive mera executio illis committatur) sive unus, sive plures procuratores ad resignandum constituti sint, et vel quilibet in solidum (quo in casu datur locus praeventioni in resignando) sive, ut omnes iure renuntient etc. plura tamen adhuc alia requiruntur, ut legitima sit constitutio procuratoris ad resignandum deputati: Et 1. quidem non sufficit mandatum generale, quamvis cum libera, et amplissima potestate datum sit, sed debet intervenire ad multas fraudes cavendas mandatum speciale, ad renuntiandum, in quo exprimatur nomen beneficii, et locus, ubi situm est beneficium; nomen proprium, et cognomen procuratoris; et quod ei data sit potestas resignandi beneficium nominatum, loco, et vice principalis constituentis. 2. Requiritur, ut mandatum procuratorium sit in scripturam, sive instrumentum publicum redactum, et obsignatum sigillo publico iudicis ordinarii, vel communitatis, et postea recognitum, ac ab ipso tabellione, seu notario subscriptum. 3. Requiritur, ut instrumentum tale non sit cancellatum, seu rasum, et deletum, saltem in loco principali. 4. Denique requiritur, ut constitutio procuratoris facta fuerit sponte, et libere, prout habetur in *Clement. unica h. t.* Extra curiam tamen renuntiatio etiam fieri potest, per mandatum in literis privatis datum, ita tamen, ut fiat coram legitimo superiore, et forma mandati observetur; nisi haec in melius principalis resignantis emolumentum mutetur, ubi non tam forma mandati, quam utilitas principalis resignantis observatur.

Patet autem etiam ex relata *Clement. unic. h. t.* quod revocari possit a principali, qui procuratorem constituit, constitutus hic procurator, ante factam resignationem (cum in omni casu, re adhuc integra, mandatum revocari possit, §. *Recte institut. de mandat.*) ita tamen, ut haec revocatio suam utilitatem non habeat, nisi postquam ad procuratoris notitiam, per intimationem ipsi factam, vel ad superioris, coram quo renuntiatio facienda esset, pervenerit, aut malitiose, quominus ad illius notitiam pervenerit, impedita fuerit (tum, ut ne malitiae aliquid tribuatur; tum, ut multae deceptiones impediantur) ita ut, quamvis per litteras privatas, ne ulterius in negotio procedat, non revocetur procurator hic constitutus ad resignandum, suspendatur tamen ulterior processus, quamvis supplicatio pro resignatione admittenda porrecta, iam signata fuisset, et a datario recognita. Exspirat tamen etiam morte mandantis, procuratorium hoc ad resignandum datum

mandatum, quamvis mors mandantis procuratori nondum innotuerit, *iuxta Gloss. communiter receptam, in relat. Clement. unic. v. Quomodo libet,* (cum omnes obligationes, et vincula per mortem dissolvantur) nisi ante mortem resignantis supplicatio, a procuratore ad resignandum porrecta, signata iam a pontifice, et a datario recognita fuisset, quo in casu etiam post mortem mandantis suum consensum in renuntiationem dare potest procurator, uti ex *Constitut. Alexandri VI., et Leonis IX.* colligitur. Quamvis enim procurator nova incipere non possit post mortem principalis, potest tamen coepta ante mortem illius postea perficere.

§. V. *De publicandis resignationibus beneficiorum.*

Ad cavendas multas fraudes, et multa incommoda evitanda, volunt iura, praesertim *Gregorii XIII. Constitutio, Humano vix iudicio,* ut omnium beneficiorum resignationes publicentur, sive sint simplicia, sive curata, etiam iuris patronatus, et electiva, saecularia, et regularia, perpetua, et temporalia, sive manualia (exceptis beneficiis consistorialibus, quae in romana Curia in consistorio conferuntur, uti sunt archiepiscopatus, et episcopatus, etc. ubi cessat fraudis periculum) sive extra curiam, sive in curia resignata sint, sive ex causis permutationis, sive cum reservatione pensionis, etc. cum nimis universaliter loquatur constitutio. Debent autem publicari a quibusvis resignatariis, etiam exemptis, etiam officialibus Curiae romanae, immo ab ipsis etiam cardinalibus, si in eorum favorem beneficia aliqua resignentur, et quidem intra sex menses, si in Curia romana resignatum sit beneficium, et hoc situm sit citra montes; si vero ultra montes situm sit, intra 9. menses a die supplicationis datae, et resignatae. Si vero extra Curiam coram ordinariis locorum resignatio facta sit, intra tres menses a die, quo collatum beneficium resignatum fuit, computandos, quod intra mensem a tempore factae resignationis, sub poena privationis iuris conferendi, a collatore incurrenda, nisi intra mensem resignatum beneficium resignatario contulerit, et sub poena nulliter factae resignationis, si forma Gregorianae constitutionis in factis his resignantibus servata non fuit. Vix videtur tamen Bulla haec Gregoriana circa talia coram ordinariis locorum resignata beneficia in nostris partibus esse usu recepta, iuxta quam deberet haec publicatio extra curiam fieri in ecclesia cathedrali, et parochiali, ubi, vel intra cuius limites, beneficium resignatum existit, quod non observatur.

SECTIO VII.

De effectibus renuntiationis.

§. I. *Qui sint effectus renuntiationis purae, ac simplicis?*

Primus, et praecipuus huius renuntiationis effectus est, quod beneficium taliter legitime resignatum vacet, et resignans taliter amittat omne ius in beneficio, etiam ad fructus, ac omnem possessionem, postquam talis renuntiatio a legitimo superiore admissa fuit (prout habetur *in c. 3. et 5. h. t. et c. 2. eod. in 6.* ac natura renuntiationis purae et simplicis requirit) sive per se, sive per legitimum procuratorem taliter resignaverit: quod si vero ius in re non-

dum habuerit resignans, sed tantum ius ad rem, hoc etiam per resignationem taliter factam amittit, prout sumitur ex *c. In praesentia*, 6. *h. t.* Immo si tantum licentiam a superiore instanter petivit, cedendi suo beneficio, postmodum vero, hac licentia impetrata, resignare non vellet, cogi potest ad resignandum, si in petenda licentia praetendit, talem renuntiationem pro animae suae bono, pro ecclesiae commodo futuram, uti asseritur in *c. Quidam*, 12. *h. t.* ne videatur superiori tantum illudere voluisse, qui talem licentiam taliter petivit.

§. II. *An renuntians redire possit ad beneficium resignatum, et an descendere a digniore beneficio ad minus dignum?*

Quod possit, qui sub iuramento etiam renuntiavit suo beneficio, non obstante hac resignatione iurata, ad idem beneficium ex novo titulo redire, si iterum illi v. gr. conferatur, sive ad illud iterum praesentetur etc. certum est ex *c. Cum inter*, 2. *h. t.* cum renuntiatio talis, et annexum iuramentum strictae sint interpretationis, et futura non praesumantur comprehendere, ac in omni iuramento salvum debeat esse ius superioris, *c. Veniente*, 19. *de iure iuran.* nisi ob crimen renuntiaverit episcopatui, et religiosus factus sit, poenitentiae agendae causa; hic enim, etsi de novo in episcopum eligatur, ad eundem redire tamen non potest, uti habetur in *c. Post translationem*, 11. *h. t.* immo potest, si maiori dignitati v. gr. renuntiavit, minus dignum, et inferius beneficium admittere, *c. Ad supplicationem*, 9. *h. t.* cum melius illi sit, habere beneficium minus, ex quo sustentetur, quam carere maiori dignitate cum defectu sustentationis.

§. III. *De effectu renuntiationis conditionalis, et resignatione beneficii in fraudem alterius facta.*

Ad primum *resp.* conditionalis renuntiationis plenum effectum, ita ut vacet beneficium taliter resignatum non haberi, antequam conditio, sub qua fit renuntiatio, purificata est, et adimpleta, prout actuum conditionatorum ratio requirit: et hinc nulla est renuntiatio in favorem alterius certae personae facta, et admissa, si postmodum non eidem, in cuius favorem resignatum est, sed alteri cuidam tertio conferatur beneficium.

Ad secundum *resp.* nullam esse resignationem beneficii, quae fit in fraudem alterius, uti colligitur ex *c. Si tu*, 2. *h. t. in* 6. non enim debet quis alterius odio praegravari, regula 20. in 6., neque fraudatori sua malitia debet esse lucrosa *l.* 1. *ff. de dolo.*

TITULUS X.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRAELATORUM.

§. I. *Quomodo defectus, seu negligentia praelatorum inferiorum in conferendis beneficiis commissa, per devolutionem potestatis ad superiores suppleatur.*

Si ordinarius collator, ad quem spectat beneficiorum provisio intra tempus a iure definitum, beneficium vacans non contulerit, is iure conferendi pro ea

vice privatur, et regulariter illud ad immediatum superiorem devolvitur, et ab hoc negligente gradatim ad alium superiorem *cap.* 2. *De concess. praebend. et c. Licet*, 3. *h. t.* Ita statuente iure, ne beneficia diu vacent, et ne diu iura eorum sint in incerto, quod utrumque ecclesiae damnosum est; neque conceditur post elapsum tempus, quod ad eligendum, vel conferendum concessum est, purgandi moram licentia, uti tradit *Gloss. fin. in relat. c. Licet* (canon enim latae sententiae, qualis est hic privationis, et devolutionis, habet in se executionem, ut omnia declarari debeant irrita, quae contra talem canonem acta fuerunt) quamvis per patientiam, vel ex misericordia tolerari possit, statuente pontifice, si mox elapso tempore, electio vel collatio ab ordinariis facta fuerit *c. Litteras*, 4. *h. t.* talis enim a papa concessa expressa tolerantia, ius in beneficio tribuit, et vim novae provisionis habet. Dixi tamen regulariter hoc fieri, quod si enim ad episcopum iure proprio collatio beneficii spectet, et in hoc conferendo ultra tempus a iure concessum ille sit negligens, devolvitur collatio huius beneficii ad capitulum cathedrale, quamvis hoc inferius sit episcopo, propter communicationem scilicet quae est inter episcopum et capitulum, tamquam caput, et membra eiusdem corporis, ut merito unius defectus per alterum suppleatur iuxta *relat. c.* 2. *De concess. praebend.* prout solum etiam capitulum conferre potest, in casu, quo collatio beneficii alicuius coniunctim ad episcopum, et capitulum pertinet, si monitus episcopus de tempore collationis faciendae moram inutilem trahat. Quod si tamen in tali casu, quo ad episcopum scilicet, et capitulum collatio beneficii pertinet, utrumque negligens sit ultra tempus a iure concessum ad collationem, devolutio fit ad horum immediatum superiorem, sicuti etiam in casu negligentis episcopi circa beneficia iure devolutionis ad eius collationem spectantia, prout desumitur ex *c.* 2. *De concess. praebend.*

§. II. *Per quem, et quomodo praelatorum regularium negligentia in conferendis beneficiis, vel praesentando ad illa suppleatur?*

Casu quo praelati regulares, ad quos beneficiorum collatio, aut praesentatio spectat, intra spatium a iure concessum, saecularia, vel regularia beneficia non conferant, aut ad ea non praesentent, tum si episcopo subiecti sint, aut saltem, illis exemptis, beneficia; ius conferendi talia ad eum episcopum devolvitur, in cuius dioecesi beneficium vacans situm est: si vero exempti sint tam ipsi, quam beneficia, circa quae conferenda negligentiam admittunt, ius conferendi immediate ad pontificem devolvitur, prout statuitur in *Clement. un. h. t.* et *c. Cum singula*, 42. §. *Prohibemus, de praebend. in* 6. ita tamen ut hic, ad quem devolutio facta est, eodem iure uti debeat, quo uti potuit ille, cui succedit, easdem observando qualitates, et conditiones.

§. III. *Quomodo, et per quos in aliis, praeter beneficiorum collationem, negligentia, aut defectus praelatorum suppleatur, etiam ecclesia vacante?*

Si episcopus in administratione suae iurisdictionis negligens sit, moneri quidem a suo archiepiscopo, et compelli poterit sub interminatione poenae alicuius competentis, ad obligationi suae satisfaciendum; illius tamen iurisdictio non devolvitur ad archiepiscopum, praeterquam in casibus iure ex-

pressis, in materia enim prohibitoria (sicuti prohibitum est archiepiscopo in sui suffraganei subditos exercere iurisdictionem) quod non est concessum, censetur esse prohibitum; atqui nullibi in iure concessum est archiepiscopo, sui suffraganei negligentiam, in iurisdictionis suae administratione supplere; ergo non potest: et ob hanc ipsam rationem neque ad capitulum in tali casu iurisdictio episcopi devolvitur (quod enim de beneficiis concessum est capitulo, non debet ad alia prohibita extendi) neque ad archiepiscopum, si episcopus sit excommunicatus v. gr. prout sumitur ex *c.* 1. *h. t. in* 6. Quod si tamen episcopus omnino, aut absolute impeditus sit ad suae iurisdictionis exercitium, vel ob amentiam, vel ob captivitatem apud hostes diuturnam etc. habebit interim capitulum ecclesiae cathedralis iurisdictionem in dioecesis subditos, sicuti habet, vacante sede; uti habetur in *c. Si episcopus,* 3. *h. t. in* 6. quia enim perinde se habet in tali casu ecclesia talis, ac si vacaret, consequenter etiam ad capitulum, ad quod, sede vacante, iurisdictio episcopi transit, devolvetur in tali casu iurisdictio, donec summus pontifex aliter provideat, coadiutorem deputando, vel administratorem, aut visitatorem, cum potestate etiam conferendi beneficia.

TITULUS XI.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, ET QUALITATE ORDINANDORUM.

SECTIO I.

De ordinibus, et qualitate ordinandorum, potestate ordinandi, et accidentibus ordinationum.

§. I. *An prima tonsura, et episcopatus sint ordines, et quidem distincti a caeteris?*

Probabilius est, quod prima tonsura non sit ordo ecclesiasticus proprie dictus, sed mera dispositio ad ordines, per quam fit tonsuratus capax ordinum, iurisdictionis ecclesiasticae, privilegiorum, ac beneficiorum ecclesiasticorum; cum enim per ordines proprie dictos certa quaedam potestas ad functionem aliquam ecclesiasticam conferatur, ut ex *Trident.* habetur, per primam vero tonsuram nulla talis specialis potestas conferatur, sed tantum capax quis fiat ad ordines licite accipiendos, consequenter ordo proprie dictus non est: et hinc si in iure Canonico tonsura clericalis Ordo v. gr. dicatur, late sumi debet nomen ordinis. Episcopatum vero proprie dictum ordinem esse, communis est canonistarum, et probabilior sententia, qui proprium, et distinctum characterem imprimat, uti probatur tum ex *Can.* 1. *distinct.* 21. et *c.* 1. *De ordinatis ab episcopo, qui renuntiavit etc.* et *ex Trident. sess.* 23. *canone* 7. tum ex eo, quod distinctam materiam, et formam episcopatus, ab aliis ordinibus habeat, et diversam potestatem conferat, quam alii ordines non conferunt: negari tamen non potest, quod ad sui exercitium praerequirat episcopatus sacerdotium, ita ut nec valide, nec licite ordinis episcopalis functiones exerceri possint ab episcopo non sacerdote, et consequenter episcopalis ordo adaequate sumptus essentialiter includat sacerdotium; ob quam causam aliqui dicunt, non quidem adaequate distinctum esse ordinem epi-

scopalem a sacerdotio, esse tamen inadaequate distinctum, tamquam includens ab incluso.

§. II. *De ordinandis, et quinam iure divino inhabiles sint ad ordines suscipiendos?*

1. Incapax est iure divino suscipiendi ordinis foemina, quod patet tum ex perpetua praxi, et traditione Ecclesiae, tum quia Ordo eminentiam potestatis, dignitatis, officii etc. in ecclesia infert, quorum nihil foeminis, quae iuxta Apostolum in ecclesia docere non debent, et potius debent subesse, convenit: sed nec primae tonsurae capax est foemina, cum enim prima tonsura sit dispositio ad ulteriores ordines, consequenter qui ordinum incapax est, est etiam primae tonsurae incapax; et quamvis multus sermo sit in iure Canonico de foeminis diaconissis, censeri tamen non debet, quod hae constitutae fuerint in ordine diaconatus, sed taliter vocabantur, quia vel per diaconissam intelligebatur abbatissa, vel quia coniuges diaconorum erant, vel quia ad specialia quaedam ecclesiae munera, quae nullum quidem ordinem requirunt, peculiarem tamen curam, et munditiam requirebant, fuerunt deputatae. 2. Incapax est ordinis suscipiendi de iure divino, non baptizatus baptismo fluminis, uti patet ex *c.* 1. *et* 2. *De presb. non bapt.* et ex eo, quod baptismus fluminis sit prima ianua sacramentorum omnium. 3. Nulla est illius ordinatio, qui per vim absolutam positive dissentiens, et contra reclamans ordinatur, ut constat ex *c. Maiores*, 3. §. *Item quaeritur, de bapt.* et ex eo, quod Deus velit suorum mysteriorum voluntarios ministros. Et quamvis infans, et amens valide ordinari possint, positive tamen dissentiens, et reclamans, nec valide ordinari potest, cum aliud sit non consentire, quod fit in ordinatione infantis, et amentis, aliud sit positive dissentire, quod fit in nostro casu. Quod si vero metu gravi cadente in virum constantem, extrinsecus, et iniuste excusso, ad ordines accipiendos cogatur aliquis, valide quidem ordinatur, cum tale voluntarium sit absolute voluntarium, voto tamen continentiae, in susceptione ordinum sacrorum incluso, et Officii canonici dicendi onere non obligatur, cum haec onera ab ecclesia imposita, maiorem libertatem requirant, quam quae est a metu coacta, et non sint essentialiter connexa.

§. III. *Quinam iure humano, sive ecclesiastico prohibiti sint, ordines ecclesiasticos suscipere?*

Impediuntur praeterea de iure humano ecclesiastico, ordines licite saltem accipere. 1. Qui aetatem de iure requisitam ad ordinem certum accipiendum nondum habent, cum enim ordinati morum maturitate praecellere debeant, merito non quaelibet aetas ad quemlibet ordinem sufficit; et quamvis antiqua iura varie de aetate ad quemlibet ordinem requisita, loquantur, sequimur tamen hodie, quoad aetatem ordinandorum, *Concilium Tridentin.*, quod *sess.* 23. *c.* 12. *De reformat.* ad subdiaconatum nemiuem promovere vult ante 22. aetatis annum; ad diaconatum vero ante 23. et ad presbyteratum ante 25. (intelligendo semper annos inchoatos, ne nimium ab antiquo iure discedatur) quibus vero ordinibus a *Tridentin.* nulla certa aetas prae-

scripta est, in ea discernenda, ius antiquum etiam hodie locum habet; et hinc ad minores ordines (caeteris paribus) aetas sufficit maior infantia, id est septennium completum, ut notat *Gloss. final. in Clementin. ultim. de aetate et qualitate etc.* et ad episcopatum annus trigesimus completus.

2. Prohibentur de iure Canonico ordinari illiterati, vel nullam scientiam habentes, aut certe non sufficientem ad ordinis susceptionem, et executionem. (Nam *literis carens, sacris non potest esse aptus officiis*, ut dicitur *can.* 1. *distinct.* 36.) ita ut suspendendus sit, qui sine sufficiente scientia ordinatus est, ab ordinis suscepti executione, donec sufficientem scientiam acquisiverit: quae autem, et quanta scientia requiratur ad quemlibet ordinem in peculiari, ex Tridentin. desumi debet, quod ad primam tonsuram accipiendam sufficere putat, fidei rudimenta scire, et posse legere, ac scribere (saltem in lingua nativa) *sess.* 23. *c.* 4. *De reformat.*; ad minores vero ordines promovendos vult latinam linguam intelligere *sess. cit. c.* 10.; ad subdiaconatum, et diaconatum assumendos, literis, et quae ad ordinem exercendum pertinent, instructos esse debere, *sess. cit. c.* 13.; ad presbyteratus denique ordinem assumendos, vult, ut ea scientia instructi sint, quae ad populum docendum necessaria, ad salutem, et sacramentorum administrationem illis sufficiat.

3. Prohibentur ordinari, aut iam ordinati ab executione ordinis suscepti, et susceptione alterius prohibendi sunt, qui adulterii, periurii, falsi testimonii, aut alio gravi crimine irretiti sunt, modo einsmodi enorme crimen, per evidentiam facti, quae tergiversatione aliqua elidi non possit, vel per sententiam iudicis, vel per propriam rei confessionem in iudicio factam, notorium, aut publicum sit, uti patet ex *c. Tenore*, 4. et ex *c. ult. h. t.* ubi etiam dicitur, taliter criminosum, si tamen occultum crimen illius sit, post peractam poenitentiam, impediri non debere, si promoveri ad ordines velit, aut in susceptis ordinibus ministrare (neque enim occulta delicta publice vindicanda sunt) nisi tale crimen etiam occultum irregularitatem inducat, prout crimen homicidii, quamvis occultum sit, facit, aut crimen sodomiae commissum sit *c. Inquisitionis*, 21. *iuncta Gloss. v. Si homicidium, de accusatione*, vel iuxta *Trident. sess.* 14. *c.* 1. *De reform.* expresse ipse etiam ob occultum crimen ascensus ad ulteriores ordines prohibitus sit.

4. Arcentur a susceptione ordinum omnes infames, sive iuris (ob crimen scilicet cui a iure infamia annexa est) sive facti infamia (ob delictum scilicet grave admissum, et publice notum, per quod fama illius apud viros graves, et prudentes laeditur) laborent, ita tamen, ut haec facti infamia per publicam, et constantem vitae emendationem tolli possit. Ex hac autem assertione uti, et ex peculiaribus iuribus plures ab ordinibus impediri ostendit hic *auctor Methodi*, quae tamen omnia non videntur observari.

§. IV. *De his, qui ordinandi potestatem ordinariam habent.*

Solis episcopis consecratis iure proprio, et ex vi sui officii, competit potestas ordines ecclesiasticos conferendi, prout habetur ex *c. Aqua*, 9. *iuncta Gloss. v. Iurisdictionis, de consecrat. eccles.* et ex *Trident. sess.* 23. *c.* 4. *et* 7. ita ut valide ordines conferant episcopi, etiam haeretici, schismatici,

excommunicati, ab ordine suspensi, degradati etc. modo formam ecclesiae servent, et non sint publice denuntiati, si ob censuram sint impediti, quia omnibus his indelebilis ille character competit, cui potestas haec annexa est, neque hac potestate sua privati sunt ab ecclesia; et ab illis ordinati characterem ordinis recipiunt, ut valide quidem ordine suscepto uti possint, non tamen licite; sed sint in perpetuum suspensi, nisi cum illis dispensetur. Non debet tamen ordinare episcopus, nisi subditos suos, vel si alienos subditos ordinare velit, debet ad hoc habere specialem proprii praelati, sive episcopi, aut iuris licentiam, iuxta *c.* 2. *et ult. h. t. in* 6. *et Trident. sess.* 23. *c.* 8. *de reform.* (ut ne scilicet iurisdictiones confundantur, nisi proprius episcopus esset publice ab ordinum collatione suspensus ob collatos alieno subdito sine licentia proprii episcopi ordines, quo in casu ad viciniores episcopos pro ordinibus accipiendis excurrere potest suspensi huius episcopi subditus, etiam sine huius licentia, ut in eo puniatur, in quo peccavit) iuxta *c.* 2. §. *Clericis quoque h. t. in* 6. aut per triennium moraliter continuum, huius alieni episcopi, non tantum titularis, sed qui actu dioecesim possidet, familiaris fuerit cum hoc commoratus, et statim cum ordinibus re ipsa illi conferatur beneficium, ut habet *Tridentin. sess.* 23. *c.* 9. *De reform.*

§. V. *Quinam episcopi sint proprii ad conferendos ordines, et qui ob specialem prohibitionem certos quosdam ordinare non possunt?*

Ex triplici capite potest episcopus esse proprius episcopus, in ordine ad ordines ab eo suscipiendos, et originis scilicet domicilii, aut beneficii, ut constat ex *c. Cum nullus,* 3. *h. t. in* 6. ita ut a quolibet horum sine alia licentia ordinari quis possit. Dicitur autem ratione originis subiectus aliquis ad hunc finem huic v. gr. episcopo, e cuius dioecesi est oriundus, non tantum fortuito, sed quod parentes tunc temporis domicilium in tali dioecesi haberent, non enim illius, quod per accidens fit, sed quod per se ratio habetur; quia etiam ad hunc ipsum finem ordinum suscipiendorum ab episcopo originis, sufficit patrem ibi natum fuisse, si de filii originis loco non constet, vel si expositi fuerint, ab episcopo loci, ubi expositi fuerunt; vel si nullius dioecesis sint, a viciniore episcopo, quem semel ad hunc finem elegerunt. Ratione domicilii vero ad hunc finem episcopo subiecti dicuntur, in cuius dioecesi sedem, seu domicilium, animo perpetuo ibi manendi, nisi quid occurrat, fixerunt, vel ipse ordinandus, si proprium domicilium, distinctum a paterno domicilio, habeat, vel ipsius parentes, si proprium domicilium non habeat ordinandus. Ratione beneficii denique proprius episcopus in ordine ad hunc finem habetur, in cuius dioecesi beneficium aliquis obtinet, et possidet, licet manuale illud tantum sit, aut tenue beneficium, et ordinandus non resideat, nec teneatur ratione beneficii talis residere in illa dioecesi. Negari tamen non potest, quamvis de iure communi a quolibet horum ordines accipere possit aliquis, minores v. gr. ordines ab episcopo originis, subdiaconatum et diaconatum ab episcopo domicilii, presbyteratum ab episcopo beneficii, quia per accidens evenire possit, ut ordinatus ab uno, ab alio ordinari non possit; sic ordinatus a papa, a nullo inferiore ad altiores ordines promoveri potest, sine licentia pontificis, ob reverentiam scilicet

summae sedi debitam *c. Cum in distribuendis*, 12. *h. t.* Sic clerici latini a graecis episcopis, et graeci clerici a latinis episcopis, secundum ritum et morem, cuivis ecclesiae proprium, ordinari non debent, ut ne fiat rituum confusio *c. Cum secundum h. t.* Sic episcopis Italiae prohibitum est ultra montanos ordinare sine licentia papae, vel literis dimissoriis propriis ordinariis ad multas fraudes cavendas *c. 1. h. t. in 6.*

§. VI. *Quinam habeant potestatem extraordinariam, aut delegatam conferendi Ordines?*

Non tantum de iure antiquo, et speciali iuris concessione, aut privilegio pontificis, sed etiam de iure *Tridentini* novo, quod antiquum ius in quibusdam circa hanc materiam corrigit, possunt praelati regulares, qui suas praelaturas in titulum obtinent, si sacerdotes sint, et benedicti (nisi tertio requisiti episcopi benedicere eos noluerunt, *c. 1. De supplen. neglig. praelat.*) atque ius mitrae, et baculi, seu pedi pastoralis habent; vel certe si benedicti non sint, usum tamen pontificalium ex speciali apostolico privilegio habeant, suis regularibus subditis, etiam novitiis primam tonsuram, et ordines minores conferre; et quamvis de iure antiquo maior fuerit haec praelatorum regularium potestas, etiam quoad saeculares, suae iurisdictioni spirituali plenissime subiectos se extendens, correcta tamen est per Tridentinum haec quoad saeculares tales facultas, et ad solos regulares restricta, ut patet ex verbis Tridentini *sessione* 21. *c.* 10. *De reform. iuncta declar. cardinal. Concilii.* Haec etiam potestas primam tonsuram, et 4. minores ordines conferendi concessa est cardinalibus presbyteris in ordine ad sui tituli subditos, in quos quasi episcopalem iurisdictionem exercent; et potest cuilibet alii simplici sacerdoti haec potestas a pontifice committi: et quamvis satis certum sit, quod potestas ordinandi presbyteros sacerdoti non episcopo committi non possit, prout ex institutione Christi, et ex praxi ecclesiae satis probatur, potestas tamen ordinandi subdiaconos, et diaconos, quod sacerdoti etiam non episcopo a summo pontifice committi possit, satis probabile est, et probat hoc privilegium Cisterciensibus quibusdam abbatibus concessum, quod utrum hodie adhuc in usu sit, viderint illi, quorum interest; qui omnes ex tali delegata potestate ordinantes, formam, et limites concessae sibi potestatis observare debent, ne invalida sit eorum ordinatio, ex defectu potestatis, et ne incurrant poenam suspensionis ab exercitio pontificalium.

§. VII. *De literis dimissoriis.*

Quod non possit episcopus alienae dioecesis subditum sine licentia sui ordinarii ordinare, ex dictis patet: quia vero haec licentia in scriptis dari solet, ordinarie solet etiam haec licentia literae dimissoriae dici: nunc ergo literae dimissoriae nihil aliud sunt, quam licentia in scripto obtenta ad ordines ab alieno episcopo accipiendos. Possunt autem hae literae dimissoriae concedi primo a summo pontifice, cui haec potestas competit, respectu omnium Christi fidelium ordinandorum. Secundo a legatis sedis apostolicae a latere respectu subiectorum suae provinciae, non tamen intra primum annum vacantis sedis, nisi in casibus expressis, prout de capitulo cathedrali dicetur.

Tertio episcopus proprius, sive ille originis sit, sive domicilii, sive beneficii; qui enim ordinare aliquem ex proprio iure potest, potest etiam dimissorias dare, iuxta *reg. iur.* 68. *in* 6. et quia literas dimissorias concedere est actus iurisdictionis, consequenter potest has dare episcopus confirmatus, etiamsi consecratus non sit. Quarto praelati regulares possunt quidem subditis suis regularibus (qui sine licentia, vel dimissoriis suorum praelatorum ordinari non debent *c. Ad aures*, 5. *h. t.*) non tamen novitiis, concedere dimissorias ad sacros ordines accipiendos, ad episcopum illius loci, in quo monasterium situm est; vel si absens ille sit, aut ordinationes non habeat, vel speciale privilegium talis praelatus habeat, etiam ad alienum; qui tamen exempti sunt, ac ordinariam iurisdictionem quasi episcopalem in loco aliquo habent, ad episcopum alterius dioecesis, suis subditis, etiam saecularibus, concedere possunt dimissorias, cum enim in hoc loco iurisdictionem talem episcopalem habeant, consequenter sicut episcopus suis etiam saecularibus subditis dimissorias, ratione suae iurisdictionis, dare potest, ita poterunt vi paris iurisdictionis etiam illi. Quinto has concedere potest capitulum cathedrale, vacante sede, cum restrictione tamen a *Tridentino*, *sessione* 7. *cap.* 10. *De reformat.* praescripta, qua prohibetur capitulo cathedrali, intra primum annum vacantis sedis dimissorias tales concedere, nisi ei, qui ratione beneficii ecclesiastici, accepti, vel accipiendi, arctatus est ad ordines suscipiendos. Sexto denique hoc ipsum potest vicarius, sede vacante, a capitulo constitutus; et vicarius ipsius episcopi, si ad hoc speciale mandatum habeat, aut absque speciali mandato succedat prioribus vicariis, tales dimissorias sine speciali mandato concedentibus.

Solent autem dimissoriae hae concedi, vel sub generali clausula, ut possit quis a quolibet episcopo gratiam, et communionem sedis apostolicae habente ordinari, et ut possit quoslibet ordines accipere; vel sub speciali clausula ad certum quendam episcopum, vel ad certos tantum ordines; et debet talis restrictio diligenter observari; sicut, et ut in litteris dimissoriis diligenter exprimatur causa, ob quam concessae sunt literae dimissoriae iuxta *c.* 1. *h. t. in* 6. *iuncta Gloss. v. Literas*, et ut contineant commendationem, seu testimonium de natalibus, aetate, moribus, ac scientia ordinandi, nisi malit horum omnium, uti et tituli mensae examen relinquere, qui dimissorias concedit, ordinanti, quod communiter hodie in his partibus ex recepta consuetudine fieri solet, cum approbatus ab episcopo dimissorias concedente, adhuc tamen ab ordinante examinari soleat. Semel autem legitime concessae, non exspirant morte concedentis, nisi per successorem, antequam sortitae sint suum effectum, ex iusta causa revocentur, cum sint gratiae factae absolute concessae.

§. VIII. *De titulo, ad quem ordinandi sunt clerici.*

Non debere initiari aliquem sacris ordinibus, sine titulo mensae, ut vulgo vocant, per quem ordinando provisum sit de sufficiente, eaque perpetua sustentatione, ne eum dedecore ordinis clericalis, aut mendicare, aut sordidum quaestum exercere cogatur, ex variis antiqui iuris textibus, et ex *Tridentino sess.* 21. *c.* 2. *De reformat.* patet. Est autem titulus duplex, su-

per quo clericus saecularis ad sacros ordines ordinari potest, titulus scilicet beneficii ecclesiastici, et titulus patrimonii; ille proprius titulus, ordinarius est, hic in defectum illius succedit. Debet autem beneficium ecclesiasticum, ad quod clericus ordinari in sacris potest, esse certum beneficium, et perpetuum, sufficiens ad honestam sustentationem clerici, iuxta viri prudentis iudicium, uti colligitur ex *c. Si episcopus*, 27. *de praebend. in* 6. ne victu suo destituatur, si a beneficio amoveatur; et hinc ad commendam temporalem, ad temporalem vicariam, ad beneficium manuale, ad capellaniam non collativam, ad titulum alicuius beneficii, aut stipendii, ab episcopo assignandi super fructibus suae mensae episcopalis, ad pensionem, quam quis habet in alterius beneficio, et quae cum morte alicuius beneficiati extinguitur, ordinari quis non potest, cum haec talia beneficia perpetua non sint, sed vel ad nutum revocabilia, vel per mortem episcopi, aut pensionem dantis exspirent.

Titulo vero patrimonii, ut ad hunc in casu necessitatis, vel utilitatis ecclesiae ordinari in sacris quis possit, veniunt omnia bona clerici, quae vel ex donatione alterius, vel propria industria clerici, vel alio civili titulo obtenta fuerunt, uti et promissio pensionis, seu sustentationis congruae, donec ordinatus conveniens beneficium consequatur; modo talis promissio cautione hypothecaria, aut prout hodie fit a magnatibus, aut communitatibus cautione instrumentaria fulciatur, et modo bona clerici certa sint (ut iudicium inde haberi possit de congrua clerici talis sustentatione) ac sint immobilia (ne facile si res mobiles tantum sint, dilapidentur, et extinguantur) libera (nulli alii pro aere v. gr. alieno obligata, iuxta voluntatem creditorum suo tempore distrahenda) et frugifera, ut annuum reditum clerico ordinato afferant. Sicuti autem beneficium, ad quod quis ordinatus est, resignari non potest, nisi quis mentionem fecerit, quod ad illius titulum ordinatus sit, et sufficiens aliunde sustentatio illius nota sit; ita nec bona patrimonialia, ad quae quis ordinatus est, distrahere vel alienare potest aliquis, nisi prius aliunde de sufficiente, et congrua sustentatione illi provisum fuerit, ita ut sicuti illa resignatio aliter facta nulla esset, ita non sit nulla haec alienatio aliter facta.

Et hi quidem tituli clericorum saecularium sunt, ad quos ordinari possunt, regulares enim clerici, et qui voto religiosae paupertatis obligantur, alio titulo non indigent, cum ad hunc religiosae paupertatis titulum ordinentur, uti et quidam alii ex privilegio pontificio ad speciales alios titulos.

§. IX. *De loco, et temporibus Ordinationum.*

Prima tonsura, et ordines minores possunt in aedibus episcopi, aut alio honesto quovis loco conferri; maiores vero ordines conferri debent in ecclesia cathedrali praesentibus canonicis; vel si alibi, intra propriam tamen dioecesim ordinantis, aut licentiam ordinandi ordinario concedente, conferantur in ecclesia digniore, quantum fieri potest, praesente clero. Potest tamen prima tonsura quolibet die conferri, cum de iure nullum certum tempus pro ea conferenda constitutum sit: ordines vero minores, non tantum in ordinationibus generalibus, sed etiam quolibet dominico die, aut qui fe-

stus in foro habetur, conferri possunt, saltem uni, aut alteri, prout constat ex *c.* 1. *et* 2. *h. t.* et quamvis litigent aliqui, utrum etiam in ordinationibus generalibus feria 4. aut 6. conferri possint prima tonsura, et minores ordines, consulenda tamen in hac re est, et observanda loci consuetudo, quae circa locum, et tempus ordinationum harum minorum plurimum potest. Ad maiores sive sacros ordines quod attinet, nulli episcopo, praeterquam romano pontifici, licet eos conferre, nisi in sabbathis 4. temporum, sabbatho sancto, et sabbatho ante dominicam passionis *can. Quod a PP. dist.* 78. *iunct. Gloss. v. Sabbatho*, et *c. Ex eo h. t.* ita ut nulla in contrarium consuetudo introduci possit *c. Sane*, 2. *h. t.* et ipsum etiam a pontifice concessum privilegium, ut extra tempora ordinaria, in diebus dominicis, et festis ordinari quis possit, rigide sit intelligendum de festis, quae de praecepto, et in foro celebrantur, saltem in particulari aliqua ecclesia.

§. X. *De gradatione, et interstitiis Ordinationum.*

Gradatim debere conferri ordines, incipiendo a prima tonsura, et deinceps semper ad proximum ascendendo, ex *c. unic. De cleric. per saltum promoto*, patet, ubi prohibetur haec per saltum, omisso intermedio inferiore, facta promotio, ita ut valide quidem promoveatur, qui taliter per saltum promovetur, non tamen licite. Quin etiam certa interstitia inter inferiorem ordinem susceptum, et superiorem suscipiendum, servari debere, *ex Trident. sess.* 23. *c.* 19. *De reform.* patet, ob maiorem scilicet probationem, et meliorem dispositionem ordinandorum; quae quidem interstitia inter minores ordines prudenti arbitrio episcopi definienda relinquuntur, hodie tamen passim ea recepta consuetudine non observantur, cum passim omnes 4. minores cum prima tonsura eodem die accipiant, et ex probabili etiam consuetudine, quae reprobata non fuit, cum minoribus eodem, aut sequenti mox die subdiaconatus conferatur: inter maiores tamen ordines interstitia servari debent, uti patet ex *c. Literas*, 13. et ex *c. Dilectus*, 15. *h. t.* ita ut nec simul duo ordines maiores eodem die conferri possint, nec diebus mox succedentibus, non obstantibus quibuscunque privilegiis de iure antiquo regularibus quibusdam concessis (quae per *Trident.* revocata quidem sunt, non est tamen ablata pontifici per hoc potestas circa haec interstitia dispensandi) et tam subdiaconus, quam diaconus per annum in suscepto ordine servire debeat, usque dum promoveri possit ad ordinem superiorem, uti ex *Trident. sess.* 22. *habetur*, nisi ob utilitatem, aut necessitatem ecclesiae cum tali fuerit a proprio episcopo dispensatum, quibus *Trident.* hanc potestatem dispensandi concessit (et hinc, qui dimissorias petunt, diligenter attendere debent, ut haec aut dispensatio, aut dispensandi licentia literis talibus inseratur, nisi velint ab ordinibus repelli, in illis saltem ecclesiis, ubi diligens cura *Tridentini* habetur) ut adeo recte nonnemo dixerit: *ad eum spectare dispensandi in interstitiis potestatem, ad quem pertinet ordinandi de iure communi potestas;* et tacite censeatur quoad haec interstitia dispensare ordinans episcopus, si sciat a susceptione prioris ordinis annum nondum elapsum fuisse, ordinem tamen superiorem conferat.

§. XI. *De poenis iure Canonico statutis in male, seu illegitime promoventes, ac promotos ad Ordines.*

Varia circa has poenas statuta sunt, primo quidem, qui ante legitimam aetatem ordinat aliquem, a collatione ordinum suspendendus est per sententiam, ut in eo puniatur, in quo deliquit, *c. Vel non est*, 14. *h. t. iunct. Gloss. v. Suspendentes;* et qui primam tonsuram confert infanti, aut homini illiterato penitus, per unum continuum integrum annum a collatione clericalis tonsurae ipso iure suspensus est *c. final. h. t. in* 6. *iunct. Gloss. v. Annum* et *v. Suspensum:* ordinatus autem od sacros ordines in ordine suscepto ministrare non potest de iure antiquo, donec aetatem debitam consequatur; de iure novo autem est ipso iure suspensus; ita ut si durante hac suspensione, antequam absolutus ab illa fuerit, in susceptis ordinibus ministrare praesumpserit, irregularitatem etiam contrahat, iuxta *constit. Pii II. Cum ex sacrorum canonum* (nisi ante requisitam aetatem ad ordines maiores promotus fuisset per simplicitatem, et ignorantiam non crassam, quo in casu nec suspensionem incurreret taliter ordinatus, nec irregularitatem) a qua suspensione licet ab episcopo, aut confessario privilegiato absolvi possit, non tamen debet post absolutionem ante obtentam legitimam aetatem in suscepto ordine ministrare.

Secundo: qui scienter, vel per affectatam ignorantiam temere, alienum subditum absque superioris, cui ordinandus subiectus est, licentia aut dimissoriis, ordinare praesumpserit, per annum a collatione ordinum totaliter ipso iure suspensus est, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario expedire videbitur, *c. Eos qui;* 2. *h. t. in* 6. et *Trident. sess.* 12. *c.* 8. *De reformat.* Si vero episcopus in aliena dioecesi suis etiam clericis sibi subiectis, absque expressa licentia ordinarii loci, ordines conferat, ab exercitio pontificalium, id est omnium actuum, qui episcopalis ordinis proprii sunt, et sic ordinati ab executione ordinum susceptorum, ipso iure sunt suspensi, ad placitum ordinarii loci, ut decernit Trident. *sess.* 6. *c.* 5. *de reformat.* iuxta quod ad evadendam hanc poenam non sufficit praesumpta tantum licentia, aut spes ratihabitionis futurae, cum concilium expressum requirat, nisi bona fides a gravi etiam culpa excusaret, neque enim tam gravis poena sine gravi culpa incurritur.

Tertio: qui extra statuta a iure tempora, vel eodem die duos maiores ordines conferunt, non quidem ipso iure suspensi sunt a collatione ordinum, aut saltem illorum, quos simul eodem die contulerunt, sunt tamen per sententiam iudicis suspendendi, uti habetur ex *c.* 2. *et* 8. *h. t.* et ex *c. Literas* 19. *eodem*, et taliter ordinati ex iure novo *Pii II.* ab ordinum taliter susceptorum executione ipso iure suspensi sunt, ac irregulares, si durante suspensione in illis ministraverunt (nisi bona fides hos excuset) a qua suspensione probabiliter tantum absolvere possunt proprius episcopus, et ab eo constituti, prout colligi potest ex *c. Consultatione,* 16. *h. t.*

Quarto: contra episcopum, qui ad sacros ordines ordinavit aliquem sine beneficii, aut mensae titulo, iure novo statutum est, ut episcopus taliter ordinans taliter ordinatum necessariis alimentis, iuxta facultates ecclesiae,

et dignitatem clerici instituit, donec beneficium ecclesiasticum assequatur, ita ut ad successorem etiam episcopum haec sustentandi obligatio transeat, *c. Cum secundum*, 6. *de praebend.* cum sit onus reale, quo in gratiam cleri oneratur mensa episcopalis: in casu autem, quo omni culpa caret ordinans, et tamen ordinans non habeat ex suis vitae sustentationem, non tenebitur quidem episcopus primo loco, sed ille patronus, v. g. aut vicarius generalis, cui incumbebat examen ordinandorum, qui praesentaverunt ordinandum talem; in defectum tamen horum etiam ipse episcopus tenebitur, cum non tam in modum poenae haec talia statuta sint, quam in cleri honorem. Ordinati vero taliter sine titulo, si illi in culpa non fuerunt, nullam poenam, aut suspensionem incurrunt; incurrunt tamen probabilius ab executione suscepti ordinis suspensionem, et irregularitatem, in ordine suscepto ministrantes, si dolose, et malitiose deceperunt episcopum, fingentes v. g. titulum se habere, cum tamen non haberent; neque episcopus, qui ordinavit tales, ad praebenda illis alimenta obligabitur: quod si tamen uterque tam episcopus ordinans, quam ordinatus in culpa sit, ille quidem obligationem alendi subibit, hic vero suspensionem, iuxta *can.* 1. *et* 2. *dist.* 20.

§. XII. *De ordinatione, seu consecratione Archiepiscopi, vel Episcopi.*

Vide de his, si ius antiquum nosse velis, quod tamen in usu amplius non est, *c.* 6. *et* 7. *h. t.* et quae supra dicta sunt.

SECTIO II.

De potestate exercendi alia pontificalia praeter collationem ordinum.

§. I. *De insignibus pontificalibus, et potestate exercendi actus pontificales, quae Episcopis competit.*

Insignia episcopalia, quibus episcopi de iure communi uti possunt, sunt mitra, sive infula, pedum sive baculus episcopalis, annulus, caligae, sandalia, tunicella, dalmatica, chirothecae, et crux pectoralis. Actus autem, quos iure proprio episcopi vi ordinis sui exercere possunt, sunt ordines sacros conferre, baptizatis sacramentum confirmationis ministrare, populum solemniter benedicere, conferre primam tonsuram, et minores ordines, consecrare virgines, ecclesias, altaria, calices, seu vasa sacra, corporalia, et alia paramenta sacra benedicere etc. quorum quidem aliqua simplici etiam sacerdoti a summo pontifice committi possunt, non tamen ab ullo inferiore episcopo; neque possunt episcopi in aliena dioecesi sine licentia ordinarii loci, actus tales, qui iurisdictionem admixtam habent, exercere. Possunt tamen exercere in aliena etiam dioecesi, etiam sine licentia ordinarii loci, actus illos episcopales, qui nullam iurisdictionem admixtam habent (quales actus sunt solemniter cum paramentis episcopalibus celebrare, solemniter benedicere, solemniter verbum divinum praedicare) cum *Trident.* prohibens exercitium pontificalium in aliena dioecesi, de illis tantum actibus intelligendum sit, qui iurisdictionem admixtam habent. Quae tamen omnia ita intelligi debent, ut liceant vel non liceant in aliena dioecesi, nisi consuetudo aliud habeat,

prout in nostra Germania non solent episcopi in aliena dioecesi, neque alii praelati usum pontificalium habentes, in ecclesiis sibi non subiectis, aut extra proprias ecclesias pontificaliter celebrare sine consensu ordinarii loci, quia non conceduntur talibus pontificalia, nisi in ordine ad suam ecclesiam vel dioecesim.

§. II. *De potestate exercendi pontificalia, quae competit abbatibus, et aliis praelatis inferioribus.*

Quod abbates, et praelati aliqui alii etiam regulares ius habeant utendi insignibus pontificalibus, et actus pontificales exercendi, vel etiam sine insignibus potificalibus actus aliquos pontificales exercere possint, qualiter possunt praelati ordinum mendicantium, vel usum habeant quorumdam insignium pontificalium ratione suae dignitatis, non autem omnium, prout praepositi, et canonici aliqui ecclesiarum cathedralium usum mitrae habent, non autem aliorum insignium, ex praxi patet, quae fundatur, non quidem in iure communi, quod de his inferioribus praelatis nihil determinate constituit, sed in variis privilegiis concessis, ex quibus etiam desumi debet, quos actus pontificales hi praelati regulares, vel inferiores episcopis exercere possint. Consulant ergo sua privilegia, quorum haec scire interest.

TITULUS XII.

DE SCRUTINIO IN ORDINE FACIENDO.

Scrutinium in hoc titulo aliud non dicit, quam inquisitionem, sive examen ordinandorum, faciendum ab eo, ad quem spectat examen; quod communiter duplex est, unum quod ante ordinationem institui debet, in quo per episcopum, vel alios ab eo deputatos, inquiritur, num idonei sint, qui ad ordines se offerunt, an nullo Canonico impedimento laborent, circa natales, circa libertatem, circa aetatem, circa mores, circa literas, etc. Aliud est, quod fit in ipsa ordinatione, et in eo consistit, quod ordinarius interroget archidiaconum praesentantem ordinandos, vel alium, per quem iuxta consuetudinem loci ordinandi praesentantur, num sciat dignos, et habiles illos esse; hic vero respondeat, credere se, eos dignos esse (quia in his, in quibus certa et determinata notitia haberi non potest, admittitur testimonium de credulitate ex probabilibus indiciis prudenter praesumpta, et existimata, vel ut *c. uni. h. t.* dicit, scire se, ac testificari, eos esse dignos, quantum humana fragilitas nosse, seu scire sinit, ita ut dicere hoc possit, quamvis privata scientia sciat, eorum aliquem indignum esse, modo ut persona publica hoc non sciat, et probare possit.

TITULUS XIII.

DE ORDINATIS AB EPISCOPO, QUI RENUNTIAVIT EPISCOPATUI, VEL AB EXCOMMUNICATO.

Episcopatui renuntiari duplici modo potest aliquis, renunciando scilicet loco tantum, curae scilicet, officio, et administrationi episcopali, retenta

tamen dignitate episcopali, quae, sicuti ius administrandi loco adhaeret, ita personae ex consecratione episcopali adhaeret. Alio modo renuntiari potest episcopatui, loco scilicet, et ordini, sive executioni ordinis episcopalis renuntiando, uti sumitur ex *c.* 1. *h. t.* et ex *c. Ad administrationem*, 9. *de renunc.* Priore modo, si fiat renunciatio, quo modo ordinarie fieri solet, valide, et licite cum licentia episcopi modo existentis, conferre ordines tam maiores, quam minores possunt, qui taliter renuntiaverunt, quia haec renuntiatio tantum facit, ut non amplius taliter renuntians proprios subditos habeat, erga quos officium suum episcopale exercere possit. Si vero posteriore modo facta fuit renuntiatio, primam quidem tonsuram, et minores ordines, cum licentia ordinandorum ordinarii conferre possunt, non autem maiores, prout ex relato *c.* 1. *h. t.* desumitur; cum enim minorum ordinum collatio non sit ita proprius actus episcopalis, ut non possit ab alio non episcopo conferri; collatio autem maiorum ordinum sit ita proprius actus episcopalis, ut ordinarie a nemine nisi episcopo conferri possit, consequenter qui exercitio muneris episcopalis renuntiavit, non potest maiores conferre, potest antem minores, si aliqui ad hos ordines ordinandi ad illum dimittantur. Ordinati autem, si scienter, vel per culpam mortalem ordines maiores a tali episcopo, qui loco, et exercitio episcopali renunciavit, acceperunt, suorum ordinum sic acceptorum executionem non habent, donec cum illis fuerit dispensatum, a pontifice quidem, si notorium delictum sit, a proprio vero episcopo, si delictum occultum sit, ant ignorantia, non tamen crassa, aut supina intervenerit; quod idem etiam statuitur in *c.* 2. *h. t. De ordinatis ab excommunicato episcopo* (non tolerato), *suspenso*, *vel interdicto etc.*

TITULUS XIV.

DE AETATE, ET QUALITATE, ET ORDINE PRAEFICIENDORUM.

§. I. *De qualitatibus requisitis in promovendis ad beneficia, praesertim curata in genere.*

Ex dictis iam patet, quod in omnibus promovendis ad beneficia requiratur scientia conveniens officio, morum honestas, et legitima aetas, prout etiam patet ex. *c. Eam te*, 4. *h. t.* Ita tamen, ut qui dignus, et idoneus censetur ad sacros ordines suscipiendos, regulariter etiam idoneus censendus sit ad beneficium ecclesiasticum, prout sumitur ex *c. Accepimus*, 13. *h. t.* (nisi post ordinationem, nova primum causa superveniret, quae indignum ad beneficium legitime ordinatum faceret) neque talis pro ordinibus ab episcopo examinatus, iterum ab eodem pro beneficio (caeteris paribus) est examinandus, nisi ratio et qualitas beneficii maiorem idoneitatem requirat.

§. II. *Quae aetas requiratur in praeficiendis, seu promovendis ad beneficia ecclesiastica, et quis in illa dispensare possit?*

Quamvis de iure naturali illa aetas ad beneficium requiratur, quae necessaria est, ad exequendum officium, propter quod illud datur, prout sumi potest ex *c.* 3. *h. t.* de iure tamen positivo certa actas ad pleraque

beneficia statuta est, ita ut ipso iure nulla sit collatio beneficii, ante requisitam aetatem facta. Requiritur autem certa aetas nonnunquam per se, et directe, prout beneficium curatum exigit 24. annos completos; nonnunquam per accidens, et consecutive, prout ad canonicatum illa aetas requiritur, quam requirit ordo canonicatui tali annexus. Differunt quidem in plerisque ius antiquum, et ius novum Tridentini; bodie tamen, ubi Tridentinum peculiare quid a iure antiquo statuit, sequimur ius Tridentini, ita tamen, ut salvum maneat ius antiquum, ubi Tridentinum nihil peculiare statuit. Sic primo ad cardinalatum, et episcopatum requiritur aetas 30. annorum completorum, prout sumitur ex *Trident. sess.* 24. *cap.* 1. *De refor.* Secundo, ad dignitates, et personatus, quibus nulla animarum cura subest, volunt aliqui de iure antiquo 14. annos sufficere *c. Indecorum*, 3. *h. t.* Alii volunt requiri 25. annos saltem inchoatos *c. Cum in cunctis*, §. *Inferiora, de elect.* et *cap. uni. h. t. in* 6. iuxta Tridentinum tamen, quod hodie observari debet, sufficiunt, et requiruntur anni 22. completi, sive dignitates illae et personatus sint ecclesiarum cathedralium, sive collegiatarum, cum iura universaliter loquantur. Tertio ad ecclesias parochiales, et vicarias perpetuas ecclesiarum parochialium requiritur aetas 25. annorum, saltem inchoatorum, ut patet ex *c. Nemo,* 15. *de elect. in* 6. et ex *Clement. uni. de offi. vicar.*; quae aetas non requiritur in eo, cui ecclesia parochialis administranda seu in commendam conceditur. Poenitentiarius tamen in ecclesiis cathedralibus debet esse annorum 40. iuxta *Conc. Trident. sess.* 24. *c.* 8. *De reform.* Quarto ad canonicatus ecclesiarum cathedralium de iure *Trident. sess.* 24. *c.* 12. *De reform.* (quidquid sit de iure antiquo) requiritur illa aetas, quam ordo canonicatui annexus requirit, et cum in nostra Germania tales ordines per se annexi non sint pluribus canonicatibus, nisi vocem velint habere tales canonici in capitulo, hinc sicuti ad canonicatus ecclesiarum collegiatarum, et aliorum beneficiorum simplicium, sufficiunt 14. anni, saltem inchoati, ita hi videntur etiam sufficere in nostra Germania ad canonicatus ecclesiarum cathedralium: quod videtur etiam probari posse ex *Trident. sess.* 23. *c.* 6. *De reform.* ex quo Concilio *sess.* 24. *cap.* 12. *De reform.* etiam habetur, quod episcopus dispensare non possit super aetate ad obtinenda beneficia requisita, nisi certa aetas ad obtinendum beneficium ex peculiari tantum dioecesis v. g. statuto requiratur, aut si aetas certa tantum requiratur ratione ordinis tali beneficio annexi; sicuti etiam in statutis a se vel ab antecessore suo factis dispensare potest, et sicuti dispensare potest in ordine per accidens requisito, ita potest etiam in hoc statuto super aetate requisita.

§. III. *Quae scientia in promovendis ad dignitates, et alia beneficia ecclesiastica sit necessaria?*

In genere dici potest, quod ea scientia requiratur, quae ad officium beneficio annexum rite obeundum necessaria est; qua si caret illiteratus, etiam acquisitis beneficiis privandus est *c. fin. h. t.* et si penitus illiteratus sit, ipso iure est nulla beneficii collatio, prout etiam patet ex *Canone primo dist.* 36. et quamvis spectato iure communi antiquo non requiratur ad ullum beneficium gradus aliquis doctoratus vel licentiae, ex decretis tamen concilii

Tridentini, debet esse doctor vel licentiatus theologiae, aut iuris Canonici, in primis episcopus (vel saltem publico academiae alicuius testimonio, aut aliter idoneus ad alios docendos, quod etiam de aliis intelligi debet) *sess.* **22.** *cap.* 2. *De reform.* Secundo archidiaconus (principalis ecclesiae cathedralis, si curam animarum, et iurisdictionem fori externi contentiosam habeat, quae hodie plerumque vicario generali competunt) *sess.* 24. *Trident.* *c.* **12.** §. *Archidiaconi.* Tertio scholasticus, si per se ipsum munus id expleat *sess.* **24.** *cap.* 8. Et quinto denique vicarius, vacante sede eligendus, *sess.* **24.** *cap.* **19.** quia ad hoc etiam *cap.* 12. hortatur *Trident.* ut in provinciis, ubi commode fieri potest, dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis insignibus, conferantur tantum magistris, vel doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia, vel iure Canonico.

§. IV. *Quae vitae, morumque probitas requiratur in promovendis ad beneficia?*

Ad morum, vitaeque, probitatem quod attinet, promovendus ad beneficia primo criminosus esse non debet, (reus scilicet criminis, quod depositione dignum est, vel infamia notatur, aut censuram, aut irregularitatem inducit, sive deinde ad iudicem per inquisitionem, sive per accusationem, aut denuntiationem crimen tale delatum sit), neque reus criminis cuiuscunque gravis, publice noti, ob quod delinquens aliorum offensionem incurrit, si tale delictum nondum publice emendatum sit, *canon. Unum*, 3. §. 1. *iunct. gloss. v. Unde, dist.* 25. Secundo non debet esse infamis iuris, aut facti infamia, cum infamibus portae dignitatum (beneficiorum) non pateant *c. Inter dilectos*, 11. *De excess. praelat.* et quamvis simplicis beneficii collatio criminoso tali, aut infami facta, non semper sit ipso iure irrita, nisi crimen illud annexam habeat censuram, aut irregularitatem, est tamen irritanda ab eo, qui potestatem habet; et si beneficium, quod taliter criminoso, aut infami collatum est, sit curatum, ipso iure irrita est collatio, uti colligitur ex *c. Cum in cunctis, de elect.* §. *Inferiora.* Tertio nulla censura, aut irregularitate notarius, vel impeditus esse debet *c. Postulastis*, 7. *de cleric. excomm.* ita ut collatio tali facta, sit ipso iure nulla, quamvis denuntiatus, aut vitandus non sit, cum his per *Extravag. concil. Constant.* nullus factus sit favor.

§. V. *De ordine requisito in promovendis ad beneficia ecclesiastica.*

Quod beneficia ecclesiastica aliqua certos nonnunquam sacros ordines requirant, ex dictis iam patet, ita tamen ut eorum aliqua requirant ex statuto dioecesano, v. gr. ex fundatione etc. certum ordinem, qui actu habeatur, quando confertur tale beneficium; alia vero secundum aptitudinem tantum, ut scilicet ille, qui ad tale beneficium promovetur, hoc suae promotionis tempore habilis sit, et talis, ut intra annum possit sacrum illum ordinem, qui requiritur, suscipere, nisi iustum aliquod impedimentum interveniat *c. Cum in cunctis, de elect.* §. *Inferiora. Clement.* 2. *h. t.* Sic primo requiritur ad eligendum in episcopum, ut sit actu subdiaconus, cum eligitur *c. A multis*, 9. *h. t.* Et iuxta *Trident. sess.* 22. *de reform. c.* 2. requiritur,

ut in episcopum eligi quis possit, fuisse eum 6. mensium spatio in sacro ordine constitutum; ita ut postulari prius quidem possit, non tamen eligi. Secundo in promovendis ad ecclesiasticas dignitates, in abbates scilicet, praepositos, decanos, et archipresbyteros (si tamen a decanatu distinguitur) quibus cura animarum, aut iurisdictio fori externi annexa est, requiritur, ut sint vel actu presbyteri, vel saltem intra annum ordinari presbyteri possint, *cap.* 1. *h. t.* nisi legitimum impedimentum obstet, quod perpetuum non est, aut alia necessitas, vel utilitas ecclesiae aliud dispensative fieri velit, uti colligitur ex *c. Tuam*, 10. *h. t.* Tertio in promovendis ad ecclesias parochiales requiritur, ut saltem sint in minoribus constituti, *c. Pro clericis*, 8. *de praeb. in* 6. qui intra annum a die, quo pacificam sui beneficii possessionem consecuti sunt, vel quo per ipsos stetit, quo minus consequerentur, computandum, possint in presbyteros ordinari, *c. Licet*, 14. *de elect. in* 6. Quarto in canonicis simplicibus, tam collegiatarum, quam cathedralium ecclesiarum, quamvis vocem in capitulo habere non possint, nisi sint subdiaconi, *Clement.* 2. *h. t.* ut promoveantur tamen ad haec beneficia, ita ut stallum etiam in choro habeant, et alia possint, quae fiunt extra capitulum, in nostra Germania, sufficit, eos tantum primam tonsuram habere, non obstante *Trident. sess.* 24. *c. de reform.* quod in his partibus, quoad ibi statuta, circa canonicatus tales non videtur receptum; vel certe dici debet, quod cum his quoad ordines suscipiendos dispensari possit ab episcopo, et capitulo; sicuti ab ipso *Trident. sess.* 7. *c.* 12. *de reform.* conceditur episcopis potestas circa ordinem presbyteratus suscipiendum, dispensandi in beneficiis curatis, studiorum causa. Quinto denique circa promovendos ad alia simplicia inferiora beneficia, quosnam ordines habere debeant, nihil quidem de iure communi statuitur, saepe tamen ex fundatione, statuto particulari, aut consuetudine, de certo quodam ordine sacro requisito desumitus aliquid.

§. VI. *An, et qua ratione possit episcopus clericos sibi subiectos compellere ad suscipiendos ordines beneficiis suis annexos, vel non annexos?*

Eos, qui beneficia obtinent (de quibus solis hic sermo est) ad ordines beneficiis suis annexos suscipiendos, compelli posse ab episcopo, tradit glossa, communiter recepta, in *c. Licet*, 14. *v. Primatus, de elect.* 6. ita ut ipso iure privatus sit suo beneficio, sine monitione alia intercedente, qui intra tempus a iure concessum non promotus fuerit ad ordinem requisitum, si nullum impedimentum, quod sine propria culpa contraxit, aut rationabilis causa obstet, iuxta citatum *c. Licet.* Quin etiam, quamvis nullus certus ordo beneficio annexus sit, quo in casu (caeteris paribus) compelli non possunt ad ordines sacros suscipiendos beneficiati, si tamen utilitas magna, aut necessitas ecclesiae urgeat, ob magnam v. gr. ministrorum penuriam, compelli poterunt ab episcopo ad ordines suscipiendos, uti habetur in *c. Quaeris*, 2. *h. t.* ita ut super occulto crimine, aut irregularitate (excepta homicidii irregularitate) acta poenitentia, et impetrata ab episcopo dispensatione sub poena privationis beneficii ordinari debeant.

§. VII. *De duobus impedimentis dubiis, uno recipiendi sacros ordines, altero obtinendi praelaturam.*

Vide de his, quae non multum ad hunc titulum faciunt, c. *Ad aures*, 7. *et* c. *Intelleximus*, 12. *h. t.*

TITULUS XV.

DE SACRA UNCTIONE.

Varias unctiones esse ex c. *unic.* huius tit. patet. Unguntur episcopi, dum consecrantur, sacro chrysmate in capite, et in manibus; unguntur etiam sacerdotes, dum consecrantur oleo simplici benedicto in manibus; unguntur hoc etiam oleo benedicto reges aliqui, dum coronantur, in brachio, et humero; unguntur oleo infirmorum moribundi; et omnes christiani, prius quam baptizantur, oleo simplici catechumenorum unguntur in pectore, et in scapulis, et post baptismum a baptizante sacro chrysmate unguntur in vertice; ac tandem etiam hoc sacro chrysmate unguntur ab episcopo in fronte, quando illis confertur sacramentum confirmationis, etc. et praeter has unctiones hominum, unguntur etiam quaedam vasa sacra, altaria, ecclesiae, dum consecrantur, etc.

TITULUS XVI.

DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

Esse sacramenta aliqua, quae iterari non debent, ex catechismo patet, baptismum scilicet, ordinem, et confirmationem, de quibus in hoc etiam titulo agitur, ubi potissimum id asseritur, quod in talibus sacramentis, si quid in illorum administratione, vel ex incuria, vel ex alia negligentia, aut malitia omissum fuit, caute postmodum supplendum sit, si scilicet id, quod omissum est, ritus tantum accidentalis sit; vel si substantiale quid omissum sit, caute (ut ne aliis rudibus scandalum detur) supplendum quidem sit, adhibitis tamen aliis etiam substantialiter ad valorem sacramenti requisitis, quamvis prius adhibita fuissent; cum enim omissum prius sit substantiale aliquod, sacramenta autem suum valorem non habeant, nisi simul omnia substantialia adhibeantur; consequenter, si diversis temporibus iam hoc, verba e. gr., iam illud substantiale, materia scilicet, ponatur, sacramentum non conficictur, et consequenter etiam, si omissum prius substantiale quid, materia v. gr., fuit, quamvis sola verba posita sint, postmodum autem materia omissa cum verbis ponatur, non dicetur iteratum sacramentum tale, quia prius nunquam collatum fuit.

TITULUS XVII.

DE FILIIS PRESBYTERORUM ORDINANDIS, VEL NON.

§. I. *Quinam ob defectum natalium ab ordinibus, et beneficiis ecclesiasticis repellantur?*

Repelluntur ob defectum natalium filii presbyterorum (quos scil. in sacerdotio genuerunt) et omnes alii illegitime nati, non tantum spurii, sive

ex nefario, et damnato iure civili coitu nati, sed qui ex simplici etiam fornicatione geniti fuerunt, quamvis occultus hic defectus sit (nisi necessitas aliud urgeat) ita ut nec ad minores, nec ad sacros ordines promoveri absque dispensatione possint, nec ad beneficia ecclesiastica (ob excellentiam scilicet status clericalis, et dignitatem ordinum, beneficiorum ecclesiasticorum) nisi monachi fiant, vel in alia congregatione canonica, seu regulari vivant, prout habetur in *cap.* 1. *h. t. et c.* 1. *eodem in* 6. (per professionem enim regularem, aut ordinum dignitatem videtur corrigi illa macula saltem in ordine ad ordines, cum possint isti quidem sine dispensatione alia ad ordines etiam sacros promoveri, non tamen ad praelaturas, aut alias dignitates, vel beneficia curam animarum habentia, sive extra, sive intra ordinem (*c. final. h. t.*) vel nisi illi, qui ex simplici fornicatione geniti fuerunt, per subsequens inter parentes matrimonium fuerint legitimati, prout patet ex toto tit. *l.* 5. *decret. Qui filii etc.* Et quamvis qui ex coniugatis, quibus ob ordines a marito susceptos, aut professionem alterutrius religiosam, per quam tamen matrimonium non dissolvitur, illicita copula est, generantur, illegitimi non sint in ordine ad haereditariam successionem, aut alia similia civilia iura filiis legitimis competentia, in ordine tamen ad ordines, et beneficia ecclesiastica habentur irregulares; ita ut sine dispensatione ad haec promoveri non possint, ob maculam, et turpitudinem aliquam, ex incontinentia parentum illis adhaerentem. De expositis infantibus dubitant aliqui, utrum tanquam irregulares ab ordinibus, et beneficiis ecclesiasticis repellantur: affirmativa, et negativa assertio suos habet patronos, tum quod plerumque illi infantes taliter exponantur, qui illegitime nati sunt, in obscuris autem inspicimus, quod plerumque fieri solet iuxta *regulam iuris* 114. *ff. De regulis iuris*, tum quod in dubio semper benigniora sint praeferenda iuxta *regulam ff.* 56. praesertim cum in favorem prolis agitur.

§. II. *Quis dispensare possit cum illegitimis, et qualis interpretatio facienda sit in eiusmodi dispensationibus?*

Respond. 1. ad maiores ordines, dignitates, personatus, et beneficia curata, episcopus dispensare non potest cum filiis presbyterorum, et aliis illegitime natis (saecularibus scilicet, de quibus dubitari potest) sed solus papa, prout habetur in *c. Nimis*, 18. *h. t.* Potest tamen episcopus cum his dispensare ad ordines minores, et beneficia non curata, prout a contrario sensu ex *relat. c.* colligitur, et expressius habetur in *cap.* 1. *h. t. in* 6. et quamvis ex stylo Curiae romanae, qui observari debet, ad canonicatus ecclesiarum cathedralium, licet simplicia beneficia sint, dispensare non possit cum illegitime natis episcopus, cum ipse etiam papa, ad obtinenda quaecumque beneficia dispensans illegitime natum, canonicatus tamen talium ecclesiarum exceptos velit, ob excellentiam scilicet, et dignitatem talis ecclesiae, spectato tamen iure communi antiquo, quod absolute potestatem dispensandi cum illegitimis ad simplicia beneficia concedit episcopo, et seclusa consuetudine Curiae, probabilius est, quod etiam ad hos canonicatus, cum illegitime natis, dispensare possit episcopus, si tamen ad ordines sacros, quos vi Tridentini quilibet hodie canonicus habere deberet, ubi quoad hoc Tridentinum

receptum est, a pontifice dispensatus fuit. Certius est, quod ad canonicatus ecclesiarum collegiatarum dispensare non possit episcopus, si cum consensu episcopi, aut confirmatione apostolica statutum ab ecclesiae illius capitulo factum fuit, de illegitime nato in fratrem non recipiendo, non quidem vi iuris communis, sed vi talis statuti: neque dispensare possit, ut plura beneficia simplicia simul retinere possit, cum facultas episcopi tantum se extendat ad unum beneficium obtinendum, si illud sufficiat ad honeste sustentandum beneficiatum, uti colligitur ex citato *c.* 1. §. *Ille vero, iunct. glossa v. Per sedem*, et ex mox dicendis magis patebit.

Resp. 2. Dispensatio etiam papalis, super defectum natalium stricte explicanda est, ita ut ad ea, quae expressa non sunt, sive ultra ea quae verba stricte et proprie accepta significant, extendenda non sit, quia dispensatio cum sit relaxatio iuris communis, tanquam odiosa strictae interpretationis est: et hinc quia nomine ordinum simpliciter positorum intelliguntur minores tantum, non potest vi dispensationis illius, illegitime natus, ad ordines suscipiendos dispensatus, ordines maiores suscipere; et dispensatus ad beneficia, quaecumque indeterminate, non est dispensatus ad dignitates, personatus, beneficia curata, pensiones, etc. cum haec omnia sub stricta beneficiorum acceptione in materia restringenda non veniant, et iuxta stylum Curiae specialiter sint exprimenda; dispensatus vero ad ordines sacros suscipiendos, dispensatus etiam est ad beneficium simplex acquirendum, cum ordines sacri sine beneficio, de iure communi, et ordinario conferri non soleant.

§. III. *An, et quo pacto filii illegitimi, et etiam legitimi presbyterorum a beneficiis paternis, et ecclesiae paternae arceantur, et quis cum iis dispensare possit?*

Filius presbyteri, aut etiam alterius clerici, etiam in minoribus constituti, illegitime natus non potest ullum beneficium obtinere, neque quoquo modo ministrare in ecclesia saeculari, in qua pater eius episcopatum, praepositutam, decanatum, parochiam, canonicatum, aut aliud beneficium ecclesiasticum perpetuum obtinuit *c.* 2. 3. 4. 15. 16. *h. t.* tum quod indecorum sit, in eadem ecclesia patrem, et filium spurium cum publica paternae incontinentiae infamia spectari, tum quod oderit ecclesia speciem quamcunque haereditariae successionis in beneficiis: quin immo ob hanc posteriorem rationem nec filius clerici legitime natus (ex legitimo matrimonio v. gr. ante assumptum clericatum natus) patri suo in beneficio, quod in titulum obtinuit pater, et per se, vel per procuratorum possedit, immediate succedere potest (uti habetur in *c. Ad extirpandas*, 11. *h. t.* quamvis nunquam in ecclesia illa ministraverit, aut ullos fructus perceperit, absque dispensatione ab ipso pontifice obtenta *cap. Dilectus*, 17. *h. t.* et quamvis de nepote in linea recta descendenti multi negent, quod possit post mortem patris sui suo avo immediate succedere in beneficio, cum in tali casu species haereditariae successionis locum habeat; alii tamen sunt, qui probabiliter contrarium dicunt, et successionem in tali casu permittunt, cum in materia prohibitoria, velut odiosa, nomine filiorum, de quibus iura loquuntur, non veniant nepotes; de nepote tamen in linea laterali, quod in beneficium sui patrui, vel avunculi succedere im-

mediate possit, vix dubitatur, et ex *cap. Ex parte*, 12. *de off. deleg.* desumitur, nec enim inter collaterales tanta est necessitudo successionis, quanta est in linea recta; et hinc ab omnibus conceditur, quod frater fratri immediate in beneficio succedere possit; prout etiam facile concedunt omnes, quod successio fieri possit inter patrem v. gr., et filium legitimum, si alius intermedius in beneficio patri successerit, uti patet ex *c. Ex transmissa*, 7. *h. t.* quia in hac mediata successione non est species, aut periculum successionis haereditariae ob intermediam personam extraneam inter patrem, et filium.

§. IV. *Quid iure novo statutum sit circa successiones filiorum illegitimorum in ecclesiis, vel beneficiis paternis?*

Circa successionem filiorum illegitimorum in paternis ecclesiis, et beneficiis, de iure novo alia statuta sunt, et priora iura decretalium, in aliquibus correcta sunt: et primo quidem in *Clementina ad canonum conditorem*, quae habetur apud *Quarantam, in summa Bullarii, v. Illegitimi*, et *a Clement. VII.* 1533. emanavit, prohibetur simpliciter, ut ne de caetero filii presbyterorum ex fornicatione nati, quaecunque ecclesiastica beneficia, cum cura, vel sine cura saecularia, et quorumvis ordinum regularia, quae eorum patres presbyteri, et clerici, ac religiosi, in titulum, vel commendam, aut administrationem, ad tempus, vel in perpetuum, aliquando obtinuerunt, ullo unquam tempore, quoquo modo obtinere possint, absque spe dispensationis impetrandae a sede apostolica: in Tridentino vero *sess.* 25. *c.* 15. *De reform.* statuitur, quod non licet filii clericorum, qui non ex legitimo matrimonio nati sunt, in ecclesiis, ubi eorum patres beneficium ecclesiasticum aliquod habent, aut habuerunt, quodcunque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quae parentes eorum obtinent, aliasve obtinuerunt, habere etc. ut paternae scilicet incontinentiae *memoria*, prout loquitur Tridentinus, ab ecclesiis, vel locis Deo consecratis, quae maxime puritas, sanctitasque decet, *longissime arceatur.* Quae constitutiones uti non sunt extendendae ad filios legitimos clericorum ante clericatum ex legitimo matrimonio genitos, nec ad patrem respectu filii, nec ad nepotes clericorum, cum tantum de filiis illegitimis loquantur, et consequenter velut odiosae ultra verborum proprietatem extendendae non sint, ita impediunt etiam, quo minus tales filii, quamvis per rescriptum subsequens principis legitimati essent, in ecclesiis, ubi patres eorum beneficia obtinent vel obtinuerunt, ministrare ex officio pro accepto stipendio possint, cooperatorem v. gr. agendo, cantoris aut sacristae officia exercendo.

TITULUS XVIII.

DE SERVIS NON ORSERVANDIS, ET EORUM MANUMISSIONE.

Servi, seu mancipia proprie dicta ad ordines etiam minores promoveri non possunt, nisi a dominis suis fuerint manumissi, vel libertate donati *c.* 1. *h. t.* ob dignitatem scilicet clericalem, cui videtur servilis conditio derogare, ita ut si sciente domino suo, et non contradicente, in clericum ordinatus fuit,

eo ipso liber sit, *can. Si servus*, 20. *dist.* 24. quia res sine persona, quae ex iuris saltem interpretatione Deo consecrata est, non debet amplius humanis mancipari servitiis, iuxta *regulam* 51. *in* 6.; si vero domioo ignorante ad minores tantum ordines promotus sit servus, manet servus, et domious eum vindicare potest, prout sumitur ex *c.* 2. *h. t.*; ad sacros vero ordines si promotus fuerit servus, domino ignorante, aut invito, et contradicente, servus quidem liber efficitur, episcopus tamen, qui sciens eum servnm ordine sacro iosignivit, aut si neselvit, servum eum esse quem ordinat, qui de eius libertate testimonium perhibent, vel seieotes eum servum, episcopo pro ordinibus conferendis praesentant, out supplicaot; duos servos aeqne booos, vel duplum pretium dare debent domino ad domnum resarcieodum, et in poenam commissi voti, *c. Si servus*, 19. *h. t. et gloss. in c.* 2. *v. Disponatur.* Si vero a nullo horum culpa admisso fuit, servus tamen, iovito domino, in sacris ordinotus sit, vel similiter servum pro se domino dare debet, vel ex proprio peculio se redimere, vel si neutrum praestare possit, domino intra annum, o tempore scientiae habitae repetenti, restituendus est, ita ut usu ordioum, et privilegio saltem fori privotus sit iuxta *can. Ex antiquis*, *dist.* 54. ubi plura videri possunt. Ex qua dist. *can.* 5. *et fin.* etiam habetur, quod liberti, et libertini non possint ordinari, ob defectum plenae libertatis, nisi a patronis suis fuerint pleoe manumissi, sine retentioue obsequii temporalis, patronis talibus, in gratiam manumissionis, aut probata ingratitudine, praestandi. Et ex *can.* 1. *Admittuntur*, *eadem dist.* habetur, quod neque servi originarii, aut adscriptitii, quos vulgo *Leib eigene* in Germania nostra vocamus, qui dominis suis non tantum rotione possessionum, et bonorum suorum, sed etiam personoliter ad culturam agrorum v. gr. et alio obsequia obligati sunt, ordinari possint, sine licentio dominorum, aut obtenta manumissione per solutum illis pretium; et quomvis in quacunque manumissione dominus manumittens obsequia spiritualia sibi reservore possit, a manumisso ordinoto io posterum domioo praestanda, sub poena depositionis *c. Nullus h. t.*, et ab Ecclesia manumitti possint ecclesiae servi, cum ea reservotione, ut post mortem eorum, quidquid acquisiverunt, ad ecclesiam pertineat, a qua libertatem consecuti sunt, et ut huic ecclesiae perpetuo in rebus spiritualibus iuxta ordinis sui conditionem serviant, plura tamen adhuc in *c. De famulis*, 3. *h. t.* statuuntnr, quae possuot, aut non possunt talibus ab ecclesia manumissis referri, etiomsi nulla de eis expressa mentio focta sit.

TITULUS XIX.

DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA ORDINANDIS, VEL NON.

Qui obligati sunt ad rationes reddeodas, ratione publicarum administrationum, vel officiorum soecularium, aut ob negotiationes saeculares minus expediti sunt, od serviendum Deo in officiis spiritoalibus, ratiooe militiae v. gr. feudorum, saeculare, et personale obsequium requirentium, eo quod fisci vectigalia, agros colendos, out alias negotiationes, clericis prohibitas, conduxerint, etc. ordinari non debent, priusquam ab his saecularibus suis obligotiooibus, omnino liberi, et expediti siut, ut ne suspicio sit ad decli-

nandum tantum forum saeculare susceptos ordines esse, in praeiudicium creditorum, aut multae lites talibus clericis moveantur postmodum cum infamia ecclesiae *c. unic. h. t.* quam tamen constitutionem non tantum indulgentia pontificum, et piarum causarum administratio, aut personarum miserabilium cura, sed recepta praxis, et vigens consuetudo multum explicat.

TITULUS XX.

DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS, VEL NON.

Ob corporis vitium repelluntur ab ordinibus suscipiendis, qui tali defectu corporis laborant, ut vel congruum ille usum, aux exercitium ordinis, praesertim celebrationem missae, ad quam reliqui ordines referuntur, impediat, aut notabilem deformitatem contineat, ut sine scandalo, aut gravi indecentia sacrum ministerium exercere non possit, sive dein ex propria culpa, sive alieno facto, aut iniuria, sive a nativitate, sive alio casu defectus ille acciderit, uti sumitur ex *c.* 2. *De cler. aegrot.* et hinc, qui altera manu caret, ordinari non potest, *c. Exposuisti*, 6. *h. t.* et qui digito caret, ad frangendam et elevandam hostiam necessario, pollice scilicet vel indice, *c. ultimo h. t.* (non tamen qui parte tantum talis digiti caret, aut qui integrum digitum alium, non tamen ad celebrandum necessarium, amisit, ita tamen ut absque scandalo celebrare possit, prout sumitur ex *c.* 1. *et ultimo h. t.*) et qui caecus omnino est, mutus et surdus, iuxta *can. Apost.* 37. et qui ita parvus est, ut attollere brachia sufficienter non possit ad altaris ministerium, vel qui cum notabili deformitate alterutro oculo caret, naribus, aut auriculis truncatus est, cum patente, et notabili deformitate; qui unum tantum pedem habet, aut ita claudicat, ut non possit nisi pede ligneo nixus incedere, aut qui gibbum valde monstrosum habet: ita tamen ut episcopo determinandi, et declarandi potestas concessa sit, utrum defectus talis notabilem deformitatem, aut defectum inducat, *arg. c. Cum de tua*, 2. *h. t.* si tamen aut talis defectus, qui exercitium aliquod ordinis simpliciter impedit, seu magnam deformitatem adfert, susceptis iam ordinibus supervenit, sine propria culpa ordinati, non omnino quidem talis ad quodlibet exercitium suscepti ordinis inhabilis erit, sed ad illam tantum functionem, quam vel simpliciter exercere non potest, vel non nisi cum magna deformitate, et hinc quamvis talis ut sacerdos ob vitium corporis celebrare non possit, potest tamen audire confessiones, potest ut diaconus in divinis ministrare, ob ius iam acquisitum, per susceptos legitime ordines, quo per supervenientem hunc defectum non privatur, nisi in quantum defectus iste exercitio suscepti ordinis obest.

Extenditur autem haec inhabilitas ad ordines suscipiendos primo ad illos etiam, qui sibi ipsis membrum aliquod, aut partem membri culpabiliter absciderunt, aut abscindi fecerunt, etiamsi talis abscissio occulta tantum sit, et nullam aliam deformitatem, aut impedimentum ordinis afferat, ob crudelitatem scilicet in se ipsum exercitam, prout colligitur ex *c.* 3. *et* 4. *h. t.* et cum homo non sit dominus suorum membrorum, consequenter ex nulla causa, nisi totius individui conservatio a tali abscissione pendeat, se ipsum mutilare potest. Secundo extenditur ad inhabilitatem ex certis quibusdam mor-

bis provenientem, qui inferunt debilitatem virium corporis, aut horrorem et deformitatem moraliter incurabilem; et hinc ex variis sententiis variorum ordinari non possunt leprosi, paralytici, phraenetici, amentes, lunatici, energumeni, sive a daemone obsessi, morbo caduco laborantes etc. quorum aliqui ordinari non debent, etiamsi a tali morbo liberati videantur, quia vix unquam plene sani creduntur: qua tamen in re multum poterit episcopi iudicium, non quidem dispensando, quod soli pontifici in hac iuris communis irregularitate conceditur, sed declarando, defectum aut morbum talem ordini suscipiendo non obesse.

TITULUS XXI.

DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

Bigamos non esse ordinandos sine dispensatione a pontifice obtenta, certissimi iuris est; non quidem, quod bigamia sit peccatum aliquod, sed quod illi, qui bigamiam contrahunt, deficiant a perfecta significatione sacramenti matrimonii, unam Christi cum ecclesia coniunctionem significantis, ad quod melius intelligendum, sit:

§. I. *Quid, et quotuplex sit bigamia?*

Bigamia est irregularitas proveniens ex defectu significationis sacramenti matrimonii; cum enim sacramentum matrimonii significet ex institutione Christi arctissimam coniunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, haec autem unica fuerit, unius scil. Christi cum sponsa unica, eaque virgine Ecclesia, bigamus autem ille sit, qui cum duabus successive contrahit, et consummat matrimonium, vel cum vidua, aut non virgine ab alio iam corrupta, consequenter deficit ipse in contrahendo matrimonio a perfecta significatione sacramenti matrimonii. Est autem triplex bigamia, vera, interpretativa, et similitudinaria. Vera est, cum quis successive cum duabus uxoribus matrimonium vere, et valide contraxit (latine enim bigamus id dicit, quod bis coniugatus) et utrumque consummavit (matrimonium enim consummatum requiritur ad perfectam arctissimae coniunctionis Christi cum ecclesia significationem), sive dein ante baptismum, sive post, utrumque hoc matrimonium, sive unum ante, alterum post baptismum contraxerit: et hinc bigamus proprie in ordine ad hunc titulum non est, qui cum duabus quidem successive contraxit, cum neutra tamen, vel certe cum alterutra earum, matrimonium non consummavit; neque bigamus proprie censendus est, qui cum pluribus meretricibus fornicatus est, aut plures concubinas habuit, aut plura sponsalia contraxit, cum in illo casu non significetur certissima coniunctio, in his vero nullum sit contractum, aut affectu maritali attentatum matrimonium, quod tamen ad incurrendam huius tituli inhabilitatem requiritur. Interpretativa bigamia est, quae secundum iuris interpretationem, et fictionem bigamia dicitur, quando quis scilicet matrimonium contrahit, et consummat cum vidua, a priore marito iam cognita, vel cum alia nunquam quidem coniugata, ab alio tamen extra matrimonium corrupta, sive vir sciverit esse viduam, vel aliter ab alio

corruptam, quam duxit, sive ignoraverit; et sive mulier volens, sive per vim corrupta fuerit ab alio, vel quam virginem quidem duxit, cognovit tamen etiam carnaliter, postquam illa adulterium cum alio commisit; vel si clericus, aut laicus post primam suam coniugem maritaliter cognitam, invalide postmodum duxit aliam, affectu tamen maritali eam cognovit, quo in utroque casu vera quidem bigamia non est, cum alterutrum, vel etiam utrumque matrimonium nullum sit, et consequenter non detur defectus significationis perfectae matrimonii: quasi bigamus tamen taliter contrahens habetur, ob affectatam culpabiliter coniunctionem maritalem, et copulam ex tali affectu habitam, ut loquitur pontifex in *c. Nuper*, 4. *h. t.* Similitudinaria denique bigamia est, quando clericus in sacris constitutus, vel religionem professus, viduam, aut virginem de facto tantum, cum de iure non possit, in coniugem ducit, et maritaliter cognoscit; quamvis enim nullum sit huius matrimonium ob impedimentum dirimens voti, aut ordinis, haberi tamen debet tanquam bigamus propter pravam intentionem matrimonii contrahendi cum opere carnali subsecuto, prout statutum habetur in *c. A nobis*, 7. *h. t.* et propter duplex quasi matrimonium contractum, spirituale scilicet, et carnale: quotquot enim viginitatem pollicitam praevaricati sunt, professione contempta, inter bigamos, id est eos, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debent, prout dicitur in *can. Quotquot*, 24. *causa* 27. *quaest.* 1.

§. II. *De effectibus, ac poenis bigamiae, et eius dispensatione.*

Bigami non solum excluduntur a susceptione ordinum, ut dictum, sed si post contractam bigamiam illegitime ordinati sunt, valide quidem ordinati sunt (caeteris paribus), privati tamen sunt usu, et executione omnium ordinum, *c.* 2. *et* 3. *h. t.* ita ut haec irregularitas sive inhabilitas semel incursa, per mortem v. gr. uxoris, ratione cuius contracta fuit bigamia, non tollatur, et si in minoribus constituti saeculares clerici bigamiam contraxerint, omni privilegio clericali nudati, et ipso facto privati sint, et nec tonsuram nec habitum clericalem sub poena ferendae excommunicationis, deferre possint, *c. uni. h. t. in* 6. cum in tali casu non remaneant personae ecclesiasticae, sed laici fiant, quod de illis, qui in sacris constituti bigamiam contrahunt, dici non potest. Ordinatores vero bigamorum, si scienter bigamos ordinaverint, potestate, et officio conferendi ordines, quos bigamis contulerunt, sunt privandi, prout colligitur ex *c. Super eo*, 2. *h. t.*

Potest autem summus pontifex in omni bigamia, quoad omnes ordines, ac dignitates ecclesiasticas dispensare, cum hoc impedimentum bigamiae non sit introductum iure divino, sed tantum iure ecclesiastico: et quamvis apostolus Paulus videatur hoc ius introduxisse, statuit tamen hoc non auctoritate divina, sed praecise ut episcopus; v. gr. conferendo legem ecclesiasticam, in qua pontifex dispensare potest, non quidem qualibet de causa, cum tali constitutioni apostolicae maior debeatur reverentia, et propterea *in c.* 2. *h. t.* dicatur, non licere (idest de facili) cum bigamis dispensare, sed ex causa valde gravi. Episcopi autem in bigamia quidem similitudinaria etiam ad altiores ordines dispensare possunt, si bigami tales poeniteutiam

egerint, et laudabilem postmodum vitam duxerint, uti sumitur ex *c.* 1. *et* 4. *De cler. coniug.*, *iunct. gloss. v. Ex indulgentia*, praesertim si religionem ingredi velint, *c.* 2. *iunct. gloss. v. Castitatem, de cler. coniug.* non possunt tamen nec ad minores ordines, aut primam tonsuram, vel beneficium simplex dispensare cum veris, aut interpretativis bigamis, prout etiam declarasse dicitur s. congregatio Concil. cum nullibi legatur, haec quoad bigamos tales concessa episcopis dispensandi licentia: et quamvis praelatis regularibus propter specialia privilegia multa saepius dispensandi cum suis regularibus potestas concedatur, ordinarie tamen excipitur impedimentum bigamiae.

TITULUS XII.

DE CLERICIS PEREGRINIS.

Peregrinorum clericorum nomine illi intelliguntur *in h. t.* qui extra suas dioeceses nonnunquam peregrinantur, aut vagantur, et horum locorum ordinariis plerumque ignoti sunt: de his, utrum ad ministrandum in ordinibus admittendi sint, plura quidem in prioribus tribus huius tituli *capp.* statuuntur, quorum aliqua nullius amplius usus sunt, observandum tamen hodie circa illos, quae breviter a *Trid.* statuuntur *sess.* 23. *c.* 16. *De ref.* ut sine commendatitiis, aut testimonialibus sui ordinarii literis, quibus de ordinibus susceptis testimonium feratur (quae literae communiter *Formatae* dicuntur) et de moribus, vita, et doctrina saepius commendantur, ad divina mysteria non admittantur, cum sine talibus (saltem *Formatis*) merito suspecti esse possint, quamvis sub iuramento etiam probare velint, hos vel illos ordines a se susceptos; cum qualitates extrinsecae, uti est in his vel illis ordinibus constitutum esse, non tam iuramento, quam aliis indiciis, testibus, v. gr. literis authenticis, probari debeant. De quibus peregrinis clericis etiam illud in Trid. statuitur, *sess.* 22. *in decreto de observand. in celeb. miss.* ut irreverentia vitetur, singuli in suis dioecesibus interdicant, ne cui vago, aut ignoto sacerdoti missas celebrare liceat.

TITULUS XXIII.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

Quae hoc, et sequentibus titulis, de officio archipresbyteri, de officiis sacristae, et custodis, de variis eorum functionibus dicuntur, non tam ex iure communi, quam ex communi praxi cuiuslibet dioecesis desumi debent, ubi nomina quidem dignitatum harum, personatuum, et officiorum penes capitulares canonicos supersunt, functiones vero pleraeque ab aliis praestantur. De iure tamen communi loquendo, sit:

§. I. *De Archidiacono, et an habeat dignitatem, et iurisdictionem?*

Archidiaconus de iure communi antiquo ille censetur, qui primus diaconorum ex officio suo curare debet, ut alii rite suo munere fungantur; et hinc aliis ecclesiae ministris imperare poterat, eos instruens ad altaris mi-

nisterium, bona ecclesiae administrare, dispensare, et vicarius episcopi in omnibus erat perpetuus, et intitulatus: hodie tamen pleraque haec iuxta particulares ecclesiarum consuetudines, a vicario generali episcopi expediuntur: qui vicarius datus ab episcopo dicitur, et spiritualem tantum iurisdictionem habet; cum alter perpetuus, natus, et intitulatus vicarius episcopi sit, cuius iurisdictio a lege habetur; alterius vero iurisdictio immediate ab homine, ab episcopo scilicet provenit, a quo ad episcopum appellari non possit, cum sit unum, idemque tribunal utriusque, sicuti potest ab archidiacono, qui inferius quidem, proprium tamen tribunal habere censetur.

Est autem archidiaconatus de iure communi proprie dicta dignitas ecclesiastica (praeeminentia scilicet coniuncta cum iurisdictione) *cap.* 1. *et* 7. *h. t.* quamvis enim archipresbyter ratione ordinis sacerdotalis sit maior archidiacono, cum hic ex iure antiquo communi tantum diaconatus ordinem habere debeat, maior tamen est archidiaconus archipresbytero ratione iurisdictionis in foro externo ordinariae, quam nullam in foro exteriore habet de iure communi archipresbyter; attendenda tamen hac in re ecclesiarum particularium consuetudo.

§. II. *De officio, et potestate Archidiaconi in specie?*

Ad officium archidiaconi, prout in sacris canonibus describitur, pertinet primo, ut sit vicarius episcopi in omnibus fori externi causis, tam intra urbem episcopalem, quam extra existentis, et intra tertium quemvis annum totam dioecesim visitet, minora delicta puniat, ac corrigat, maiora ad episcopum deferat *c.* 1. *h. t.*; secundo spectat ad archidiaconi officium, legere evangelium in missa solemni, si episcopus celebret, vel saltem alteri diacono legendum praecipere, et praecipue levitis circa altaris ministerium, ordinare hoc, et ad hoc rite celebrandum competentes ministros instruere (saltem ubi viget talis consuetudo) *c.* 2. *h. t.*; tertio ad officium illius spectat custodire vasa sacra, et divinis usibus dedicata, quia horum conservandorum suprema cura illi commissa est, *c. Ea quae*, 3. *h. t.* Vide plura, quae de iure communi ad archidiaconi officium pertinent *in c. Ad haec*, 7. *h. t. et in c.* 4. *ac* 9. *eodem*, *et in can.* 9. §. *Archidiaconi*, *dist.* 25. nisi contradicat consuetudo, quae pauca hodie archidiaconis concedit.

TITULUS XXIV.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

Archipresbyter ille dicitur, qui reliquis presbyteris praeest, et in iis, quae sacerdotalis officii sunt, imperat. Duplex autem est archipresbyter, urbanus unus seu civitatensis, qui in urbe episcopali constitutus, omnibus presbyteris, vel suae ecclesiae praeest, cathedralis scilicet, aut collegiatae ecclesiae decanus; alius vero est ruralis seu forensis, qui extra civitatem episcopalem curam habet presbyterorum, per diversos titulos dispersorum, et communiter decanus ruralis dicitur. De his sit:

§. I. *De officio, et potestate Archipresbyteri civitatis, seu decani ecclesiae cathedralis, et rectoris, seu decani ecclesiae collegiatae.*

Eius officium est absentis episcopi vices subire in illis, quae sacerdotalis officii sunt *c.* 1. 2. *et* 3. *h. t.* ubi etiam praecipitur archipresbytero, ut aliorum sacerdotum diligentem curam gerat in illis, quae ad sacramentum Eucharistiae, ad horas canonicas, et divinum officium dicendum, ad custodiam sacramenti eucharistiae, et ad sacramentum poenitentiae pertinent; de quibus omnibus rectius consulitur recepta consuetudo, quam ius commune, cui consuetudo derogari potuit: quae consuetudo facile etiam docebit, quid iurisdictionis habeat archipresbyter, cum enim spectato iure communi antiquo nullam ille habeat in foro externo iurisdictionem ordinariam fori interni in ordine ad omnes dioecesanos (saltem extra casus reservatos) ut patet ex *c.* 1. *et* 2. *h. t.*, consequenter iurisdictio fori externi, si quae illi competit, ex consuetudine desumenda est, iuxta quam nonnunquam idem est archipresbyter cum praeposito ecclesiae cathedralis, nonnunquam idem est cum decano illius ecclesiae. De superioribus ecclesiarum collegiatarum, sive dein decani, sive praepositi vocentur, probabile saltem est, quod de iure communi illis competat ordinaria in clericos sui collegii in foro externo iurisdictio, si a collegio illi eligantur, et ab episcopo confirmentur, iuxta *Gloss. in cap. Cum ecclesiarum*, 3. *v. Ecclesiastica sententia, de off. iud. ord.* exceptis causis criminalibus, et quae privationem, seu depositionem merentur, ac ob arduitatem episcoporum iurisdictioni reservatae sunt, consulatur consuetudo.

§. II. *De officio, et potestate Archipresbyteri, seu decani ruralis.*

Officium illius ex *c. Ut singulae*, 4. *h. t.* desumitur, ubi statuitur, ut archipresbyterum habeant singulae plebes, (quem nos decanum ruralem vocamus) qui non tantum imperitae plebis curam gerat, sed etiam presbyteris, qui minoribus titulis, seu parochiis praesunt, intendat, et qua quisque industria opus divinum exerceat, ad episcopum referat, qui cum solus omnibus dioecesis suae presbyteris satis attendere non possit, archipresbyteros constituit, dependenter a se omnia ordinantes. Et quamvis graviora ad episcopum, vel eius vicarium generalem referre debeant, habent tamen ad quaedam minora expedienda cumulative iurisdictionem, vel delegatam, si immediate ab episcopo constituantur, vel ordinariam, si a capitulo rurali eligantur; et hinc non tantum fidei professionem electi hi emittere debent, sed iuramentum etiam praestare, quod officium suum fideliter administrare, clericos suae curae commissos, et loca sacra visitare, capitula congregare, quae corrigenda videntur, corrigere, clericorum ebrietates, et alia scandala impedire etc.; dignitatem tamen proprie dictam, aut personatum non habent, ut possint esse sedis apostolicae delegati.

TITULUS XXV.

DE OFFICIO PRIMICERII.

Quem alii primicerium appellant, eo quod in certa tabella primum locum post archidiaconum, et archipresbyterum obtineat, alii vocant schola-

sticum, cantorem, seu praecentorem: officium illius describitur *in c. uni. h. t.* et si in ecclesia illa praeeminentiam habeat inter canonicos, ita ut illos ratione officii sui in choro, capitulo, processionibus praecedat, dignitatem, seu personatum habere dicitur, quod idem de thesaurario, custode, succentore dicendum est.

TITULUS XXVI.

DE OFFICIO SACRISTAE.

Sacrista in aliis quibusdam ecclesiis thesaurarius dicitur; eius curae omnis sacrorum vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum, luminum comparandorum, et totius thesauri ecclesiastici cura commissa est, iuxta *c. uni. h. t.*

TITULUS XXVII.

DE OFFICIO CUSTODIS.

Custos est quasi minister sacristae, et ideo illius officium facile ex priore titulo colligitur, et ex duplici huius tituli capitulo, ac *Extrav. Quia custos, uni. h. t. inter communes.*

TITULUS XXVIII.

DE OFFICIO VICARII.

Vicarius in genere dicitur, qui vices alterius gerit, in cuius locum, auctoritate legitima substituitur. Sunt autem vicariorum duo genera. Alii dicuntur vicarii in divinis, alii sunt vicarii iurisdictionis in foro contentioso externo. De utroque hoc vicariorum genere sit:

SECTIO I.

De Vicario in divinis.

Vicarii in divinis dicuntur illi, qui in divinis ministeriis, et cura animarum, seu in illis, quae ad forum internae conscientiae pertinent, vices alterius agunt; et horum vicariorum alii sunt perpetui, alii temporales: de utrisque agendum.

§. I. *De Vicariis perpetuis, seu intitulatis.*

Vicarius perpetuus dicitur ille, qui episcopi auctoritate canonice est institutus in ecclesia aliqua, certa ipsi congrua portione ex annuis ecclesiae proventibus, tanquam laboris, ac operis mercede constituta, ita ut amoveri non possit, nisi per privationem, aut depositionem ob causam a iure approbatam. Eius nominatio, et praesentatio ad rectorem principalem in ecclesia, praelatum, seu dignitatem in canonicatu, aut beneficio, cui parochia est perpetuo connexa, praecedente tamen praesentali examine, ut colligitur ex *c. Ad haec*, 3. *h. t.* plerumque pertinet; institutio vero proprie dicta ad episcopum, cuius etiam est de congrua portione vicario persolvenda deter-

minare, quae plerumque esse solet tertia pars redituum, nonnunquam tamen maior, aut minor etiam. Constitui potest autem vicarius perpetuus auctoritate episcopi in ecclesiis parochialibus, alteri loco, piaeve causae, vel beneficio unitis; vel si exigat ecclesiae parochialis amplitudo, et populi multitudo, capellam, seu ecclesiam filialem erigere, quae subdita quidem sit ecclesiae matrici, sive principali, per vicarium tamen perpetuum, cum consensu, et auctoritate episcopi a rectore principali nominatum, administretur: vel si quis in dispensatione, plures ecclesias curatas, residentiam personalem requirentes, obtineat; et quamvis in talibus ecclesiis perpetuo unitis, licet vicaria perpetua instituta sit, vicarii etiam temporales constitui possint, potest tamen episcopus auctoritate concilii Trident. *sess.* 7. *c.* 7. *De reform.* in illis constituere vicarios perpetuos, si pro bono ecclesiarum regimine expedire videbitur: si tamen ecclesiae perpetuo unitae per vicarium perpetuum deserviatur, habet hic, et nunc ius reale, et verum titulum beneficii canonicum, non quidem directum, qui penes rectorem principalem est, cuius vices hic gerere dicitur, sed utilem, portionis, ex annuis reditibus sibi in perpetunm ab episcopo assignatum, ita ut talis vicaria perpetua beneficio proprie dicto, et curato aequiparetur, et quae de iure statuta sunt circa ecclesias parochiales, vel de rectore principali, etiam in his vicariis, et vicariis perpetuis observari debent *iuxta Clem. unic. h. t.* habeatque candem potestatem, qui vices parochi obtinet, ita ut tota cura actualis, quoad exercitium, huic vicario commissa sit; neque rector principalis, penes quem cura tantum est in habitu, immiscere se quoad exercitium curae talis possit, sine consensu, et delegatione vicarii talis perpetui) *iuxta Gloss. in c. Super eo,* 6. *v. Annexa, de praeb. in* 6. nisi sit unio talis ecclesiae facta pleno iure alteri ecclesiae, tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia, ita ut divisio unius v. gr. ecclesiae, ob distantiam facta quidem sit, subiecta tamen haec maneat tanquam filialis, alteri ecclesiae, ut matrici, et unus idemque sit utriusque ecclesiae intitulatus rector, quamvis alteri per vicarium temporalem deserviatur; quo in casu cura tam habitualis, quam actualis penes rectorem principalem esse censetur; sicuti autem non potest parochus alium sibi similem substituere parochum, ita nec vicarius perpetuus alium sibi similem perpetuum vicarium; et sicut ille ad perpetuam residentiam ita obligatur, ut tamen ad breve tempus abesse possit, cum vel etiam sine licentia episcopi sui, iuxta absentiae rationem, et receptam in loco consuetudinem, constituto interea vicario temporali, ita potest etiam vicarius perpetuus: cuius si officium non exspirat per mortem principalis parochi, ita ut possit a successore amoveri, sed praecise per mortem ipsius vicarii, vel per privationem ob crimen, aut causam, a iure privatio annexa est.

§. II. *De Vicariis temporalibus, et cooperatoribus parochorum.*

Vicarius temporalis dicitur ille, qui legitima auctoritate personae ecclesiasticae in locum alterius sine institutione, ad tempus constituitur, et sufficitur, congrua portione ei assignata, ita tamen, ut ad nutum illius, a quo constitutus est, vel cuius vices gerit, amoveri possit; ad qualem vicarium constituendum plures quidem de iure communi causae conceduntur, et

approbantur, titulum tamen proprie, et ius in parochia, aut beneficio, iste non habet, sicut habet vicarius perpetuus, sed iure parochiali, et cura animarum penes rectorem principalem in actu etiam manente, vicarius eam exercet ex commissione, et nomine rectoris principalis constituentis eum, ita ut vicarii talis potestas exspiret non tantum per mortem principalis rectoris, sed per revocationem etiam huius constituentis, et cum eadem sit iurisdictio vicarii talis substituti cum iurisdictione substituentis parochi, recte dicitur, quasi ordinariam iurisdictionem habere, et partem suae iurisdictionis saltem ad unam, alteramve causam delegare posse.

Alia tamen est ratio cooperatorum, quos parochi, veluti ordinarii ovium sibi commissarum pastores, assumere possunt, et suam illis iurisdictionem, si sint ab episcopo approbati, delegare, ita ut tales cooperatores iurisdictionem sibi delegatam habeant, quam nec in casu particulari subdelegare possint sine commissione parochi.

SECTIO II.

De Vicario iurisdictionis.

Vicarius iurisdictionis dicitur ille, qui in foro contentioso, et externo iurisdictionem vice aliorum exercet. Duplicis autem generis etiam hi vicarii sunt; alii enim sunt a lege sive canone constituti, quibus ordinaria iurisdictio, distincta a iurisdictione principali, cuius vices gerunt, competit, quales vicarii sunt archidiaconi *c.* 1. *De offic. archid.* nisi per consuetudinem, aut statuta particularia huius iurisdictio exspiraverit, et hinc de his vicariis nihil dicendum ultra: alii sunt ab homine, a superiore scilicet ordinario, ut vices illius circa iurisdictionalia exerceant, quales sunt hodie vicarii generales, qui ad totam dioecesim ab episcopo constituti sunt; et vicarii foranei seu rurales, qui ad certum tantum dioecesis districtum, et particularem locum iurisdictionem habent, de quibus supra dictum aliquid, cum de officio archipresbyteri generalis dictum est. De vicario ergo generali sit:

§. I. *De Vicario generali, seu Officiali episcopi, et eius constitutione.*

Vicarius Episcopi alius est simpliciter generalis, cui administratio tam in spiritualibus, quam in temporalibus, quoad totam dioecesim, et omnes causas commissa est; alius autem generalis secundum quid, vel in spiritualibus tantum, vel in temporalibus tantum. Illi absolute vicarii dicuntur, vel cum addito vicarii in spiritualibus, et in quibusdam dioecesibus ab officiali episcopi non distinguuntur (in aliis tamen distinguuntur, ita ut qui principalis est, et cui commissae sunt talis dioecesis causae, absolute vicarius dicatur, alter vero huic subiectus, qui consistorio v. g. tantum praeest, et cui certum tantum causarum genus commissum est, officialis absolute dicatur) quibus etiam apostolica rescripta expedire concessum est, et ut esse possint sedis apostolicae delegati, cum hoc non competat vicario in temporalibus tantum, qui laicus esse potest, et communiter oeconomus appellatur, aut officiali specialiter ad certas tantum causas deputato, nisi aliunde dignitatem in ecclesia obtineat. Ad quod autem se extendat utriusque huius vicarii

officium, ex consuetudine magis, et literis commissi ab episcopo officii desumi debet, quam ex iure communi: quamvis etiam ad vicarium generalem omnes causae iurisdictionales ecclesiasticae, et ad vicarium in temporalibus omnis inrisdictio in temporalibus, tam in iudicio, quam extra iudicium, tam meri, quam mixti imperii, potestas etiam alienandi bona temporalia per se pertineat, potest tamen episcopus constitnens tales vicarios, certa quaedam sibi reservare. Tenetur autem ordinarie constituere vicarium generalem, cum solus omnibus causis expediendis non videatur sufficere, ita ut si negligens sit in constituendo tali vicario, archiepiscopus terminum praefigere illi possit, intra quem vicarium constituat, aut a se post elapsum terminum constitutum recipiat. Quin immo non tantum unum, sed plures etiam vicarios generales, cum eadem in solidum iurisdictione constituere potest, si facilior expediendorum negotiorum ratio hoc persuadeat, prout asserit *gloss. in Clement. 2. v. Principalis, de rescript.* quo in casu rescripta pontificia vicario generali, seu episcopi officiali inscripta, ab eo, qui principalior est, expedienda erunt; si tamen nnus principalior sit, cum nomen absolute positum stet pro principali, vel si neuter sit altero principalior, ille vicarius ad expediendum hoc rescriptum videbitur delegatus, cui impetrans rescriptum hoc prius obtulit, si nihil opponat, contra quem tale rescriptum impetratum fuit, vel si apponat incertitudinem delegationis, suspensa manebit delegatio, dum a pontifice declaratio debeatur. Sicuti autem in temporalibus vicarius laicus esse potest, ut dictum, ita qui in spiritualibus vicarius est, clericus esse debet (eum laici incapaces sint de iure canonico spiritualis iurisdictionis) non quidem in sacris, aut maioribus constitutus, nisi in pontificalibus etiam vicarius sit, prout communiter esse solent, qui episcoporum sunt suffraganei, sed prima saltem tonsura initiatus, qui habitum, et tonsuram deferat, ut gaudeat privilegio clericali, et qui non sit coniugatus, aetatis saltem 25. annorum inchoatorum, ac moribus, et doctrina sufficiente instructus, et non sit ordinis mendicantium, *Clem. 1. de regularibus*, et quamvis ad constituendum illum non requiratur substantialiter scriptura, saepe tamen haec ad probandam, et colligendam illius potestatem requiritur.

§. II. *An Vicariatus sit ecclesiasticum beneficium, vel dignitas, et an iurisdictio episcopalis sit ordinaria, an delegata?*

Quod ecclesiasticum beneficium non sit vicariatus episcopalis, satis probatur ex definitione beneficii ecclesiastici, quod debet esse ius perpetuum, et in titulum stabilem conferri, quae non conveniunt vicariatui huic, a quo ad nutum episcopi amoveri quis potest. Est tamen vicarius generalis in dignitate ecclesiastica constitutus, quia habet praeeminentiam cum iurisdictione coniunctam *gloss. 1. in Clement. 2. v. Delegatus, de rescriptis:* utrum autem iurisdictio illius ordinaria sit, an delegata, in utramque partem probabiliter disputatur. Mihi probabilius, et iuri conformius videtur, quod vicarii generalis iurisdictio sit ordinaria, et non delegata tantum, ut tenet *gloss. in c. 2. v. Officialem h. t. in 6. et gloss. in c. Romana, 3. v. generaliter, de appella. in 6.* et ratio probat, que vult non dari appellationem a vicario ad episcopum, cum tamen ad delegantem detur appellatio *c. Super quaestionem*

27. §. *Porro, de off. deleg.* ergo iurisdictio vicarii non est delegata, sed eadem potius cum iurisdictione ordinarii, quae ordinaria est, ita nt episcopus suo nomine, et principaliter inrisdictionem suam exercere dicatur; vicarius vero accessorie, secundario, et nomine alieno, ipsius scilicet episcopi, nisi per speciale mandatum specialis illis causa demandata esset, quo in casu ad hunc decidendum, delegatam ab homine iurisdictionem habere censeretur.

§. III. *De illis, quae Vicarius episcopi facere potest, vi officii sui generaliter sibi commissi.*

Vicarius generalis episcopi ex officio sno omnes causas ad episcopalem iurisdictionem pertinentes expedire potest, praeter illas, quae speciale mandatum requirunt *cap. Licet*, 2. *h. t.* ita ut praesumptio quidem fiet pro vicarii potestate, nisi vel ex inre scripto, vel ex recepta consuetudine probari possit, quod causa aliqua specialiter reservata sit episcopo, haec tamen in mandato generali, plenam et liberam potestatem concedente ad omnia facienda quae possit episcopus, etiamsi clausula addita sit, communicari ea quae speciale etiam mandatum exigant, non comprehensa videatur, nisi specialiter exprimatur, ut gloss. asserit *in c.* 2. *h. t. in* 6. *v. Committantur;* et probari potest argument. *c. Qui ad agendum,* 4. *de procurator. in* 6.; vel nisi exprimatur saltem unum aliquid, specialem commissionem requirens, et clausula generalis de omnibus aliis, speciali mandato indigentibus, addita fuerit; quo in casn poterit quidem vicarius generalis alia etiam non expressa, quamvis speciale mandatnm requirerent, exequi, minora tantum tamen expressa, vel aeqnalia, non autem maiora. Haec tamen omnia plenius intelligentur ex sequentibus. Sit ergo:

§. IV. *De iis, quae Vicarius generalis non potest facere, sine speciali commissione episcopi; et in primis, de potestate cognoscendi causas criminales, matrimoniales, et alias graviores expediendi.*

Inter causas, quae specialem commissionem exigunt, neque in officio vicariatus generaliter commisso, comprehensae censentur, numerantur causae criminales primo, ut patet ex *c. Licet,* 2. *h. t. in* 6. (quia hae causae inter negotia maiora reputantur, cum in illis agatur de puniendo graviter delinquente) nisi inquirat tantum, et cognoscat de delictis non ut ipse puniat, sed ut ad episcopum referat; vel nisi inqnirat tantum ad emendationem, et scandala avertenda; vel nisi civiliter tantum de delicto aliquo agatur; vel nisi poenae tantum leves, mulctae v. gr. pecuIariae, aut aliae similes imponendae essent, quibus in casibus etiam sine speciali commissione in causa tali criminali dicto modo procedi potest; quod si tamen expresse commissa ab episcopo fuisset vicario generali gravium delictorum punitio, non potest tamen ille poenam a sacris canonibus constitutam, in mitiorem mutare, sine speciali etiam quoad hoc commissione.

Secundo nnmerantur ab aliquibus inter causas exceptas ab ordinario vicariatus officio causae matrimoniales, quia tam de iure antiquo, *c. Accedentibus,* 12. *de excess. Praelat.* quam de iure *Trident. sess.* 24. *cap.* 20. *de reformat.* causarum matrimonialium cognitio episcopalis dignitatis esse

dicitur, et passim causae matrimoniales criminalibus aequiparantur, ac inter arduas numerantur *c. penult. de integ. restitut.;* valde tamen probabile est etiam contrarium, quod ex officio generali ius habeat cognoscendi causas matrimoniales vicarius generalis, prout colligi potest ex *c.* 1. *de frigidis etc.* iunct. *gloss. v. Missum*, et ex *c. final. de cognat. spirit.* cum causae matrimoniales non sint difficiles adeo, et arduae, ut a solo episcopo cognosci, et expediri possint; et in relat. *c. penult.* aequiparentur criminalibus in hoc tantum, quod per arbitros cognosci non possint; Trident. vero, et *c. Accedentibus* non adimat vicario generali ius cognoscendi causas matrimoniales, cum eadem illi sit cum episcopo iurisdictio, sed inferioribus tantum episcopo praelatis, qui distinctam iurisdictionem ab episcopo habent, uti sunt archidiaconi in quibusdam partibus, decani rurales etc. Attendenda tamen est hac in re consuetudo dioecesis.

Tertio non potest vicarius vi commissionis generaliter sibi factae, dioeceses visitare; synodum congregare; ultimas pias voluntates exequi; literas dimissorias dare; res ecclesiae alienare; causas feudales cognoscere; aut iuramentum fidelitatis a vassallis, qui feudum episcopale habent, recipere; indulgentias concedere; ea, quae ordinis episcopalis sunt, exercere, nisi sit in pontificalibus etiam vicarius; nec alteri potestatem concedere exercendi in dioecesi, cuius vicarius est, pontificalia, de quibus tamen, uti et pluribus aliis consulendum mandatum vicariatus, et recepta consuetudo.

§. V. *An Vicarius episcopi, vi generalis mandati, sine speciali commissione, possit conferre beneficia ecclesiastica, vel aliter circa illa disponere ?*

Ex *c. Cum in generali h. t. in* 6. satis patet, quod vi commissionis suae generalis non possit vicarius generalis beneficia conferre; neque enim potestas illius, quae ob necessitatem aliquam in subsidium episcopi instituta est, ad liberales donationes, qualis est beneficiorum collatio, extendi debet (et hinc potest episcopus per specialem gratiam concedere vicario suo potestatem, vel per totam dioecesim conferendi beneficia, ad suam collationem de iure communi spectantia, vel ad certa tantum beneficia, aut certi cuiusdam districtus, aut certae personae) neque potest vicario ab episcopo committi simul admittendi resignationem certi beneficii, et conferendi tale beneficium potestas, quia in tali casu committeretur beneficii nondum vacantis conferendi potestas, quod fieri non potest; si prius tamen, resignationem certi beneficii admittendi sit concessa potestas, potest eiusdem postea beneficii conferendi dare potestatem vicario episcopus, iuxta gloss. communiter receptam *in c. Deliberatione*, 4. §. *Prohibemus, v. Cuicunque, de off. legat. in* 6. Sicuti autem ex eo, quod sit concessa potestas vicario resignationes liberas admittendi, concessa non videtur potestas conferendi talia beneficia, sic non est concessa potestas tales beneficiatos suis beneficiis privandi, cum hae potestates diversae sint, et specialis illa concessa gratia, iuri communi contraria, stricte explicanda, prout in pluribus casibus attendi debet. Neque tamen per hoc, quod vicario suo conferendi beneficia potestatem contulerit episcopus, censetur se ipsum ea privasse, sed potest adhuc per se ipsum

talia beneficia conferre, et praevenire vicarium, argum. *c. Dudum*, 14. §. *Nos igitur*, *de praebend. in* 6. et si dubitatur, quis altero prior contulerit, praeferenda semper est episcopi collatio.

§. VI. *An, et qualis potestas dispensandi, vel absolvendi, Vicario competat ex vi officii sui?*

Ut dispensare possit vicarius in votis, iuramentis, impedimentis, et legibus canonicis, specialis concessio necessaria est, nisi ab ipso iure commissa sit haec facultas vicario (prout dat potestatem dispensandi in denuntiationibus matrimonialibus, et promulgandi, ac decernendi excommunicationem ad restitutionem inventorum) vel nisi casus sint frequenter contingentes, prout dispensat quoad ieiunia, festa etc. et quamvis episcopus vicario suo potestatem committere possit dispensandi in casibus per se papalibus, a pontifice tamen, vel Concilio, episcopis ratione suae dignitatis episcopalis per generalem concessionem commissis, qualiter dispensare possunt in omnibus irregularitatibus, et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta illa, quae oritur ex homicidio voluntario etc. non comprehenduntur tamen hi casus in generali tantum vicario facta, in omnibus casibus episcopalibus dispensandi, commissione: et quia delegatus a principe subdelegare potest, ideo potest etiam specialiter sibi a pontifice commissas causas, suo vicario subdelegare episcopus, nisi videatur personae industria electa, quae si moverit pontificem ad delegationem huic personae faciendam, nec episcopus suo vicario causam talem subdelegare potest, nec immiscere in causae talis expeditione se potest episcopus, si vicario a pontifice facta fuerit delegatio. Non tamen extendenda haec licentia est ad absolvendum a casibus papalibus, qui per accidens tantum ad episcopum devolvuntur ob impedimentum v. gr. aut difficultatem adeundi pontificem etc. absque speciali vicario facta potestate; nam hoc ipso, quod talia ad episcopum non spectent iure communi, et ordinario, sed ex speciali privilegio; consequenter non competunt etiam vicario ex commissione generali, et iure communi. Quin etiam in generali concessione vicariatus, non venit potestas absolvendi a casibus episcopo reservatis in foro interno, sed debet vicarius speciale ad hoc habere mandatum, cum ex regula in generali 82. *de reg. iur. in* 6. haec talia in concessione generali non comprehendantur. Consulenda est recepta consuetudo circa haec talia.

§. VII. *An Vicarius generalis episcopi alium sibi substituere possit, et in quo loco exercere suam iurisdictionem possit?*

Quamvis ad breve tempus ob valetudinem, vel necessitatem aliam possit vicarius generalis alium sibi substituere *c.* 1. *h. t. in* 6. non potest tamen alium sibi similem absolute sibi subrogare ad longum tempus, argument. *c. Clericus*, 4. *h. t.* quia nemo potest suum officium alteri absolute committere, nisi ex legis, aut principis beneficio hoc illi concessum sit. Potest tamen vi commissionis generalis unam, aut alteram causam, alicui delegare, cum in his causis, quae vi officii sibi competunt, sit iudex ordinarius, et consequenter alteri delegare possit. Potest autem vicarius hic in quovis dioecesis loco non exempto a iurisdictione episcopi, suam iurisdictionem exercere, licet

ordinarium suum tribunal habeat in loco consistorii episcopalis; cum enim eadem sit vicarii, quae episcopi iurisdictio, episcopus autem possit in quovis suae dioecesis loco non exempto eam exercere, consequenter etiam poterit vicarius.

§. VIII. *Quis cognoscere possit de delicto, aut negligentia Vicarii episcopalis, eumque punire.*

Si delinquat, ut persona privata, episcopus ipse iudex est, et privare eum potest, quia in talibus, quae agit ut privatus, non gerit vices episcopi: si vero delinquat in rebus ad officium suum pertinentibus, ita tamen, ut episcopus non sit in culpa, ad episcopum pertinet de delicto tali et negligentia cognoscere, et punire eum: si vero etiam ipse episcopus in culpa sit, causam talem cognoscere, et punire vicarium, ad archiepiscopum spectat, prout sumitur ex *c.* 1. *h. t. in* 6. iunct. *gloss. v. Rationabili causa:* cum enim factum a vicario censeatur in tali casu factum ab episcopo, consequenter ne in propria causa iudex dicatur episcopus, vicarii punitio, et causae talis cognitio ad archiepiscopum spectabit, ita ut huic sistere etiam debeat episcopus, si petatur.

§. IX. *Quibus modis finiatur, et cesset officium, ac iurisdictio Vicarii episcopalis?*

Cessat variis modis. 1. Per mortem ipsius vicarii, nam mors omnia solvit. 2. Per propriam renuntiationem factam ab ipso vicario, expressam vel tacitam, nisi animo non redeundi, ex dioecesi, in qua constitutus erat vicarius, discedat. 3. Per mortem episcopi, aut renuntiationem episcopi admissam a superiore, vel depositionem, aut translationem episcopi factam ad aliam ecclesiam; cum enim ratione iurisdictionis, eadem reputetur episcopi et vicarii persona, consequenter hoc iurisdictionem amittente, amittet eam etiam ille. 4. Cessat iurisdictio vicarii, saltem quoad exercitium, et suspensa manet, si episcopus in bello v. gr. capiatur ab haereticis, paganis, aut schismaticis, cum enim in tali casu episcopus habitualiter quidem retineat iurisdictionem, exercitium tamen huius suspensum maneat, et interea ad Capitulum devolvatur, iuxta *cap. Si episcopus,* 3. *iunct. gloss. v. Sed capitulum, de supplend. neg. prael. in* 6. consequenter idem etiam de vicario episcopali dicendum; ex quo *cap.* suspensa etiam, et impedita manet iurisdictio vicarii, si episcopus excommunicatus, suspensus, vel interdictus sit, uti et iurisdictio subvicariorum ab ipso vicario constitutorum, si hic excommunicatus, suspensus, vel interdictus sit, prout sumitur ex *cap. Romana,* 1. *h. t. in* 6. ita ut acta eorum postmodum facta sint invalida, quamvis rei iam non integrae superveniant dictae censurae, nisi hic non tam subvicarius, qui eamdem cum vicario potestatem habeat, sed delegatus tantum sit, distinctam habens iurisdictionem a delegante, cuius iurisdictio circa res iam coeptas non exspirat per censuras delegantis *argum. cap.* 19. 20. *de offic. deleg.* prout etiam iurisdictio vicarii in causis delegatis non exspirat, re iam coepta, per supervenientem episcopi censuram. 5. Denique finitur, et cessat potestas, et officium vicarii generalis per revocationem ab episcopo constituente factam etiam sine consensu

Capituli (est enim ad nutum episcopi amovibilis vicarius, iuxta *gloss. Clement.* 2. *v. Per elect.*, *de rescript.*) Ita tamen, ut gesta ab illo etiam post revocationem valeant, si haec revocatio vicario nondum legitime intimata sit, vel si communis error populi eum adhuc pro vicario habeat, iuxta *l. Barbarius*, 3. *de off. Prael.*

§. X. *De vicario Capituli, sede episcopali vacante.*

Non tantum potest, sed debet etiam de iure novissimo *Trident. sess.* 24. *cap.* 16. *de reform.* Capitulum ecclesiae cathedralis, vacante, aut quasi vacante sede episcopali, intra 8. dies post mortem episcopi vicarium constituere, vel constitutum ab episcopo confirmare, ita ut in casu negligentis quoad hoc Capituli, ad metropolitanum illius constitutio devolvatur; vel in casu exemptae ecclesiae ad seniorem, aut propinquiorem episcopum. Eadem autem est vicarii talis capitularis iurisdictio, quae est vicarii episcopalis; cum enim in tali casu omnis iurisdictio episcopi in Capitulum devolvatur, consequenter capitularis vicarius idem poterit quod episcopalis, ita tamen, ut speciali etiam commissione ad multa indigeat, sicut indiget vicarius episcopalis, et insuper etiam ea non possit, quae de iure non potest Capitulum, cum illius potestas non possit esse maior potestate Capituli, dependens tota tam quoad restrictionem, quam ampliationem a Capituli potestate, et exspirans etiam, quando novus episcopus fuit confirmatus, et episcopatus possessionem accepit, nisi prius revocetur.

§. XI. *De Vicario Papae in Urbe, eiusque potestate.*

Videatur de hac materia, in nostris partibus nihil scitu necessaria, *capit. penultimum h. t.*

TITULUS XXIX.

DE OFFICIO, ET POTESTATE IUDICIS DELEGATI.

SECTIO I.

De delegatione in genere, et iis, qui potestatem delegandi habent, vel non.

§. I. *Quid sit delegatio, sive quis sit iudex delegatus, et quotuplex?*

Delegare in genere aliud non est, quam vices suas alteri in locum suum committere; et hinc iudex delegatus (qui etiam iudex extraordinarius, et vulgo commissarius dicitur) recte dicitur ille, qui non ex proprio munere seu officio, sed ex commissione vel ipsius iuris, vel alterius hominis, propriam iurisdictionem habentis, immediate, aut mediate facta, iurisdictionem exercet, ita tamen, ut distinctam iurisdictionem habeat, derivatam tamen a iurisdictione delegantis. Sunt autem varia delegatorum genera; alii dicuntur delegati a supremo principe, ecclesiastico scilicet vel temporali; alii delegati dicuntur ab inferioribus principibus, aut magistratibus; alii dicuntur delegati ad universitatem causarum, quibus vel universim omnes prope illius territorium causae cognoscendae sunt, vel omnes saltem causae in certo quodam genere subalterno, omnes v. gr. causae decimarum, omnes causae mutui, etc. quamvis cum restrictione ad certum locum, tempus, et quantitatem

commissae sint; alii ad certam tantum particularem causam delegati dicuntur, vel quibus commissae sunt certarum personarum tantum causae decidendae; alii dicuntur delegati ratione certae dignitatis, quam obtinent, ut cum abbati v. gr. episcopo certi loci delegatio fit; alii sunt delegati ratione certae personae, quibus scilicet earum personarum nomina exprimendo fit delegatio; alii ab homine delegati dicuntur, a iudice v. gr. vel magistratu ordinariam iurisdictionem habente; alii delegati dicuntur a iure, ex ipsius scilicet iuris commissione, vel ex recepta consuetudine, quae vim iuris habet, delegatam potestatem habentes, qualem iurisdictionem habent episcopi in quibusdam casibus papae reservatis, etc.; et confessarii illi, quorum penitentes facultatem habent eligendi sibi confessarium, etc.; alii denique dicuntur delegati, quibus primo delegata, sive demandata fuerit iurisdictio; alii subdelegati, qui a delegatis iterum delegantur.

§. II. *Qui nam habeant potestatem delegandi, aut subdelegandi?*

Delegandi potestatem regulariter habent omnes magistratus ordinariam iurisdictionem habentes, prout sumitur *ex c. Cum episc.,* 7. *de off. iud. or. in* 6. quod enim potest facere quis per se ipsum, hoc potest etiam per alium iuxta *reg.* 68. *in* 6. non quidem quasi posset totum suum officium quilibet iudex, principe inferior alteri committere, cum hoc non tam esset delegare, quam officio suo se abdicare, et transferre illud in alium, quod sine consensu principis inferior non potest *l. penult.*, *iunct. gloss. v. Abdicando ff. de off. praesid.* sed quod speciales aliquas causas delegare possint. Subdelegare vero potest etiam partibus invitis causam aliquam sibi delegatam, vel illius partem aliquam absolute, vel sub certis limitationibus, qui a supremo principe aliquo, maiorem non recognoscente, delegatus est, *c. Si pro debilitate,* 3. *h. t. et c. Cum causam,* 62. *de appellat.* ita ut si iusta causa aliqua, vel necessitas subsit, et malitiose delegatus se subducere non velit, subdelegandum, quamvis maioris dignitatis sit, cogere possit delegatus supremi principis, ad acceptandam subdelegationem, sub poenae pro proportione subdelegando imponendae interminatione; uti habetur in *c. Pastoralis,* 28. *h. t.* quia in tali casu sicuti subdelegandus, cuiusvis per se auctoritatis sit, inferior est illo, cuius vices delegatus gerit, ita etiam delegato tali censetur esse inferior, qui superiorem delegantem repraesentat. Haec tamen de subdelegatione a delegato principis facienda, intelligenda sunt, nisi ad causam aliquam diiudicandam fuerit electa industria personae, ob causae alicuius arduitatem, aut literarum tenorem, vel consensum partium, prout colligitur *ex citato c. Si pro debilitate, et ex c. fin. h. t. et ex c. Is cui,* 12. *eodem in* 6. vel nudum ministerium, seu mera executio, et nulla iurisdictio illi commissa sit, *c. fin. h. t.* §. *Caeterum.*

§. III. *An, et qua ratione subdelegare possit delegatus papae, vel principis, adiunctis ei aliis iudicibus delegatis, vel cum potestate subdelegandi alteri?*

Potest papa, vel princeps supremus alius, delegatis iam constitutis superaddere tertium, vel ex communi consensu partium, vel si consentire non

possint, ex officio (cum illius sit, non tam partibus, quam causis, et negotiis providere) qui dicto modo subdelegare potest alteri, et pro diversitate clausulae adiectae, *ut vel solus, si alteruter coniudicum nolit aut non possit, vel cum alterutro suorum coniudicum procedat*, solus ipse, vel cum alio coniudice causam cognoscere potest. Quin immo, si simpliciter causa commissa sit duobus, sine alia clausula adiecta, potest unus ex illis suo condelegato suas etiam vices committere, sive subdelegare, ut habetur statutum *in c. Quamvis*, 6. *h. t.* qui tam suo, quam socii nomine, ut delegatus scilicet, et ut subdelegatus collegae sui iudicare, et sententiam, non quidem diversam, sed eandem pronuntiare potest. Sicuti tamen subdelegatum admittere non tenetur delegatus alter si causa duobus cum clausula commissa sit, *quod si ambo interesse non possint, alter solus procedat*, sed per exceptionem repellere eum potest, et solus procedere, prout sumitur *ex c. Coram dilecto*, 34. *h. t.* cum clausula dicta velit, solum hunc posse procedere, si alter per se adesse nolit, ita etiam subdelegatus subdelegare non potest iuxta *c. Super quaestionem*, 57. §. *Si vero h. t.* cum nullibi reperiatur in iure, tali subdelegato subdelegandi concessa licentia.

§. IV. *An, et quando delegatus ab inferiore iudice ordinario subdelegare possit.*

Delegatus ab alio, quam a principe nullum superiorem agnoscente, sive ab inferiore iudice ordinario, ab episcopo v. gr. subdelegare, sive causam sibi commissam regulariter, et ordinario alteri committere non potest, uti constat *ex c. Cum causam*, 62., *de appellat.* (neque etiam delegatus plus iuris habet, quam ipsi vel a lege, vel ab homine commissum sit, nullibi autem legitur, haec subdelegandi concessa illi potestas, et ab homine tantum illi est concessa facultas exercendi iurisdictionem, sub qua non venit subdelegandi potestas), nisi ad universitatem causarum delegatus sit (qui quasi ordinariam iurisdictionem habere censetur, et consequenter unam, vel alteram causam, vel causae articulum subdelegare potest; *l.* 1. §. *Ab eo, ff. Quis, et a quo appelletur, iunc. Gloss. v. Non ipse, et gloss. fin.*) vel nisi a iudice ordinario haec ipsa subdelegandi potestas, tacite, vel expresse ipsi concessa fuerit, iuxta gloss. in *c. Is cui*, 12. *v. Per alium h. t. in* 6. (ut sic enim delegatus non tam ex sua, quam delegantis persona delegat, ad quem etiam appellatio fieri debet, si quae sit interponenda) neque huic tamen etiam delegato, aut subdelegato, cui una tantum causa diiudicanda concessa est, negari debet, quod non possit post cognitam causam, et pronunciatam sententiam, alteri executionem sententiae, sive nudum ministerium executionis committere; cum taliter exequens sententiam non tam agat ut iudex, cui iurisdictio competit, quam a delegato tali accipere non potuit, sed agat praecise ut purus minister delegati, aut subdelegati.

SECTIO II.

De iis, quibus delegari potest.

§. I. *Qui possint esse iudices delegati?*

Ordinarie, et regulariter, qui iudices ordinarii esse possunt, possunt etiam esse delegati; et hinc communiter dicitur, omnes esse posse iudices dele-

gatos, qui nec natura, ut surdi, muti, perpetuo furiosi, impuberes etc., nec iure, ut infames, etc. nec consuetudine excludnntur, prout excluduntur foeminae, servi etc., immo de iure Canonico delegatus index esse non potest, qui vigesimum aetatis annum nondum implevit *c. Qui vicesimum*, 41. *h. t.* nisi a principe dispensetnr, aut partes consentiant in eum, qui saltem 18. annnm excesserit, nec potest esse, hoc ipso iure prohibente in cansis iudicialibus sedis apostolicae, aut legatorum eius delegatus, vel subdelegatus, nisi sit in aliqua dignitate ecclesiastica aut personatn constitutus, vel canonicus ecclesiae cathedralis, sive secularis haec sit, sive regularis, sive praebendam ille habeat, sive non habeat *c. Statutum*, 11. *de rescript. in* 6: episcopi vero, vel alterius inferioris ordinarii delegatus esse potest simplex clericus, iuxta *gloss. in citatum c. Statutum, v. Sedis apostolicae*, modo sint personae discretae, et idoneae, nt loquitur *c. Si pro debilitate*, 3. *h. t.* sive sint subditi delegantis iurisdictioni, sive non sint snbiecti, modo causa ad delegantis iurisdictionem pertineat (et hinc causae ecclesiasticae, decimarum *v. g.*, iuris patronatus, etc. non laicis, sed clericis committuntur) quorum omnium rationes esse possunt, quod pro sedis apostolicae dignitate alii delegati non sint admittendi, et causarum ratio laicis non committenda, diversitatem quidem aliquam delegatorum requirat, non autem subiectionem, nisi invitum compellere velit.

§. II. *An pluribus iudicibus eadem causa simul delegari possit, et quomodo procedere debeant?*

Posse hoc fieri, ita ut non habeant singuli iurisdictionem in solidnm, neque unus sine altero valide procedere possit, nisi aliter in forma concessionis sit expressnm, ex *c. Causam*, 16. *h. t.* patet, quod si tamen in forma commissionis in clausula expressum sit: *ut si nequeant, aut nolint omnes interesse, duo vel unus eam cognoscant, et exequantur;* duo vel unus procedere possunt ad causam diiudicandam, et ferendam sententiam, si per certum nuntium, aut aliunde illis legitime constiterit (per testes scilicet, aut submissas litteras) quod tertius vel alii adesse non possint, aut nolint, pront habetur in *c. Prudentiam*, 21. *h. t.* si vero sub ea clausula commissio facta sit, *ut omnes, aut duo vel unus eorum procedant, aut mandatum exequantur*, tum censetur quilibet eorum habere iurisdictionem in solidum, datur inter eos locus praeventioni, ita ut etiam unus solus, qni alios praevenit, negotium commissnm expedire possit; et negotio coepto alii amplius immiscere se non possint, nisi qui causam hanc praeoccupaverat, subita infirmitate, aut alia iusta causa impeditus, non possit, vel etiam malitiose non velit in causa procedere, ut habetur in *c. Cum plures*, 8. *h. t.* ratio horum est, qnod nt sic servetur forma mandati, et negotia citius expediantur cum nullius iniuria.

§. III. *An una causa delegata etiam pluribus possit subdelegari?*

Qni snbdelegare possunt, possunt vel omnes simul, si plures delegati fuerint, vel unus eorum unam causam sibi delegatam pluribus personis tamen idoneis, snbdelegare, ut constat ex *c. Cum te*, 18 *h. t.* ita ut, taliter a de-

legatis subdelegati in sententia ferenda inter se dissentiant, standum sit sententiae maioris partis, vel si non habeatur maior pars in sententia ferenda, sed quilibet subdelegatorum suam peculiarem sententiam habeat, recurrendum sit ad subdelegantem *arg. fin. de sent. et re iud.* nisi in totum vices suas subdelegatis commiserit subdelegans, quo in casu ad primum, seu delegantem recurrendum est.

SECTIO III.

De causis, quae delegari possunt, et de forma, seu modo delegandi

§. I. *Quae causae delegari possunt, vel non?*

Omnes illae causae, quae ad ordinariam iurisdictionem delegantis pertinent, delegari ab his possunt, non autem illae, quae sunt alienae iurisdictionis; sicut enim illas, non autem has potest iudicare per se, ita potest illas etiam, non autem has aliis iudicandas ex nomine suo committere, quin immo non tantum ea, quae iurisdictionis sunt, sed etiam ea, quae sunt ordinis, delegari possunt; dummodo is, cui demandantur, competentem ordinem habeat, cum potestas ea exercendi, quae sunt ordinis, non ex sola verbali commissione, sed ex reali consecratione dependeant.

§. II. *An causae meri, et mixti imperii delegari possint?*

Quamvis putent aliqui discrimen aliquod esse inter ius Civile, et ius Canonicum, quoad delegationem mixti, et meri causarum, ita ut iuxta sacros Canones velint universim omnes causas utriusque imperii delegari posse, non autem iuxta ius Civile, probabilius tamen putant alii, nullum inter utrumque ius discrimen esse, et delegari de iure scripto regulariter non posse meri, et mixti imperii causas; delegationem autem, quae a iure Canonico circa quasdam meri, aut mixti imperii causas fit, specialem tantum esse, ob specialem aut fidei favorem, aut irregularitatis periculum concessam. Quidquid tamen sit de iure scripto, hodie ex generari consuetudine indisticte omnes causae meri, et mixti imperii delegari solent, etiam capitales, ut testantur *Iulius Clarus*, *Wesenbecius*, aliique, ita ut illis etiam, quibus subdelegandi potestas convenit, has omnes sibi delegatas, criminales etiam, subdelegare conveniat, nisi appareat personae industriam fuisse electam, quam putant aliqui semper in causis criminalibus commissis, et delegatis electam, ut in praxi nunquam hae causae subdelegari possint, ob earum arduitatem, ex quo capite etiam nunquam censentur, in generali concessione totius iurisdictionis civilis, et criminalis etiam cum mero, et mixto imperio a principe facta, eas etiam causas concessas esse, quae ad primum gradum meri, et mixti imperii pertinent, iuxta *Regulam iuris*, 18. *in* 6.; quae autem in specie ad utrumque hoc imperium pertineant, infra dicetur *tit.* 31.

§. III. *De causis delegatis ratione dignitatis, vel officii, non personae.*

Cui facta est causarum etiam summo pontifici reservatarum commissio, sive voluntariae, sive contentiosae iurisdictionis illae sint, ratione officii sui ordinarii, aut dignitatis, ita ut haec potestas perpetuo annexa sit officio tali,

aut dignitati, potest eam non tantum in casibus particularibus, sed generaliter etiam alteri committere, nisi electa fuisset personae industria; aut magnis adminiculis negotium illud opus habeat, prout sumitur *ex c. ult. De off. iud. ord.*, *iunct. gloss. v. Casibus*, quia taliter concessa dignitati, aut officio potestas censetur non tam delegata, quam ordinaria, quae delegari potest. Quod ipsum etiam dici debet de commissione facta alicui nudi cuiusdam ministerii, aut solius executionis, quae delegari quidem non potest, si personae facta sit, delegari tamen potest, si officio, aut dignitati facta sit.

§. IV. *Qua forma, et modo fieri possit, vel debeat delegatio?*

Quod modus delegationis, quem communiter etiam formam appellant, in procedendo a iudice delegato observandus, varius esse possit, ex dictis iam patet: sicuti autem modus hic praescriptus diligenter, et necessario, non tantum a iudice delegato, sed etiam subdelegato observari debet, ad valorem processus, iuxta *cap. Cum dilecta*, 32. *rescript. et l. Diligenter*, 5. *ff. Mandati*, ita etiam non semper annullatur processus v. gr. vel collatio, etiamsi forma praescripta observata non fuerit, casu quo scilicet non tam a delegante nova forma praescribitur, quae plerumque processui substantialis habetur, sed eius tantum formae, qua a iure communi requiritur, mentio fiat, ita ut magis habeat speciem commonitionis, quam substantialis formae clausula talis: et hinc etiamsi delegetur v. gr. Caio potestas conferendi certi beneficii Titio, si idoneus sit, collatio tamen valida erit, etiamsi non est ex mente iuris communis, substantialis, sed tantum accidentalis. Quod si tamen ad eosdem iudices in eadem causa diversae literae impetratae sint, quae sibi invicem quoad substantiam contrarientur, neque ulla in posterioribus priorum fuerit facta mentio, suspensa manet utrinsque rescripti talis executio, donec summus Pontifex consulatur, et de mente illius certior habeatur notitia *c. Sane*, 2. *h. t.* ne fiat alicui praeiudicium.

§. V. *De interpretatione, et probatione mandati delegantis.*

Non tam verba, quam mens delegantis respicienda est in literarum commissionis explicatione: et hinc talia mandata non explicanda sunt, ut alteri praeiudicium inferatur, ita ut improprie potius verba accipienda sint, quam ut alteri fiat praeiudicium, (nisi expresse, et cum derogatione iuris alicui fiat commissio) licet motu proprio literae illae emanarent, et agatur tantum de iure ad rem alteri adimendo: neque excluduntur exceptiones legitimae, ac rationabiles, etiamsi in forma mandati iubeatur iudex delegatus procedere, et iudicare, nulla exceptione admissa (non enim per mandata talia generalia vult tollere iuris ordinem, et graviter iuri partium praeiudicare princeps delegans; sed de illis tantum irrationabilibus, et frivolis exceptionibus talis clausula intelligenda est, quae tantum ad morandum iudicium interponuntur; si tamen adiecta clausula diceret, nullam quantumvis rationabilem exceptionem admittendam, servanda esset forma mandati talis, et nulla admitti deberet exceptio, cum constet de voluntate principis delegantis, qui ex plenitudine potestatis derogare potest iuri communi, praesertim si alia

media sint partibus (appellationis v. gr., implorationis officii etc.) quibus se defendere possint.

Ut fides delegato iudici habeatur, de accepta potestate, et parendum illi sit necessario, debet in forma authentica delegationis suae mandatum exhibere, vel aliter certam illius fidem facere (per exemplum v. gr. ex originali auctoritate legitima desumptum per testes) si hoc ab illo petatur, *c. Cum in iure*, 31. *h. t. et c. Cum contingat*, 24. *de rescript.* (neque enim factum, vergens in praeiudicium alterius, praesumi debet, sed probari) ita ut concessa per delegatum, qui non probavit legitime suam delegationem, sive commissionem, quamvis exhibitio, et probatio talis petita fuerit ante litem contestatam, sit ipso iure nulla, tanquam facta a non habente iurisdictionem legitimam.

SECTIO IV.

De officio, et potestate iudicis delegati.

§. I. *De potestate iudicandi, et puniendi concessa iudici delegato.*

Quod possit ipse episcopus etiam, contra quem iudex delegatus datus est, ab habente iurisdictionem in episcopum talem, quamvis ille non sit de iurisdictione ordinaria delegati, in causa delegata, rebellis haberi, et contumax, ac secundum qualitatem delicti, et personae circumstantiam a iudice delegato puniri (per sententiam v. gr. suspensionis, interdicti, in totam etiam civitatem episcopalem, vel dioecesim positi, si alium temporalem dominum non habet, *arg. c. Si sententiam*, 16. *de sent. excom. in* 6.) *ex c.* 2. *Sane h. t.* habetur; cum in tali casu delegatus, qui vices delegantis papae v. gr. agit, sit superior illo, contra quem delegatio facta est: et hinc non facile contra delegatum a pontifice, si in possessionem mittere velit aliquem, vi suae commissionis, violenter agere debet episcopus, quamvis sciat, illum in possessionem mittendum, legitime institutum non esse, sed precibus tantum apud hunc delegatum instare potest, ne talis immissio fiat, prinsquam de toto negotio consulatur pontifex *c. Si quando*, 8. *h. t.* quin etiam in omnes illos potestatem suam exercere potest, qui iurisdictionem sibi delegatam, et causae processum impedire, vel turbare volunt, quamvis in mandato, seu delegatione de his expressum nihil sit, ut constat *ex c.* 1. *h. t. iunct. gloss. v. In casu*, et partes contumaces, si citatae contumaciter comparere nollnt, punire, et excommunicare, iuxta *c. Praeterea*, 5. *h. t.* possit; cum commissa causa censeantur etiam alia commissa, quae ad causae talis expeditionem pertinent, et hinc ipsius etiam delegati erit, nuntios, ministros, aliosque officiales, ad causae suae expeditionem constituere: neque enim ut sic excedere mandati fines dicendus est delegatus, cum ille, qui mandat principale, causae scilicet expeditionem, necessario etiam mandare censeatur annexa, et accessoria ad causam expediendam requisita, gloss. fin. in rel. *c. Praeterea*, nisi specialem commissionem requirerent, aut alterius essent iurisdictionis, ad causam delegatam nihil pertinentis; quod ipsum etiam de subdelegatis legitime dicendum est, prout sumitur ex *c. Literis*, 29. *h. t.* ne iurisdictio illi subdelegata inutilis sit, et frustratoria.

§. II. *Quomodo iudex delegatus procedere debeat in certis quibusdam causis delegatis ?*

Casu quo coram delegato probatur actorem in hac causa, cui delegationem impetravit, ante delegationis impetrationem excommunicatum iam fuisse, procedere non potest delegatus, quia rescriptum tale ab excommunicato ad iudices delegatos impetratum, nullum est *c.* 1. *De rescript. in* 6. si vero probetur, quod post delegationis impetrationem incurrerit excommunicationem, tum absolvitur a delegato, ut agere possit, si propter causam sibi commissam excommunicatus sit: si vero propter aliam causam excommunicatus sit, ad eum pro absolutione remittatur, qui eum excommunicavit; qui si malitiose absolvere eum non velit, delegatus papae eum absolvat, nisi sit excommunicatio papae reservata, iuxta *c. Prudentiam*, 21. §. 6. *h. t.* ob rationem scilicet supra allatam commissi principalis, et annexi: de quo casu, uti et de aliis vide *c. De consultationibus*, 10. *c. Consuluit*, 24. *et c. Pastoralis*, 28. *h. t.*

§. III. *De potestate exequendi, quae competit iudici delegato, et de tempore, intra quod fieri debet executio.*

Delegatus a summo principe, vel papa potestatem habet, latam a se sententiam etiam exequendi, per se, et proprios ministros, vel per alium, ita ut eam etiam executionem committere, et demandare possit ordinario iudici, et tam hunc nolentem, quam alios suae executioni obsistentes cogere, et punire possit, si parere, aut desistere nolint, *c. Significasti*, 7. *h. t.* (cum sit his omnibus, in ordine ad causam sibi commissam superior,) et parere debeat constitutus executor (si tamen merus executor sit, et nondum illi exequendi ministerium demandatum sit) quamvis sciat, iniustam sententiam esse contra ius partis v. gr. uti habetur *in c. Pastoralis*, 28. §. *Quia vero h. t.* non autem si sciat, nullam illam esse, latam v. gr. auctoritate falsarum literarum etc. cum huic tali executori nulla cognitio, sed sola executio sententiae concessa sit, quae si valida sit, qualis est etiam iniusta sententia, a tali executore debet mandari executioni, ut sit litium finis, nisi pars laesa, remedium debitum interponendo, executionem impediat: ad quae omnia facilius expedienda potest delegatus pontificis brachium etiam episcopale, aut saeculare, in subsidium invocare (extraordinarium hoc medium arripiendo, si nullum ordinarium remedium, coercendi v. g. contumaces per censuras etc., supersit) vel armata etiam manu executionem urgere, si aliter eam obtinere non possit. Habet autem a papa delegatus integrum annum (continuum scilicet, qui semper currat etiam diebus feriatis) ad exequendam sententiam a se latam, uti constat *ex c. Quaerenti*, 26. *h. t.* intra quem, si condemnatus paulo post executionem factam iterum turbat illum, qui in causa vicit, potest delegatus iurisdictionem reassumere, ad hoc, ut compellat reum ad executionem integre, et stabiliter perficiendam *iuxta gloss. Hic, v. Ad integrum annum.* Et quamvis aliqui putent, delegatos ab inferioribus ordinariis iudicibus, ab episcopis v. gr. hanc exequendae sententiae a se latae potestatem non habere, ob aliquos iuris Civilis textus, rectius tamen putant alii de civili

hoc quidem non licere, ob clarum textum legis *divi Pii, ff. De judiciis*, licere tamen hoc de iure Canonico, prout sentit etiam *glossa in cap. Si quis*, 4. *v. Ipsius sollicitudine, de foro competente*, cui enim causa commissa est, censentur commissa omnia, quae ad expediendam, et finiendam illam causam requiruntur, nisi specialiter, et expresse aliquid reservetur: attendenda tamen in hac re controversa consuetudo, ac mandati verba.

§. IV. *Quando, et ubi, sive quo in loco delegatus suam iurisdictionem exercere possit, vel debeat?*

Non habet delegatus suae inrisdictionis exercitium aut vim ullam, nisi postquam ei praesentatum fuit delegationis mandatum, prout sumitur *ex c. Super ea*, 12. *de appellat.* Ita nt nullum sit, si quid egerit ante rescripti talis praesentationem, quamvis privatim sciat delegationem, sibi factam in tali casu fuisse, ad multa scilicet incommoda, et confusiones cavendas. Neque potest sine expresso consensu partinm in alio loco cansam cognoscere, si certus illi locns ad cognoscendnm determinatus sit *c. Statutum*, 11. *de rescriptis in* 6. nisi potentia, aut malitia adversarii, contra quem procedi debet, aut alia rationabilis causa impediat, quo minus secnre mandatnm exequi possit delegatus in loco sibi demandato, prout habetur in *c. Statuimus*, 73. *h. t. in* 6. Ita tamen, ut in hoc posteriore casu consensus partium intervenire debeat, qui requiritur ad prorogandam inrisdictionem delegati de loco in locum, nt advertit *glossa hic in notatis;* et cum certus locus deputatus sit in mandato delegationis ob favorem partium, possunt huic favori suo renunciare.

SECTIO V.

De appellatione in causis delegatis.

§. I. *An, et quomodo appellari possit a iudice subdelegato, vel ab Auditore?*

Appellari potest a iudice subdelegato, cui causa, vel pars causae cognoscenda commissa est, non autem a mero auditore, cui nudnm tantum ministerium commissnm est *c. Super quaestionum*, 27. *h. t.* cum enim appellatio fieri debeat a iudice gravante, consequenter non ab hoc nudo executore, qui index non est, appellari potest (nisi mandati fines excedat, aut ne detur, iusta ex causn recusetur) potest tamen ab illo iudice subdelegato appellari, si tamen delegatus papae cnm clausula, *appellatione remota*, datus, snbdeleget talem causam, non quidem in totum, sed partem illius, aliquam tantum, non poterit pars a delegato tali appellare, eo quod sine consensu partium subdelegatum dederit: poterunt tamen partes, si inxta causa recusandi huius adsit, recusare illum coram iudice delegato, a quo, si recusantem iusta de cansa audire non velit, ad papam appellari potest; qui enim utitur iure suo, prout hic delegatus subdelegans, non gravat alterum.

§. II. *Ad quem appellandum sit a iudice delegato, aut subdelegato?*

Appellationem in his causis delegatis fieri debere a delegato ad delegantem, iura civilia expresse asserunt, et si delegatus papae subdelegavit, ad

delegatum subdelegantem de iure Canonico fieri appellatio debet, nisi totam causam alteri subdelegaverit, nullam sibi circa eam iurisdictionem reservando, quo in casu ad primum delegantem appellari debere, *ex c. Super quaestionem*, 19. §. *Porro h. t.* patet: cum enim in posteriore casu nihil iurisdictionis in causa tali delegatus sibi reservaverit, consequenter per factam delegationem tota illius iurisdictio in tali causa extincta est, quae manet in eo, qui non totam causam subdelegavit, et consequenter appellatio in hoc casu fieri potest ad proximum subdelegantem, non autem in illo, prout etiam sumitur *ex c. Cum te*, 18. *h. t.* quae tamen constitutio extendenda non est ad delegatos inferiorum praelatorum subdelegantes, a quibus appellari potest immediate, quocunque intermedio omisso, ad summum pontificem. In casu vero, quo duobus v. gr. a papa causa aliqua delegata fuit, cum clausula, *appellatione remota*, et unus eorum alteri condelegato vices etiam suas commiserit, prout fieri posse ex dictis iam patet, non potest hic, cui vices suas alter commisit, procedere, appellatione remota, nec alteri subdelegare, ut habetur in citato *c. Super quaest.* §. *Si vero:* cum enim in hoc casu iam non procedat tantum ut delegatus principis, sub qua qualitate, appellatione remota, procedere posset, et subdelegare, sed procedat etiam ut subdelegatus a socio condelegato, ab hoc autem potestatem, appellatione remota, procedendi, aut subdelegandi accipere non possit, consequenter neutrum potest, et si appellatio fiat, non ad condelegatum, qui totam causam, et potestatem suam alteri condelegato commisit, facienda est, sed ad primum delegantem.

§. III. *Quibus casibus a subdelegato, ad iudicem primum delegantem, et non subdelegantem sit appellandum?*

Sunt aliqui casus, in quibus a subdelegato, quamvis ei non tota causa commissa sit, appellari non potest ad immediate subdelegantem, seu delegatum: et primo quidem, si post subdelegationem cum certae iurisdictionis reservatione factam moriatur, aut excommunicetur (excommunicatione maiore) delegatus a romana sede, qui subdelegavit, uti habetur *c. Si is cui*, 10. *h. t. in* 6. quo in utroque casu, nec diutius expectandum sit, usque dum v. gr. alius substituatur, aut excommunicatus absolvatur, appellatio ad romanum pontificem fieri potest. Quod fieri etiam potest in casu, quo delegatus subdelegans plurimum distet, diu absit, delegatus sit suspectus, et universim si diuturnum aliquod impedimentum delegatum impediat. Secundo si plurium delegatorum a sede apostolica aliqui partem tantum causae subdelegaverint aliis, quo in casu non iam ad delegatos subdelegantes, sed ad primum delegantem, pontificem scilicet appellandum est, *c. Si duo*, 3. *h. t. in* 6. cum enim appellatio fieri debeat ad superiorem, nullus autem delegatorum, respectu alterius, ab eadem sede in eadem causa delegati, sit superior, consequenter in nullo casu ad parem condelegatum fieri potest appellatio, sed a dignitate delegantium desumi debet, ad quem fieri debeat appellatio. Tertio si excipiat contra delegatum, partem causae subdelegantem, quod iurisdictionem non habeat, eo quod v. gr. mortuus fuerit papa delegans prius, quam causa commissa per delegatum coepta fuerit, in hoc enim casu non ad delegatum, qui

negatur habere iurisdictionem, sed ad primum delegantem appellari debet, *c. Si a subdelegato*, 14. *h. t. in* 6.

§. IV. *An delegatus papae absolvere possit eum, qui dicit ab ordinario se suo iniuste excommunicatum esse, vel post legitimam appellationem?*

Responsio *ex c. Cum contingat*, 36. *h. t.* petenda, ubi duae ad hanc rem spectantes dantur regulae. Prima est, quod conquerens se iniuste excommunicatum esse, et negans etiam valide latam esse excommunicationem, absolvi ante omnia debeat iuxta formam ecclesiae, praestita scilicet cautione, quod ecclesiae mandatis sit pariturus (cum enim excommunicatio iniusta quidem, non tamen nulla saltem in foro externo liget, consequenter ab ea absolvi prius debet reus, quam probationes de iniusta hac excommunicatione proferat, ut audiri postmodum possit, si iniustam fuisse excommunicationem probare velit), nisi statim probare velit contraria pars latam eam fuisse propter notoriam contumaciam. Secunda regula est, quod recipi debeat statim, antequam nulla declaretur excommunicatio, de nullitate illius, si pars opponat latam in se fuisse excommunicationem post legitimam appellationem interpositam, aut quod in ea ferenda intolerabilis error expressus sit; si enim probat invalidam fuisse, tum nulla absolutione opus est, cum nulla fuerit ligatio nec in interno, nec in foro externo, pro quo tamen ligatus est, iniustam tantum sui excommunicationem praetendit.

SECTIO VI.

De prorogatione iurisdictionis iudicis delegati, et eiusdem recusatione.

§. I. *De prorogatione, sive extensione iurisdictionis delegatae.*

Respondetur 1. quod iurisdictio delegata prorogari non possit, sive extendi ad personas in rescripto non expressas, etiam de consensu partium, ut constat *ex c. P. et G.* 40. *h. t.* (cum enim strictae explicationis sit rescriptum delegationis, et quidem iuxta mentem delegantis, consequenter nullam licet partibus pro suo placito facere extensionem) nisi personae non expressae in rescripto delegationis, per accidens, sive accessorie veniant, ob proprium interesse, quod in causa delegata habent, vel nisi sit delegatus aliquis ad universitatem causarum, in quo utroque casu prorogatio ad personas fieri potest; in illo quidem casu, quod non possit causa legitime, et integre expediri sine hac prorogatione ad personas, quarum interesse agitur in causa delegata; in hoc vero casu, quod delegatus ad universitatem causarum iurisdictionem quasi ordinariam habeat, quae ex omnium sententia ad personas etiam prorogari potest.

Respondetur 2. iurisdictionem delegatam extendi, seu prorogari non posse de re ad rem, sive de causa expressa in rescripto delegationis ad causam non expressam, si haec connexa non sit, sed separabilis a causa expressa; *c. Cum olim*, 32. *h. t.* ob strictam scilicet rescripti talis interpretationem. Censentur autem connexa, et inseparabilia a casu expresso, quae necessario etiam in cognitionem venire debent, si causa integra expedienda committatur, ut si alicui commissio fiat, ut de illata iniuria, damno, spo-

liatione, etc. cognoscat, ille etiam partem ledeotem compellere potest ad restitutionem, satisfactionem, etc.

Respoodetur 3. quamvis substantialibus delegationis non possit fieri prorogatio (de persona in personam, de causa in causam, ut ex dictis patet) potest tamen ea fieri io accideotalibus quibusdam de ioco io locum, de tempore in tempus, et de quantitate in quantitatem, cum partium consensu, modo appareat, quod restrictio delegationis ad certum locum, certum tempus etc. facta fuerit in favorem partium, cum favori pro se introducto quilibet cedere possit. *c. De causis*, 4. *h. t. c. Statutum*, 11. §. *In nullo*, *de rescript. in* 6.

§. II. *De recusatione iudicis delegati.*

Recusari potest iudex delegatus, sive unus, sive plures delegati fuerint, si probabiiis suspicio, seu causa recusandi afferatur *c. Suspicionis*, 39. *h. t.* ut si delegatus sit domious adversarii, cum quo litigare aliquis debet, tum enim, ut suspectus, recusari potest *c. Causam quae*, 17. *h. t.*; vel si post litem contestatam factus sit adversarius domesticus, vel familiaris iudicis delegati *c. Insinuante*, 25. *h. t.*; vel si iudex delegatus sit de familia adversarii, si enim dominus recusari potest, tota eius familia recusari potest ob affectum familiaritatis *cap. Literas*, 14. *de praesumpt.*; vel si sit sanguine iuoctus adversario *c. Postremo*, 17. *de appellat.* Quod si autem ob legitimam causam iudex delegatus a pontifice, vel supremo principe, ut suspectus, recusetur, tum ex consensu partium arbitri eiigeudi sunt, qui probationes recipiant, deque tota causa recusationis cognoscant, per potestatem ipsis a iure concessam, prout statuitur iu *c. Suspicionis*, 99. *h. t.* (ut ne praesumptioni, quod noceat parti recusanti, locus relioquatur, si iudicet ipse, sua num sit in tali casu iurisdictio) nisi causa recusationis sit io iure expressa, aut alias indubitata seu notoria, aut manifeste iniusta, et frivola; iu talibus enim casibus nulla arbitrorum electio est necessaria, sed ipse iudex recusatus potest delegationem talem, aut recusationem reiicere. Si tamen plures a pootifice, aut supremo principe iudices delegeotur, cum clausula, *quod si omnes non possint, unus etiam eorum in causa procedat*, et contra unum aliquem delegatorum legitima causa recusationis obiiciatur, tum illa coram altero coniudice non recusato (ad quem ex vi praedictae clausulae ipsius causae cogoitio pertinet) probari, et expediri ab hoc debet, prout habetur *in c. Si contra*, 4. *h. t. in* 6. sicuti etiam arbitris opus non est, si recusetur ab inferiore iudice, episcopo v. gr., iudex delegatus, quo io casu ad ipsum delegantem recurrendum est, cuius est cogooscere causam recusationis a se delegati, uti etiam *glossa* docet in relatum *cap. v. Idem:* nisi ob distantiam nimiam episcopi v. g. recusatio ad arbitros, aut vicarium generalem videretur defereoda, ad parcendum nimiae morae, aut sumptibus, aut nisi ipse etiam episcopus suspectus recusari possit.

§. III. *Aliae quaedam assertiones circa recusationem iudicis delegati proponuntur.*

Non tantum ipsae partes litigaotes, sed etiam tertius ioterveniens, cuius causa taiis iotersit, recusare iudicem delegatum, aut suspectum potest *c. Cum*

super, 23. *h. t.* ex quo cap. etiam habetur triplex recusandi iudicis, tam ordinarii, quam delegati causa. Prima est, si quis litem iudicialem habet cum ipso tali iudice; ex litibus enim oriuntur inimicitiae. Secunda est, si iudex signum benevolentiae, seu amicitiae alicui deneget, quale tamen aliis eiusdem conditionis, et status hominibus exhibere solet; praesumitur enim in tali casu inimicitia aliqua. Tertia denique causa est, si iudex alicui minatus sit, quod occasione oblata nocumentum illi sit illaturus, aut de eo se vindicaturus, neque enim ille tantum inimicus habetur, qui actu infert iniuriam, sed etiam ille, qui inferre eam conatur.

Circa hanc tamen recusationem advertendum adhuc primo, si delegatus a pontifice prius quam recusetur, causam in totum subdelegavit, recusari ulterius, aut subdelegatio ab eo facta impugnari non potest, si tamen iurisdictione sua uti iam coepit subdelegatus; cum enim causa suspicionis ad recusandum delegatum ipsam tantum personam concernat, seu afficiat, consequenter nihil haec ad subdelegatum pertinebit; et consequenter nec delegatus, qui iam omnem causam a se amovit, in subdelegatum transferendo, nec ipsa subdelegatio, quae legitime facta fuit, nec subdelegatus denique, circa quem nulla causa recusationis habetur, recusari, aut impugnari potest. Si vero delegatus talis partem tantum aliquam, seu articulum tantum aliquem causae sibi commissae delegaverit alteri, de iurisdictione sibi delegata aliquid sibi reservando, recusari potest, et commissio eius impugnari, cum enim in hoc, quod sibi retinuit, adhuc iudex sit, consequenter non minus, quam alius iudex recusari poterit, prout sumitur *ex c. Iudex*, 5. *h. t. in* 6. ubi etiam habetur, quod post propositam causam recusationis possit tamen iudex delegatus, si pars recusans consentiat, vices suas alteri committere, etiamsi causae recusationis probatae sint, modo non sit supra iis pronuntiatum; cum enim ante sententiam recusationis latam, nondum sit omnino extincta delegati iurisdictio, sed suspensa tantum, et impedita, consequenter in causa sibi commissa ulterius procedere non potest, ac subdelegare, nisi pars recusans consentiat; quod nec consentiente parte facere potest, si contra eum pronuntiatum iam sit, cum ut sic omnino extincta sit illius iurisdictio, quam partes litigantes dare non possunt.

Advertendum secundo, quod non tantum iudex delegatus suspectus, sed etiam locus recusari possit, si pars citata ad eum secure accedere non possit, propter inimicitias v. gr. tam privatas, quam publicas civitatis cum civitate, prout sumitur ex *c. Cum Raphael*, 35. *h. t.* quia ut sic gravatur pars in obtinenda iustitia, et potest pars gravata petere, ut sibi iudex in securo loco detur; quamvis enim, si utraque pars praesens in curia sit, non detur iudex ad unius tantum partis instantiam, nisi altera etiam consentiat; in casu tamen absentis partis datur uni iudici delegato, modo adversa pars non contradicat.

Advertendum tertio, audiendum eum non esse, qui delegati literas ad delegantem datas aperit, de falsitate suspectus, si postea falsas eas probare velit, prout sumitur *ex c. Cum olim magister*, 3. *h. t.* ut in eo ipso puniatur, ut ait pontifex, in quo peccavit, et ex proprio dolo conferat commodum.

SECTIO VII.

Quibus modis officium, et potestas iudicis delegati finiatur.

§. I. *An, et quomodo finiatur potestas iudicis delegati per sententiae executionem, vel si pronuntiet iurisdictionem sibi non competere in causa, aut per lapsum temporis.*

Cessare officium, et potestatem iudicis delegati, primo si sententiam executioni mandavit, aut alteri exequendam commisit, habetur *in c. In literis*, 9. *h. t.* (cum in tali casu omni suo officio functus sit) ita ut sive bene, sine male iudicaverit, non possit iterum in eadem causa absque nova commissione iudicare, *arg. c. Si compromissarius*, 37. §. *Si vero h. t. in* 6. nisi sit delegatus ad universitatem causarum ecclesiasticarum, qni aequiparantur ordinariis.

Cessat secundo iudicis delegati, quoad causam delegatam, potestas et officium, si interloquendo pronuntiat ipse, nullam sibi iurisdictionem in tali causa principali competere (eo quod v. gr. rescriptum delegationis sit subreptitium) quamvis enim talis sententia definitiva non sit, cum non decidat causam principalem, vim tamen habet definitivae, et per eam extinguitur potestas delegati, sive male, sive bene pronuntiaverit, nisi intra tempus competens a tali sententia fuerit appellatum, quia per appellationem extinguitur sententia, quasi lata non fuisset, iuxta *c. Cessante*, 60. *de appellat.*

Cessat tertio iurisdictio delegati iudicis, si causa ad certum tempus, intra duos, vel tres menses v. gr. decidenda, commissa fuit, tempus tamen elapsum est, antequam causa decideretur, nisi terminns praefixi temporis in favorem partium, communi consensu partium, fuerit prorogatus, *c. Dioecesis h. t.* limitata enim talis forma commissionis cum sit, consequenter limitatio illius observari debet, et possunt tamen partes eam limitationem prorogare, cum in favorem scilicet earum sit addita, nisi a delegatis expresse prohibita fuerit facienda ex partium consensu prorogatio, aut aliunde appareat, terminum non tam in favorem partium, quam ob bonnm commune, et publicum fuisse praescriptum. Nihil tamen obest certi temporis limitatio, intra quod decidenda causa sit, si post illud elapsnm fieri adhuc possit executio, cum termini illi non tam ad exequendam, quam ad ferendam sententiam praefixi sint.

§. II. *An, et quomodo finiatur iurisdictio, et potestas delegati iudicis morte eiusdem?*

Quod morte ipsius delegati exspiret delegatio, si facta haec sit personae, proprium delegati nomen exprimendo, committo v. gr. hanc causam cognoscendam, et decidendam Titio, sentiunt canonistae communiter; eo quod in tali casu videatur electa industria personae, ad successorem non transiens. Si vero delegatio facta fuit dignitati, seu sub nomine dignitatis, episcopo v. gr., praeposito, decano huius ecclesiae, morte delegati non exspirat iurisdictio, sed ad successorem in eadem dignitate transit, etiamsi res adhuc sit integra, et nondum coepta cognosci causa; sicuti enim in priore casu persona, quae moritnr, ita in hoc casu dignitas electa est, quae nun-

quam interit *c. Quoniam*, 14. *h. t.* neque tamen, ut cognoscatur, num delegatio facta sit personae, aut dignitati, ad sola verba attendendum est, utrum scilicet sub nomine proprio delegati, an sub nomine dignitatis fuerit facta delegatio, sed potius inspicienda est praesumpta voluntas committentis ex variis coniecturis, et causae arduitate, ac circumstantiis colligenda. Quod si tamen simul proprium nomen delegati, et dignitas illius expressa sit, v. gr. tibi Petro, episcopo compostellano, causam hanc diiudicandam committo, ita ut dubium esse possit, utrum personae, an dignitati facta fuerit commissio, si de voluntate delegantis ex aliis coniecturis constare non possit, censenda est huiusmodi commissio esse personalis, sive intuitu personae facta, et ad successorem non transire, sivè praeponatur, sive postponatur proprium nomen personae, nomini dignitatis: universim enim loquendo, per speciem restringitur, et determinatur genus, ergo etiam nomen dignitatis genericum per specificum nomen personae restringitur, ut ultra personam proprio nomine expressam non extendatur, ac deposita etiam dignitate per resignationem v. gr. aut translationem, commissio haec non extinguatur, sed causa decidi possit ab hoc delegato, etiamsi dignitatem adiectam non amplius habeat (nisi ob delictum dignitate illa privatus sit talis, aut nisi statum incompossibilem cum dignitate annexa assumpserit) modo tempore delegationis, seu commissionis factae, capax fuerit huius commissionis. Si tamen plures ad eandem causam diiudicandam fuerint delegati, et unus eorum moriatur, reliquorum etiam delegatio, et iurisdictio exspirat, prout habetur in *c. Unus*, 42. *h. t.* cum enim in tali casu omnes simul, et coniuncti procedere iussi sint, et omnes habeantur pro uno, consequenter si unus eorum moriatur, aut ex alio capite iurisdictione privetur, reliqui nihil amplius poterunt circa causam sibi delegatam, nisi fortassis cum clausula, *si non omnes possint* etc., fuisset commissio facta, ut vivente adhuc altero inchoata causa iam fuisset, vel saltem, qui modo mortuus est, vivens adhuc vices suas alii condelegato commisisset.

§. III. *An, et quando potestas iudicis delegati exspiret morte delegantis?*

Si delegatus ad iustitiam, nondum coepit uti sua iurisdictione, citando v. gr. reum, ita ut res adhuc sit integra, exspirat iurisdictio illius per mortem tam civilem, quam naturalem delegantis, sive hanc sciat delegatus, sive non sciat, modo publice non ignoretur. Si vero causa commissa iam coepta sit, non exspirat illa per mortem delegantis, sed perpetuatur, usque dum causa commissa, et iam coepta, finita fuerit, prout habetur ex *c.* 9. 20. *et* 30. *h. t.* Neque enim re nondum coepta efficaciter iurisdictio in delegatum translata fuit *c. Quamvis*, 6. *h. t. in* 6. ad hanc autem perpetuandam in delegato iurisdictionem, ut per mortem delegantis non exspiret, licet sola citatio partium, ante mortem delegantis facta, sufficiat, quamvis ad partem nondum pervenerit, iuxta *c. Gratum*, non tamen sufficit sola subdelegatio, neque alia ad iudicium praeparatio, citationem praecedens, uti est vocare notarium, testes praecipere, ut citatio fiat, cum actus isti proprie non sint iudiciales, qui etiam extra territorium iudicis, et sine causae cognitione fieri

possunt. Quae autem hactenus dicta sunt de exspirante iurisdictione delegati per mortem delegantis, etiam intelligi debent de exspirante iurisdictione subdelegati per mortem subdelegantis.

§. IV. *Quibus casibus iurisdictio delegata non exspiret per mortem delegantis etiamsi res integra sit?*

Sunt tamen aliqui casus, in quibus iurisdictio delegata non exspirat per mortem delegantis, quamvis res adhuc integra sit. Et primo quidem, si ordinario iudici causa aliqua diiudicanda delegetur, quae etiam sine tali delegatione iurisdictioni illius ordinariae subest; in tali enim casu, etiamsi moriatur delegans re adhuc integra, potest tamen vi ordinariae suae iurisdictionis talem causam examinare, et iudicare iudex hic, cum in hoc casu mandatum delegationis tantum fuerit accessorium iurisdictioni ordinariae, excitans illam ad satisfaciendum officio suo, iuxta *c. Licet*, 12. *de off. ord.*

Secundo, si iurisdictio, seu commissio facta sit nomine, sive ratione dignitatis committentis; ut si expresse dicatur: *Sedes apostolica tibi hoc committit:* tum sicut ipsa dignitas nunquam perit, sed manet, quamvis persona, cui inhaerebat, mortua sit, ita etiam delegatio talis per mortem personae delegantis non exspirat, etiamsi res adhuc integra sit; plerumque tamen commissiones, seu delegationes non a dignitate, sed a persona procedunt.

§. V. *An mandata, seu commissiones gratiae exspirent morte committentis, si res sit integra, vel non integra?*

Rescripta gratiae non exspirant morte concedentis, licet res integra adhuc sit, si gratia, vel beneficium a principe concessum, et quod decet esse permanens, iuxta *regulam* 16. *in* 6., sit acceptatum, qualis gratiae factae sunt plurimae facultates communitatibus, aut aliis absolute et indeterminate concessae, absolvendi v. gr., dispensandi, non residendi in loco beneficii etc. Immo etiamsi nondum acceptatum fuerit beneficium alicui factum, seu facta gratia, non exspirat morte concedentis, etiamsi nondum coepta fuerit executioni mandari, ita ut executio talis gratiae fieri possit ab executoribus, nominatis etiam post mortem concedentis *c. Si super*, 9. *h. t. in* 6. sive meri, sive mixti executores fuerint; si tamen gratia facta nondum est, sed mandatario facienda committitur, tum si res adhuc est integra, exspirat per mortem committentis, quia facilius impeditur faciendum, quam tollatur factum, iuxta *gloss.* in citatum *c. Si super*, *v. Facta:* et hinc si pontifex mandat, ut alicui conferatur beneficium, vel cum illo dispensetur, si, cognita causa, videatur gratia facienda, exspirabit morte talis concedentis gratia, quae primum est facienda, si res, moriente concedente, adhuc integra sit. Si vero a papa alicui conferatur beneficium cum commissione ad ordinarium, ut praebenda vacans, aut proxime vacatura conferatur, vel si dispenset cum eo pontifex, preces tamen examinandas committat ordinario, non exspirat gratia talis per mortem committentis, sed praebenda illi vi talis commissionis conferenda est, quamvis prius mortuus fuerit committens, aut preces nondum ante mortem committentis examinatae fuerint, quia gratia iam facta fuit.

§. VI. *An, et quomodo potestas iudicis delegati finiatur per revocationem delegantis ?*

Finiri etiam iurisdictionem delegatam per revocationem ipsius ordinarii iudicis, qui eam commisit, si res sit integra, indubitati iuris est, sive dein delegatio facta fuerit ad universitatem causarum, sive ad causam particularem, sive pro foro interno, sive pro foro externo, sive voluntariae iurisdictionis commissio illa fuerit, sive contentiosae, cum talis revocans utatur iure suo, et quasi re propria. Immo etiamsi coeptum sit a delegato iudice iudicium, potest tamen iudex ordinarius causam alteri delegatam ad se revocare (iuxta *l.* 58. *ff. De iudiciis,* iunct. *gloss.* 1. *Iudicum*) non tantum valide, sed etiam licite, si iusta causa revocandi subsit; ita tamen ut haec revocatio vim suam non habeat, nisi fuerit delegato intimata, et literae v. gr. revocationis ei fuerint praesentatae, prout sumitur ex *c. Cum contingat,* 24. *de rescript.* sicuti enim delegatio vim suam non habet prius, quam literae delegationis delegato sint praesentatae, ita nec revocatio vim aliquam habet prius quam literae revocationis delegato fuerint praesentatae. Delegatus tamen si totam causam sibi commissam subdelegavit, ita ut nihil in ea iurisdictionis sibi reservaverit, potest quidem re nondum a subdelegato coepta, eam revocare, cum nondum sit efficaciter, antequam res agi coepta sit, in subdelegatum translata iurisdictio, non potest tamen ob contrariam rationem eam revocare, si a subdelegato iam coepta sit, per citationem v. gr., uti habetur in *c. Quamvis*, 6. *h. t. in* 6.

SECTIO VIII.

De iudicibus conservatoribus.

§. I. *Quis sit iudex conservator, a quo dari possit, et quinam esse possint conservatores ?*

Conservator de iure communi est iudex delegatus, deputatus ad defendendum aliquos a manifestis iniuriis, seu violentiis, seu quocunque damno iniusto etc. absque iudiciali causae cognitione; prout constat ex *c.* 1. *h. t. in* 6. dari solent taliter conservatores nonnunquam ad defendendum contra latrones, et praedones; nonnunquam contra eos, qui privilegia quibusdam concessa violant; nonnunquam contra iniurias, et offensas manifestas, ut contra eas defendant: sicuti autem dari possunt a solo pontifice summo, uti colligitur ex *c.* 1. *et c. ultimo h. t. in* 6. ita alii deputari conservatores non possunt, nisi episcopi, aut his superiores, vel abbates, vel qui dignitatem, aut personatum in ecclesia cathedrali, aut collegiata obtinent, iuxta citatum *c. ultimum,* ubi plura videri possunt circa conservatores etiam religiosorum per privilegia specialia saepius deputandorum, quae privilegia hac in re attendi, et conservari debent.

§. II. *Quod sit officium, vel potestas iudicis conservatoris, et quando exspirat ?*

De manifestis tantum iniuriis, et violentiis factis, seu inferendis cognoscere potest conservator, si ius commune attendatur, iuxta citatum *c. pri-*

mum et ultimum h. t. in 6. ita tamen, ut ad illius etiam cognitionem pertineat, utrum iniuria sit notoria, et de hoc probationes accipere possit, (ne nimis facile eludi possit illius potestas) statim tamen ab ulteriore cognitione destitutus, si iniuriam non reperiat esse notoriam, neque revocari possit, tanquam suspectus, si modo alias sit idoneus, nec ab eo appellari possit, (cum de notoriis tantum cognoscat) *arg. c. Cum sis,* 5. §. *Praeterea, iunct. gloss. v. Manifesta, de appellat.* Plura de horum officio, et potestate ex relatis iuribus, consuetudinibus, et specialibus privilegiis intelligi possunt, ac debent. Exspirat autem conservatorum potestas quoad negotia non coepta per mortem papae concedentis (uti habetur in *c. ultimo*, §. *Officium, iunct. gloss. v. Quorumcunque*), quoad negotia vero coepta non exspirat, prout a contrario sensu colligunt Auctores, nisi per privilegium reale, ac perpetuum certo ordini v. gr. concessa sit potestas eligendi, ad privilegia v. gr. sua defendenda, conservatorem. Videatur etiam de his conservatoribus *Tridentin. sess.* 14. *c.* 5. *de reform.*

TITULUS XXX.

DE OFFICIO LEGATI.

§. I. *Quot sint genera, ac species Legatorum sedis apostolicae?*

In triplici differentia sunt sedis apostolicae Legati: alii sunt, et dicuntur legati a latere, cardinales scilicet, qui a latere quasi summi pontificis, cui in rebus arduis, et magni negotii assistunt, mitti solent: alii dicuntur legati missi, qui a summo pontifice ad unam, aliamve provinciam mittuntur, ut officium legatorum exerceant; et quamvis quilibet clerici hoc modo mitti possint, hodie tamen ordinarie, qui taliter mittuntur, sunt praelati ecclesiarum, qui ratione privilegiorum, quae habent, iam legati missi, sive nuntii apostolici cum potestate legatorum a latere dicuntur, iam simpliciter tantum legati missi, seu nuntii apostolici appellantur: alii denique sunt legati nati, qui praelaturae, seu dignitati suae ecclesiasticae officium, seu munus legati apostolici perpetuo annexum habent. Censentur autem omnes isti legati ordinariam iurisdictionem habere in provinciis, ad quas sunt deputati, *c.* 2. *h. t. in* 6., de quo plura in sequentibus.

§. II. *De iurisdictione, et potestate omnibus Legatis pontificis communi.*

Potestatem legatorum apostolicorum, tum absolute, tum quoad extensionem, aut restrictionem, pendere ex voluntate papae legantis, certissimi iuris est; et hinc legationis suae literas publicare solent, ubi ad provincias sibi commissas pervenerint, ut nota sit eorum potestas, nisi legati nota probitas, vel auctoritas, si cardinalis sit, saltem quoad ea, quae in generali officio legati continentur, fidem faciant. Et quamvis in genere officium eorum describatur in *c.* 2. *h. t. in* 6. et non tantum regulariter possint in suis provinciis, quod possunt ordinarii locorum, sive episcopi hi sint, sive archiepiscopi, immo amplius quid possint, cum ipsi etiam ordinarii eorum iurisdictioni, etiam quoad poenas subiiciantur, non potest tamen legatus, quamvis a latere sit, episcopum transferre ab uno episcopatu ad alterum, unire sibi invicem

duos episcopatus, aut unum in duos dividere, episcopos deponere, eorum resignationem admittere, aut alia, quae specialiter papae reservata sunt, iuxta *gloss. in c.* 1. *h. t. v. Legationis*, sine speciali ad haec mandato *c.* 3. *et* 4. *h. t.* potest tamen statuta condere ad mores emendandos, et vitia corrigenda, quae suapte natura perpetuo duratura sunt, etiam post finitum legationis officium, ut habetur in *c. Nemini, h. t.* non quidem, quae sunt contra ius commune, cum inferior non possit tollere legem superioris; quae sunt tamen praeter ius commune, cum sit ordinarius in sua provincia, nihil ad haec statuenda requirendo, aut consensum praelatorum illius provinciae, vel populi illius, et potest etiam super causa electionis episcopi examen instituere, *c. Licet*, 5. *h. t.* ita tamen, ut examen, et informationes ad pontificem submittere debeat, et ex eo tempore non possit amplius in negotio tali procedere, quia suspensa est eius iurisdictio, prout sumitur ex relato *c. Licet*, ne videatur in re ad superiorem relata, si procedere velit, auctoritati iudicis superioris illudere: et quamvis de iure antiquo legatus sedis apostolicae, sive missus sit, sive natus, omnes causas provincialium, sive per appellationem, sive per simplicem querelam ad illum deferantur, audire, et cognoscere possit *c.* 1. *h. t.* et concurrat cum aliis ordinariis, restricta tamen per Trident. est haec potestas, *sess.* 24. *c.* 20. *de reformat.* ubi statuitur, ut legati apostolici, etiam de latere non possint cognoscere causas subditorum provincialium, nisi ordinarius intra biennium a die motae litis numerandum, negligat, vel nisi per legitimam appellationem a sententia definitiva ad legatum causae devolvantur. Neque tamen potest de iure etiam antiquo legatus sedis apostolicae, etiamsi de latere sit, causam alteri a summo pontifice specialiter delegatam, ad suum forum trahere, *c.* 2. *h. t.* (etiamsi delegatus uondum uti poterit sua iurisdictione) aut appellationem a sententia delegati admittere, neque potest contra sententiam delegati restituere aliquem (ad cavenda multarum perturbationum incommoda) nisi nova causa a delegante non praevisa superveniat; qua cognita verisimiliter talis delegatio facta non fuisset; quo in casu prohibere potest delegato speciali legatus ne in coepto negotio procedat; aut nisi specialis delegatus contra formam mandati apostolici procederet, quo in casu se immiscere tali negotio potest legatus, et acta delegati irritare etiam vel irrita declarare, prout communiter a contrario sensu colligunt Auctores ex citato *c.* 2. aut nisi prius quam literae specialis commissionis fuerunt praesentatae causam talem iam cognoscere coeperit legatus, quo in casu sicuti praevenit delegatum, ita etiam procedere potest, aut nisi tantum sententiam a delegato rationabiliter latam confirmet, quod in citato *c.* 2. conceditur legato, approbando scilicet illam, nullam tamen novam illi auctoritatem, aut robur addendo, cum in easu tali delegatus specialis a summo pontifice sit superior tali legato generali, quamvis hic sit a latere.

§. III. *De potestate speciali legati a latere.*

Maiorem potestatem esse legati a latere, quam sit aliorum, ipsa maior dignitas probat, et hinc ob reverentiam sedis apostolicae, quam repraesentat legatus a latere, omnium legatorum aliorum inferiorum potestas suspenditur, ut nullam huius exercitium, praesente legato a latere, habeant, *c. Volentes*, 8.

h. t. et ob hanc ipsam praerogativam dignitatis prae caeteris legatis, concessum est legatis a latere, primo ut conferre possint de iure ordinario beneficia suae provinciae, ad quam destinati sunt, ita ut cum quolibet ordinario illius provinciae concurrant in conferendis beneficiis, et detur locus praeventioni (quam potestatem non habent alii legati ex officio legationis sibi concessae, nisi specialiter hoc ipsis concessum sit, prout habetur in *c.* 1. *h. t. in* 6.) ita ut possint conferre beneficia in sua provincia sita, etiamsi illa sint de iure patronatus ecclesiastici, non consentiente, et inconsulto etiam patrono tali, *c. Dilectus*, 6. *h. t.* si enim praevenire potest ordinarium collatorem legatus in conferendo beneficio, *c. Si a sede*, 31. *de praebend. in* 6. multo magis potest praevenire patronum ecclesiasticum, et hoc inconsulto conferre beneficium, cum per collationem talem plus iuris quasi adimatur collatori ordinario, qui confert ius in re, quam patrono, qui confert tantum ius ad rem *c. Pastoralis,* 29. *de iure patr.* et quamvis hoc etiam verum sit de patronatu, qui tantum ex praescriptione, consuetudine, aut speciali privilegio habetur, dici tamen hoc non potest de patronatu laico, qui ex fundatione, dotatione, aut aedificatione ecclesiae habetur, cui nec ipse pontifex facile derogare censetur, nisi hoc exprimat, ut ne scilicet a fundandis, dotandis, et aedificandis ecclesiis absterreantur alii. Quin etiam ea beneficia conferre possunt legati a latere, quorum collatio ob negligentiam collatorum inferiorum ad summum pontificem devoluta est, cum ille papae vices in provincia agat; non tamen ea, quae propter negligentiam praelatorum regularium exemptorum, auctoritate apostolica conferre possunt episcopi, iuxta *Clement.* 1. *de suppl. neglig. praelat.* cum talia beneficia ex speciali delegatione conferat episcopus: potest autem de iure communi legatus a latere non tantum beneficia actu vacantia conferre, sed etiam nondum vacantia suae collationi reservare, etiam in favorem certae personae, cum limitatione tamen praescripta in *c. Praesenti,* 3. *h. t. in* 6. plura adhuc tam circa collationem beneficiorum, quam circa alia, quae legati a latere possunt, facilius leguntur apud Auth. hic, quam ut pluribus ea referantur, quae non tantum rari per se usus sunt, sed pleraque etiam concordatis nostrae Germaniae repugnant.

§. IV. *Quando, et quo loco Legatus sedis apostolicae exercere possit suam iurisdictionem.*

Cum primum urbe egressus est, qui legatus ad provincias mittitur, gerit dignitatem, et potestatem velut in habitu, et ideo in accessu ad provinciam, ad quam destinatus est, potest gestare suae legationis insignia, *arg. legis*, 1. *ff. De off. procons.* equo scilicet albo uti, vestibus rubris, fraeno, et calcaribus deauratis: et quamvis actu exercere non possit iurisdictionem suam contentiosam, antequam provinciam sibi commissam ingrediatur, potest tamen infirmitate v. gr. itinere praepeditus, delegare iurisdictionis exercitium aliis in provincia sibi commissa exercendum, *arg. legis Aliquando ff. De off. proconsulis*, et voluntariam iurisdictionem exercere circa suos provinciales etiam extra provinciam existens; sicuti etiam si ad plures provincias mittatur, potest in qualibet earum non tantum voluntariam, sed contentiosam etiam iurisdictionem circa suos provinciales exercere, iuxta *c. Novit*, 7. *h. t.*

§. V. *Quibus modis finiatur officium, seu potestas Legati apostolici?*

Quatuor potissimum modis finitur, ut tradit *gloss. c. Praesenti*, 3. *v. Finitur legatio h. t.* tempore scilicet elapso, ad quod constitutus est legatus, *arg. c. De causis*, 4. *De offic. deleg.;* secundo si aliquam causam dubiam ad summum pontificem detulit, finita est illius iurisdictio quoad causam talem, *c. Licet*, 1. *h. t.;* tertio si provinciam sponte egressus sit, animo non redeundi, aut a pontifice revocetur, non quidem per submissum alium, quo in casu perseverat esse legatus, *iuxta receptam communiter glossam in c. In Galliarum*, 3. *v. Praetermitti, causa* 25. *quaest.* 2. cum non repugnet plures esse iudices ordinarios in eadem provincia, eidem superiori subordinatos, sed per expressam revocationem, quam etiam collegium cardinalium, sede papali vacante, ex gravi et urgenti causa facere potest, iuxta *gloss. in c.* 2. *v. Declaramus h. t. in* 6. praesertim, si nondum provinciam ingressus sit, ad novas a novo pontifice instructiones accipiendas: quarto denique exspirat, non quidem per mortem legantis pontificis, ut constat ex *c. Legatos*, 2. *h. t. in* 6. sive uti ea coeperit, sive provinciam iam ingressus sit, sive nondum ingressus sit, cum sit sedis apostolicae, quae nunquam moritur, legatus, et ordinaria sit illius iurisdictio; sed exspirat si legatus talis moritur, quia personalis haec gratia, et potestas est.

TITULUS XXXI.

DE OFFICIO IUDICIS ORDINARII.

SECTIO I.

De iurisdictione in genere, et de iurisdictione, seu potestate iudicis ordinarii universim.

§. I. *Quid, et quotuplex sit iurisdictio in genere?*

Iurisdictio in genere recte describitur quod sit potestas alicuius publicam auctoritatem, et eminentiam habentis circa aliorum regimen, seu gubernationem. Dicitur publicam auctoritatem habentis, ut distinguatur a domestica, sive oeconomica potestate patris in filium, mariti in uxorem, domini in servum, quae potestates privatae potius sunt. Varie autem dividitur iurisdictio; in ecclesiasticam, quae causas spirituales, et ecclesiasticas complectitur; ac politicam, et temporalem, quae circa causas saeculares, et profanas versatur. Dein alia iurisdictio est fori externi, quae in foro externo exercetur, et alia est fori interni, quae exercetur in foro interno, seu conscientia: utraque subdividitur in ordinariam, et delegatam. Haec *tit.* 29. iam explicata est; illa huius tituli materia est. Fori externi iurisdictio subdividitur in voluntariam, et contentiosam iurisdictionem: illa nonnisi inter volentes sine strepitu iudicialis processus exercetur, uti est absolvere a censuris, dispensare in votis et iuramentis, beneficia conferre, legitimare, manu mittere, delegare, quae quidem extra proprium territorium etiam exerceri potest, ad vitanda tamen multa incommoda consultius videtur, voluntariae huius iurisdictionis actus privatim, et non publice extra territorium

proprium exercere: contentiosa iurisdictio est, quae exercetur etiam in invitos, trahendo v. gr. eos ad iudicium, et causas iudicialiter contra eos examinando, ac decidendo, quae nunquam extra proprium territorium, nisi cum consensu domini illius territorii exerceri potest, cum extra territorium ius dicenti impune non pareatur *c.* 2. *De constitut. in* 6. solet autem iurisdictio fori externi, tam ecclesiastica, quam civilis subdividi in imperium, et simplicem iurisdictionem. Simplex iurisdictio dicitur, quae mercenario iudicis officio exercetur, et nullum imperium coercendi, puniendi, includit, ac totum iuris actioni alligatum est, ac deservit. Imperium vero dicitur, quod nobili officio iudicis exercetur, neque alligatum est actioni mere civili, sed ad poenas etiam, et coactiones varias descendendo, publico bono, aut privatae etiam utilitati deservit. Hoc imperium duplex est, mixtum aliud, aliud merum: utriusque imperii varii sunt gradus. Meri imperii primus est, qui etiam summum imperium dicitur, potestas condendi leges universales, concilia congregandi universalia, aut comitia, bellum indicendi, cognoscendi causas, remoto appellationis remedio, tributa exigendi, cudendi monetam, et alia similia, quae regalia dicuntur, et summis tantum principibus in signum supremae maiestatis conveniunt; vel inferioribus etiam ducibus ab imperio in feudum conceduntur. Secundus gradus est, potestas facinorosos puniendi, etiam poena mortis, aut mutilationis, quod alii dicunt ius gladii, potestas inferendi mortem civilem per maximam capitis diminutionem, ius civitatis romanae et libertatem adimendo, potestas degradandi clericos, excommunicandi proprio motu etc. Tertius gradus est, qui magnum etiam imperium dicitur, potestas, per quam media capitis diminutio infertur, sive civitatis iure quis exuitur, retenta tamen libertate, potestas condemnandi ad triremes etc. Quartus gradus meri, sed parvi imperii dicitur, potestas relegandi, subiiciendi torturae, verberandi etc. Quintus gradus minoris imperii dicitur, potestas leviter coercendi in corpore. Et sextus denique gradus est, qui minimum imperium dicitur, potestas imponendi multam modicam pecuniariam: qui duo ultimi gradus cuivis iudici ordinario competunt, ne prorsus sit inefficax illius iurisdictio, si nullam coercitionem adhibere possit. Mixti imperii dantur etiam varii gradus, de quibus videndi Civilistae.

§. II. *De iudice ordinario in genere, eiusque iurisdictione, ac potestate.*

Iudex ordinarius dicitur, quia ex proprio munere, adeoque suo iure iurisdictionem exercet, non quidem quasi cuivis iudici ordinario plena potestas, sive plenitudo potestatis competat, quae in principibus summis residere tantum dicitur, sed quod ex vi suae dignitatis, officii, aut magistratus iurisdictionem convenientem exerceat: acquiritur autem potestas ordinaria, vel a principe, aut republica, superiorem non recognoscente, sive ex privilegio principis talis, aut reipublicae; neque enim inferior magistratus iudices ordinarios constituere potest, cum haec potestas inter regalia numeretur, nisi inferioribus principibus hoc etiam regale a supremo principe concessum sit in feudum, (ut habent germani principes ab imperatore) vel a lege, seu canone (quales sunt illi, qui ad praescriptum legis, seu canonis, vel ab homine publicam auctoritatem habente, vel ab universitate aliqua, aut colle-

gio constituuntur) vel denique consuetudine legitime praescripta (consuetudo enim sicuti iurisdictionem tollere, restringere, et imminuere potest, ita potest etiam iurisdictionem dare, extendere, et ampliare *c. Cum contingat,* 13. *de foro competente*) quamvis meri, aut mixti imperii sint; quamvis principi in signum praerogativae reservata sint, modo sint talia, quae aliis etiam interdum demandantur, et capacitas possidendi sit penes praescribentem; ex cuius capacitatis defectu nemo praescribere potest iurisdictionem ecclesiasticam fori externi, nisi clericus sit, et in officio aliquo publico ecclesiastico constitutus. Possunt autem esse iudices ordinarii omnes, qui nec natura, nec iure prohibentur: natura autem prohibentur iudices ordinarii esse surdi, muti, perpetuo amentes, impuberes, et qui vel animi, vel corporis tali vitio laborant, ut munus iudicandi obire nequeant. Lege vero, sive iure prohibentur minores 25. annis, qui enim nondum est aptus ad propria administranda, multo minus aptus est ad rempublicam administrandam nisi a principe datus sit, et 18. annis maior, vel nisi in eum, qui 20. annis minor est, consenserint partes; qui senatu moti sunt propter turpitudinem; qui ob infamiam, aut ex alio capite a legitimis actibus repelluntur, ut servi; qui ex recepta consuetudine prohibentur esse iudices, ut foeminae, nisi illustres illae sint, comitissae, principissae, reginae; qui notorie sunt excommunicati; qui mundo mortui habentur, ut religiosi, monachi, etc. exspirat autem iurisdictio ordinarii per mortem illius, per renuntiationem illius, per depositionem ab officio, et per eiusdem translationem, non autem per mortem eius, qui hanc ordinariam iurisdictionem dedit, quamvis data fuisset ad beneplacitum principis tantum, quamvis enim aliae gratiae ad beneplacitum concedentis concessae, per mortem concedentis exspirent, cum cesset per mortem concedentis beneplacitum illius, non tamen iurisdictio ordinaria, ob favorem scilicet, et utilitatem publicam.

SECTIO II.

De Archiepiscopo, seu metropolitano, eiusque iurisdictione, et potestate.

§. I. *De iurisdictione, et potestate archiepiscopi in episcopos suffraganes sibi subiectos.*

Archiepiscopus dicitur ille, qui inter coëpiscopos non exemptos suae provinciae, principem locum, et iurisdictionem obtinet, quem alii nonnunquam metropolitanum dicunt, et tanquam ordinarius, ac immediatus suae provinciae episcoporum superior (qui illius respectu saepius etiam suffraganei dicuntur) hic episcopo praecipere potest, quae ad officium spectant, eosque negligentes ad officium suum faciendum etiam per censuras compellere, *c. Pastorali,* 11. *h. t.* non quidem per vicarium suum generalem, cui ob reverentiam officii, et dignitatis episcopalis nulla censura ferendi contra suffraganeos episcopi conceditur facultas *c.* 1. *h. t. in* 6. sed per seipsum: et quamvis de iure antiquo, etiam in causis criminalibus maioribus, quae privationem, seu depositionem merentur, potuerit saltem inquirere, et cognoscere contra episcopum suffraganeum, hodie tamen in talibus casibus iuxta *Trident. sess.* 24. *c.* 1. *De reform.* non solum condemnatio, sed etiam

cognitio summo pontifici reservata est, ubi statuitur etiam ut causae criminales minores episcoporum in concilio tantum provinciali, vel a deputatis in concilio provinciali cognoscantur, et terminentur: attendenda tamen hac in re consuetudo est, praesertim in istis provinciis, ubi raro sunt concilia provincialia. Potest tamen etiam archiepiscopus statuta provincialia facere, cum consilio tamen, et consensu coëpiscoporum provincialium in synodo v. gr. provinciali ad hunc etiam finem congregata, ubi tanquam praecipuum membrum principem locum habet archiepiscopus, non quidem tanquam iurisdictionem exercens in coëpiscopos suae provinciae, sed maior dignitate, ipsius tamen concilii provincialis iurisdictioni subiectus, quin ad illius etiam potestatem olim pertinebat, confirmare episcopos suffraganeos, electos, et assistentibus aliis duobus episcopis eos consecrare, hodierna tamen nostrae Germaniae consuetudo pro consecratione non ad archiepiscopum recurrit; et confirmationem electorum in Germania episcoporum a pontifice volunt Germaniae concordata petendam.

§. II. *De iurisdictione, et potestate archiepiscopi in subditos episcoporum suffraganeorum.*

Nullam iurisdictionem habere, et exercere posse archiepiscopum in subditos suorum suffraganeorum coëpiscoporum, nisi in casibus iure expressis, clare habetur in *Canone* 7. *et* 8. *causa* 9. *qu.* 3. *c. Pastoralis*, 11. *h. t.*, *c.* 1. *eodem in* 6. *et c.* 1. *de supplen. neglig. praelat. in* 6. sunt autem casus a iure expressi, in quibus iurisdictio aliqua conceditur a iure tam antiquo, quam novo, archiepiscopo in subditos suorum suffraganeorum: Primus et praecipuus est casus appellationis, quando scilicet per appellationem a sententia episcopi ad archiepiscopum causam suam subditus episcopi suffraganei defert, iuxta citatum *Can.* 8. *iunct. gloss. v. Provocaverint*, *et iuxta c.* 1. *de off. leg.* sive in causa spirituali, sive temporali, civili, aut criminali fuerit appellatum (nisi specialia privilegia, aut consuetudo, vel ius particulare etiam hanc appellationem impediant) ita ut in casu talium appellationum factarum suos etiam delegatos in dioecesibus suorum suffraganeorum constituere possit, qui causam ad se per appellationem delatam decidant contradicentes etiam cobibendo etc. ut dicitur in *c. Romana*, 1. *h. t. in* 6. quamvis subditi archiepiscopi non sint; invitos tamen illos, si subditi non sint, cogere non potest ad acceptandam delegationem, cum nullam ad hoc in subditos talium coëpiscoporum habeat potestatem *c. Pastoralis*, 11. *h. t.* Secundus casus est, in quo archiepiscopus in subditos suorum coëpiscoporum suffraganeorum habet iurisdictionem, quando visitat provinciam, quo tempore procurationes debitas ratione visitatarum ecclesiarum a subditis coëpiscoporum suorum suffraganeorum exigere potest (*c. Cum apostolus*, 6. *iunct. gloss. v. Archiepiscopi*, *c. Sopitae*, 14. *c. Super eo*, 22. *c. Cum nuper*, 25. *de censibus etc.* et in foro etiam conscientiae absolvere suorum suffraganeorum poenitentes, uti habetur in *c. ult. De censibus in* 6. non autem etiam tempore visitationis dispensare cum talibus subditis potest in votis, iuramentis, aut aliis irregularitatibus, cum haec potestas nec per se coniuncta sit cum potestate absolvendi, nec in iure hoc visitanti archiepiscopo conceda-

tur. Tertius casus est, si talis provinciae bonum hoc exigat in casu, scilicet quo tollenda est prava consuetudo, quae per provinciam vigeat, prout colligitur ex *c. Ex frequentibus, de instit.* Quartus casus est, si cessent canonici cathedralis ecclesiae sine rationabili causa a divinis, maxime, si hoc agant in contemptum episcopi, in quo casu causam capitulum inter, et episcopum examinare potest archiepiscopus (saltem ut delegatus sedis apostolicae) et metu poenae urgere reos capitulares, ut habetur *in c. Irrefragabili,* 13. *h. t.* Quintus casus est, si causa criminalis agitetur in episcopum, et clericum eius subditum; quamvis enim ad consilium provinciale hic casus ex iure *Trid.* pertineret, quia tamen haec valde rara sunt, et papa in omni casu adiri non possit, non videtur melior in hac causa iudex quam archiepiscopus. Sextus denique casus est secundum aliquos, si episcopus sit negligens in exercenda sua iurisdictione, et officio; probabilius tamen est, quod in hoc casu negligentem quidem episcopum archiepiscopus monere, et compellere possit ad praestandum officium, in hoc tamen casu nihil immediate circa ipsos subditos possit, nisi ex supra allatis casibus aliquid interveniat. Videatur glossa in *c. Pastoralis, v. Exceptis,* ubi plures casus referuntur devolutae ad archiepiscopum iurisdictionis.

§. III. *Aliae nonnullae quaestiones circa iurisdictionem, et potestatem archiepiscopi proponuntur, et resolvuntur.*

Quaeritur, 1. an excommunicatum ab episcopo suffraganeo possit archiepiscopus absolvere? respondetur posse, si ab episcopo ad archiepiscopum appellatum sit, *c. Per tuas,* 40. *de sent. excommun.* et *c. Venerabilis,* 7. §. *porro eodem in* 6. (cum iurisdictionem per appellationem acquisivit, ita tamen, ut modum observet praescriptum in *c. Ad reprimendum,* 8. *h. t.* ut prius scilicet ad episcopum, qui excommunicat, remittat (nisi constiterit iniuste fuisse excommunicatum, aut nolit episcopus eum, quem excommunicavit, absolvere, aut in mora sit periculum) et cautionem saltem iuratoriam prius recipiat, quod velit satisfacere episcopo, qui excommunicavit, in eo propter quod excommunicatus est, etc.

Quaeritur 2. utrum ab episcopo, qui mandatum a papa accepit de corrigendis suis subditis, ad archiepiscopum, non obstante hoc mandato, appellari possit? respondetur affirmative, ut constat ex *c. Licet,* 12. *h. t.* quia in casu tali non tam delegatus papae constitutus fuit episcopus, ut ad delegantem debuerit fieri appellatio, sed excitata tantum per mandatum tale fuit iurisdictio illius ordinaria, cum ea tantum ipsi mandata fuerint, quae ad ordinariam iurisdictionem pertinent.

Quaeritur 3. in quo loco archiepiscopus exercere possit iurisdictionem suam erga subditos suorum suffraganeorum. Respondetur de hoc ita statuere Bonifacium VIII. *in c. Ut litigantes,* 5. *h. t. in* 6. non debere archiepiscopum causas subditorum coëpiscoporum suffraganeorum iudicare, si ad ipsum appellaverint, nisi in propria sua dioecesi, vel in illa eadem, ex qua appellatio fuit petita, nisi aliud consuetudo habeat, ad parcendum scilicet sumptibus litigantium, et hinc cum etc. haec statuta sint, possunt ipsi cedere huic favori, et velle, ut ea etiam alibi, cum consensu tamen ordinarii illius loci, decidatur.

SECTIO III.

De iurisdictione, officio, et potestate episcopi.

Episcopum (si confirmatus sit, etiamsi nondum sit consecratus) iurisdictionem obtinere in omnes suae dioecesis clericos, tam regulares, quam saeculares, nisi exempti sint, et in causis spiritualibus, ac mixtis, etiam in laicos, certissimi iuris est, et clare patet ex *c.* 1. *h. t.*, *c. Cum episcopus*, 7. *eodem in* 6., *c. Cum sit*, 8., *et c. Ex tenore*, 11. *de foro competenti:* dubitantur tamen de hac iurisdictione aliqua; et hinc sit:

§. I. *An Episcopis potestas suae iurisdictionis competat immediate ex iure divino, an vero ex iure humano, et ecclesiastico?*

Verissima sententia est, et tam inter theologos, quam canonistas hodie communis, quod, quamvis in genere episcopale munus, seu officium, et illius iurisdictio ordinaria sit a Christo immediate instituta, in quantum tamen in particulari huic vel illi competens, consideratur in ordine ad hos, vel illos subditos, immediate sit, et conferatur a romano pontifice, tanquam vicario Christi, et Ecclesiae capite, prout ex pluribus, ac variis tam iuris textibus, quam rationibus probari potest, et satis clare ostendit potestas, quam penes pontificem esse nemo negat, qua potest episcopum sua iurisdictione privare, ergo tota haec in specie, et particulari respectu huius personae a pontifice dependet.

§. II. *De duabus legibus, iurisdictionali, et dioecesana, in quibus totum ius, seu officium, et potestas episcopi consistit.*

Debere multa episcopis, et posse etiam multa episcopos vi suae iurisdictionis ordinariae, tam ex lege dioecesana, quam ex lege iurisdictionis, certum est: et quamvis de his satis in specie constet, ex *c. Conquerente*, 6. *h. t.* ubi pluribus enumerantur, quae sint iura episcopalia, non tantum ab ecclesiis parochialibus suae dioecesis, sed etiam a capellis, sive ecclesiis, quae monasteriis unitae sunt, solvenda, et exhibenda (nisi capellae tales monasteriis incorporatae etiam ipsae exemptae sint) et in fine capituli illius subiungatur, his iuribus in praedictis ecclesiis contenptos esse debere episcopos, nec amplius exigere aliquid (saltem de iure, quidquid sit de consuetudine, iuxta quam non omnia iura, quae in dicto capitulo enumerantur, hodie in usu sunt) nisi subsidium moderatum, (quod subsidium charitativum appellatur) iuxta formam praescriptam a Lateranensi in *c. Cum apostolus*, *de censibus*, *in* 6. de his inquam, quamvis satis in specie constet, et de pluribus aliis in frequentibus etiam paragraphis agendum sit, dubitant tamen in genere multi, quaenam dicantur ex lege dioecesana deberi, a qua regulariter, et ordinarie omnia monasteria exempta habentur (ob favorem religionis, ut varia iura habent) etiamsi alias iurisdictioni episcopi subiecta sint, et quaenam dicantur ex lege iurisdictionis deberi. Communiter traditur illa regula, ex *gloss. in c. Dilectus*, 18. *h. t. v. De lege iurisdictionis*, quod ea spectent ad legem iurisdictionis, quae consistunt in dando, seu conferendo, vel in

actione iudiciali, qualia sunt conferre beneficia, administrare sacramenta, causas audire, sententiam ferre, delicta punire, excommunicare etc.; quae vero consistunt in recipiendo, uti est cathedraticum, quarta decimarum, et mortuariorum, ad legem dioecesanam pertinere: haec tamen regula pluribus aliis displicet, cum negari non possit, procurationes, quae consistunt in recipiendo, etiam a monasteriis actu visitationis deberi, *c. Sopitae*, 14. *de censibus*; et ad quartam mortuariorum obligari etiam de iure regulares *c. Requisiti*, 15. *de testamentis*, ergo vel male dicitur, ea, quae in recipiendo consistunt, spectare ad legem dioecesanam, vel male dicitur, monasteria a lege dioecesana esse exempta. Quidquid tamen de hac regula sit, sufficit ei, cui ea non placuerit, dicere, ad legem dioecesanam pertinere ea, quae alii quidem episcopo, non tamen monasteria praestare tenentur; alia vero, quae etiam monasteria non exempta pati debent, ad legem iurisdictionis pertinere.

§. III. *De illis, quae ad officium episcopi ex lege iurisdictionis spectant, et in specie de potestate iudicandi, inquirendi, puniendi, corrigendi, et reformandi.*

Ad legem iurisdictionalem episcopi non tantum pertinet cognitio iudicialis omnium causarum ad forum ecclesiasticum externum pertinentium, ita ut cumulative cum quolibet inferiore praelato, cui ordinaria fori externi iurisdictio convenit, concurrat, et praeventioni locus detur, ac sit de iure communi, penes actorem, in causis civilibus, coram quo iudice reum convenire velit, sed inquirere etiam, et punire delicta non tantum pure spiritualia, sed etiam quae mixti fori sunt, non tantum clericorum, sed etiam laicorum, ita ut cogere eos possit, incarcerare, ad triremes condemnare, etc. et ad executionem huius suae potestatis armata etiam manu, si necessitas urgeat, uti possit, quam propriam sibi potest adsciscere, aut invocare brachium saeculare, urgendo etiam ad hoc saecularem magistratum, et si a laico magistratu, ad punienda subditorum delicta inquirente, requisitus fuerit, subditos illius contumaces censuris etiam ad obedientiam compellere potest, quae omnia in diversis iuribus huius tituli in antiquis, et in Sexto habentur, etc. Possunt tamen etiam inferiores ordinarii iudices, contra episcopum privative praescribere, vel ex privilegio obtinere ius puniendi, et corrigendi suos subditos, uti habetur *in c. Irrefragabili*, 19. §. *Excessus h. t.* ita tamen, ut semper in habitu ius tale permaneat, in actum etiam redigendum, si inferiorum horum iudicum negligentia sit supplenda (nisi exemptio aliud iubeat) sive saeculares, sive regulares illi fuerint, uti habetur ex *c. Quanto*, 7. *h. t.* et ex citato *cap. Irrefragabili*, quam constitutionem in tantum etiam ampliavit Trid. *sess.* 6. *cap.* 4. *De reform.* ut detur hodie episcopis facultas visitandi, ac corrigendi, quoties opus videbitur, etiam auctoritate apostolica, capitula ecclesiarum cathedralium, illarumque personas, non obstantibus exemptionibus, et consuetudinibus; et quamvis etiam poenas pecuniarias imponere possint episcopi, et alii iudices ecclesiastici, deberent tamen hae mulctae, non camerae episcopali, sed causis ipsis applicari, iuxta *Trid. sess.* 25. *c.* 13. *De reform.*

§. IV. *De potestate instituendi in beneficiis, et destituendi seu deponendi.*

Ad legem iurisdictionis episcopalis etiam pertinet ius instituendi in beneficiis, uti etiam destituendi, ac deponendi (prout sumitur ex citato *c. Conquerente*, et ex *c. Cum iniuncto*, 12. *de haereticis*) ita tamen, ut institutio late hic sumatur, et non tantum liberam collationem, sed quamcunque etiam confirmationem, et approbationem dicat, destitutio vero dicat quamcunque amotionem ab officio, beneficio, vel ordine, etc. haec autem beneficiorum cura, ut bene sit illis provisum, adeo propria est episcoporum, ut in *c. Cum vos*, 4. *h. t.* concedatur illi oeconomum in beneficio constituere, si in praesentando ex legitima ratione moretur patronus laicus, aut indignum praesentet, penes quem sit fructus beneficii vacantis percipere, et in utilitatem ecclesiae expendere, vel futuro successori reservare: et in *c. Ordinarii*, 3. *h. t. in* 6. praecipitur ordinario inquirere in beneficiatos (num beneficia sua canonice obtineant) in casu v. g. quo plura beneficia de se incompatibilia obtineant, cum cura animarum in pluribus talibus uni collatis ecclesiis negligatur; neque tamen conceditur episcopo facultas accipiendi reditus ecclesiarum, vel dignitatum vacantium, ad suam collationem aut institutionem pertinentium, qui vel in utilitatem talium ecclesiarum concedendi sunt, vel successori reservandi, iuxta *c. final. h. t. in* 6. nisi consuetudo legitima, aut speciale privilegium aliud obtineat.

§. V. *De potestate inferendi censuras ecclesiasticas, et ab eis absolvendi.*

Lex iurisdictionis episcopalis continet potestatem inferendi censuras (excommunicationis scilicet, suspensionis, et interdicti) iuxta citatum *cap. Conquerente* (cum episcopo negari non possit potestas ordinario remedio contumaces contra iura episcopalia, et ecclesiam coercendi) et potestatem ab illis absolvendi, quamvis ab aliis praelatis, ordinariam iurisdictionem habentibus, se inferioribus, et sibi subiectis, censura affecti sint, si tamen tales censura affecti, subiecti etiam sint tali episcopo, et observetur *c. Cum ecclesiarum*, 9. *h. t.* (nisi pontifici expresse reservatae sint censurae tales, et nulla circa illas concessa episcopis potestas) immo potestatem etiam habet, lapsos in haeresin, post huius abiurationem, in foro externo absolvendi ab excommunicatione pontifici reservata (praesertim in nostra Germania, ubi alii inquisitores fidei ad hoc designati non habentur) ita ut talem a censura excommunicationis absolutum, postmodum in foro interno quilibet sacerdos approbatus ab haeresis peccato absolvere possit: quin etiam, si crimen tale haeresis non sit delatum ad forum externum iudiciale episcopi, aut illius vicarii, sed statim ad forum poenitentiae, possunt episcopi Germaniae non solum ab haeresi occulta (prout concedit illis Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de refor.*) sed etiam a notoria in foro conscientiae absolvere, (dummodo absolvendus non sit haeresiarcha) quia casus per se papales fiunt per accidens ob nimiam frequentiam, vel ob difficultatem adeundi pontificem etc., episcopales, nisi fortassis post Trident. de haeresi aliter nos loqui oporteat, *de quo in l.* 5. *tit.* 7.

Circa haec tamen adhuc advertendum primo: excommunicatum v. gr. ab episcopo, si absolutionem a pontifice impetret, tacita excommunicationis causa,

posse, et debere compelli, etiam per ecclesiasticas censuras, ut cum literis veram causam continentibus ad pontificem se conferant. Si certo constet episcopo de commissa obreptione; vel si non constet de hoc certo, prudens tamen dubium sit, compelli posse, ad purgationem canonicam, coram se praestandam iuxta *c. Ex parte*, 5. *h. t.* ut ne videatur in tali absolutione defuisse voluntas absolvendi, si causa excommunicationis lateat, aut ne prudenter de hoc defectu saltem dubitetur.

Advertendum secundo, per delegatum a papa excommunicatum non posse absolvi ab episcopo sine speciali mandato sedis apostolicae, cum in tali causa delegatus pontificis sit superior episcopo *c. Pastoralis*, 11. §. *Praeterea h. t.* et consequenter talem excommunicatum nemo absolvere, mortuo delegato, poterit, nisi summus pontifex, aut in officio prioris delegati successor, si officio facta sit delegatio, exceptis casibus a iure expressis, in quibus per accidens etiam inferioribus papa conceditur a papalibus censuris absolvendi licentia.

Adverteudum tertio, eos, quibus ex officio in certis casibus absolvendi ab excommunicatione canonis conceditur de iure ordinario licentia, posse eam etiam aliis committere, si ita expedire visum fuerit, uti statuitur in *c. fin. h. t. iunct. gloss. v. Ex officio*, quod idem de aliis censuris etiam dicendum est, cum eadem in omnibus sit ratio, quod ordinario scilicet iudici delegandi potestas conveniat.

Advertendum quarto, ob favorem animarum, et ad tollendum vel impediendum peccatum, concessum esse episcopis, ut si qui ab ipsis ob certum crimen ad ordinarium illorum potestatem pertinens excommunicati per delegatum non fuerint absoluti, qui tamen in causa tali ad tollendum, vel impedendum peccatum non procedit ulterius, prout ipsi mandatum fuerat, hos malitiose forum suum declinantes, et in peccato suo perseverantes, ita contra absolutionem delegati pontificis excommunicet, prout statutum habetur in *c. Significavit*, 6. *h. t.* si tamen ipsi delinquentes moniti a peccato desistere nolint.

§. VI. *De potestate dispensandi concessa episcopis.*

Ad legem iurisdictionis episcopalis pertinet quidem etiam dispensandi licentia, quae tamen saepius restricta est, et non omnem dispensationem complectitur. Sic primo non possunt episcopi in lege pontificis, vel canonica, aut conciliorum decretis dispensare, nisi in casibus a iure permissis, prout colligitur ex *c. Dilectus*, 13. *de temp. ordin.* et ex *c. penult. et ult. de filiis presbyt.* cum inferior non habeat iurisdictionem supra legem superioris. Sunt autem a iure certi casus permissi, in quibus in superiorum etiam constitutionibus, et decretis dispensare potest episcopus, et praesertim tres enumerantur ab Auctoribus. Primo si in lege, aut canone simpliciter dicatur, posse in eis dispensari; debent enim haec verba simpliciter posita significare aliquid, non possunt autem significare, quod summus pontifex, aut concilium in talibus legibus, vel decretis dispensare possit, quod independenter ab his verbis in lege positis fieri potest; ergo ut significent aliquid, de aliis etiam intelligi debent, quod dispensare scilicet in talibus legibus possint etiam episcopi. Secundo dispensare in legibus superioris potest episcopus ex causa

magnae necessitatis, aut evidentis utilitatis prius verisimiliter incognitae, et quando periculum est in mora, aut casus sunt frequenter contingentes, prout fit in certis quibusdam, aut casibus fere quotidianis: pro his enim omnibus semper recurrere ad pontificem foret difficillimum, unde merito, et rationabiliter praesumitur concessa episcopis licentia circa haec dispensandi. Tertio denique dispensare contra canonem, aut legem superioris potest episcopus, ubi consuetudo legitime praescripta iurisdictionem ei dedit, sicut enim in aliis casibus iurisdictionem dare, et adimere potest consuetudo, ita potest etiam in hac dispensandi materia. Plures quidem alii etiam casus in specie referuntur, in quibus dispensare possunt episcopi, illi tamen vel ex communibus principiis clari sunt, vel suis locis explicabuntur.

§. VII. *De collatione Sacrorum, praedicatione, impositione poenitentiarum, et concessione indulgentiarum.*

Ad legem iurisdictionis episcopalis spectat etiam sacramentorum omnium collatio, quae ab episcopo sunt requirenda *iuxta citat. cap. Conquerente*, vel ab aliis ecclesiarum non exemptarum suae dioecesis curatis conferri possunt, ita ut cum his omnibus cumulative, respectu suorum dioecesanorum concurrat, cum sit ordinarius, et principalis pastor omnium. Et hinc potest etiam ex officio suo per se, vel per alium substitutum verbum divinum praedicare, eoque pascere populum sibi commissum, ut constat ex *c. Inter caetera*, 15. *h. t.* et quamvis communitatem in sua lingua docere, si plures diversarum linguarum communitates habeat, ita ut possit episcopum suffraganeum constituere, non tantum in pontificalibus suum vicarium respectu populi alterius linguae, sed etiam quoad potestatem iurisdictionis, quae iuxta communionem ordinaria, ac perpetua sit, subordinata tamen episcopo, seu dioecesano loci *cap. Quoniam*, 14. *h. t.* potest etiam episcopus ex officio suo publicas, tam solemnes, quam non solemnes poenitentias imponere iuxta saepius citat. *c. Conquerente, iunct. gloss. v. Poenitentias*, cum illius sit correctio, et punitio delinquentium, et potest etiam concedere indulgentias, non quidem plenarias, sed temporales, quas etiam exempti lucrari possunt, cum in favorabilibus in eorum praeiudicium non debet explicari exemptio.

§. VIII. *De visitatione episcopi.*

Pertinet etiam ad iurisdictionem episcopi ius visitandi omnes ecclesias, etiam cathedralem suae dioecesis, monasteria, beneficia curata, et non curata etc. nisi speciali privilegio exempta sint, et a propriis suis praelatis visitentur, quae quidem visitatio singulis annis de iure antiquo *c. Conquerente h. t.* vel ab episcopo, vel ab alio, vicem episcopi agente, deberet institui; iuxta *Trident.* tamen *sess.* 24. *cap.* 3. *De reform.* sufficit, si saltem singulis bienniis absolvatur, ut orthodoxa scilicet fides conservetur, et propagetur, mali mores corrigantur, et boni inducantur: neque ab hac visitatione exempta sunt ulla loca pia, aut ecclesiae, monasteriis etiam exemptis unitae, si tamen populus earum subditus sit episcopo loci in spiritualibus (quia tales uniones fieri solent, salvo iure episcopali), et iuxta *Trident. sess.* 7. *c.* 8. *De reform.* etiam ecclesiae saeculares, quae ex privilegio se praetendunt exemptas

a visitatione, quae visitari debent ab episcopis, tamquam sedis apostolicae delegatis, non obstante tali privilegio, ut ait Tridentin.; adhiberi autem debent in visitatione monasteriorum regularium pauci, illique idonei ecclesiastici regulares, et non saeculares clerici, aut laici, prout statuitur in *cap. Ut iuxta*, 17. *h. t.* ubi episcopo monasteria visitanti, nonnisi duos tresve suae ecclesiae cathedralis canonicos permittitur ad capitulum adducere, ne in claustro, ut ait pontifex, ansa detur dissolutionis alicuius.

§. IX. *De iis, quae spectant ad officium episcopi ex lege dioecesana.*

Consistit lex dioecesana episcopi: Primo in convocatione synodi *c. Quod super*, 9. *de maior. et obed.* Secundo spectat ad legem dioecesanam exactio annua synodatici, et cathedratici, cuius nomine duos solidos, aut duos aureos a qualibet ecclesia suae dioecesis petere potest episcopus, etiam a capellis, sive parochiis, monasterio quamvis exempto incorporatis; nominatur autem haec pensio synodaticum, quia in synodo, quotannis celebranda, episcopo solvi debet; et cathedraticum dicitur, quia ob dignitatem cathedrae episcopalis solvitur. Tertio numeratur etiam inter ea, quae ad legem dioecesanam spectant, quarta decimationum, ita ut quarta pars decimarum, quae ad ecclesias parochiales dioecesis pertinent, detrahi debeat, et ob curam universalem episcopo solvenda sit. Quo eodem modo etiam se habet quarta mortuariorum, quarta scilicet pars ex legatis seu funeralibus oblationibus, quae factae sunt ecclesiis, aut aliis piis locis intra dioecesim sitis, detrahenda, et episcopo solvenda. Quarto ad legem dioecesanam etiam pertinent procurationes, sive victualia, episcopo, dum visitat, ab ecclesiis, quae visitantur, solvenda, iuxta cuiusvis ecclesiae facultates moderanda, et in quantum ad unius diei victum sufficiunt. Et quinto denique ad legem dioecesanam pertinet etiam petitio moderati subsidii charitativi, quod ex causa rationabili, et manifesta exigere potest a suae dioecesis ecclesiis, et beneficiis, ita tamen, ut non nimium graventur clerici beneficiati, etc. in plerisque tamen his non tam attendendum, quid iura statuant, sed quid consuetudo, quae varia saepius in variis dioecesibus viget, exigat.

§. X. *Quibus casibus episcopus loci iurisdictionem habeat in regulares exemptos?*

Habent quidem praelati regulares, praesertim exempti, in suos subditos regulares quasi episcopalem potestatem, ita ut possint omnia circa eos exercere, quae episcopi possunt circa suos subditos, plurimi tamen casus enumerantur a Chochier *in p.* 1. *De iurisdictione ord. in exemptos, quaest.* 17. *Rodriquez, in summa quaest. Regul. tom.* 2. *quaest.* 64. *a.* 11. *Barbosa, de officio alleg.* 105. *Pyrring. hic. etc.* in quibus etiam contra regulares exemptos procedere possint episcopi saltem tanquam sedis apostolicae delegati, qui apud citatos videri possunt.

§. XI. *De loco iurisdictionis episcopi.*

In quovis loco suae dioecesis ordinariam suam ecclesiasticam iurisdictionem exercere posse episcopum, sive contentiosa illa sit, sive voluntaria, con-

stat ex *c. Cum episcopus*, 7. *h. t. in* 6. nisi locus talis intra dioecesim quidem situs sit, ab episcopi tamen iurisdictione exemptus sit, ubi iurisdictionem saltem contentiosam exercere non potest, nisi in casibus quibusdam raris, petita saltem praelati regularis licentia.

§. XII. *De potestate capituli quoad indicendam cessationem a divinis.*

Concessum hoc nonnunquam esse capitulo ex *c.* 2. *et* 8. *h. t. in* 6. patet: videntur relata capitula circa hanc materiam rari usus.

SECTIO IV.

De officio, et iurisdictione ordinaria praelatorum regularium, episcopo inferiorum.

§. I. *De iurisdictione, et potestate Abbatum, et aliorum praelatorum regularium in genere.*

Praelati regulares non tantum potestatem quasi dominativam, et domesticam, sivae oeconomicam habent, radicatam in voluntate profitentium talem regulam, et se tradentium religioni cum promissione, et obligatione secundum illam obediendi, et iuxta imperium praelati suos labores conferendi, prout ad religiosam disciplinam conveniens iudicaverit praelatus, sed habent etiam potestatem iurisdictionis, spiritualem scilicet, et ecclesiasticam potestatem ligandi, et solvendi, censuras inferendi, puniendi, etc. et quidem ordinariam, quam delegare possunt, et quasi episcopalem, ita ut plurima circa subditos regulares possint, quae possunt episcopi circa suos subditos.

§. II. *De potestate excommunicandi, aliasque censuras, seu poenas inferendi, et ab illis absolvendi; item reservandi peccata, ac dispensandi, et denique de administratione, quae competit praelatis regularibus.*

Posse praelatos regulares, cum iurisdictionem ordinariam in suos habeant, etiam in foro externo contumaces excommunicare, aliasque in eos censuras ferre, colligitur ex *c. Cum in ecclesiis*, 10. *de maiorit. et obed.* et ex *c. Sicut*, 33. *iunct. gloss. v. Sub excommunicatione, de symonia.* Et quidem per sententiam generalem in eos latam, et per sententiam specialem, quamvis in alieno territorio existant, cum persona religiosa illis semper maneat obligata. Quod possint autem hos ipsos ab omnibus censuris etiam, et peccatis, nisi specialiter a iure, vel ab homine superioribus reservata sint, absolvere, aut alteri sacerdoti absolutionem committere, colligitur ex *c. Nuper*, 29. *de sent. excom.* Ita ut ab inferioribus praelatis excommunicatos absolvere etiam possint superiores, si his subordinata sit iurisdictio inferioris, et tam causa, quam persona absolvenda sit sub iurisdictione superioris.

Quod autem omnes religiosorum ordinum praelati, non tantum supremi, et medii, sed etiam inferiores, conventuales, et locales, possint certa peccata gravia, et magis noxia suae absolutioni reservare, ex *Trident. sess.* 14. *c.* 7. et *ex constitut. Clement.* VIII., quae incipit *Futuram rei memoriam*, colligitur, ubi 11. casus numerantur, qui in religionibus reservari possunt, et potestas insuper praelatis talibus datur, alios etiam casus, si putaverint ex-

pedire, reservandi, cum consensu tamen generalis capituli, si pro toto ordine casus tales reservandi sunt, vel provincialis capituli, si provinciam tantum reservatio talis complectitur, nisi specialis ordinis privilegia circa hanc materiam specialia etiam sint; iuxta quae privilegia nisi communia iura, regulae, aut consuetudines receptae sufficiant, possunt etiam hi praelati cum suis subditis in observatione regulae dispensare, in abstinentiis v. gr. et ieiuniis regularibus, in operibus aliis ex praescripto regulae faciendis, modo nihil circa substantiam trium votorum religioni propriam immutent. Ad praelatos etiam regulares de iure communi spectat libera congregationis suae regularis administratio, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ita ut solus, et independenter a suo capitulo, seu conventu regulares suos corrigere, et solus ordinare possit, quae ad divinum cultum et bonorum temporalium dispensationem in monasterii utilitatem pertinent, prout sumitur ex *can. Nullam,* 9. *caus.* 18. *quaest.* 2. *etc.* et necessitas, ac obedientia religiosa docet, quae sicuti uni subesse desiderat, ita omnem administrationem ei relinquit, nisi per consuetudinem receptam, aut peculiaria ordinis statuta, aliter constitutum sit, aut praecavendum conventus praeiudicium aliud iubeat, aut tota totius ordinis administratio sit penes unum generalem.

§. III. *De abbatissarum, seu praepositarum regularium officio, et potestate.*

Quamvis mulieres sint incapaces iurisdictionis ecclesiasticae, et spiritualis, proprie loquendo, ita ut quae spectant ad claves ecclesiae sive ligandi per censuras v. gr. et solvendi potestatem, etc. illis non conveniant, prout communissima sententia docet cum gloss. in *c. Delicta,* 12. *v. Iurisdictionis, de maiorit. et obed.* quod tamen usus aliquis seu exercitium spiritualis iurisdictionis non tantum in moniales suas, sed in clericos etiam beneficiatos talis monasterii committi possit, ex relata glossa habetur, ita ut non tantum beneficia talibus clericis conferre possint, sed eos etiam in possessionem inducere, qua tamen in re subordinata illa tota potestas est alicui praelato eiusdem ordinis, et ab eo multum dependet; dominativa tamen seu gubernativa potestas tam temporalis, quam spiritualis in suas moniales vi obedientiae illi obstrictas, negari non potest, ita ut non tantum spiritualia praecepta illis imponere possit, atque obligare, sed etiam in virtute obedientiae praecipere ea, quae sunt ad animae salutem spectantia, et regulae conformia, cum vi suae professionis ad haec obligentur.

SECTIO V.

De officio, et potestate parochi.

§. I. *De parochis, seu rectoribus ecclesiarum parochialium, eorumque officio, et potestate in communi.*

Parochi dicuntur illi sacerdotes, aut clerici, qui auctoritate episcoporum ecclesiis sunt praefecti, ut certo populo, qui parochiani dicuntur, divini verbi, et sacramentorum pabulum ad animarum bonum subministrant: nuncupantur hi parochi etiam nonnunquam rectores ecclesiarnm, a regenda ec-

clesia, et populo illis commisso; curiones sive curati a cura animarum illis commendata; plebani a plebe vel populo, cuius curam habent, et in *c.Omnis*, 12. *de poenit. et remis.* vocatur parochus etiam proprius sacerdos, illius scilicet, cuius tanquam parochiani proprii curam agere debet; iurisdictionem his competere ordinariam in foro interno ad ligandum, et solvendum, officii ratio exigit, nulla tamen illis competit in foro externo, et hinc de iure communi ordinario, secluso speciali privilegio aut consuetudine legitime introducta, non possunt parochi suos parochianos excommunicare, nec alias in illos censuras ferre, nec dispensare cum illis in legibus, votis aut iuramentis, quamvis possit eum, cuius delictum publicum et notorium est, et excommunicatio latae sententiae a iure statuta est, ab ecclesiae ingressu arcere.

§. II. *De celebratione Missae, et administratione ss. Eucharistiae.*

Tenentur parochi per se, vel per alium, saltem omnibus diebus festis, quibus populus illis commissus divinis interesse debet, missam celebrare in propria ecclesia, cui si parochiani non adsint ex contemptu proprii parochi, male agunt officio parochi, et parochiani mutuam obligationem inducentes, nisi specialia privilegia maiorem parochianis faciant licentiam sine proprii parochi contemptu; et quamvis cuivis sacerdoti vi ordinationis suae competat potestas ss. Eucharistiam ministrandi populo christiano *can. Pervenit*, 39. *de Consec. dist.* 2. illicite tamen eam exercet, nisi vel ordinariam vel delegatam ad hoc sacramentum administrandum iurisdictionem habeat, cum munus hoc pascendi ss. Eucharistia subditos maxime proprium sit pastoribus, ita ut Eucharistia ad modum viatici, aut paschali tempore sumenda, necessario a proprio parocho sumenda sit (nisi casus necessitatis aliud iubeat) et regulares, qui non sunt privilegiati ipso facto excommunicationem incurrant, si sine parochorum speciali, aut generali licentia subditis eorum ss. Eucharistiam tribuant, iuxta *Clement.* 1. *de Privileg.*

§. III. *De administratione sacramenti Poenitentiae, et aliorum sacramentorum.*

Quod suorum parochianorum confessiones ubique locorum audire possit parochus etiam extra propriam parochiam, certum est, cum absolutio illa sit actus voluntariae iurisdictionis, quam ordinarius ubique locorum exercere potest. Non potest tamen alienorum parochianorum confessiones audire, etiam intra propriam parochiam, sine consensu expresso vel tacito proprii eorum parochi (cum absolvi non possit ab eo ille, in quem nullam, nec ordinariam, nec delegatam iurisdictionem habet), qui consensus in multis casibus praesertim inter vicinos parochos rectissime praesumitur. Peregrini tamen vagi, et iter facientes confiteri possunt parocho loci, in quo pro tempore versantur. Vagi vero, qui nullibi domicilium habent, confiteri possunt vel loci parocho, ubi versantur pro eo tempore, vel cuivis alii sacerdoti pro confessionibus approbato, cum non sit maior ratio pro illo, quam pro quovis alio. Neque possunt parochi absolvere a peccatis, aut censuris summo pontifici, aut episcopo de iure reservatis (excepto articulo mortis, in quo cessat omnis reservatio) possunt tamen absolvere in foro poenitentiae ab ea excommunicatione

et iuris censuris, quae nec in iure, nec specialiter reservatae sunt, (quod enim author canonis non reservavit, hoc concessisse videtur *cap. Nuper*, 29. §. 2. *de sent. excom.*) et ex probabili sententia ab illis etiam casibus papae reservatis absolvere possunt in foro conscientiae, qui per accidens episcopales fiunt (ob difficilem v. gr. ad pontificem accessum, etc.) si nec ipse episcopus aut illius vicarius facile accedi possit, ut ne scilicet reservatio quae pro bono communi introducta est, contra bonum commune in periculum cedat animarum.

Spectat etiam ad officium parochi suis parochianis administrare sacramentum baptismi (ita tamen ut cum illius licentia expressa, aut prudenter praesumpta etiam alienus sacerdos, sive secularis ille sit, sive regularis, solemniter baptizare possit) et in gravi infirmitate constitutis suis parochianis extremam unctionem, ita ut graviter peccet, si sine iusta causa, aut eam neget, vel differat cum probabili periculo, ne infirmus interim decedat, ita ut regulares sacerdotes excommunicationem etiam latae sententiae incurrant, si sine licentia speciali proprii sacerdotis eam extra casum necessitatis secularibus administrent: et denique sacramento matrimonii a parochianis suis contrahendi assistere etiam debet proprius parochus, vel cum licentia huius sacerdos alius.

§. IV. *De praedicatione verbi Dei, et doctrina christiana per parochos tradenda, et aliis functionibus, et obligationibus parochialibus.*

Officium parochi requirit, ut pascat commissum populum, per se, vel per alios idoneos, si legitime ipse impeditus fuerit, verbi divini praedicatione saltem singulis diebus dominicis, et festis solemnibus, et doctrinae christianae pabulo iuventutem instruat, docendo christianae fidei rudimenta, et morum componendorum doctrinam; sunt et aliae obligationes, et functiones parochiales ad parochorum curam pertinentes, uti sunt variae denuntiationes, annuntiationes, et libri ad hos pertinentes, processiones, benedictiones, etc. quibus se capellani sine commissione speciali immiscere non possunt, cum illae ad legitimam pascendorum subditorum in spiritualibus curam pertineant, de qua parochis sua incumbit reddenda ratio, non autem capellanis.

TITULUS XXXII.

DE OFFICIO IUDICIS.

Ex dictis iam patet, iudicem eum dici, qui publica auctoritate constitutus ius dicit populo, causas cognoscendo, iudicando et sententiam ferendo, etc. Duplex esse illius officium nobile aliud, quod per se subsistit, nulli actioni deserviens, et impendi potest, ac obtineri etiam, ubi nulla actio locum habet; nonnunquam, et motu proprio iudicis impenditur; nonnumquam ad supplicationem partis, aut nobilis officii implorationem: aliud autem dici mercenarium, quod actioni, scilicet, civili deservit, neque a iudice impertiri potest, nisi ad instantiam actoris, sive actione praecedente. Differt autem actio ab imploratione officii, quod illa supponat ius ex parte agentis, et debitum ex parte illius, contra quem actio intentatur; imploratio vero officii aequitate potissimum nitatur, non iure.

§. I. *De duobus casibus specialibus pertinentibus ad officium iudicis, de quibus agitur in hoc titulo.*

Primus casus est, quod ad officium iudicis pertinet, sive ordinarius iile sit, sive delegatus, ut parti litiganti de idoneo advocato provideat (ne patrocinio necessario destituatur) si ob paupertatem, iudicii imbecillitatem, adversarii potentiam, vel ob aliam causam pars litigans talem habere non possit, prout statuitur in *c. Ex literis*, 1. *h. t.* Alter casus est, quod litis contestatio requiratur, si loco actionis iudicis officium imploretur principaliter, et contra certam personam; si vero iudicis officium tantum incidenter imploretur, sive ante, sive post ingressum causae hoc fiat, litis contestatione opus non est *c. Iudicis*, 2. *h. t.* in hoc enim casu, vel non requiritur plena causae cognitio, vel sufficit litis contestatio super negotio principali facta, quae accessorie se etiam extendit ad incidenter imploratum officium iudicis, quod in primo casu locum non habet.

§. II. *Utrum iudex ex officio suo debeat iudicare, secundum allegata, et probata?*

Regulariter, et ordinarie hoc fieri debere certum est; plurimum tamen dubitatur, utrum in illo etiam casu secundum allegata, et probata procedere debeat iudex, quo privata scientia scit innocentem reum, qui per publicas tamen in iudicio probationes reus esse convictus est. Sunt qui absolute velint, ferre sententiam iudicem semper debere iuxta scientiam, quam habet, sive privata illa sit, sive publica, et consequenter nunquam posse contra reum, quem privatim ipse scit innocentem, procedere: alii cum opposita sententia putant, quaecunque denique privata iudicis scientia sit, secundum allegata, et probata semper debere eum procedere, et reum, quem novit ipse quidem privatim innocentem, si publicis tamen probationibus nocens ille convictus est, condemnare debere: tertia tamen sententia, quae verior videtur, distinguit inter causas civiles, et minores criminales, et inter criminales maiores, in quibus de vita vel mutilatione, etc. agitur, et concedit, quod in civilibus, et levioribus causis criminalibus possit, et debeat iudex contra privatam suam scientiam secundum allegata, et probata iudicare, ita ut quem innocentem privatim novit, si publicis tamen probationibus nocens convictus sit, condemnare possit ad civilem sententiam aut leviorem criminalem poenam, non autem hoc possit, si condemnandus reus esset, quem novit ille privata scientia innocentem, quamvis publicis probationibus reus probatus esset ad poenam mortis aut mutilationis: cum enim respublica ius habeat a dominis sine illorum culpa ex causa boni publici bona temporalia auferendi, et poenam leviorem sustinere debeat innocens, si bonum commune exigat, non autem ius habeat in vitam innocentis, neque hic sustinere debeat invitus vitae privationem, etc. consequenter illud fieri poterit, bono publico exigente, ne iudicia perturbentur, talem iacturam ut patiatur innocens, non autem hoc, de quo respublica disponere non potest. Vide auctorem hic, et cum eodem adverte omnia prius a iudice tentanda esse iuxta quamlibet sententiam, priusquam ad sententiam contra innocentem ferendam procedat.

§. III. *Aliae quaestiones ad officium iudicis pertinentes proponuntur, et resolvuntur.*

Quaeritur primo, an iudex secundum publicas leges iudicare debeat? *Resp.* Satis quidem certum esse, iudicem inferiorem a legum praescripto recedere non posse (cum eius non sit in legibus dispensare) prout habetur in *c.* 1. *de constit. iuncta glossa, v. Suo sensu, et in can. Istis*, 3. *dist.* 4. potest tamen supremus princeps, si ita expedire iudicaverit, iuris rigorem temperare, et ex causa rationabili in lege dispensare. Sunt insuper aliqui casus, in quibus etiam inferior supremo principe magistratus ob varias circumstantias mutatas *epykia* uti potest, et a verbis legis, ac rigorosa illius ex aptitatione recedere, modo a mente legislatoris non recedat, et hinc multa conceduntur iudicis, non quidem infimi, neque tamen etiam supremi tantum, arbitrio circa poenas imponendas, prout etiam consuetudo docet.

Quaeritur secundo an, et in quibus casibus iudex ex officio supplere possit, et debeat, quae a partibus litigantibus, vel eorum advocatis omissa fuerunt? *Resp.* Quae iuris sunt, et ad defensionem causae pertinent, si a partibus vei rerum advocatis omittantur, supplere potest iudex, quatenus id ad causae definitionem necessarium est, non autem quae sunt facti, proponere scilicet exceptiones, producere testes, sententiam petere, etc. quamvis enim agere possit, quae ad iudicem spectant, sive pars ea petat, sive non petat, privatum tamen commodum partium, et quae proprie ad partes litigantes pertinent, assumere non potest, nisi in casibus quibusdam extraordinariis, quae apud auctorem hic videre potes.

TITULUS XXXIII.

DE MAIORITATE, ET OBEDIENTIA.

SECTIO I.

In quibus consistat maioritas, sive praerogativa, ac praeeminentia maiorum, et obedientia, ac reverentia a minoribus seu inferioribus exhibenda superioribus, et maioribus.

§. I. *Qua ratione quis, et ex quibus causis maior habeatur inter clericos.*

Variis modis potest quis clericus altero esse maior, et dignior. Primo scilicet potestate, et iurisdictione, prout archiepiscopus maior est episcopo, et archidiaconus archipresbytero. Secundo ratione ordinis, prout maior est presbyter diacono, et hic subdiacono, etc. ob quam causam in *cap. Statuimus*, 15. *h. t.* vult pontifex praeferri eos tum in loco, sive sessione, tum in portione beneficiali seu praebenda consequenda, etc. qui ordine maiores sunt, quamvis posterius recepti sint, eo quod praerogativa temporis, quae tamen constitutio non in omnibus ecclesiis observatur, ob consuetudinem contrariam *regulae iuris*, 54. *in* 6. conformem, et hinc constitutio illa localis tantum habetur pro ecclesiis Urbis. Tertio, maiores alii dicuntur ratione antiquitatis, seu paritatis temporis, iuxta *regulam*, 54. *Qui prior. in* 6. *et*

iuxta c. 1. *h. t.* quae maioritas de iure locum habet inter eos, qui ordine sunt aequales, et nisi specialia privilegia, aut consuetudo recepta aliud iubeat. Quarto denique dicuntur alii aliis maiores ob praerogativam, seu dignitatem ordinantis, prout in *c. Per tuas*, 7. *h. t.* ille praefertur (caeteris paribus) aliis, qui a romano pontifice ordinatus est. Sicuti tamen hi tales non eximuntur a iurisdictione episcopi per hoc quod a papa ordinati sint, ita etiam puniri possunt ab episcopo, si delinquant.

§. II. *De obedientia, et reverentia a minoribus, seu inferioribus praestanda maioribus, aut superioribus, et poenis inobedientium.*

In tribus potissimum consistit obedientia, quae a minoribus maioribus debetur, in obedientia scilicet, et reverentia, in mandato a maiore accipiendo circa ea, quae ad cultum divinum, aut bonum commune pertinent, et in submittendo se superioris iurisdictioni, quoad causas varias diiudicandas, et decidendas. Et quamvis omnes Christifideles etiam principes suis episcopis debeant in his omnibus obedientiam, cum bis tanquam suis ordinariis pastoribus omnes subiecti sint, saepius tamen etiam ex specialibus privilegiis, aut consuetudine immemoriali excepti sunt, prout etiam patet ex *c. Solitae*, 6. *h. t.* Et hinc abbates etiam, et sacerdotes alii, qui curam animarum habent, si episcopo subiecti sint, et ad synodum dioecesanam vocentur, comparere debent, *c. Quod super his*, 9. *h. t.* ita ut nolentes comparere, per censuram etiam ecclesiasticam compelli possint, quin immo etiam abbates exempti, si populum sub se habeant, comparere debent. Observetur tamen in his consuetudo dioecesis; videatur etiam de obedientia exhibenda cardinalibus a clericis sui tituli *c. His quae*, 11. *h. t.* et de obedientia, ac reverentia suis abbatissis exhibenda a monialibus *c. Dilecta*, 12. *h. t. et c. Legebatur*, 3. *ac c. Cum in ecclesiis*, 10. *h. t.* de obedientia, ac reverentia a clericis suo episcopo, aut a regularibus suo abbati promittenda, iuramento scripto, vel manuali tantum, et verbali promissione; et de iuramento fidelitatis, ac obedientiae suo archiepiscopo exhibendo ab episcopis suffraganeis *c. Cum dilecti*, 13. *h. t.* et denique de componenda controversia, quae inter clericos nonnunquam oritur de superioritate unius, et subiectione alterius, *c. final. h. t.* ac quae de poenis inobedientium statuuntur in *c.* 2. §. 5. *h. t.*

§. III. *An minor, seu inferior possit exercere iurisdictionem, ac potestatem in se superiorem, aut illi hic subiici?*

Respondetur, ordinarie hoc fieri non posse, ut ostenditur in *c. Cum inferior*, 16. *h. t.* nisi in casu, quo inferior delegatus papae constituitur, aut speciale privilegium obtinet contra superiorem.

§. IV. *An ecclesia, cuius episcopus, seu praelatus, vel etiam capitulum, et clericus in haeresim, vel schisma incidit, iurisdictionem, et alia iura, ac privilegia amittat?*

Respondetur ex *c. Inter quatuor*, 8. *h. t.* clare colligi, quod omnia ecclesiastica iura, et privilegia amittat ecclesia (saltem quoad exercitium, et post declaratoriam sententiam incursae haeresis, aut schismatis, si in haere-

sim, vel schisma, non quidem episcopus tantum, aut tantum capitulum, sed episcopus, et capitulum labatur) prout etiam de haeresi colligitur ex *c. Ut commissi*, 12. §. *privandi de haeresi, in* 6. et de schismate ex *can. Novatianus, causa* 7. 9. 1. (cnm enim hi tales non sint membra ecclesiae, merito privantur iuribus ecclesiae) ita tamen, nt eadem, vel ipso iure, vel per sententiam iudicis recnperatura sit, postquam rediit ad unitatem ecclesiae, nisi absolute iam in aliam ecclesiam iura illa legitima anctoritate translata fuissent.

§. V. *De subiectione, et obedientia exhibenda summo pontifici.*

De hac agitur *in Extravag. Unam sanctam*, 1. et in *Extravag. Ut praelatorum*, 2. et in *Extravag. Etsi deceat*, 3. *h. t. inter communes*, et aliquid etiam habetur in *Extravag. Ecclesiae unica Ioann. XXII. h. t.* quae videri possunt.

SECTIO II.

De iurisdictione, et potestate Capituli.

§. I. *De officio, et potestate Capituli, ecclesia, vel sede non vacante.*

Capituli appellatione hic intelliguntnr soli canonici capitulares, cum suo decano, vel praeposito collegialiter congregati, ita tamen, ut episcopus, aut abbas, qua talis sub hoc capituli nomine non comprehendatur, uti constat ex *rubrica tituli de his, quae fiunt a praelatis sine consensu capituli.* Hoc ergo taliter acceptum capitulum, sede non vacante, de iure communi, nullam iurisdictionem ecclesiasticam habet, in criminalibus, aut civilibus causis singulorum canonicorum, aut ecclesiae illi subditorum, seu ministrorum, nt innuit *glossa in c. Irrefragabili* 13. *v. Per capitulum, de off. iud. ordin.* Et quamvis multi capitulo concedant, qnod sede non vacante possit statutorum suorum transgressoribus poenas imponere, ex hoc tamen non probatur, competere illis inrisdictionem aliquam, sed tantum probat, quod usum aliquem, seu exercitium iurisdictionis, a snperiore fortassis permissum, sive legitima consuetudine acqnisitum habeant, nisi malis dicere, teneri ad tales poenas singuli v. gr. canonici ex vi pacti, aut iuramenti, quod de statutis servandis fecerunt.

§. II. *De iurisdictione, et potestate capituli cathedralis, sede vacante.*

Dictum iam supra, quod in capitulum ecclesiae cathedralis, sede episcopali vacante, omnis iurisdictio episcopalis ordinaria, tam contentiosa, quam voluntaria, tam in temporalibus, quam spiritualibus transeat, exceptis, illis, quae ius commune excipit, vel pontifex sibi specialiter reservat, prout sumitnr etiam ex *c. Cum olim*, 14. *iuncta glossa, v. Capitula h. t.* (ne per longam sedis vacationem, aut episcopi absentiam damnnm patiatur ecclesia) sive deinde de iure communi episcopo iurisdictio aliqua competat, sive per legitimam consuetudinem ea acquisita sit, aut ex privilegio in perpetuum concesso, ita ut in ordinariam episcopi iurisdictionem transeat.

In specie vero potest capitulnm, sede vacante, vel vicarius, aut admi-

nistrator ab illo, vel a papa datus, 1. absolvere excommunicatos a iure, vel ab homine, sicuti episcopus posset, si viveret, *c. Uni, h. t. in* 6. Secundo potest excommunicare, aut alias censuras ferre, eiusdem enim potestatis est ordinariae ligare, et solvere. Tertio potest dispensare in casibus, in quibus potest episcopus dispensare potestate ordinaria, sive per se, sive per accidens tales casus sint episcopales. Quarto potest facere statuta totam dioecesim obligantia, ita ut perpetua haec sint, quamvis per episcopum successorem revocari possint. Quinto potest testamentorum executores compellere ad exequendum, et rationes reddendas, ac negligentes punire, sicut possunt episcopi etc.

§. III. *De casibus exceptis, in quibus capitulum cathedrale, sede vacante, non succedit in iurisdictione episcopi, et de potestate, quam habet in causis beneficialibus.*

Plures sunt casus in iure excepti, in quibus iurisdictio episcopo competens non transit ad capitulum. Sic primo non succedit in iurisdictione pure delegata, quamvis in perpetuum episcopis tale quid auctoritate apostolica exequendum commissum sit, cum in tali casu non agat episcopus suo nomine, sed nomine papae delegantis, et committentis. Secundo non succedit in illis, quae huic v. gr. episcopo concessae sunt ratione dignitatis, et praeeminentiae prae aliis, ita ut aliis inferioribus, et non episcopis, quamvis episcopalem, aut quasi episcopalem iurisdictionem habeant, non concessa sint, uti est facultas celebrandi missam in quovis loco decente in itinere v. gr. Tertio non potest ea, quae valde ardua sunt, et secundum consuetudinem ecclesiarum solis capitibus ecclesiarum competere censentur, cuiusmodi est visitatio ecclesiarum, convocare synodum etc. nisi etiam ad haec urgeat necessitas. Quarto non potest de bonis ecclesiae vacantis (sive immobilia haec sint, sive mobilia pretiosa, et quae servando servari possunt) vel de iuribus episcopalibus alienationes, aut donationes facere, neque ecclesiam pro mutuo accepto obligare, nisi in casu valde magnae necessitatis, aut evidentis utilitatis. Quinto non succedit in iurisdictione feudali, cum in illis, quae iure speciali, et extraordinario episcopo competunt, nihil iuris habeat capitulum: et quamvis, vacante sede, ad concilia imperialia admittatur capitulum, non tamen admittitur capitulum ecclesiae archiepiscopalis ad electionem Romanorum Regis, vel Imperatoris, cum hoc ius quibusdam archiepiscopis Germaniae ex speciali privilegio, et iure competat.

In causis vero beneficialibus potest quidem capitulum, sede vacante, praesentatos a patronis ad beneficium instituere, *c.* 1. *de instit. in* 6. et electionem praelatorum inferiorum confirmare, *c. Cum olim*, 14. *h. t.* cum hoc sit necessitatis; non potest tamen conferre beneficia, vacante sede, quae ad liberam collationem solius episcopi pertinent, aut quae ob negligentiam inferiorum collatorum, aut electorum ad episcopum devoluta sunt, prout colligitur ex relat. *c. Cum olim;* cum haec talia conferre speciem quamdam donationis, aut dationis gratuitae videantur habere, in quibus nullum habet ius capitulum circa necessariam tantum administrationem episcopo succedens. In commendam tamen ad sex menses dare talia beneficia, et si interea epi-

scopus non eligatur, prorogare hoc tempus non prohibetur capitulo, quia hoc exigit administrationis bonae necessitas. Ob quam causam, si magna necessitas exigat, unire etiam potest capitulum beneficia in omnibus casibus, in quibus ea potest unire episcopus, modo non tendat talis unio in utilitatem capituli, aut praeiudicium iuris episcopalis: resignationes tamen beneficiorum liberas, spectato iure communi, recipere non potest, si talia beneficia ad liberam collationem episcopi pertineant, cum admissio talium resignationum sit gratiae, in illis antem, quae gratiae sunt, non succedit Capitulum.

§. IV. *De iurisdictione, et potestate capituli ecclesiae non cathedralis, seu collegiatae, sive saecularis, sive regularis, praelatura vacante.*

Si omnimode talis ecclesia exempta sit, itaut in capellas etiam subiectas plenam iurisdictionem quasi episcopalem praelatus habeat, omnem iurisdictionem, et administrationem habet capitulum ecclesiae illius collegiatae, vacante praelatura, sicuti, vacante sede, habet capitulum cathedrale; quod si vero ecclesia talis collegiata exempta non sit, praepositus tamen, vel decanus illius ecclesiae iurisdictionem dignitati suae annexam in clericos sibi subiectos privative, excluso scilicet episcopo, obtineat in prima saltem instantia (per privilegium scil. aut consuetudinem legitime praescriptam) tum spectato iure communi non transit in capitulum illius ecclesiae, vacante praelatura iurisdictio, sed ad episcopum devolvitur, *c. His quae, h. t.* (Cum non debeat induci devolutio ad capitulum, nisi in iure exprimatur, ius autem, quando devolutionem talem ad capitulum concedit, de ecclesiis cathedralibus, vel quasi episcopalem iurisdictionem habentibus, id est de exemptis, loquatur) nisi ius speciale, aut consuetudo legitima aliud requirat, et hinc in monasteriis etiam talibus non exemptis de iure communi ab episcopo, mortuo praelato, in cuius dioecesi existit, administrator constituendus est, seclusa tamen iterum legitima consuetudine, aut iure speciali.

TITULUS XXXIV.

DE TREGUA, ET PACE.

Tregua a *glossa in c. 1. h. t.* definitur, quod sit securitas personis, et rebus praestanda ad tempus, discordia nondum finita; sive si magis proprie de ea loqui velimus, aliud non est quam induciae belli ad breve tempus inter hostes initae, ne se invicem laedant, ita ut tregua a pace differat, in quantum tregua est: securitas personis, et rebus ad tempus constituta, nondum sublata penitus discordia, pax vero sit finis discordiae, seu belli. Duplex autem tregua est conventionalis alia, quae ab hominibus inter se discordibus constituitur, et ex conventione formam, et modum recipit: alia canonica, seu legalis, quae a iure constituitur, de qua fit mentio, *in c. 1. h. t.* ita ut vi capituli primi tregua absolute servanda iubeatur a quarta feria per occasum solis usque ad secundam feriam ante ortum solis, et Adventus tempore usque ad octavam Epiphaniae, Quadragesimae vero tempore a Septuagesima usque ad octavam Paschae (haec tamen constitutio de tregua taliter in reverentiam temporis servanda pridem contraria consuetudine abrogata

est) et vi *c.* 2. securitate perpetua, sive tregua hac gaudent clerici, et religiosi omnes peregrini, mercatores, viatores, et rustici, et in agricultura existentes, eorum animalia quoque, quibus arant, et semina portantur in agros etc. quantum autem haec etiam constitutio observetur, docet experientia. Et quamvis princeps possit civitates, et populos sibi subiectos ad componendam pacem compellere iuxta *authent. de mandatis principum*, §. *Deinde*, *iuncta gloss.*, *v. Pacem novell.* 17. uti bonum commune; non potest tamen privatis litigantibus inter se pacem praecipere, et urgere ad concordiam, ne videatur ius suum auferre alicui, nisi causa sit valde intricata, et lis diu iam cum magna partium molestia duraverit.

TITULUS XXXV.

DE PACTIS.

§. I. *Quid sit pactum, et quomodo dividatur? qui pacisci possint? quae sit materia pactorum in genere, et quae forma?*

Pactum proprie loquendo est consensus, sive placitum duorum, aut plurium in idem cum obligatione aliqua. Differt a contractu proprie dicto, quod hic utrinsque obligationem pariat (regulariter); pactum autem ex parte unius tantum: praecipua pacti divisio est in nudum pactum, et vestitum, sive legitimum: illud est, quod sola aequitate naturali nititur, et nullam de iure civili actionem (fori externi) parit, ad vitandam scil., litium multitudinem; legitimum vero est, sive vestitum, quod praeter conventionem partium, aliud aliquod iuris adminiculum habet, ratione cuius actio civilis in foro externo de iure civili oritur. Pluribus autem modis pactum vestitur, seu iure civili confirmatur. Primo si transeat in contractum specificum, seu nominatum, in genere suo perfectum, emptionem scil., locationem, commodatum etc. Secundo si ex altera parte fuerit secuta traditio rei, sive promissi impletio, prout nonnunquam fieri solet in contractibus innominatis, do ut des, do ut facias etc. saltem si alter ad implendum ex vi acceptae rei promissae obligatus sit inculpabili mora. Tertio vestitur, si ei accedat stipulatio, iure civili introducta, vel per publicum instrumentum notarii confirmetur. Quarto vestitur, si accedat in continenti alii pacto vestito. Quinto vestitur, si legis habeat assistentiam. Sexto vestitur, si iuramento confirmetur. Septimo denique vestitur, si fiat in iudicio. Pacisci autem, sive pactum inire possunt omnes, qui nec natura, nec iure prohibentur. Natura quidem prohibentur, qui ad obligationem inducendam consentire nequeunt, infantes v. gr., furiosi, perpetuo amentes, muti et surdi coniunctim etc. Lege autem prohibentur impuberes, ob imbecillitatem iudicii, nisi meliorem facere possint suam conditionem; prodigi, quibus interdictum est bonis; minores 25. annis, qui curatorem habent, etc. Qui autem pacisci possunt, sibi tantum regulariter, non autem aliis pacisci possunt, et quidem de omnibus rebus honestis, et licitis, quae in commercio hominum sunt, modo sint paciscentium propriae, ita ut formam accipiant pacta ex conventione, sive consensu paciscentium, modo si contractui pactum aliquod adiiciatur, non sit pactum tale contra substantiam contractus.

§. II. *De observatione pactorum, et eorum confirmatione per Superiorem.*

Quod pacta legitime inita observari debeant *in c.* 1. *h. t.* statuitur, et naturalis aequitas dictat, ita ut per censuras etiam ecclesiasticas urgeri possent ad pacti observationem paciscentes; et peccatum grave sit (caeteris paribus) pacta ab altera parte acceptata non servare. Et hinc inferunt canonistae communiter de iure canonico, quidquid sit de iure civili, actionem in foro externo etiam oriri ex pacto nudo, quia non tantum quando ius mandat observari aliquid, sicuti mandat ius canonicum observari pacta, datur exinde in foro externo actio, sed etiam datur actio de iure canonico, ad impediendum peccatum.

Confirmantur autem pacta saepius per supervenientem postea consensum, seu ratihabitionem superioris, uti colligitur ex *c.* 2. *h. t.* nisi spectato iure naturali prorsus irritum sit, et nullum pactum tale; quo in casu subsequens ratihabitio confirmare nihil potest, cum iuxta *reg. iuris* 18. *in* 6. non firmatur tracto temporis, quod ab initio non subsistit. Neque tamen ad omnia subditorum pacta, et conventiones confirmandas superiorum consensus, aut ratihabitio semper requiritur, ut patet ex *c.* 3. *h. t. in* 6. et per se constat.

§. III. *De diversis pactis illicitis, a iure canonico reprobatis.*

Primo quia pactis privatorum non potest praeiudicari iuri publico *c. Si diligenti*, 12. *de foro compet.*, nullum est pactum, quod iuri publico praesertim ecclesiae praeiudicat, *c. Plerique h. t.* neque tamen prohibetur pactum, quo quis iuri in favorem suum sibi principaliter concesso cedit, *c. Pactum*, 1. *h. t. in* 6. *c. Si de terra*, 6. *et c. Accedentibus*, 19. *de privileg. in* 6. Secundo qui renuntiat liti super beneficio ecclesiastico, adiecto pacto, ut aliquid temporale, etiam expensarum nomine sibi solvatur, illicitam, et simoniacam pactionem faciat, quia spirituale aliquid pro pecunia, vel alia re temporali pretio aestimabili remittit, *c. Cum pridem*, 4. *h. t. iuncta gloss. v. Illicitae pactioni speciem*, nisi superioris auctoritas accedat, quae parti litiganti expensas solvere iubet, quas frustra litigans fecerat, *arg. c. Nisi essent*, 21. *de praebend.* Tertio pactum alicui factum de succedendo post mortem praelati, aut beneficiati in praelatura ecclesiae illius, aut beneficio, nullum est, *c. Accepimus*, 5. *h. t.* cum talia pacta speciem habeant haereditariae successionis, quae in beneficiis locum non habet; et inducat votum captandae mortis alienae, quod utroque iure prohibitum est. Quarto nullum est pactum, quo promittit quis pensionem annuam, aut augmentum illius, si in ecclesia, vel beneficio instituatur, *c. Cum clerici*, 6. *h. t.* cum simoniae vitium talis institutio referat. Quinto ob hoc ipsum simoniae periculum, et speciem, nullae sunt omnes pactiones pro spiritualibus, aut quae spiritualibus sunt annexa obtinendis, *c. Pactiones*, 8. *h. t.* si pro illis dentur, aut promittantur temporalia pretio aestimabilia. Sexto denique pacta universim, quae contra leges, aut bonos mores fiunt, nullam vim habent; nisi interdum, quae ob turpem causam pacta facta sunt, etsi non obligent, dum causa nondum impleta est, obligationem tamen inducunt, postquam causa

turpis impleta est; neque enim talis datio v. gr. propter causam turpem praestitam de se illicita est, uti communiter docent theologi.

§. IV. *De pacto tum negativo de non succedendo, per quod renuntiatur haereditati futurae, tum affirmativo de succedendo alicui.*

Duo sunt pacta, affirmativum unum, quo quis alteri promittit, scripturum seipsum haeredem in testamento suo, et negativum alterum, quo quis renuntiat haereditati paternae, aut aliunde sibi deferendae, de iure civili nulla; illud quidem, quia votum captandae mortis subinde infert vitia cupiditatis summae; hoc vero, quod haereditas nec dari, nec auferri possit privatis pactis ob bonum commune contrarium exigens. Utrum autem haec talia pacta de iure canonico valeant, si iuramento confirmentur, ita ut servari debeant non quidem ex vi sua, quam independenter a iuramento habent, sed ex vi religionis dependenter a iuramento inductae, dubitatur. Et prius quidem pactum affirmativum scil. de succedendo, nullum esse, quamvis iuramento firmatum sit, facile concedunt auctores, ita ut non obstante tali promissione iurata, illicite quidem (excipienda tamen sunt pacta gentilitia familiarum, praesertim si auctoritate imperatoria firmata fuerint) in alium transferatur haereditas, valide tamen et periurus quidem sit in alium transferens haereditatem post iuramentum de succedendo alteri factum, nulla tamen contra eum, aut contra haeredem institutum datur actio civilis: posterius vero pactum negativum de non succedendo, per quod v. gr. filia iurat, se dote contentam de haereditate paterna v. gr. aut alia qualibet ex vi consanguinitatis deferenda nihil ulterius petituram, validum esse, accedente iuramento, ac per hoc confirmari, ac vim obligandi habere ex *c. Quamvis*, 2. *h. t. in* 6. videtur probari; si nulla vis, dolus, aut metus iniustus in extorquendo hoc iuramento intervenerit, quamvis enim si tale quid intervenisset, iuramentum tamen obligaret, cum sine dispendio aeternae salutis servari posset: quia tamen ab episcopo facile illius impetrabitur dispensatio, et qui iniustum talem metum v. gr. ad extorquendum tale iuramentum incussit, compelli etiam potest ad remittendum hoc iuramentum, ideo efficaciter non obligare censetur. Quod si tamen renuntiatio paternae v. gr. haereditatis, cum iuramento non facta fuisset absolute, et simpliciter, sed in favorem v. gr. fratrum consanguineorum, lateralium, etc. et horum nullus quando moritur pater, superesset, haberet suum regressum, non obstante tali renuntiatione, ad haereditatem paternam, quae taliter renuntiavit, cum renuntiationes tales explicandae sint, ut quam minimum praeiudicent, aut laedant renuntiantes; et hinc, non obstante tali renuntiatione, libere pater ei, quod vult legare potest, aut donare; et possunt etiam liberi ex filia, quae renuntiavit haereditati paternae, vivente adhuc patre suo mortua, avo huic suo materno iure proprio succedere, cui nunquam renuntiaverunt, quamvis non possint succedere avo huic suo, si vivente adhuc matre sua mortuus ille fuisset, cum in hoc casu non alio iure, quam matris succederent, quod per renuntiationem a matre factam extinctum est. Quod si tamen enormiter laesa fuisset per renuntiationem talem renuntians filia, eo quod pro modica dote multo maiori ultra dimidium haereditati, praeter opinionem suam, prout ex

post facto colligit, renuntiaverit, posset petere relaxationem iuramenti, et restitutionem in integrum, cum nec iuramentum ad tantam laesionem obliget, neque intentionis illius fuisse merito censeri debeat, tantam pati velle iacturam.

§. V. *De effectu pactorum.*

Potissima quaestio est, utrum ex nudo pacto oriatur obligatio efficax, sive actio, id est ius petendi in iudicio, quod in pactum deductum est: quod enim ex tali nudo pacto in foro externo oriatur exceptio, qua defendere se possit reus contra actoris petitionem, et alii quidam effectus passim apud theologos videri possunt: actionem vero sive ius petendi in iudicio, quoad in pactum deductum est, non concedere ius civile, passim asseritur, ut ne nimium lites multiplicentur, cum magna reipublicae perturbatione. De iure vero canonico, quod ex pacto nudo acceptato oriatur actio efficax ad petendum in iudicio, quod ex pacto debetur, probabilior sententia theologica et canonica docet, et probatur ex *c.* 1. *et* 3. *h. t.* ad cavenda multa pericula animarum, et earum salutem promovendam, nisi in causis mere civilibus per denuntiationem canonicam satis caveri possit, et nullo modo intendat ex iustitia se obligare paciscens, sed tantum ex fidelitate, neque ullam causam exprimat suae promissionis. Servanda tamen hac in re consuetudo, quae etiam ex nudo pacto in foro externo concedit actionem.

TITULUS XXXVI.

DE TRANSACTIONIBUS.

§. I. *Quid, et quotuplex sit transactio?*

Transactio, late accepta dici potest cuiuslibet negotii compositio; iuxta quam acceptionem etiam res iudicata, iusiurandum, et quodlibet pactum, quo lites aliquae componuntur, transactio dici potest. Proprie tamen, si de transactione loqui velimus, prout hic de ea sermo est, recte dicitur, ea esse de re dubia, et controversa, ut distinguatur a pacto, (quod est de re certa) sive de lite incerta, et necdum finita (sive sit conclusum iam in causa, sive non, modo sententia definitiva necdum lata sit, et tempus appellationis iam lapsum sit), non gratuita pactio (ut distinguatur scilicet ab amicabili compositione, quae fit omnino gratis); cum enim in transactione accipiatur aliquid, aut retineatur aliquid pro eo, quod alteri transigenti ceditur, consequenter recte dicitur, non gratuita esse pactio: et quia qui certus est de re aliqua, aut iure aliquo sibi non competente, nihil accipere, aut retinere bona conscientia potest, ut cedat rem illam, aut ius illud alteri, consequenter de re dubia, aut lite nondum finita, quae in rem iudicatam abierit, debet esse transactio. Est autem transactio alia realis, quae ad successores rei super qua transactum est, transit; alia personalis, quae durat, quamdiu transigens vivit, *c. De caetero*, 5. *h. t.*

§. II. *De illis, qui transigere possunt, vel non possunt; et speciatim an, et quatenus praelati, vel rectores ecclesiarum transigere possint de rebus, seu iuribus ecclesiasticis?*

Quod omnes transigere possint, qui liberam suarum rerum administrationem habent, et quod circa res illas, quas aliqui alienare non possunt,

nec transigere possint, generaliter, et universim loquendo, certum est, cum enim per transactionem ordinarie devenìatur ad alienationem, consequenter qui alienare non possunt, transigere non possunt, ne quod una via directe probibetur, alia via indirecte concedatur, contra *reg. iuris*, 84. *in* 6. Et hinc praeter alia ex iure civili petenda, optime infertur, praelatos ecclesiae, quamvis liberam babeant rerum ecclesiae suae administrationem, et solos in iudicio pro causis suae ecclesiae (saltem non valde gravibus) agere, et conveniri possint, circa res tamen immobiles, et mobiles pretiosas suae ecclesiae transigere non posse sine consensu sui capitulí, et aliis solemnitatibus ad alienandum requisitis, prout sumitur ex *c. Contingit*, 3. *et c. Statuimus*, 2. *c. Veniens*, 8. *h. t.* Nisi ita de rebus talibus praelatus transigat, ut ea ecclesia non amittat, sed pro data pecunia aliqua litis terminandae causa retineat ea, vel recuperet, et pacifice penes ecclesiam ea permaneant, ut docet *gloss.* communiter recepta in *l. Nulli*, 13. *v. Transigere, ff. h. t.* vel nisi practer mandatum procuratorium liberum a capitulo, sine conventu, literas etiam, sive clausulam habeat de ratihabitione, sive quod conventus suum capitulum omnia rata babere velit, quae praelatus in causa aliqna ipsi commissa egerit, iuxta relatum *c. Contingit*, vel nisi casus necessitatis aliud exigat, ad gravia v. gr. scandala devitanda, etc. aut transactionem de iuribus sibi competentibns parochus v. gr. fecerit ad dies tantum vitae, *c. De caetero*, 5. *h. t.* vel beneficiatus v. gr. liti sibi motae cederet, ut ius suum beneficiale, ad quod institutus legitime videtur, retineat, argum. *c. Admonet*, 4. *De renunt.* solvendo etiam impositum beneficiario legitima anctoritate censum, in proprinm praeiudicium cum legitimi superioris auctoritate, admittendo quod ad dies vitae verb. gr. suae, ita ut talis transactio sit mere personalis.

§. III. *An, et qua ratione liceat transigere de rebus spiritualibus, vel iis, quae spiritualibus annexa sunt?*

Transactio, ut pro beneficio ecclesiastico, aut re spirituali temporale quid detur, remittatur, aut promittatur, vel etiam spirituale aliquid cui annexum est quid temporale, non valet, quia speciem simoniae babet, ut dictum est, et ex *c. ult. De rerum permutatione*, ac *c. Super eo*, 7. *h. t.* patet; ubi sola amicabilis, et prorsus gratuita compositio (caeteris paribus) in cansis his beneficialibus admittitur. Quod si tamen pro re, aut iure pure spirituali detur, non est simoniaca talis transactio, sed speciem potius permutationis licitae babet, et ideo haec transactio fieri potest, *argum. c. Ad quaestiones*, 6. *et c. fin. iuxta gloss. v. Temporalia, de rerum permut.* quamvis ex speciali ratione aliqua licentia nonnnnquam praelati, et aliae solemnitates intervenire debent, quia alienationem bonorum ecclesiasticorum continet.

Ex *c. Praeterea*, 9. *h. t.* insuper constat, quod super iure patronatus, aut praesentandi ad beneficia, pro re temporali transigi non possit, cum ius patronatus spirituale quid sit, ut tradit *glossa finalis hic*, vel certe spirituali antecedenter annexum, *c. Quanto*, 3. *iuncta gloss. v. Connexa, de iudiciis*, et ex *c. Praeterea*, 10. *h. t.* super spiritnali subiectione pro re temporali aliqua transigi non potest, ob periculum, et speciem simoniae, et ex *c. Ex*

pacto, 11. *h. t.* super matrimonio, nec transactio, nec amicabilis compositio fieri potest, si contra vinculum matrimonii per talem transactionem, aut compositionem fieret aliquid, ad illud dissolvendum, ut advertit *glossa hic v. Sacramentum*, cum in nostra potestate non sit dissolutio matrimonii ex iure divino insolubilis.

§. IV. *De quibus praeterea rebus, seu causis licitum sit transigere, vel non ?*

De publico crimine capitali (ob quod scilicet poena sanguinis irrogatur) quod liceat transigere ex *l. Transigere*, 18. *iuncta gloss. v. Capital. Cod. h. t.* patet. Quia licet cuivis sanguinem suum quovis modo redimere; neque pro confesso reus transigens haberi debet, quia merito censeri potest, non tam ob conscientiam criminis quam ad periculosam accusationem declinandum transegisse. De aliis tamen publicis, aut etiam privatis criminibus, quae poenam sanguinis non irrogant, si criminaliter ad vindictam agatur, nec permittitur de iure communi transactio, uti ex *cit. l.* patet, nec amicabilis compositio, ut ne crimina maneant impunita contra bonum commune; et plerumque reus taliter transigens, cum cesset omne capitis, et sanguinis periculum, pro confesso habetur, nisi probare possit ad redimendam praecise vexam se transegisse, aut transegisse de crimine falsi, quo in casu ex *relat. lege* licita est transactio, ob gravissimam infamiam, quam secum trahit hoc crimen, quae merito poenae sanguinis aequiparatur. Si vero de tali crimine civiliter tantum agatur, ad poenam parti laesae applicandam, valida et licita est transactio, sicuti et gratuita, et amicabilis compositio, cum iuri suo partes praeiudicare, ac cedere possint. Quod si vero sint causae mere civiles, ex iure civili patet: Primo, quod de iis, quae in testamento vel codicillo relicta sunt, sine iudice transigi non possit, nisi inspectis, et cognitis verbis testamenti, prout habetur *in l.* 1. §. *Ratio, ff. de testament. quemadm. aperiàntur*, *l. de his*, 6. *et l. non est*, 12. *ff. h. t.* Secundo quod nec de alimentis in ultima voluntate relictis, quae in futurum debentur, sine iudicis auctoritate, et causae cognitione, transigere liceat (ne testatoris voluntas facile negligatur) nisi per talem transactionem conditio alendi fiat melior; de alimentis vero praeteritis licitum esse transigere, etiam sine iudicis auctoritate, et causae cognitione ex *l. Alimentis*, 8. *c. h. t.* patet, cum in hoc casu nihil urgeat allata ratio.

§. V. *De forma transactionis, eiusque extensione, et rescissione.*

Formam transactio in foro civili valida accipit ex iure civili, secundum quod alia transactio fit simplici accepti latione; alia fit praecedente aquiliana stipulatione. Illa est, quam praecedit alia stipulatio, etsi petas a creditore, cui debebas centum, an contentus esse velit, si 50. solvas, et ille respondeat, contentum se futurum. Altera est, quae fit per varias interrogationes, de quibus iura civilia, cum spectato iure naturae, et canonico nulla certa verborum forma ad transactionem validam requiratur, sed possit illa fieri vel pure, et absolute, vel conditionate, vel in, vel extra iudicium, vel verbis tantum, vel etiam interveniente scriptura, vel poena apposita,

vel cum clausula *Rato manente pacto etc.* vel cum, vel sine iuramento etc. extendenda tamen non est transactio facta super re certa aliqua, et determinata ad res alias quam expressas, nisi sint accessoriae, et connexae, quamvis si indefinita, et generalis sit facta transactio super tota haereditate v. gr. super omnibus iuribus episcopalibus, ad omnia particularia sub tali genere contenta, extendi possit, etiamsi in specie non sint cognita, nisi proprietas verborum, aut tractatus praecedens aliud exigat. Rescindi autem potest transactio ex variis causis. Primo si interposito metu incusso, qui cadit in virum constantem, facta sit. Secundo si dolo extorta sit. Tertio si intervenerit error substantialis. Quarto mutuo consensu partium. Quinto per errorem calculi etc.

§. VI. *De effectu transactionis.*

Principalis effectus transactionis est, quod per illam litibus motis, et movendis finis imponatur, vel ne oriantur, impediatur (ob bonum scilicet pacis, cui studere reipublicae, et bono communi plurimum prodest) ita ut semel bona fide inita transactio, et legitime celebrata, invita altera parte transigentium, refundi non possit, etsi nova instrumenta faventia contra talem transactionem reperta essent, prout sumitur ex *c.* 1. *h. t.* neque ulli parte poenitere concessum sit, etiamsi contractus hic transactionis nondum expletus sit.

Secundus effectus est, quod quamvis actionem civilem non pariat, si nudo pacto celebrata sit, neque rei traditione, vel stipulatione etc. firmata sit, cum ex nudo pacto de iure civili non detur actio, parit tamen exceptionem litis finitae, quae ante vel post litis contestationem opponi potest, ita ut, qui fuit in causa principali unius partis litigantis advocatus, si haec postmodum per transactionem partium finiatur, testis esse possit huius transactionis; prout sumitur ex *c. Ex literis*, 6. *h. t.* neque impugnare possit eam tanquam irritam, qui suasor, auctor, aut mediator huius transactionis fuit, quia propriam suam turpitudinem talis allegaret.

TITULUS XXXVII.

DE POSTULANDO.

§. I. *Quid sit postulare, seu advocare, quomodo advocatus a procuratore differat, et a quo constituantur advocati?*

Postulare late loquendo aliud non est, quam suum vel alterius desiderium in iudicio exponere apud eum, qui iurisdictioni praeest; proprie tamen, et strictius loquendo postulare dicitur, qui in iudicio partis praesentis advocatum agit, et hinc qui consilium quidem dat in causa aliqua, sive scripto hoc faciat sive verbo, aut partes inducit ad contractum, transactionem etc. faciendam, in iudicio tamen parti non assistit praesens ipse, proprie postulare non dicitur, cum postulare hic sit idem quod advocare, advocare autem non dicitur, qui in iudicio non assistit; unde qui ex lege, statuto, aut pacto prohibentur advocare, consilium tamen scripto, vel verbo gratis, vel pro mercede etc. extraiudicialiter dare non prohibetur. Et quam-

vis advocatorum, et procuratorum nomen saepius a vulgo confundatur, magna tamen inter utrosque est differentia; advocatus enim proprie loquendo est, qui pro altero in iudicio praesente, causam illius agit, patrocinium ac defensionem praestat; procurator vero absentis litem prosequitur: tenetur etiam procurator nomine mandati, si cum parte colludat; advocatus vero non ex mandato conveniri potest, si rem male agat, sed de praevaricatione: procurator post litis contestationem fit dominus litis, quoad illam instantiam, non autem advocatus: advocati officium nobile est, publicum, honorificum, multis gaudens privilegiis; procuratoris vero officium vile est, ac onerosum, etc.

Dare autem debet partibus litigantibus advocatos, qui eorum patrocinium suscipiant, iudex, coram quo litigatur, si tales advocati a partibus petantur, vel etiamsi non petant partes, miserabiles tamen sint, quae facile a contraria parte opprimi possint, ita ut salarium ex publico etiam advocato numerandum sit, si cliens pauper sit, prout de his omnibus statuunt etiam iura civilia.

§. II. *De iis, qui suo, vel alieno nomine postulare possunt, vel non possunt.*

Edicto iuris postulare prohibentur, qui minores sunt 17. annis ob iudicii infirmitatem; surdus, qui omnino non audit; et plures alii de iure civili in certis aliquibus causis postulare prohibentur, de quibus Civilistae. De iure canonico clerici in maioribus constituti, vel etiam in minoribus constituti, beneficiati tamen, non possunt esse advocati ad lites, *c. 1. et 3. h. t.* et in causis saecularibus coram iudice saeculari, nisi vel propriam suam causam, vel ecclesiae suae prosequantur, vel miserabiles personas defendant: quia prohibetur universim clericis his ob dignitatem status, vel quod ab ecclesia sufficientem sustentationem habeant, immiscere se negotiis saecularibus, et nocere non debeat sacerdos, cuius est omnibus prodesse. Et hinc quamvis non sacerdotes clerici possint esse in causis etiam saecularibus coram iudice ecclesiastico advocati, prout ex *relat. c. 1.* a contrario sensu colligitur, et in causis ecclesiasticis coram iudice etiam saeculari; sacerdotes tamen neque in tribunali ecclesiastico advocatos agere possunt, nisi suam, vel ecclesiae suae causam agant, vel necessitas aliud exigat in casu coniunctarum, vel miserabilium personarum, vel ipsius clerici sacerdotis, nullam aliunde sustentationem habentis. Quod ipsum monachis etiam, et aliis religiosis prohibitum est, ut patet ex *c. Exp. 2. h. t.* nisi utilitas monasterii, et superioris mandatum sive licentia aliud iubeant.

§. III. *De officio, et obligatione Advocati, et effectu postulationis.*

Officium advocati est, ut merita causae pandat, sive ut omnia, quae ad causam clientis sui, sive de iure, sive de facto faciunt, in iudicio proponat, et ambigua facta, seu fines eorum dirimat; ab iniuria, probris, et conviciis abstineat; lites ex industria non protrahat; nullam falsam legem, instrumenta, testes etc. pro veris alleget; nec suscipiat causam iniustam defendendam; nec dilationes non necessarias petat, etc. quae omnia, et plura

alia ex diversis iuribus probant civilistae, et theologi, qui videri possunt, apud quos etiam videre est, quid agere debeat advocatus, qui bona fide putans causam esse iustam, a principio in se suscepit, si lite durante iniusta postmodum appareat illi; et quando ad restitutionem aliquam faciendam teneatur advocatus, si causam prodidit, aut ob inscitiam perdidit, et quem effectum, aut quam poenam secum trahat contra interdictam postulationem advocare.

TITULUS XXXVIII.

DE PROCURATORIBUS.

§. I. *Quis sit procurator, et quotuplex?*

Procurator proprie dicitur, qui aliena negotia (tam iudicialia, quam extraiudicialia) mandato domini administrat, (per quod distinguitur a negotiorum gestore, qui sine mandato aliena negotia agit, et ut distinguatur a tutore, curatore, etc. qui non mandato domini, sed publicae legis, aut magistratus, vel testatoris voluntate administrant) ita ut tam pro reo, quam pro actore procurator intervenire possit (quamvis qui pro reo intervenit, magis proprie defensor dicatur) modo mandatum domini habeat ad causae, aut negotii ipsi commissi administrationem. Sunt quidem aliqui, qui in definitione dicant *gratuito administrat*, quia procuratoris officium gratuitum est *l. Litem*, 15. *cod. h. t.* hodie tamen etiam pro certo salario procuratores constituuntur.

Est autem procurator alius universalis, sive generalis, qui omnium negotiorum speciali mandato non indigentium, administrationem dicto modo habet. Alius specialis est, cui certam aliquam litem, negotium, aut rem administrandam commisit dominus: ille nonnunquam constituitur adiecta clausula, *cum libera*, hoc est cum plena potestate agendi omnia, prout dominus potest, praeterquam quod donare non possit: alius deinde procurator dicitur constitui in rem alienam, non tantum ut aliena negotia ex mandato domini agat, sed ut omnis utilitas negotii gesti alii etiam cedat: alius dicitur constitui in rem suam, ad aliena quidem negotia agenda, ita tamen, ut ipsi procuratori cedat utilitas negotii gesti, quod fit, quando dominus procuratori suo cessit, aut vendidit iura sua, et actiones, quo in casu actiones directe contra debitores semper manent penes cedentem, cuius ossibus, ut iura loquuntur, inhaerent, utiles vero actiones transeunt in cessionarium, etc. alius denique procurator constituitur ad lites, et iudicia, et iudicialis dicitur: alius ad alia negotia extraiudicialia administranda, et extraiudicialis dicitur, qui in quibus differant, vide apud auctorem Methodi hic.

§. II. *De iis, qui possunt constituere procuratorum, vel non possunt.*

Primo dubitatur de Universitate, an procuratorem etiam ad causas in iudicio agendas possit constituere. *Respondetur* ex *c. Quia in causis*, 7. *h. t.* patere, quod tam ad agendum, quam ad defendendum constituere possit procuratorem (quem iura civilia actorem partis sive syndicum vocandum putant) quia Universitas tanquam persona ficta loco domini habetur, ita tamen ut

procurator ab ea constitutus de calumnia iurare debeat, etiamsi speciale mandatum de hoc non habeat, quod absque speciali mandato non tenetur facere procurator a privato constitutus.

Secundo dubitatur, an excommunicatus possit constituere procuratorem ad agendum. *Resp. ex c. Consulti,* 15. *h. t.* colligi, quod sicut excommunicatus per se ipsum agere non potest in iudicio, ita nec possit per procuratorem, *iuxta Reg.* 67. *in* 6. si tamen a Communitate aliqua sit constitutus ad agendum procurator, cuius aliqui quamvis maiores sint illius communitatis, seu senatores, et regentes, sunt excommunicati, non erit invalida talis constitutio, nisi excommunicati in literis procuratoriis fuerint expressi, vel nisi excommunicatorum tantum auctoritate fuisset haec procuratoris constitutio facta, vel nisi ipsa communitas sciens illos esse excommunicatos, hos admiserit ad una secum procuratorem constituendum; quamvis enim actus Communitatis collegialiter facti non vitientur ex eo, quod eorum aliqui sint inhabiles, cum hi in tali casu censeantur esse ab illa Universitate pro tunc, quo tempore inhabiles sunt, exclusi, si tamen in mandato procuratorio ipsi excommunicati expressi sint, vel aliunde appareat, quod eorum auctoritate procurator constituatur, nulla erit haec constitutio, cum in tali casu satis appareat, quod inhabiles ad procuratorem constituendum suam auctoritatem interponant, qualiter invalida etiam est procuratoris constitutio, si Communitas sciens maiores suos, aut consules, esse excommunicatos, ad constituendum tamen procuratorem admittunt, in poenam scilicet temerariae huius admissionis, et quod satis ostendant, nolle se sine his procuratorem constituere.

Tertio dubitatur, an regulares procuratorem constituere possint. *Resp.* primo praelatos ecclesiasticos regulares ad illas causas, quas per se agere soli possunt, tam in iudicio, quam extra sine consensu Capituli, posse etiam procuratorem sine consensu capituli, tam iudicialem, quam extraiudicialem constituere, non quidem ad omnia negotia in genere, quod sine consensu capituli facere non possunt, sed ad aliqua minus ardua negotia. Circa haec monasterii negotia capitulum non potest constituere procuratorem, cum praelato, non capitulo administratio talium bonorum de iure concedatur, nisi capitulum sua peculiaria bona ad suam administrationem spectantia habeat. Religiosus vero privatus procuratorem nec constituere, nec substituere potest sine licentia sui superioris, uti habetur *in Clement. Religiosus,* 3. *h. t.* nisi casus talis aliquis sit, in quo sine licentia superioris sui per se in iudicio agere potest.

Quarto dubitatur, utrum teneatur quis dare procuratorem, qui ad iudicem citatus per se comparere non potest? *Respondetur* ex *c. Quaerelam*, 2. *h. t.* si iustum non veniendi impedimentum habeat, gravem v. gr. infirmitatem, causa tamen gravis, et ardua sit, non tenetur constituere procuratorem, nisi impedimentum perpetuum, aut diuturnum sit, et causa differri non possit, quamvis enim cum suo damno cogi non debeat ad mittendum procuratorem citatus, neque tamen etiam huic cum alterius praeiudicio subveniri debet; ex quo capitulo a contrario sensu etiam inferri potest, si vel causa gravis, et ardua non sit, neque iusta causa citatum impediat, quo-

minus comparere possit, debere eum vel per se, vel per procuratorem comparere.

§. III. *Quinam possint dari procuratores, vel non?*

Ex *c.* 1. *h. t. in* 6. habetur, quod regulariter quilibet procurator dari possit, et idoneus reputetur, ita ut laicus etiam non quidem ad eligendum, qui actus capitularis est, nec ad iudicandum, ubi requiritur iurisdictio, sed ad agendum, et defendendum in iudicio etiam in causis spiritualibus possit procurator constitui (cum in hoc casu solum, et nudum ministerium exerceat alterius nomine laicus, absque eo ut ius aliquod illi competat, aut titulus,) et filius familias etiam tam extraiudicialis, quam iudicialis procurator invito etiam patre constitui possit, prout etiam habetur *in c. Qui generaliter*, 5. §. *Nec dum, h. t. in* 6. Prohibentur tamen procuratores dari ad iudicia, qui sunt minores 25. annis, ut patet ex modo cit. *c. Qui generaliter.* Sed nec clerici in maioribus constituti praesertim sacerdotes procuratores dari possunt, nisi in causis suorum episcoporum, aut ecclesiarum *c. In nostra*, 4. *h. t.* religiosi vero, ut procuratores ad lites constitui possint in casibus suo monasterio utilibus, superioris sui licentia indigent, *Clement. Religiosus*, 3. *h. t. iuncta glossa, v. Licentia*, nisi pro consorte suo in eadem lite agant, et nisi praelati sint monasteriorum. Excommunicati autem prohibentur de iure canonico esse procuratores *in c. Intelleximus*, 7. *de iudic. c. Decernimus*, 8. *de sententia excommun. in* 6. *c. Post cessionem*, 6. *de probat.* praeter quos plures adhuc alii excluduntur de iure civili, ut procuratores constitui non possint. Vide auctorem Methodi hic.

§. IV. *De causis, in quibus constitui potest procurator, vel non potest.*

In omnibus causis, et negotiis adhiberi potest procurator, in quibus id non reperitur expresse prohibitum. Prohibentur autem constitui procuratores in causis criminalibus, ubi de poena capitali, vel alia corporali, quae maior est relegatione, pro crimine imponenda agitur, sive ad defendendum reum absentem, sive ad accusandum constituatur, ne per absentiam rei condemnati, aut accusatoris ad poenam talionis de iure se inscribentis iudicia reddantur elusoria, *c. Veniens*, 15. *de accusat. iuncta gloss. v. Criminali*, nisi de crimine non agatur criminaliter ad poenam legalem, et publicam, sed civiliter tantum ad poenam pecuniariam, v. gr. aut aliam similem, *c. Tuae*, 5. *h. t.* Et procurator non tam ad defendendum reum, sed ad exceptiones aliquas dilatorias adhibeatur, aut causam absentiae excusandam.

§. V. *De forma, seu modo constituendi procuratorem.*

Procurator constitui potest non tantum praesens, sed etiam absens, modo consentiat (tacite vel expresse) seu ratam habeat constitutionem talem (uti sumitur *ex Clement.* 1. *h. t.* et probat ratio, quod sicuti nemo regulariter procuratorem constituere cogitur, ita multo minus nemo cogi potest, ad officium procuratoris acceptandum, *c. Licet*, 7. *h. t. in* 6.) et constitui potest non tantum unus, sed plures etiam super eadem causa ex lite constitui pos-

sunt, vel simul eodem tempore, vel diversis temporibus, vel in solidum, ita ut singuli seorsim sine aliis litem prosequi possint, vel simpliciter; sicuti autem si plures in solidum constituti sunt procuratores, datur praeventioni locus, ita ut qui prius agere coeperit, et per litis contestationem causam prius occupaverit, praeferendus sit aliis, nisi posterior in solidum diverso tempore constitutus prioris constitutionem tacite revocet, uti habetur *in c. Non iniuste*, 14. *h. t.* Sic si plures simpliciter constituti sint, non debet unus sine altero admitti, uti statutum est *in c. Si duo*, 6. *h. t. in* 6.

§. VI. *De mandato procuratoris, et satisdatione procuratoris.*

Procuratorem ad litigandum non admitti in iudicio sine mandato legitimo, a domino seu principali habito, quod iudici exhibeat, fidem de eo faciens, *ex c. Alia*, 1. *h. t.* patet. Nisi procuratores tales, nullum mandatum habentes, personae essent intra quartum gradum v. gr. coniunctae, et pro personis taliter coniunctis agant, ac nullo speciali mandato egeant, (quo in casu cavere tamen debent, quod principalis ratum sit habiturus, quidquid illius nomine egerint) aut consortes eiusdem litis essent, ut habetur *in l.* 2. *c. De consort. eiusdem litis*, ita ut in casu, quo sive a reo, sive ab actore datur non habens sufficiens mandatum (ad agendum v. gr. tantum si a reo datus sit, non autem ad defendendum) procurator habet, perinde censeri debeat, ac si nullius datus fuisset, cum paria sint, aliquid non fieri, aut eo modo fieri, quo fieri non potest, *l.* 1. §. *Quod si nemo, iuncta gloss. v. Aut inhabilis. ff. Quod cuiuscunque universit. nomine etc.* et taliter qui dedit procuratorem, puniri possit in expensas, *c. Constitutis*, 12. *h. t.* Et hinc ut legitimum instrumentum sit procuratorium, debet continere nomen constituentis procuratorem, et constituti procuratoris, item contra quem, et in qua causa, coram quo, ad quos actus (puta ad agendum vel defendendum procurator constituatur, et quod ratum sit habiturus dominus seu principalis, quidquid ille egerit. Inserendus etiam est annus, et dies factae constitutionis, et observanda etiam alia, quae curia illa, pro qua procurator constituitur, observari vult, ac probandum tale mandatum per alia instrumenta, vel per testes, vel denique praesumptionem ex coniunctione sanguinis, etc. Et quamvis actoris procurator, si de mandato legitimo constet, non teneatur de ratihabitione domini aut principalis cavere, cum ratihabitio necessaria non sit, quando certum est mandatum *l. unica Cod. de satisdando.* Rei tamen procurator, quamvis de legitimo illius mandato constet, non admittitur sine satisdatione de iudicato solvendo, nisi dominus iste satisdationem praestiterit, neque enim adversario satis cautum esset de executione, si neque a domino, neque a procuratore eiusmodi satisdatio praestaretur. Hodie tamen circa haec omnia consuetudo potius recepta, et praxis curiarum, etc. attendenda est.

§. VII. *De officio, et potestate procuratoris.*

In genere dici potest, quod officium procuratoris non nisi ad ea se extendat, quae in mandato procuratorio eidem iniungnntur, cum iuxta *l. Diligenter ff. Mandati*, fines mandati diligenter custodiendi sint.

In specie vero primo dici debet, quod procurator ad agendum constitutus etiam censeatur ad respondendum, seu defendendum actorem (saltem in consequentiam) si a reo reconveniatur, prout sumitur *ex. c. Accedens*, 10. *h. t.* Secundo procurator generaliter constitutus ad negotia (non addito *iudicialia*, *et extraiudicialia*) censetur etiam constitutus ad iudicia tam petitoria, quam possessoria (exceptis casibus qui speciale mandatum requirunt) uti habetur *in c. Generaliter*, 5. *h. t. in* 6. non tamen censetur procurator generaliter constitutus, constitutus etiam ad causas criminales, si criminaliter de his agatur. Tertio constitutus generaliter procurator nihil eorum agere potest, quae speciale mandatum requirunt, quamvis cum clausula constitutus sit, ut omnia expedire possit, etiamsi speciale mandatum exigant (cum etiam haec forma adhuc nimium generalis sit, ad ea, quae specialiter, et nominatim exprimenda sunt) nisi in procuratorio mandato unus vel plures articuli expressi essent (per modum permissionis, non tantum exceptionis) qui speciale mandatum requirunt, et adiecta sit clausula generalis, ad omnia speciale mandatum requirentia se extendens; hoc enim in casu admitti debet procurator taliter constitutus etiam ad alia speciale mandatum requirentia, modo non sint maiora, et graviora expressis; uti habetur *in c. Qui ad agendum*, 4. *h. t. in* 6. Ex quo ipso capitulo etiam habetur, quod procurator generaliter constitutus absque speciali mandato non possit iuramentum deferre parti adversae ad litis decisionem, nec possit transigere, aut pacisci, nec compromittere in arbitrium, etc. nisi causae, aut bonorum libera illi administratio sit concessa. Quarto ad officium procuratoris etiam spectat, appellare, ut constat *ex c. Iniuste*, 1. *h. t.* non tamen cogitur, appellationem prosequi invitus, cum per appellationem interpositam satis consultum sit domino, ut sententia illi non transeat in rem iudicatam; prosequi autem appellationem, sit alia instantia, ad quam constitutus non fuit procurator, nisi in genere fuisset constitutus ad omnes lites, aut appellatio tantum facta esset a sententia interlocutoria (in his enim casibus tenetur prosequi etiam appellationem, eo quod mandatum ad omnes se lites extendat, et per sententiam interlocutoriam non finiatur prima instantia, ad quam constitutus fuit procurator). Quinto *ex c. Non indiscrete*, 1. §. *Licet*, *et* §. *Procurator h. t. in* 6. patet, quomodo substituere possit suo loco procurator alium procuratorem. Regulariter scil. illud non licere, nisi post litem a procuratore contestatam, per quam sit procurator dominus litis, non autem ante litis contestationem, nisi in rem suam procurator datus sit, seu in proprium commodum, aut a domino expressam accepisset potestatem, etiam ante litem contestatam substituendi alium, vel tantum ad extraiudicialia negotia constitutus esset, quo in casu sine speciali mandato domini ad unum, aut alterum casum, vel articulum, qui speciali mandato non indiget, aut ad quem expediendum non fuit electa industria personae, procurator alium substituere potest.

§. VIII. *An, et qua ratione factum, vel omissio procuratoris noceat domino, seu principali; et quinam alii sint effectus mandati procuratoris.*

Si procurator omisit aliquid, quod ex legis, vel iudicis praecepto dominus ipse facere debuisset, hic vero procuratori suo faciendum commisit,

nocet tale omissum domino, nisi casus fortuitus procuratorem impedivisset a tali re, sibi a principali demandata, facienda.

Quod si vero lex aut iudex ipsi procuratori faciendum aliquid demandasset, et hic negligentia sua id omisisset, non domino haec omissio nocet, *c. 1. Ut lite non contestata, etc.* nisi sciat dominus, et tolleret negligentiam, aut contumaciam procuratoris; in tali enim casu tacite consentire videtur. Si autem certum non sit, omissionem procuratoris cadere in delictum, et poenam mereri, praeiudicabit domino talis omissio, qui sibi imputare debet, quod imperitum, et negligentem procuratorem constituerit; quae vero a procuratore positive fiunt, et illicite, poenae obnoxia, non praeiudicant domino, nisi speciale mandatum ad illa facienda habuisset procurator, vel rem ab hoc illicite factam, ratam postmodum habuisset dominus aut principalis, cum delicta suos debeant tenere auctores. Confessio tamen procuratoris post litem contestatam in iudicio facta, ordinarie domino praeiudicat (uti constat *ex c. Suborta*, 24. *iuncta gloss. v. Per confessionem. De sentent. et re iudicat.*) nisi dominus illam revocet, et ostendat errorem. Alios plures effectus mandati procuratorii vide apud auctorem hic, vel apud civilistas.

§. IX. *An, et quomodo officium, ac potestas procuratoris ad iudicia dati finiatur per revocationem eiusdem a domino factam?*

Quod procurator ad lites ante litem contestatam libere revocari possit (modo nullum exinde praeiudicium incurrat revocatus procurator) non autem post litem contestatam, expresse statutum habetur *in c. Quamvis*, 2. *h. t. in* 6. cum enim per litis contestationem fiat huius instantiae dominus, consequenter ipsius interest, non revocari saltem nolens, nisi causa aliqua intervenerit ex illis, quae in *relato c.* referuntur, et probata fuerit. Neque tamen hoc ipso procuratorem revocare quis censetur, si generaliter constitutus sit, quod ipse dominus causam agere velit, prout habetur statutum *in c. Siquidem*, 8. *h. t. in* 6. cum per hoc quod procuratorem in genere constituerit dominus, ius sua agendi per se non amiserit, neque alteri auferre velit, si fortassis ipse absit, aut agere aliter non possit. Debet autem revocatio procuratori, ut valida sit, et sententia contra illum lata in praeiudicium domini nulla sit, fieri saltem coram testibus, ut probari possit et pervenisse ex voluntate principalis ad notitiam procuratoris revocati, uti sumitur *ex c. Insinuatione*, 3. *h. t.* ac partis adversariae, uti sumitur *ex c. In nostra*, 4. *h. t.* (cuius interest, ne revocetur procurator), aut iudicis, uti sumitur *ex c. Mandato*, 13. *h. t.;* non tamen tenet revocatio procuratoris, quae fit in contemptum iudicis, praesertim sedis apostolicae, et in praeiudicium adversarii, prout sumitur *ex c. Auditis*, 8. *h. t.* et revocans in expensas condemnari potest ab adversario factas, a tempore revocati procuratoris, si revocatio facta fuit, postquam in causa conclusum est (ob contumaciam scilicet partis litigantis, quae nec per se, nec per procuratorem in iudicio vult comparere)]; neque potest substitutum procurator, qui substituendi potestatem a domino habet, revocare post mandatum procuratorium substitutionis ab eo acceptum, quamvis hoc usus nondum fuerit (cum a domino non revocandi, sed substituendi concessa sit illi licentia), nisi post litem contesta-

tam substituerit, quo in casu revocare poterit substitutum (causa tamen cognita) pro iure suo sibi, ut domino litis, non quidem, a domino, sed a legibus concesso.

§. X. *De revocatione Procuratoris ad negotia, et aliis modis, quibus finitur officium procuratoris sive ad negotia sive ad iudicia dati.*

Etiam procurator ad negotia extraiudicialia, a domino constitutus ab hoc revocari potest, libere quidem, et pro arbitrio constituentis, si res adhuc sit integra, quamvis sit sub iuramento de non revocando constitutus; ex iusta vero causa, si res integra non sit amplius, ne mandatarius talis damno afficiatur. Suum autem effectum revocatio haec procuratoris ad negotia extraiudicialia generaliter constituti habet, ubi notitia illius ad hunc devenerit, et intimata haec fuerit, ita ut, quae a revacato, sed ignorante suam revocationem acta fuerunt, ordinarie valida sint, non tamen, quae ab eo post cognitam suam revocationem acta fuerunt, *l. Si mandasset,* 15. *ff. Mandati.* Si vero ad speciale aliquod negotium cum certa persona peragendum constitutus fuit, ordinarie necessarium est, ad validam huius revocationem, hanc non tantum procuratori intimatam fuisse, et innotuisse, sed debet etiam parti, cum qua v. gr. contrahendum erat, intimari, cum huius vel maxime intersit, scire procuratoris constitutionem, aut revocationem.

Finitur autem officium procuratoris, etiam primo, mutuo constituentis scilicet, et constituti consensu, iuxta regulam iuris, qua dicitur, eodem modo dissolvi aliqnid, quo colligatum est. Secundo finitur finita instantia per sententiam definitivam, ad quam constitutus est, cum non sit gravandus ultra, quam in se suscepit. Tertio finitur per mortem domini constituentis, si res adhuc integra sit, nisi caverit iam de iudicato solvendo dominus, seu principalis, iuxta §. *Si vero aliquis. Instit. de satisdatione.* Quin immo etiamsi res integra iam non sit, exspirat tamen officium procuratoris ad lites vel negotia pro ecclesia constituti, si naturaliter, vel civiliter mortuus sit ecclesiae illius praelatus, qui procuratorem constituit, iuxta *Clement. ult. h. t. iuncta gloss. v. Revocari;* quia extincta principalis potestate, quae non transit ad successorem, extinguitur etiam substituti potestas, ne praeiudicium patiatur capitulum, ad quod iurisdictio devolvitur, nisi fortasse cum huius etiam consensu a praelato procurator constitutus fuisset ad negotia, quae etiam capitulum, vacante sede, agere potest. Quarto denique exspirat officium procuratoris per huius mortem, cum electa sit industria personae ad haeredes non transiens.

TITULUS XXXIX.

DE SYNDICO.

Syndicus differt a procuratore, quod hic a quocunque privato constitui, et in causa privata, possit, ille vero ab Universitate tantum, vel communitatis alicuius administratoribus, uti sunt episcopi, capitula, praelati monasteriorum, etc. et quidem ad causas publicas; et hinc officium illius privatum dicitur, quod invitis imponi non potest, huius vero publicum,

quod invitus nonnunquam suscipere quis cogitur, etc. Constituitur autem syndicus ab illis ex communitate aliqua, qui ius suffragii habent, modo duae illorum, qui volunt, possunt, et debent interesse, partes sint praesentes, et maior pars praesentium consentiat; etsi bona ac iura, super quibus syndicus constituitur, communiter ad praelatum ecclesiae v. gr. et collegium talis ecclesiae pertineant. Ad constitutionem syndici requiritur ipsius etiam praelati consensus: potest tamen solus etiam praelatus syndicum a se, et capitulo constitutum revocare in causis, in quibus solus in iudicio v. gr. agere potest. Et quamvis non necessario ex gremio universitatis syndicus constitui debeat, sed possit etiam esse extraneus, potest tamen in syndicum deligi ipse etiam universitatis talis rector, et non tantum unus, sed plures etiam deligi possunt; conveniens tamen non est, ut religiosi syndici suorum monasteriorum constituantur, cum a rebus forensibus abstrahi debeant (quamvis absolute hoc cum licentia praelati fieri possit) sed extraneum aliquem etiam laicum constituendum, cui omnes causae in iudicio tractandae, assignato salario, committantur, pontifex putat *in c. Sicut h. t.*

TITULUS XL.

DE IIS, QUAE VI, METUSVE CAUSA FIUNT.

§. I. *Quid sit vis, quid metus, et quotuplex?*

Vis est maioris rei impetus, qui repelli non potest; metus vero instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio, prout utrumque definiunt civilistae, qui fatentur etiam cum theologis, et canonistis, eam inter utrumque esse differentiam, ut vis absoluta, et simpliciter dicta, tollat omne voluntarium, metus autem, actum quidem ex metu factum reddat secundum quid involuntarium, non autem simpliciter tollat voluntarium. Unde actus ex metu facti absolute voluntarii dicuntur, ut patet etiam *ex c. Sacris, 5. h. t.* De quo metu sciendum adhuc est, quod metus alius gravis dicitur, seu cadens in constantem virum, quia est magni mali alicuius praesentis, vel futuri formido, (sive deinde stricte gravis ille sit, sive respective tantum) alius levis, et vanus, quem facile contemnunt omnes. Alius probabilis, et iustus, quem leges approbant, alius nec probabilis, nec iustus. Ex illo genere sunt metus mortis corporalis; metus atrocis cruciatus corporis, aut membri abscindendi; metus amittendi libertatem per captivitatem, et servitutem; metus gravium verberum, carceris aut exilii longi; metus stupri; metus amittendi honorifici status, vel iacturae omnium bonorum temporalium, aut maioris partis; metus infamiae iuris, vel facti; metus excommunicationis iniustae, etc. sive deinde hoc sibi metuat metum passus, sive suis parentibus, liberis, uxori, et secundum aliquos, si fratri aut sorori ea metuat, vel alii arctissime coniuncto, cum horum mala, nostra putemus. Quin etiam metus reverentialis filii erga patrem, subditi erga dominum, uxoris erga maritum, si coniunctae illi sint minae, verbera, maltractatio, vel preces importunae, et saepius repetitae, etc. ad gravem metum ab aliquibus pertinere censetur, praesertim, si minas tales exequi solitus sit, qui minatur.

§. II. *An per vim, seu coactionem absolutam contractus, aliique actus vitientur; et quomodo probanda sit violentia, et amissa per illam?*

Talia per vim absolutam, et iniustam extorta ipso iure et facto nulla esse, certa est omnium sententia, et satis eam probat, quod nullo modo talia gesta vim absolutam passo voluntaria sint, praesertim si exterius etiam, quantum potest, resistat. Probari autem debet violentia illata, si de hac non constet, per testes, vel indicia violentam praesumptionem inferentia, ita ut non sufficiat solum iuramentum conquerentis, iuxta receptam *glossam in c. final. h. t. v. Patefactae.* Quia delicta liquida probari debent. Si vero de rebus per violentiam ablatis non constet, et de eorum quantitate, ac iusti materia dubitatur, potest haec probari per iuramentum laesae partis, ita tamen, ut prius praecedere debeat taxatio iudicis, audito laeso, cui postmodum iuramentum deferatur, quo iuret, tantum sibi damnum, et non minus illatum fuisse, ad quod compensandum condemnetur reus.

§. III. *An, et quomodo metus vitiet contractus, aliosque actus etiam iuramento confirmatos?*

Pleraque acta, et gesta, quorum metus gravis, et iniuste ab extrinseco ad extorquendum actum talem incussus, causa fuit, ipso iure tam naturae quam positivo sunt valida; rescindi tamen possunt, et debent per actionem, quod metus causa, sive per restitutionem in integrum. Ita communissima theologorum, canonistarum, et legistarum sententia, et eo satis probatur, quod metus talis non tollat simpliciter voluntarium, ne cogamur dicere etiam ea, quae a metu intrinseco, aut a metu iuste incusso proveniunt, nulla esse, quod nemo dixerit, cui sententiae *c. Abbas*, 2. *h. t.* et plurima alia iura suffragantur; et quamvis in contrarium pro nullitate taliter gestorum multa etiam tam iura, quam argumenta afferantur, ea tamen valde specialibus tantum casibus intelligenda sunt; vel volunt tantum, efficacia non esse talia metu extorta, cum rescindi possint; vel de illis casibus tantum intelligi debent, ubi dolus intervenit; vel volunt tantum, quod actio detur ad rescindendum contractum v. gr. metum passo, etc. quod si tamen talis contractus metu gravi extortus iuramento confirmatus sit, servari ille debebit, si sine dispendio aeternae salutis servari possit, prout accipitur *ex c. Ad aures*, 3. *et c. Cum dilectus*, 6. *h. t.* absque spe relaxationis facile obtinendae, nisi hoc ipsum iuramentum gravi metu extortum fuerit, quo in casu non tantum facilis relaxatio a iudice ecclesiastico obtinebitur, si petatur, sed ipse iudex ex officio iuramentum tale remittere debet, et rescindere postmodum contractum, etc. Ita tamen, ut semper etiam talia metu extorta iuramenta, si servari debeant, strictae sint explicationis.

§. IV. *Quinam contractus, aliive actus metu gravi facti, sint ipso iure irriti?*

Dictum est priore §. pleraque tali gravi metu gesta, ipso iure valida esse, rescindi tamen posse. Sunt enim aliqua, quae ipso etiam iure positivo irrita sunt, si gravi metu extorta fuerunt, ita ut nulla rescissione indi-

geant. Et primo quidem ipso iure irritum, et nullum est matrimonium in utroque foro, si per metum gravem, cadentem in constantem virum, iniuste ad extorquendum consensum matrimonialem incussum, contractum fuit *c.* 14. *et* 15. *De sponsali*, ita ut nec per iuramentum additum vim aliquam habeat, *c.* 2. *De eo, qui duxit, etc.* cum iuramentum supplere non possit defectum liberi consensus ad substantiam matrimonii requisiti. Secundo nulla est professio religiosa, tali metu ad extorquendam eam iniuste incusso, emissa, *c. ult. Qui clerici, vel monachi, etc. et c.* 1. *h. t.* (ob defectum scilicet consensus plane liberi, cum de hoc matrimonio spirituali idem dicendum sit, quod de matrimonio carnali) nisi postmodum cessante metu, sponte, expresse, vel tacite fuerit ea ratificata; qui metus tamen non praesumitur cessare, quamdiu vixerit ille, qui metum talem incusserit, et neque talem metum passa persona statim professionem suam censetur ratificare, si quam primum rescit, mortuum esse, qui metum incussit, et non statim reclamat, sed consideratis variis circumstantiis tacita ratihabitio aestimari debet, vel observari Tridentini constitutio, quinquennium, ad causas nullitatis professionis deducendas, concedentis; de qua suo loco. Tertio ponunt multi inter actus de iure ecclesiastico nullos quodlibet votum simplex, si ad extorquendum tale votum metus gravis ab extrinseco iniuste incussus fuit, prout colligunt *ex c.* 1. *h. t. et glossa docet in c.* 2. *v. Coactus h. t.* Cum enim votum sit opus consilii, et non praecepti, et perpetuitatem aliquam habeat, videtur non minus plenam libertatem requirere, quam religiosa professio. Quarto contractus dotis promissae vel solutae ex simili metu, ipso iure, seu facto redditur irritus, *leg. Si mulier,* 21. §. *Si dos, ff. h. t. iuncta gloss. v. Ullam omnes*, ut ea scilicet quae matrimonio adiuncta sunt, sint omnino libera, sicuti matrimonium liberum esse debet. Quinto promissio, vel traditio rerum ecclesiae facta ex metu gravi, ipso iure invalida est. *Can.* 1. *causa* 15. *quaest.* 6. *iuncta glossa, v. Per metum;* quod idem de iuramento per metum extorto super ecclesiae rebus non repetendis, *in c.* 2. *De iureiurand.* Si enim defectus solemnitatum facit nullam rerum ecclesiae alienationem, multo magis metus. Sexto nulla est de iure positivo ecclesiastico absolutio a censura per talem metum ab ecclesiastico iudice extorta, et qui ita extorquet, ipso facto excommunicationem incurrit, uti habetur *in c. unico h. t. in* 6. ad cavendum scilicet omnimodae libertati ecclesiasticae. Plures adhuc casus referuntur ab auctore Methodi, quos ex metu factos volunt aliqui esse nullos, quia tamen hos non esse extra controversiam ipse fatetur, rectius videntur omitti posse hic, ne longiori disputationi occasio detur: videri tamen possunt apud auctorem hic:

§. V. *De conditionibus requisitis, ut ex causa metus, contractus vel alius actus rescindatur, vel etiam ipso iure irritus reddatur; et de actione, et de exceptione, quae datur metum passo.*

Ut rescindantur, vel irrita sint, quae metu extorta sunt, plures requiruntur conditiones. Prima conditio est, ut metus saltem respective sit gravis, ut dictum; neque enim ex quolibet metu levi haec rescissio concedi deberet, ne nimium multiplicentur lites, quod bono publico non conducit.

Secunda est, ut metus illatus sit ab extrinseca causa libera libere agente: ne, qui metus a causis naturalibus oritur, a naufragio v. gr., a periculis bestiarum etc. morborum, etc. et ab intrinseco incussus dicitur, dicatur irritum actum aut votum in tali metu conceptum facere, quod nemo asserit, cum nemini per talem metum iniuria fiat. Tertia est, ut iniuste metus ille illatus sit; qui enim iuste infertur metus, nullo modo invalidat actum ex tali metu factum, cum ille, qui metum talem patitur, causa sit huius metus, et sponte sua aliquid eligat ut medium ad metum talem evadendum. Quarta est, ut metus talis incutiatur directe ad extorquendum talem consensum aut contractum; in aliis enim casibus non tam ab alio, quam a se compellitur hic metum passus, ad matrimonium v. gr. contrahendum, aut religiosam professionem emittendam; sunt tamen aliqui, qui hanc conditionem necessariam non putant, sed sufficere volunt, ut aliis conditionibus praesentibus, per metum iniuste illatum consensus obtineatur, ut nullus hic sit, vel saltem rescindatur; in quocunque enim casu metus ille iniustus causa est consensus. Quinta denique conditio est, ut metum passus damnum aliquod inde habeat, restitutio enim in integrum, quae per rescissionem contractus v. gr. talis obtinetur, laesionem supponit; et ideo non tantum actio, quod metus causa, sive restitutio in integrum, datur metum passo, sed exceptio etiam, quod metus causa, ut qui per metum talem ad dandum aliquid, aut promittendum coactus fuit, repetere donatum possit, aut excipere contra eum, qui metu incusso promissionem obtinuit, non solvere teneatur.

TITULUS XLI.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

§. I. *Quid sit restitutio in integrum, et quae ad illam requirantur?*

Restituere in integrum aliud non est, in genere loquendo, quam in pristinum statum reponere laesum, in quo quis fuit ante laesionem. Ut autem concedatur alicui restitutio in integrum, qui in contractu aliquo, aut alio actu laesus fuit, debuit contractus sive actus ille fuisse validus; si enim invalidus ille fuit, non datur locus restitutioni in integrum, remedio extraordinario, quia tunc laesus ordinario remedio uti potest, ad nullitatem actus declarandam agendo. Secundo requiritur ad concedendam restitutionem, ut de laesione vel manifesto constet, vel ut ea in iudicio probetur a laeso, non quidem per iuramentum tantum, sed per testes, vel alia legitima documenta. Tertio requiritur, ut laesio sit gravis seu magna, saltem respective, et notabilis (de minimis enim seu modicis, ad cavendam litium multitudinem, non curat praetor, a quo beneficium hoc restitutionis habetur) non quidem ut laesio fuerit facta in dimidio iusti pretii, haec enim laesio ordinario remedio tuta est, quo rescinditur venditio v. gr. iuxta *l. 2. cod. De rescind. vendit.* et consequenter cessat remedium extraordinarium restitutionis in integrum, nisi etiam in tali casu plenius, et pinguius sit remedium extraordinarium.

§ II. *Quibus in specie conceditur restitutio in integrum?*

Beneficium hoc restitutionis in integrum conceditur primo aetate minoribus, id est, qui nondum 25. annum aetatis suae excesserunt, sive ma-

sculi hi sint, sive faemellae, quamvis consensu patris, tutoris, curatoris, et decreto iudicis contraxerint, etc. *c. Constitutus*, 8. *h. t.* non tantum si damnum passi sint, sed etiam ob lucrum cessans, quod consequi poterant, et ob sui facilitatem, aut imbecillitatem omiserunt. Secundo conceditur hoc beneficium pari modo ecclesiis, non tantum extructis iam, sed etiam extrui coeptis, quo minoribus, iuxta *c. Requisivit*, 1. *h. t.* (si in suis scilicet bonis laedatur, non item si in suis patrimonialibus laedatur tantum ecclesiae beneficiatus, cum ecclesiae privilegiis, minorum gaudeant), et non tantum ecclesiis, sed etiam omnibus aliis locis piis, collegiis clericorum, et religiosorum, hospitalibus, si auctoritate episcopi erecta, et fundata fuerunt; quia etiam confraternitatibus, seu congregationibus, quae ad pietatem, et religionis argumentum sunt instituta, iuxta *l. Omnia*, 24. *cod. de episcop. et cleric.* et potest etiam restitutionem in integrum petere collegium studiosorum, non quidem tanquam ecclesia, aut quod privilegiis piarum causarum gaudeat, sed quia in eo plerumque solent esse multi natu minores. Et hoc quidem beneficium restitutionis, quod ecclesiis, et talibus locis piis competit, pinguius est, quam id, quod competit minoribus, cum hi beneficium hoc petere possint, intra quadriennium a finitis minorum annis, ecclesia vero, quandocunque laesa fuerit, beneficium hoc petere possit. Conceditur hoc privilegium restitutionis rebus publicis, et communitatibus, quae bona communia habent, per administratores curari solita; et si iusta causa subesse videatur, etiam maiores, si graviter laesi sint, hoc beneficio nonnunquam uti possunt; illae enim communitates cum administratorum curae bona earum subsint, sicuti minorum bona curae curatoris etiam minorum privilegio quoad restitutionem in integrum gaudent: his vero maioribus restitutionis hoc privilegium se concessurum, si iusta causa videatur, promittit praetor, uti videre est *l.* 1. *ff. Ex quibus causis maior, etc.* ita tamen ut ad hanc restitutionem obtinendam non sufficiat, laesionem tantum fuisse probatam, sicuti sufficit ad restituendos minores, sed probari etiam debeat iusta causa.

§. III. *In quibus causis, seu casibus in specie concedatur restitutio in integrum minoribus, vel ecclesiae?*

In genere quidem dici potest, concedi hoc beneficium his, quandocunque graviter laesi sunt, in specie vero sunt in iure casus aliqui expressi, et primo quidem, si laesa fuit ecclesia, vel minor in contractu venditionis, quoad substantiam, quia non expediebat illis, contractum illum institui, quo in casu in totum rescindetur contractus officio iudicis, et dabitur actio laesis contra quemvis alienatae rei possessorem iuxta *l. In causa*, 13. §. *Interdum*, *ff. De minoribus.* Si vero tantum laesio fuit facta quoad pretium, contractus quidem non rescindetur, iustitia tamen pretii compleri debet, prout sumitur ex *l. Si res*, §. *Mulier*, *ff. De iure dot.* sic enim satis consulitur restituendorum commodo. Secundo restituuntur hi contra sententiam iudicis, si hoc propter negligentiam tutoris, curatoris, aut procuratoris, vel etiam praelati seu administratoris contra se lata sit (ut patet ex *l. Etiam in his*, 3. *cod. Si tutor, etc.* et ex *c. Veniens*, 2. *h. t.*) ita tamen ut pe-

nes ecclesiam optio sit, si per praelati aut alterius administratoris culpam laesa fuit, convenire ipsum praelatum vel administratorem, aut haeredes huius ad compensationem damni, vel in integrum restitutionem petere. Tertio conceditur restitutio in integrum ecclesiae, aut minori, si propter propriam negligentiam in iudicio laesa sit, omittendo v. gr. allegare, quae ad causam obtinendam alleganda fuerunt, prout habetur in *l. Minor*, 36. *ff. De minorib. et in c. Auditis*, 3. *h. t.* immo contra sententiam etiam a Papa, aut alio supremo principe latam, aut confirmatam conceditur restitutio in integrum, *c. Tum ex literis*, 5. *h. t.* (non quidem ab inferiore, sed ab ipso supremo principe concedendam) ita ut executio sententiae per restitutionem in integrum regulariter, et ordinarie suspendatur, *c. Suscitata*, 6. *h. t.* nisi contra petentem restitutionem adsit praesumptio, quod malitiose eam petat, ad impediendam executionem, et haec adversus rem iudicatam restitutio etiam maiori conceditur, si iusta causa probetur, prout sumitur ex *c. Ex literis*, 4. *h. t.* negata tamen semel in iudicio restitutio, quamvis ecclesiae aut minori facta sit, in alio iudicio non conceditur, (cum sententia lata transiverit in rem iudicatam) praeterquam ad instituendam appellationem, nisi novae defensiones emergant, quae novo indigent auxilio *c. Final. h. t.*

§. IV. *Qua ratione ecclesiis, vel minoribus laesis ob damnum illatum, aut lucrum cessans, succurratur per restitutionem in integrum, et an etiam minor vel ecclesia adversus alium minorem aut ecclesiam restituenda sit ?*

Minoribus, et ecclesiis subvenitur per beneficium restitutionis in integrum tam ratione damni illati, quam ratione lucri cessantis, si graviter laesa sint *c. Constitutus*, 8. *h. t.* saltem in hoc posteriore casu, si res adhuc integra sit. Sicuti autem minor contra minorem restituitur, ita ecclesia contra aliam ecclesiam, nisi par utriusque esset causa, ita ut uterque agat de damno vitando, in tali enim casu privilegiatus contra aeque privilegiatum suo privilegio uti non potest, sed res decidenda est iuxta ius commune. Si vero par non sit utriusque causa, sed una pars de damno vitando, altera de lucro acquirendo agit, potius succurri debet etiam per restitutionem in integrum illi parti, quae de damno agit, quam quae agit de lucro captando, quamvis utraque pars privilegiata sit.

§. V. *In quibus casibus restitutio in integrum minoribus non conceditur.*

Plures enumerant iura. Et primus quidem est, si maior factus expresse, vel tacite ratificavit id, quod in minore aetate gestum est, *l. 1. et 2. cod. Si maior factus, etc.* quia in tali casu ratihabitio habetur tanquam renuntiatio privilegii minori competentis. Secundus est, si maior dolose se simulavit minor, eo animo, ut ad contrahendum alterum inducat, cum huic sua fraus prodesse non debeat. Tertius est, si veniam aetatis a principe impetravit minor, et postmodum cum alio contrahat, *l. 1. cod. De his, qui veniam aetatis, etc.* quia fictione iuris maiores hi reputantur, quibus restitutio non conceditur. Quarto non restituitur minor adversus casum plene fortuitum, qui cuilibet etiam maiori, quamvis prudentissime agat contingere posset.

lib. Verum, 11. *c. Sciendum, ff. De minor.* cum in tali casu non ob defectum aetatis, quae meretur beneficium restitutionis, in ipso contractu laesus sit, sed ex alio casu postmodum fortuito superveniente. Quinto, Non restituitur, si minor quidem, pubes tamen, spontaneo iuramento contractum a se factum firmavit, iuxta *Auth. sacramenta puberum. cod. Si adversus vendit, etc.* nisi in contractu a minore facto, et iuramento confirmato iniustitia intervenisset. Neque tamen hoc dicendum etiam est de praelato ecclesiae, cum ecclesia laesa semper restituatur, etiamsi praelatus iuraverit, contractum se servaturum, neque rescissionem petiturum, aut admissurum, eo quod praelati iuramentum praeiudicare non possit ecclesiae *c. Sicut*, 27. *et c. Intellecto*, 33. *de iureiur.* sicuti potest minor iurando sibi praeiudicare. Sexto non restituitur minor in delictis, quae per dolum commisit. Et septimo non restituitur contra professionem religiosam, aut contra matrimonium, si ad eam ex falsa causa fuit inductus minor, cum hoc sit iuramentum perpetuum, illa non sit in damnum animae minoris, sed ad maius eius bonum.

§. VI. *Intra quod tempus peti debeat restitutio in integrum?*

Minor, si laesus sit, non tantum intra totum tempus minoris aetatis, sed hac aetate etiam expleta, vel a tempore, quo veniam aetatis impetravit, per totum quadriennium proximum petendae restitutionis huius habet licentiam *l. ultim. cod. De tempore in integr. restit.* Ecclesiae vero competit haec petendae restitutionis licentia, intra quadriennium a tempore laesionis (saltem cognitae) *c. Ecclesia*, 1. *h. t. in* 6. nisi rationabilis causa interveniat, quod intra quadriennium hoc agere non potuerit etc. quae iudicem merito movere possit, ad concedendam etiam post quadriennium petitam quocunque tempore restitutionem, ad maiores vero ob iustam causam restituendos, quadriennium hoc currere incipit a tempore iustae causae, vel impedimenti, quo minus agere potuerit, remoti. Est tamen hoc quadriennium, quibuscunque conceditur, continuum, ita ut continuo tam feriatis, quam non feriatis diebus currat, et ita tantum utile, ut iuste impedito non currat, tantumque postmodum quadriennio lapso adiici debeat, quantum temporis agere non potuit restituendus; quod impedimentum etiam probare debet restituendus (sicuti probare debet minor, quod contractus v. gr. contra quem petitur restitutio, minoris aetatis tempore celebratus sit) si post lapsum quadriennium hoc tempus sibi competere putet. In illo vero casu, ubi dubitatur, an tempus quadriennii sit transactum adversario, contra quem petitur restitutio, de lapso iam quadriennio incumbit probatio. Ecclesiae tamen quadriennium hoc non currit, quamdiu vivit praelatus, qui res ecclesiae male administrando fuit clausula laesionis, si proprium ipse factum retractare nolit, vel si contra iudicem, qui iniustam sententiam contra ecclesiam tulit, agere non audeat; quibus in casibus etiam post quadriennium lapsum conceditur ecclesiae restitutio in integrum. Immo potest etiam ecclesia contra lapsum temporis restitui, in quo se laesam affirmat, et probat, ita ut si neglexerit appellationem v. gr. intra decennium a lata sententia interponere, possit postmodum infra quadriennium a laesione petere restitutionem in integrum ad decennium, intra quod appellare possit.

§. VII. *Coram quo iudice petenda est restitutio in integrum, sive quis de ea cognoscere possit?*

Ordinarie loquendo, restitutio in integrum postulanda est a iudice illius, contra quem petitur (quia hic in tali casu reus habetur; ex communi autem regula, actor forum rei sequi debet) aut si nullum domicilium habeat, coram iudice loci illius, ubi contractus celebratus est, et modo reperitur, contra quem petitur restitutio. Si tamen ecclesia laesa sit, potest restitutionem petere etiam contra laicum, coram iudice proprio ecclesiastico, ratione specialis privilegii in favorem ecclesiae concessi, uti colligitur ex *c.* 1. *h. t. et c. penult. De rebus ecclesiae alienand.* Potest autem restituere in integrum non quilibet iudex, qui praecise simplicem iurisdictionem habet (nisi incidenter tantum coram eis moveatur) sed ordinarii tantum iudices, qui in loco aliquo administrationem etiam rerum, aut iurium habent, et eorum delegatio, sive specialiter illis commissa fuerit haec etiam restitutionis causa, sive incidenter in controversiam demandatam veniat, prout habetur ex *c. Causa,* 9. *h. t.* et ex eo probatur, quod restitutio in integrum sit actus mixti imperii, et consequenter ab eo expediri debet, non qui simplicem tantum iurisdictionem, sed qui mixtum saltem imperium habet. Adversus tamen sententiam definitam supremi principis, aut eius delegati, nemo inferior restituere potest, nisi id hinc specialiter commissum sit.

§. VIII. *De forma, ac de effectu restitutionis in integrum, ac de restituendis fructibus, et expensis.*

Forma petendae, et faciendae restitutionis est, ut intra legitimum tempus, implorato officio competentis iudicis, ea petatur, et causa legitime cognita, et probata, praesente adversario, nisi per contumaciam absit, praemissa citatione, et litis contestatione fiat, agendo scilicet contra adversarium, vel contra hunc excipiendo. Effectus autem restitutionis in integrum ille est, ut unusquisque (tam qui restitutionem in integrum petit, quam contra quem petitur) ius suum integrum recipiat, et in pristinum statum quo contraxerunt v. g. reponantur, ita ut ecclesia v. g. laesa suum recipiat, et laedens etiam (si tamen bona fide egerit) suum pretium, et necessarias, ac utiles expensas in rem emptam bona fide factas, ac meliorationem recipiat. Fructus autem ex fundo v. gr. restituendo percepti, si in integrum restitutio decernatur, probabilius restituendi non sunt, sive extent adhuc, sive ex illis bona fide consumptis locupletior factus sit. De horum tamen fructuum, expensarum, meliorationum, etc. restitutione, quia multae litis materia esse potest, vide auctorem hic.

TITULUS XLII.

DE ALIENATIONE, MUTANDI IUDICII CAUSA FACTA.

Dicitur alienatio, mutandi iudicii causa fieri, quando quis ex metu litis sibi de tali re movendae, dolo malo in alium possessionem illius, aut dominium transfert, ut per talem dolosam alienationem iniquior alterius, qui litem fortasse moturus timetur, conditio fiat, ratione mutati v. g. iudicis, etc.

Et hinc ad hanc alienationem tria requiruntur. Primo ut fiat iudicii mutandi causa, futuri scilicet quod timetur, non eius quod iam sit; in hoc enim casu, res litigiosa diceretur esse alienata, quae alienatio de iure civili nulla est. Secundo requiritur, ut dolo malo (ex animo scilicet alterius conditionem difficiliorem faciendo, et non tantum bona fide) translatio talis possessionis, sive rei fiat, alienando scilicet eam, vel in personam extraneam, vel in potentiorem, vel alio modo conditionem illius, qui litem moturus timetur, reddendo difficiliorem. Tertio ut intersit actori v. g. ob damnum, quod passus est, et ob expensas maiores, quas facere debuit, etc. alienationem hanc factam non fuisse. De hac autem sic explicata alienatione duo in iure canonico statuuntur. Primo *in c. 1. h. t.* quod vi rescripti contra alienantem antefactam alienationem, aut cessionem impetrati, tam alienans, quam possessor rei alienatae coram iudice delegato conveniri possit (contra id, quod alibi dicitur, rescriptum ad lites impetratum, a persona in personam extendendum non esse), si tamen scivit possessor, alienationem, mutandi iudicii causa, per fraudem factam in se, ut ne talibus fraus sua patrocinetur. Secundo *in c. 2. h. t.* prohibetur, ne clerici sub interminatione censurae ecclesiasticae faciant sibi cedi actiones, et lites a laicis mutandi iudicii causa, ut laicos ad forum ecclesiasticum trahant, sive deinde induxerint tales ad cessionem talem faciendam titulo lucrativo donationis, sive titulo oneroso venditionis v. gr. etc. quia videtur talis cessio procurari ex affectu avaritiae clericum decedentis, qui affectus facile in talibus clericis praesumitur.

TITULUS XLIII.

DE ARBITRIS.

§. 1. *De arbitris in genere; eorumque divisione, et differentiis inter arbitrum, et iudicem.*

Arbitri ab arbitrando, censendo, et aestimando sic dicti, si in latiore hac acceptione sumantur, idem dicunt quod arbitratores, qui tanquam viri boni, et aequi ad negotium aliquod aestimandum assumuntur, ut quid sibi de re aliqua videatur edicant. Proprie autem, et magis stricte ille dicitur arbiter, qui sive ex iuris, seu legis dispositione, vel ex partium conventione constituuntur, ut circa rem aliquam controversam suum arbitrium, sive iudicium, et animi sensum dicant, et pronuntient, quo partes deinde stare debent. Ex qua descriptione patet, alios arbitros esse iuris, qui etiam necessarii dicuntur, eo quod in certis quibusdam causis ex praescripto iuris, seu legis necessario a iudice, vel ex partibus constitui debeant, ad rei alicuius decisionem; alios esse arbitros voluntarios, qui compromissarii dicuntur, in quos sponte, et nullo iure urgente, ac libere consentiunt partibus, eorum iudicio controversiam suam submittentes, ac obedientiam praestiturae, quos inter plures sunt differentiae. Potissimae sunt, quod illi habeant a iure iurisdictionem ad omnia illis commissa expedienda, et vix differunt a veris iudicibus; hi vero compromissarii arbitri nullam iurisdictionem habent (cum nec a partibus ea ipsis conferri possit, nec a iure deferatur) sed simplicem tantum rei cognitionem, illi compelli possunt ad officium arbitri accipiendum,

quia iura sic praescribunt, non autem arbitri voluntarii, qui libere munus arbitrorum suscipere possunt, vel non possunt, quamvis semel receptum implere postmodum debeant. Sunt autem hi arbitri voluntarii, sive compromissarii in duplici adhuc differentia, alii sunt, in quos ita expresse, sive tacite est compromissum, ut in causa sibi commissa, servato iuris ordine, prout partibus videbitur, pronuntient. Et hi proprie arbitri vocantur, et horum sententia arbitrium, sive laudum dicitur. Alii sunt, in quos a partibus compromittitur, neque tamen obligantur, ut in causa cognoscenda servent iuris, et iudiciorum ordinem, aut formam, sed statuant, quod ipsis aequum videbitur, qui etiam ab actoribus arbitratores dicuntur, et eorum sententia, aut arbitramentum reducendum, si laesionem enormem contineat, petente parte ad aequalitatem iustitiae, secundum boni viri arbitrium, cui partes stare debeant; sunt quidem etiam alii arbitratores, quos rectius dixeris amicabiles compositores, qui in componenda controversia aliqua ex voluntate compromittentium ad publicum potius bonum, tranquillitatem, et pacem inter partes attendunt, quam ad rigorosa causae merita, et ideo eorum sententia amicabilis potius compositio, quam sententia, aut transactio dicitur. In pluribus autem differt arbiter praesertim compromissarius a iudice, quae differentiae ex dictis facile erui possunt, et apud auctorem Methodi videri possunt.

§. II. *De illis, qui compromittere in arbitros, et qui arbitri esse possunt, vel non possunt.*

Omnes in arbitros compromittere possunt, qui rerum suarum liberam, et plenam etiam ad alienandum administrationem habent. Argu. *cap. Cum tempore*, 5. *h. t.* Cum enim per tale compromissum ad alienationem etiam perveniri possit, consequenter qui alienare non potest, nec compromittere potest, et hinc nec pupillus sine tutoris auctoritate, nec minor sine curatoris auctoritate, si talem adhuc habeat, nec praelatus ecclesiae, circa bona quae alienare non potest etc. et plures alii compromittere non possunt, si per tale compromissum ad alienationem deveniri potest.

Possunt autem arbitri esse omnes, praeter illos, qui a iure probibentur, ita ut non solum illi, qui sunt integrae famae, sed etiam infames assumi possint in arbitros, quia arbitrium non est res pertinens ad dignitates, ad quas infames non admittuntur; immo de iure canonico possunt partes etiam compromittere in iudicem suum competentem, ac proprium, ut causam, quae coram illo ut iudice agitur, ut arbiter definiat, ordinarium et delegatum, ut docet *glossa in c.* 5. *h. t. v. Magdeburgensis*, et sumitur ex *c. Ex parte*, 10. *et c. Cum olim*, 7. *h. t.* (quidquid in contrarium ex iure civili urgeant aliqui) cuius tamen saepissime circa talem causam iurisdictio non extinguitur per tale compromissum, ita ut partes, si velint, coram eodem, si res adhuc sit integra, ut iudice agere possint, si in favorem tantum partium compromissum tale factum fuerit, cum quilibet favori suo cedere possit.

In specie tamen prohibentur esse arbitri compromissarii, Primo servi, qui de iure civili pro mortuis habentur. Secundo pupilli, furiosi, muti, surdi, perpetuo amentes etc. quibus a natura defectus est, quominus in arbitros assumi possint. Tertio mulieres, quibus officia civilia, et publica

administratio non convenit, nisi aliunde illis iurisdictio aliqua competeret, vel ex consuetudine patriae talem haberet, nt constat ex *c. Dilecti*, 4. *h. t.* aut amicabilem tantum compositionem faciant, actu aliquo extraiudiciali: et quamvis sint aliqui, qui putant, faeminae talis in arbitrum electae, quae de se eligi non poterat, sententiae sive arbitrio non teneri partes stare, cum arbitrium tale ab inhabili sit latum, probabilius tamen alii putant, standum partibus arbitrio illius, praesertim si snb iuramento in eam compromiserunt, non quidem vi arbitrii, quod non obligat, sed vi pacti iurati, quod sine dispendio salntis servari potest, aut vi poenae conventionalis tali compromisso adiunctae. Quarto probibentnr in arbitros assumi laici in causis spiritnalibus, et fori ecclesiastici *c. Contingit*, 8. *h. t.* ita ut ipso iure invalidum sit tale compromissum, ut docet *glossa hic in casu, et v. Spiritualibus*, sive principaliter, sive incidenter tantnm, etiam cum auctoritate episcopi assumantur; nisi causa, circa quam in laicum compromittitur, mere civilis, ac temporalis esset, ut constat ex *c.* 4. 8. *et* 11. *h. t.* aut compromissnm fieret simul in clericum, et laicum, quod valide, et licite etiam circa rem spiritualem fieri posse cum indicis ecclesiastici superioris consensn ex *cap. Per tuas*, 9. *h. t.* patet, qnia in tali casu nulla iurisdictio conceditur, ant competit huic in arbitrum assumpto laico, sicuti competeret, si nominaretur iudex delegatus, sed simplici tamen notione causae habita, snper ea fert suum arbitrium, sicuti consiliarii consilium: excludit quidem aliquorum opinio laicos etiam, quominns in causis spiritualibus arbitratores etiam, et amicabiles compositores esse possint, alii tamen aeque probabiliter contrarinm tenent, cum relata iura probent tantum de arbitro, non autem de amicabili compositore, qui plus non videtur facere, quam quod boni amici solent, et ipsius compositio nec sententiae iudicialis, nec quasi sententiae, sive arbitrii vim habeat. Qninto prohibentur in arbitros assumi religiosi, cum monachus non debeat se forensibus, et civilibus negotiis se immiscere, toto *tit.* 3. *Decret. Ne clerici, vel monachi etc.* Sexto probibentur notorie excommunicati non tolerati, seu vitandi, cum quibus nullum commercium esse potest, ita ut nec amicabiles compositores esse possint, quod tamen religiosis prohibitum non est. Et septimo denique sicuti nemo in re propria sua iudex esse potest, ita nec potest esse in re sua propria arbiter, cum nemo possit sibi ipsi ius, sive sententiam dicere.

§. III. *De causis in quibus compromitti potest in arbitros, vel non.*

Super qualibet re, in genere loquendo, compromitti in arbitros potest, de qua id nullo iure reperitur prohibitnm. In specie autem primo in causis arduis, et magni praeiudicii, qnae a maioribus iudicibus expediri debent, in arbitros compromitti non potest; uti habetur ex penult. *cap. De in integr. restit.* Et hinc primo causae matrimoniales, cum quaeritur de validitate, seu invaliditate matrimonii per arbitros transigi non possnnt; prout etiam *ex concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 20. *De reformat.* habetnr. Nec secundo causae liberales, in qnibus de libertate hominis, ingenuitate, vel libertinitate agitur, arbitrorum committi possunt iudicio. Nec tertio causae criminales publicae, et privatae, si criminaliter ad vindictam publicam aut pecnniariam per multam fisco applicandam agitur, arbitris committi possunt. Et quarto denique

ea quae nobili officio iudicis expediri debent, et ad merum, vel mixtum imperinm spectant, per arbitros expediri non possunt, cum arbitri tales non tantnm nullum imperium, sed nullam etiam proprie dictam iurisdictionem habeant.

Secundo, compromitti non potest in arbitros de iis, quae vergunt in praeiudicium ecclesiae romanae, aut sedis apostolicae *c. Cum tempore*, 5. *h. t.* ubi negatur, quod arbiter aliquid dicere valide possit in praeiudicium exemptionis, soli sedi apostolicae subiectae ecclesiae. Si tamen tantum agatur de parochia aliqua, aut capella, utrum pleno iure incorporata sit monasterio v. gr. aut ecclesiae, quam nemo dubitat exemptam esse, poterit in tali casu in arbitros compromitti, et per hos causa definiri *c. Cum olim*, 18. *de praescript.* Hanc tamen prohibitionem merito extendnnt aliqui, quominns a privatis in arbitros compromitti possit, circa causas sive res, quae spectant ad communitatem, ad regnum v. gr. ad civitatem, etc. ne quid fiat in praeiudicium reipublicae.

Tertio, compromitti non potest de iis, quae per sententiam indubitatam, et quae transivit in rem iudicatam, decisa snnt *c. Exposita*, 11. *h. t.* Compromissum enim fieri non potest super re, quae dubia amplius non est, prout est causa per sententiam legitimi iudicis iam decisa, a qua appellatum non fuit, nisi circa rem talem novae orirentur qnaestiones, quae per sententiam decisae non fuerunt; patet tamen etiam ex hoc capitulo, quod ad observandum compromissum, et arbitrinm ex eo latum, obsides a partibus dari possint, qui postmodum arbitrio rescisso, vel revocato legitime restitui debent, cum snblato principali tollatur etiam accessorium.

§. IV. *De forma, seu modo, quo fieri debet, vel potest compromissum in arbitros.*

Compromissum fieri potest in unum, vel plures arbitros non solum praesentes per verba, sed absentes etiam per epistolam, pari, vel impari numero, (quamvis consultius sit, nt in pari numero assumantur, quo maioris saltem partis arbitrium facilius baberi possit, *c. Sane*, 1. *h. t. iuncta glossa v. Unus eligatur aut tres.* Et quamvis de iure civili statutum sit, ut sententia maioris partis arbitrorum, si plures assumpti sint, valida sit, quod omnes debeant esse praesentes, qnando profertur sententia, seu laudum, adeo quidem, ut uno etiam quocunque ex capite absente, laudum non valeat. De inre tamen canouico aliud statutum babetur *c. Ut in quaestionibus*, 2. *h. t. in* 6. quod valide scilicet arbitrari possint alii electi in arbitros, si unus eorum, aut alter legitime requiritnr ad causam decidendam, super qua in eos compromissum est, absqne legitimo impedimento interesse nolit, nisi aliter expresse compromissum omninm velit, ad ferendnm laudum, praesentiam; aut qui arbitri sunt, non tam a partibus sponte, sed ex iuris praescripto, et necessitate assumpti sint, cum in hoc casu iuris isti arbitri, iudices potius referant, quam arbitros; et in illo casu a voluntate compromittentium compromissnm dependet, quam volnntatem adiecta saepius in compromisso clausula indicat.

Quod si vero nulla adiecta clausula in plures factum fuit compromissum

tanquam arbitros, praesumitur, quod ex voluntate compromittentium omnes arbitrari debeant, ut valeat laudum: et si omnes circa pretium, super quo compromissum est, discordent, ita ut unus in decem florenos alterum condemnet, alius in octo, alius in quinque, etc. illius sententia praevaleat, qui in minimam quantitatem condemnavit, cum in hac quantitate omnes conveniant *c. Si ex tribus, 1. h. t. in 6.* et ut sic verum sit dicere, quod praevaleat sententia a pluribus lata, neque haec, quoad minorem partem contraria sit aliis, cum omnes in hanc minorem quantitatem consentiant, quoad maiorem tantum quantitatem sibi contrariantibus, ita ut nec aliorum, qui ad summam maiorem condemnaverunt, protestatio quidquam operetur, cum protestatio contra ea, quae ex iuris dispositione certa sunt, nihil valeat. Si tamen ea conditione in plures arbitros compromissum sit, ut, si inter se dissentiant, tertium aliquem assumant, nemine tamen nominato, quem assumere debeant, invalidum quidem est compromissum, si ex voluntate praecise compromittentium aliquis assumi debeat (cum nemine nominato, qui assumi debeat, ipsi etiam assumpti arbitri in eo assumendo dissentire possint, et sic causa nunquam expediretur, et compromissum pure fieri debet in certos arbitros) prout statutum legimus in *c. Innotuit*, 12. *h. t.* Possunt tamen in casu plurium arbitrorum dissentientium iudicis auctoritate cogi arbitri tales, ad tertiam personam assumendam, cuius auctoritati pareatur, *l. Item si unus*, §. *Principaliter*, *ff. h. t.* quae tamen persona non tam compromissarius arbiter dici debet, cum non sit assumptus a partibus, quam consultor, et diremptor causae controversae. Immo iuxta *c.* 13. *h. t.* conceditur arbitris, ut per alios, quos ipsi elegerint, causam definiant; qui tamen non tam arbitri, quam arbitratores, sive mediatores, compositionem amicabilem ferant, prout *glossa* asserit hic, *v. Mediatores*, qui de plano, et sine ordine iudiciario, seu cognitione aliqua partes in concordiam componant, et quorum arbitramentum, si iniquum sit, ad arbitrium boni viri, seu iudicis redigatur. Neque tamen per hoc prohibetur, quominus compromissum validum fiat, cum dependentia exquirendi alterius consilii, modo liberum deinde relinquatur arbitro sequendi, vel non sequendi tale consilium, *c. Cum olim*, 7. *h. t.*

§. V. *De officio, et potestate arbitri.*

Tota potestas, et officium arbitri ex compromisso dependet, ac desumi debet, ita ut de iis tantum arbiter arbitrium ferre possit, super quibus compromissum est, et non super aliis, cum compromissa talia sint stricti iuris, ultra velle compromittentium non extendenda, nisi fortassis haec talia necessario cum causa principali connexa sint, et sine his causa principalis expediri non possit. Et hinc coram arbitris non potest fieri reconventio, *c. Cum dilectus*, 6. *h. t.* nisi sint arbitri iuris, qui statim causam expedire possunt, et debent, aut clericus contra episcopum suum litem moverit. Et nisi in compromisso specialiter cautum sit aliud in praesentia partium compromittentium pronunciare arbitrium debent, prout colligitur ex *parte* 10. *h. t.* iuncta *gloss.* in cit. *c. Cum dilectus*, *v. Nisi de his*, *eod.* Et quamvis proprie, et stricte loquendo arbiter compromissarius non sit iudex, debet tamen servare ordinem iudicialem, quia hodie iuxta *l.* 1. *ff. h. t.* compromissa, et arbitria ad simi-

litudinem iudiciorum redacta sunt, ita ut libellus coram arbitro compromissario etiam afferri debeat, debeat fieri litis contestatio etc. et qnamvis laudnm, quod arbitri iuste tulerint, omnino servandum sit, si tamen dolo, aut ex alia iniqnitate iniustum illud sit, observandum non est, uti sumitnr ex *c. Non sine*, 2. *h. t.* vel si cedat in praeiudicium, et damnum ecclesiae, *cap. Pervenit*, 3. *h. t.*

§. VI. *De effectu, seu obligatione compromissi, et sententiae, seu laudi arbitrorum.*

De iure civili nulla efficax obligatio, ant actio competit, qua partes stare compromisso cogantur, aut ad interesse conduceretur pars aliqua, si per nudum pactum in arbitros compromissum sit; secus antem dicendum videtur de iure canonico, nbi secundnm aliquos ex nudo pacto etiam datur actio: et de inre civili, si in compromisso faciendo stipulatio intervenit, ut colligitur ex *l. Diem*, 27. §. *fin. iunct. gloss. v. Incerti, h. t. et ex c. Per tuas*, 9. *h. t.* Praesertim si arbitrinm, sive laudnm a partibus emologatum, sive approbatum, et receptum sit, quo in casu datur etiam exceptio, et actio quasi rei iudicatae: et quamvis ex defectu mandati nullum illud fuerit, si tamen a partibus receptum, sive emologatum est, execntioni mandari debet, uti patet ex relat. *c. Per tuas*. Ut autem dicatur laudnm, sive arbitrium expresse emologatum, aut approbatum a partibus, de inre civili quidem requiritur subscriptio partium, ut constat ex *l. penult. c. h. t.* de iure vero canonico, et qnoad forum conscientiae, sufficit, si verbo, vel quovis alio modo in sententiam arbitri partes consentiant, uti colligitur ex cit. *c. Per tuas*, *h. t.* de utroque tamen iure, ut tacite emologatum, seu approbatum sit, plus non requiritur, quam ut intra decem dies nullus ex compromittentibus contra laudum, vel arbitrium reclamet; si enim in ferendo laudo dolus aliquis, aut iniustitia arbitri intervenerit, exceptio doli parti gravatae competit contra petentem execntionem arbitrii, quae est quasi appellatio intra decem dies a lato arbitrio interponenda, et quidem ad proprium iudicem reclamantis, quia hic se defendit contra alterum executionem urgentem. Si tamen adiecta poena compromissum in arbitros factum est, si ille, qui arbitrio stare non vult, poenam solvat, ulterins ad arbitrii executionem urgeri non potest, prout in omni contractu adiecta poena conventionali firmato fieri solet, modo compromissum non expresse emologaverit pars, quae hic, et nunc soluta poena ab eo recedere vellet; aut clausula adiecta compromisso poenali, *rato manente compromisso, et arbitrio super eo lato*, aliud iubeat, aut nullum iuramentum de observaado arbitrio adiectum sit, cum iuramentum hoc clausulae modo ante allatae aequivaleat (qnamvis non improbabiliter putent aliqui, non obstante inramento tali, si poenam adiectam solvere velit, qui vult a compromisso recedere, quod possit hoc facere, cum iuramentum accedens poenali compromisso non faciat ut ad plus obligetur, quam si iuramentum non adesset) sed tantum faciat, ut fortins obligetur, qui obligatur. Quod si vero iurassent compromittentes, nulla poena compromisso adiecta, staturos se arbitrio, de iure quidem civili novissimo, nulla datur actio compromittentibus, cum secundum boc ius iuramentum compromisso adiectum habeatur pro nullo,

et pro non apposito; de iure tamen canonico servandum iuramentum tale est, cum iuxta hoc ius omne iuramentum servandum sit, neque liceat reclamare, nisi prius iuramenti sui relaxationem obtineat; nisi iurando intentionem habuisset, arbitrii talis non servandi, si iniquum illud futurum sit (cum nemo ultra intentionem suam obligari possit) quae mens ordinarie praesumi potest.

§. VII. *De reductione laudi, sive arbitrorum, sive arbitratorum, ad arbitrium boni viri.*

Quod ab arbitris compromissariis compellari non possit satis, certa sententia est, conceditur tamen, ut reducatur sententia arbitri ad arbitrium boni viri, non quidem quasi a compromittente peti possit haec reductio, cum promissum videatur habere rationem transactionis, iura autem non permittant, ut iis per transactionem semel decisa iterum testaretur, sed quod ex officio iudicis facienda sit, si manifestam iniquitatem, aut enormissimam laesionem laudum illud contineat, vel arbitratoris arbitramentum sit, quo in casu peti etiam potest reductio usque ad triginta annos coram iudice ordinario, coram quo alias agendum fuisset, si nullum compromissum factum fuisset, nisi facto iuramento renuntiatum fuisset reductioni arbitramenti.

§. VIII. *De loco, et tempore ferendi arbitrii, seu sententiae arbitrorum.*

Si locus certus sit designatus, in quo arbitri suum laudum pronuntiare debeant, observandus hic est, ita ut partes ad alium citari non possint, neque poenam incurrant, si fortassis aliqua opposita esset, non compareant in alio loco; si vero nullus locus determinatus est pro ferenda sententia, debet ibi haec pronuntiari, ubi compromissum factum est, si tamen locus talis honestus sit, et nulla exemptione contra iudicem, aut arbitrum talem gaudeat. Si autem quaeratur, quo tempore ferri possit arbitrium, facile respondebitur illicite fieri, et nulla esse arbitria diebus feriatis ad honorem Dei institutis lata; legalibus vero feriis, si ferantur, partibus petentibus, valida quidem esse, cogi tamen iudicem, vel arbitrum non posse ad laudum aliquod talibus temporibus ferendum, sicuti alibi docetur de sententia iudicum, quibus arbitri tales multum aequiparantur. Attendenda tamen in his omnibus est recepta praxis, et consuetudo.

§. IX. *De modis, quibus finitur compromissum, et arbitrorum officium, ac potestas.*

Finitur compromissum, et arbitrorum potestas primo, si causa per illos definita sit, propter quam factum est compromissum. Neque enim, postquam sententiam, sive laudum de omnibus in controversiam adductis, et propter quae compromissum factum fuit, pronuntiaverunt, mutare amplius aliquid possunt, aut interpretari, vel corrigere, etc. cum functi sint omni suo officio, propter quod compromissum fuit (nisi in compromisso aliter expressum sit) ita ut ipsa etiam executio non ab arbitris, sed ab ordinario iudice facienda sit. Secundo finitur arbitrorum potestas, si conditio compromisso adiecta deficit, vel si terminus, aut tempus compromisso praefixum fluxerit

(quamvis partes tempus hoc prorogare possint, sicuti primo constituere potuerunt) vel si triennium elapsum sit a lite contestata. Tertio finitur haec potestas, si arbiter, aut unus eorum, si plures in arbitros electi fuerunt, mortuus fuerit, vel longe discesserit, aut necessario impedimento impeditus sit, nisi cum clausula compromissum factum fuisset, ut si unus non posset arbitrari, reliqui tamen, hoc non obstante, arbitrium suum ferre possunt. Quarto finitur haec potestas, si compromittentes, aut saltem unus eorum moriatur, prout sumitur ex *c. Ex parte*, 10. *h. t.* etiamsi in causa iam fuisset conclusum, neque ad haeredes compromittentium transit compromissi obligatio, qui a compromittentibus ex singulari plerumque personali affectu, notitia, et amicitia in certos quosdam arbitros compromittunt, quae specialia non habent haeredes; quod si tamen sententia sive laudum ante mortem compromittentis iam latum sit, potest contra haeredem compromittentis, qui ante executionem talis laudi mortuus fuit, fieri post mortem illius executio, cum per mortem illius compromissum quidem exspiraverit, non autem sententia, sive laudum: in illis tamen casibus, quibus per clausulam specialem cautum est, ut compromissum etiam ad haederes compromittentium transeat, transibit hoc vi clausulae talis; sicut etiam ad successorem in beneficio v. g. transit compromissum super rebus, et iuribus ecclesiae, de quibus solus praelatus v. g. disponere non potest, si compromissum tale factum sit cum consensu capituli, superioris, et aliis requisitis solemnitatibus, quia tunc censetur compromissum factum, non nomine personae compromittentis, sed nomine ecclesiae.

Sunt adhuc alii modi, quibus compromissum finiri censetur, qui tamen, quia magis ex iure civili, quam canonico desumuntur, ex illo potius, quam ex hoc peti debent. Quae tamen de arbitris *hoc* §. dicta sunt, etiam de arbitratoribus intelligi debent, quorum eadem quoad finiendam arbitratoris potestatem videtur esse ratio, quae arbitrorum est, saltem, si non sint meri amicabiles tantum compositores, sed potestatem habeant ius aliquod dicendi partibus, quo stare debeant.



LIBER SECUNDUS

DECRETALIUM.

TITULUS I.

DE IUDICIIS.

SECTIO I.

De iudiciis in genere, et personis, quae stare possunt in iudicio.

§. I. *Quid, et quotuplex sit iudicium?*

Iudicium est legitima rei controversae apud iudicem inter litigantes tractatio, seu disceptatio, et diiudicatio, litis finiendae gratia; ad quod tres principales personae ordinarie requiruntur, iudex, actor, et reus *c. Forus*, 10. §. *In omni, de V. S.* Iudex est persona, quae publica autoritate iudicio praeest, ab eo, quod ius dicat, sive rem controversam secundum iuris praescriptum definiat, iudex appellatus, iuxta *cit. cap. Forus.* Actor ab agendo dicitur, estque is, qui actionem proponit, et prior ad iudicium provocat, *l. In tribus*, 13. *et l. Qui*, 29. *ff. h. t.* ac in actionibus criminalibus accusator dicitur. Reus denique est, qui ab actore provocatur, seu in ius vocatur, ita dictus non a reatu semper, sed a re, de qua disceptatur, et est controversa, ut apparet ex *cit. cap. Forus*, *iunct. gloss. v. Reus.* Sicuti autem actoris vicem supplere nonnunquam potest magistratus, si procedat per formam inquisitionis, v. g. ob famam praecedentem, ita reus de praesenti non debet semper esse certus. Interveniunt autem plerumque etiam aliae personae in iudicio, quae tamen minus principales, et accessorie tantum ad principales se habent, quales sunt assessores, consiliarii, notarii, advocati, testes etc. Variae autem sunt iudiciorum divisiones. Prima desumitur ex diversitate iudicantium, ita ut illud, cui praeest iudex ecclesiasticus, iudicium ecclesiasticum dicatur, et cui praeest iudex saecularis, iudicium saeculare. Illud subdividitur in spirituale, et temporale; spirituale est, quando lis de re aliqua spirituali, aut spirituali annexa, est, de matrimonio v. g. decimis, beneficiis etc.: temporale est, quando lis movetur de re temporali et profana, de fundo v. g. pecunia etc. inter personas tamen ecclesiasticas.

Secunda divisio desumitur ex diversitate materiae, iuxta quam diversitatem aliud est iudicium petitorium, in quo movetur quaestio de proprietate rei, seu dominio, aut quasi dominio, aut iure, ad quem ea pertineat; aliud est iudicium possessorium, in quo movetur quaestio de possessione rei, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda.

Tertia divisio ex diversa forma, quae in iudicio adhibetur, aut iuxta quam proceditur, desumitur; et hinc aliud iudicium plenarium, ordinarium, et solemne dicitur, in quo scilicet omnes iuris solemnitates ad iudicium spectantes, et de iure requisitae, adhibentur, citatio v. gr., libelli oblatio, litis

contestatio, iuramentum, calumniae etc. aliud est summarium, sive extraordinarium, in quo non tam ad formam iuris solemnem, et saepius accidentaliter tantum ad causam decidendam requisitam, attenditur, quam ad essentialia, et substantialia iudicii, sine strepitu quidem, ac forma solemni iudicii, sed inspecta sola rei veritate proceditur.

Quarta denique divisio (ut omittam alias, vel mere civiles aut alias faciles) desumitur ex diversitate finis, quem iudicium tale intendit; sic dicitur aliud civile, in quo de causa civili agitur, mutua v. gr. emptione, aut ex alio contractu civili etc. aliud dicitur criminale, in quo de delictis agitur, de furto v. g., homicidio, sacrilegio, haeresi etc. et si agitur ad publicam vindictam, ad poenam corporalem v. gr. aut pecuniam fisco applicandam, dicitur criminale iudicium criminaliter agi; si vero agatur ad poenam privato applicandam, sive ad interesse privatum, dicitur criminale iudicium civiliter tractari; ita tamen, ut quod participat de utroque, mixtum iudicium dicatur, quin immo saepius duplex actio poenalis iniuriam passo competit, civilis una, quae tendit ad poenam actori applicandam; altera criminalis, quae tendit ad publicam vindictam, ac optio datur iniuriam passo, quam velit actionem instituere, ita tamen ut una earum electa, altera ipso iure tollatur (cum utraque poenalis sit) nisi sit re tantum persecutoria, quae per nullam actionem mere poenalem tollitur.

§. II. *Quinam in iudicio agere, vel conveniri possint, vel non possint?*

Qui personam legitimam standi in iudicio habent, ii agere, et conveniri possint, in genere loquendo. In specie vero primo certum est, quod pupillus sine tutoris auctoritate, nec agere, nec conveniri in iudicio possit. Secundo certum est de iure communi, quod minor 25. annis legitimam personam standi in iudicio non habeat, nisi ei curator, saltem ad litem, datus sit (ob iudicium scilicet nondum ad lites satis maturum) nisi minor talis, qui vigesimum tamen annum iam implevit, veniam aetatis impetraverit, agendi in iudicio etiam sine curatore; aut si 14. annum implevit, et agat, vel conveniatur in causis beneficialibus, aut aliis spiritualibus, vel his annexis, *c. Si annum*, 3. *h. t. in* 6. (quamvis impuberes, neque in his causis sine tutore agere possint, puberes tamen in huiusmodi causis censentur esse maiores) aut agat tantum minor 25. annis in possessorio, de recuperanda, vel obtinenda possessione *l. fin. iunct. gloss. v. Per quamcumque, cod. Qui legit. person. standi etc.* De filiofamilias, quamvis maior sit 25. annis, quod suo nomine, et in causa propria, etiam quoad bona adventitia (sive pater usumfructum in illis habeat, sive non) regulariter, et ordinarie in iudicio agere, aut respondere sine assensu parentis non possit, constat ex *l. ult. cod. de bonis, quae lib. etc.* et cit. *c. ult. h. tit. in* 6. (cum in his omnibus consensus patris requiratur ad integrandam personam filii) nisi alieno nomine, ut procurator v. gr. stet in iudicio, vel lis sit de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, vel pater longius absit, qui procuratorem non reliquerit; aut inutili patre ad res suas curandas agere velit; vel in praeparatoriis tantum iudiciis ante litis contestationem versetur, vel causae sint beneficiales, spirituales, vel his annexae, in quibus nec ius, nec administratio ad patrem pertinet. Mulieres

denique saltem honestae, quod invitae ad iudicem trahi personaliter non possint, ex causa quacunque de iure non expressa, possint vero, si velint, in causis saltem civilibus, in iudicio per se stare ex *cap. Mulieres*, 2. *h. t. in* 6. habetur, nisi sint foeminae religiosae, praesertim quae sub clausura vivunt, quae nec vocari, nec admitti debent. De aliis, quibus de iure civili interdictum est stare in iudicio, videantur iura civilia.

§. III. *An, et qua ratione praelatus ecclesiasticus, praesertim regularis, vel capitulum, seu conventus, vel religiosi singuli agere, aut conveniri in iudicio possint?*

Potest praelatus ecclesiasticus, et regularis, per se solus, absque consensu, aut consilio capituli, in iudicio agere, et conveniri, de rebus et iuribus communibus monasterii, et tam ad praelatum, quam capitulum communiter pertinentibus (nisi causa valde gravis, et ardua esset) quia talium bonorum liberam administrationeam a lege, sive a iure sibi concessam habet independenter a capitulo, et quamvis iuxta communia iuris, qui rem alienare non potest, nec possit eam in iudicium deducere, praelatus autem non possit saepe talia bona solus alienare, consequenter nec possit pro iis, in iudicium deductis, sine consensu sui capituli litigare; concedo, in hoc fieri non posse ab eo, qui suo nomine agit in iudicio, nego autem, quod hoc verum sit de eo, qui alieno nomine agit in iudicio de re aliqua, quam solus alienare non potest, sicuti praelatus ecclesiae agit in iudicio nomine ecclesiae. Hoc tamen, ut sine consensu sui praelati, pro bonis etiam communibus monasterii, in iudicio contendere possit capitulum, aut conventum ecclesiae, sive regularis haec sit, sive saecularis, non concedit *c. Causam*, 9. *h. t.* ob rationem scilicet priori contrariam, nisi sint causae propriae capituli in bonis ad capitulum solum spectantibus; vel nisi capitulum agat pro recuperatione bonorum a praelato illegitime alienatorum; vel nisi consuetudo ecclesiae illius, aut peculiaria statuta aliud velint. Multo minus conceditur regularibus singulis cuiuscunque sexus sint, ut suo, vel alieno nomine, per se, vel per alium ad agendum, vel defendendum in iudicio stent, sine consensu, et licentia sui superioris, *cap. Cum dilecta*, 22. *de rescriptis*. Cum regularis talis non sit sui iuris, neque bonorum dominium habeat: et hinc ratione contractus cum religioso initi, non potest conveniri religiosus, sed debet conveniri monasterium; et si religioso facta sit iniuria, non potest ipse agere in iudicio, nisi praelatus sit absens, et nullum procuratorem ad talia negotia reliquerit, vel ipse religiosus ex iusta causa studiorum v. g. a monasterio absens, licentiam praelati sine periculo in mora, nec petere, nec exspectare possit. Quod si tamen ratione beneficii, quod habet cum illius administratione, etiamsi manuale hoc tantum sit, in iudicio contendere debeat, ratione professionis suae, ratione iniustae electionis, ratione alimentorum etc. potest haec facere, sine alia a superiore petita, aut obtenta licentia *c. Cum deputati*, 16. *h. t.* non tantum ob regulam universalem, quod pro iuribus suis stare in iudicio possit, cui administratio competit, sed etiam ob necessariam sui defensionem.

§. IV. *Utrum ius agendi in iudicio pro iuribus, et rebus ecclesiae inferioris, subiectae praelato superiori, pertineat ad superiorem, an ad inferiorem rectorem, vel etiam ad vicarium perpetuum?*

Potest quidem in genere iudicii penes eum esse ius agendi pro suae ecclesiae rebus, penes quem est administratio, ob allatam saepius regulam, ita ut penes utrnmque sit, tam snperiorem qnam inferiorem actualis administratio, uterque agere possit, praeferendus tamen sit superior, si hic agere velit, ob maiorem scilicet, qnam hic habet, anctoritatem, *Clement* 1. *de rescript.* Qnod si tamen actualis administratio tota sit penes inferiorem (non quidem temporalem tantum, sed perpetuum beneficii taiis rectorem, aut vicarium) et penes superiorem tantum in habitu, immediatus administrator, sive inferior rector, seu vicarins perpetnus, in causis ad ecclesiam illam, et illius administrationem pertinentibus praeferri debet in indicio, nisi ob negligentiam, aut aliud defectum inferioris rectoris pateretur ecclesia; quo in casn superior, qui alias administrationi se immiscere non debet, ecclesiae causam snscipere potest, et debet: et hinc quamvis episcopus pro iuribns quarumlibet ecclesiarnm parochialium suae diocesis agere possit, veint pastor pastorum, in cansis tamen reditunm, decimarum, etc. parocho competentium, vel vicario perpetuo, parocho, aut dicto vicario potior incumbit agendi in iudicio licentia, cui immediate horum bonorum administratio competit.

§. V. *Utrum excommunicatus possit stare in iudicio?*

Agere quidem non potest excommunicatus maiore excommunicatione, sive per se, sive per aliud, sive civiliter, sive criminaliter agere velit (nisi in causa suae excommunicationis, aut nisi toleratus sit, et nec a iudice, nec a parte repellatur (conveniri tamen potest ut reus, ne ex malitia sua fructum habeat, et saltem per alinm in indicio velit respondere, *c. Intelleximus,* 7. *h. tit. et c. Decernimus,* 8. *De sententia excommunicationis in* 6. Quod si vero de bono publico ecclesiae ageretur, vel ad animae periculnm devitandum, excommunicato comparendum esset, vel ob reum v. gr. fugitivnm periculum esset in mora, vel si ad praemissa sibi facienda impediretur excommnnicatus, posset etiam in iudicio agere, ant contra actorem etiam excommnnicatum excipere, vel compensationem in pari causa obiicere, quia in talibns casibus magis videtur se defendere, quod concessnm illi est, quam agere; et quamvis in causis minns arduis cogi possit ad defendendnm se per procuratorem, prout ex *cit. c. Intelleximus* colligitur, in arduis tamen causis ad hoc cogi non potest, sed per se causam suam defendere permittitur, ne afflicto nova addatur afflictio, et minus fidelem cum magno suo incommodo habeat sui defensorem) etiamsi esset in culpabili mora petendae absolntionis ab excommunicatione, neque tamen ab actore excommunicato in iudicio gesta, qui per oppositam excommnnicationis exceptionem non fuit repulsus, irrita sunt, si coram indice ordinario, aut legitime impetrato egerit, quamvis enim a indicio propter excommunicationem, et prohibitam commnnicationem forensem repellatnr excommunicatus, nullum tamen ius speciale reperitnr, per quod acta illins reddantur irrita, quamdiu contra illum exceptio excommunicationis non probatur.

§. VI. *An iudex possit cogere partes ad personaliter comparendum in iudicio, et an in eodem personae principales per se ipsas ea, quae facti sunt, proponere debeant?*

Partes ordinarie cogi a iudice non possunt, quamvis hic sit a summo pontifice delegatus, ut personaliter in iudicio compareant, *Cap. Furis*, 1. *h. tit. in* 6. nisi causa rationabilis aliud iubeat: et hinc compelli possunt ad personaliter comparendum, Primo in causis criminalibus criminaliter intentatis. Secundo ad praestandum iuramentum de veritate dicenda. Tertio ad iuramentum calumniae praestandum. Quarto in aliis etiam casibus, in quibus ipsa principalis statum in communi magis perspectum habet, et ubi ex qualitate personae colligi pro causae decisione aliqnid debet. Et quinto denique si speciale delegatus a papa aliquod mandatum habeat, ad partes principales specialiter inquirendas. Factum tamen ipsum ordinarie personae principales per se ipsas, et non per advocatos proponere debent (nisi sint personae valde simplices, et indiscretae, ut earum defectus a iudice supplendus sit *cap. Pastoralis*, 14. *h. tit*) quia meliorem notitiam facti habere censentur principales, quam advocati, quamvis his non prohibeatur, assistere illis in facto tali proponendo, et in expediendis illis, quae in iure consistunt, in libello scilicet formando, in interrogatoriis, et articuliis probatorialibus.

§. VII. *An, qui promisit se litigaturum coram iudice, si postea non compareat ad litigandum in iudicio, censendus sit, contumaciter abesse, et puniri possit tanquam contumax?*

Si quis coram iudice sedente pro tribunali promittat, se cum adversario litigaturum, non potest postea exceptionem fori declinatoriam opponere, et iudicem proprium recusare, etiamsi lis contestata nondum fuerit; nisi nova causa snperveniat, aut antiqua ignorata manifestetur, argumento *cap. De quo vult Deo*, 1. *h. tit.* ex qnó capite etiam patet, contumacem hunc talem habendum, et puniri posse poena excommnnicationis.

SECTIO II.

De causis, quas iudicare potest iudex tum saecularis, tum ecclesiasticus.

§. I. *An iudex saecularis tractare, et cognoscere possit causas ecclesiasticas?*

Cansarum ecclesiasticarum aliae sunt mere, ac proprie spirituales, quae proprie spectant ad praelatorum ecclesiaticorum regimen, uti snnt causae beneficiales, decimales, matrimoniales, etc. aliae sunt causae mere temporales; causae v. gr. contractuum, instrumentorum, etc. de illis res talis certa est, qnod laici causas ecclesiasticas cognoscere non possint, etiam in casu negligentinm ecclesiasticorum, neque propria auctoritate, neque ex commissione praelatorum ecclesiasticorum, excepta plenitudine potestatis principalis, per quam laico etiam tales causae committi possunt. Snmitur hoc ex *cap. Decernimus*, 2. *h. tit. cap. Qualiter*, 17. *eodem*. Cum laico potius maneat obsequendi necessitas in ordine ad ecclesiam, quam imperandi auctoritas *cap*·

final. De rebus ecclesiae alienandis. Et quamvis negotia mere temporalia ecclesiarum, et personarum ecclesiasticarum etiam laici tractare possint, (si scilicet ecclesiarum oeconomi sede v. gr. vacante constituantur) per hoc tamen nulla illis in clericos praeemiuentia, gubernatio, aut potestas confertur; neque tamen possunt auctoritate propria caûsas iudiciales pecuniarias, seu mere civiles, quae inter personas ecclesiasticas aut ecclesias, vel contra tales moventur, cognoscere, et iudicare, uti colligitur ex relato *cap.* 2. Quamvis hoc facere possint ex commissione, seu delegatione praelati ecclesiastici, saltem in casu aliquo particulari, cum talis delegatio non sit contra ius commune, et laicus in tali casu magis utatur iurisdictione ecclesiastica delegantis (semper tamen quando laicis iurisdictio negatur in clericorum causas iudicandas auctoritate propria, excipiuntur causae feudales, quas dominus feudi, sive laicus hic sit, sive ecclesiasticus, diiudicare potest, uti habetur in *c. Caeterum*, 5. *h. tit.*) Causas vero criminales clericorum, nec propria auctoritate tanquam iudex ordinarius, nec ex commissione inferioris praelati, non obstante quavis contraria consuetudine, iudicare potest laicus (hoc enim cederet in grave opprobrium cleri) nudum tamen ministerium aliquod circa clericos v. gr. capiendos, aut alias executiones aliquas faciendas, etc. committi etiam laico potest; prout etiam admitti potest laicus ad causas has diiudicandas, ut assessor, consiliarius, notarius, etc. cum haec talia nullam iurisdictionem importent.

§. II. *De causis, quas tractare, et cognoscere potest iudex ecclesiasticus.*

Iudex ecclesiasticus cuiuscunque dignitatis sit, non potest, qua talis, directe, et ordinarie causas mere civiles, vel etiam criminales, quae ad magistratum laicum pertinent, iudicare, ad non confundendas, et perturbandas iurisdictiones, quod sine iniustitia fieri non potest, *cap. Novit*, 13. *h. tit.* nisi crimina mixti fori essent, ubi daretur etiam praeventioni locus, aut per viam denuntiationis evangelicae procedendum esset, circa peccatum mortale subditi iurisdictioni ecclesiasticae, prout sumitur ex *cit. cap. Novit.* Possunt tamen ex commissione principis saecularis causas etiam profanas inter laicos iudicare *cap. Inter dilectos*, 6. *De fide instrum.* et in casu negligentium magistratuum civilium, cum iurisdictio etiam circa saecularia absolute negata non sit ecclesiasticis personis, sicuti laicis negata est iurisdictio circa causas spirituales, et personas ecclesiasticas, etc.

§. III. *An aliquis possit esse iudex, sive ecclesiasticus, sive saecularis, et iudicare in causa propria?*

Quamvis ob plenitudinem potestatis, et praesumptionem aequitatis supremi principes in causis propriis, quae ipsos inter, et eorum subditos moventur, vel de iniuriis sibi illatis iudices esse possint, *l. Et hoc,* 41. *ff. De haered. institut. et l. unic. cod. Si quis imperat. maledix.* prout etiam ex *cap. Cum venissent,* 12. *h. t.* colligitur, consultius tamen, et aequitati naturali conformius constituet princeps talis in talibus causis arbitros, aut iudices alios, qui ius dicant, quod etiam hodie passim practicatur. Inferior tamen supremo principe iudex nunquam in propria causa iudex esse potest, aut ius sibi di-

cere, ut habetur in *l.* 5. *cod. Ne quis in sua causa*, *etc.* Cum iudex quasi media persona ad dirimendam litem inter actorem, et reum ordinario esse debeat; nisi factum, seu iniuria iudici facta notoria sit, ut vi iuris certam poenam statuentis, quoad publicam vindictam, siue alio processu puniri possit nocens, cum in tali casu non tam ut iudex, quam ut iuris executor procedere censeatur; aut nisi episcopus v. gr. in causa ad suam ecclesiam principaliter spectante iudicet, quo in casu, si non recusetur, valide pronuntiabit; aut nisi iudex in casu, quo rationabiliter dubitatur, an sua sit iurisdictio, cognoscat, ac indicet suam esse iurisdictionem, cum in tali casu non tam in propriam utilitatem directe iudicet, quod prohibitum est, dum prohibetur, ne quis in sua causa iudex esse possit; quam ob bonum commune, ut ordinario suo officio fungi possit, ita tamen, ut si contra talem iudicem excipiatur, quod inhabilis v. gr. ad iudicandum sit, ad superiorem recurri debeat: de tali enim exceptione, aut recusatione non potest inferior iudex, cui haec inhabilitas obiicitur, iudicare.

§. IV. *An iudex, qui agnoscit de causa possessionis, semper, necessario cognoscere, seu iudicare debeat etiam de causa proprietatis?*

Ordinarie, et regulariter, si reus, et actor sint eiusdem fori, coram eodem iudice causa possessionis, et proprietatis tractanda, et terminanda est, prout habetur ex *cap. fin. h. tit.* et pluribus infra explicabitur in tit. *De causa possess. et proprietatis.*

SECTIO III.

De actis iudicii, modo procedendi, et aliis quibusdam observandis in iudicio, et quomodo finiatur iudicium?

§. I. *An acta iudicii per iudicem existimatum, qui vere iudex non est, sint valida?*

Qui existit in possessione officii iudicis, quamvis ob defectum iuris, aut tituli veri verus iudex non sit, si tamen titulum coloratum, seu putativum habeat (eo quod v. gr. potestatem ad actus iurisdictionis exercendos ab eo acceperit, qui talem potestatem dare potuit) etsi error publicus, communis ac probabilis, pro vero, et pro legitimo iudice eum communiter habeat, acta per illum ut iudicem facta, valida sunt, supplente iure omnem defectum, qui a iure positivo suppleri potest, ob boni communis, et publici necessitatem, prout clare habetur in *l. Barbarius. ff. De officio praetor.* 3. et desumitur etiam *ex can.* 1. §. *Verumtamen, causa* 3. *Quaest.* 7. ille tamen qui titulum coloratum non habet, sed mala fide se intrusit absque legitima superioris auctoritate in officium iudicis, nihil prodest ad eorum, quae ut iudex egerat, valorem, publicus, et communis error; iure scilicet defectum non supplente, nisi in officii sui possessione sit index cum duplici illo requisito: valde tamen probabile etiam est, quod illius etiam iudicis acta valida sint, qui nullum quidem coloratum, aut apparentem titulum habet, bona tamen fide suam iurisdictionem possidet, et communiter pro vero iudice habetur, ita ut in tali casu communis error solus sufficiat ad supplendum ab

ecclesia defectum legitimi tituli, uti colligitur ex *cap. Consultationibus*, 19. *de iure patron.* praesertim si talis, sciente saltem illo, qui titulum legitime conferre potest, in sua possessione existat.

§. II. *An acta in uno iudicio valida, valida etiam sint, et fidem faciant in altero iudicio?*

Acta coram iudice incompetente non valent, neque fidem faciunt coram iudice competente, ut sumitur ex *cap. Etsi clerici*, 4. *h. tit.* et hinc confessio coram iudice incompetente facta, confitenti non praeiudicat, ut exinde condemnari possit; potest tamen etiam haec confessio iudicium, et praesumptionem criminis parere, et vim habere confessionis extraiudicialis, si non per vim, et metum tormentorum extorta, sed sponte facta fuerit; cum indignum videatur, ut, quod quisque sua voce confessus est, postea infirmet, proprioque testimonio resistat.

Quae tamen coram iudice competente in uno iudicio acta fuerunt (circa merita causae probanda, non tamen circa ordinationem litis) valida etiam sunt, et probant, ac fidem faciunt coram altero iudice competente, dummodo inter easdem personas, et in ordine ad eundem finem, seu effectum acta talia producantur, *argu. c.* 2. *De except. in* 6. et iuxta *can. Multi*, 18. *causa* 2. *Quest.* 1. Quia bonum commune exigit, ut unus iudex iuvet alterum circa causam executioni mandandam; et hinc, sicuti saecularis iudex iuvare debet ecclesiasticum, ad latae sententiae, sive censurae observationem, ita ecclesiasticus etiam iuvare debet saecularem ad executionem sententiae a se latae, censuris etiam compellendo damnatum ab observationem sententiae a saeculari iudice latae, ita tamen, ut ecclesiasticus iudex prius examinare possit processum a iudice saeculari factum, tanquam hoc superior, non tamen saecularis, tanquam inferior, processum ab ecclesiastico iudice factum.

Quod si tamen ad universum finem tendant diversa iudicia, acta in uno iudicio non probant in altero, nec fidem faciunt, et hinc si coram iudice saeculari actum fuit ad poenam legalem, non probant eadem acta coram iudice ecclesiastico ad poenam canonicam; nec testimonia, quae probabant in iudicio summario, plenam semper fidem faciunt in iudicio ordinario.

§. III. *De ordine, seu modo procedendi summarie, et de plano, in iudicio.*

Quod iudicium aliud sit solemne, ordinarium, et plenarium, aliud vero sit summarium, et extraordinarium, ex dictis iam patet, uti etiam ex diverso modo procedendi utrumque iudicium inter se differat: hoc ergo §. modus tantum summarii processus, sive iudicii explicatur.

Et primo quidem certum est, quod duas potissimum ob causas processus hic summarius instituatur. Primo quia sunt tales causae, quae celerem expeditionem requirunt, quales sunt pleraeque causae ecclesiasticae; causae quae incidenter tantum cognoscuntur; causae beneficiales, decimales, lites mercatorum, ob nimiam frequentiam; causae alimentorum, et tributorum, seu collectarum; causae naufragorum, pauperum, et miserabilium personarum; causae mercedum, et salariorum; quando agitur de tutore dando etc.

Secundo institui solet processus tantum summarius, si agatur de causis modicis, in quibus de parvo, et facile reparabile damno agitur, quales sunt causae civiles, de delicto v. gr. modicae summae, respectu personarum litigantium etc. aut si agatur de delictis levibus, aut lis sit mota inter personas viles, et imperitas; aut si agatur iudicio possessorio momentaneo etc. inter quos modos illud tamen discrimen est, ut, si procedatur summarie propter causae levitatem, plena probatio necessaria non sit, sed sufficiat etiam semi plena, quia agitur de modico praeiudicio. Si vero summarie agatur, quod causa exigat celerem expeditionem, plena plerumque probatio requiritur, causae tamen qualitate, et gravitate spectata. Videatur *Clementin. Dispendiosam*, 2. *h. t.*

Tertio certum est, quod in processu hoc summario ea, quae iuris naturalis, aut gentium sunt, non sint omittenda, uti est citatio partis, iuramentum calumniae, aut malitiae, de veritate dicenda, petitio facienda ab auctore, terminus ad exhibendas probationes omnes necessarias, et legitimas defensiones producendas etc. ea vero, quae iuris positivi tantum humani solemnitates sunt, nihil in hoc processu summario necessaria sunt; et hinc non requiritur necessario libelli oblatio, litis contestatio, variae dilationes, multa advocatorum, aut partium iurgia, superfluae probationes etc. Videatur *Clement. Saepe*, 2. de *V. S. et Extravag. Frequentes, inter communes h. t.*

§. IV. *De modo procedendi iudicialiter contra clericos criminosos.*

Ex *cap... Cum non ab homine*, 10. *h. t.* modus hic desumi debet, ubi statuitur, quod clericus (extenditur hoc communiter etiam ad regulares) in quocunque ordine constitutus, etiamsi prima tonsura tantum initiatus esset, propter furtum, homicidium, periurium, aut aliud simile grave crimen, si de hoc legitime convictus fuerit, ab ecclesiastico iudice sit deponendus (sive verbaliter degradandus per sententiam iudicis ecclesiastici), et si depositus incorrigibilis fuerit, quod sit excommunicandus, ac crescente deinde contumacia anathematizandus (cum solemnitate maiore, de qua infra *in l. 5. Excommunicari*), et si necdum resipuerit, sed in profundum malorum venerit, cum ecclesia non habeat ultra quod faciat, per saecularem potestatem, cui realiter degradatus tradendus erit, coerceatur, et puniatur. Putant quidem aliqui, modum hunc contra clericos criminosos non semper esse observandum, sed posse clericum facinorosum in gravissimis delictis depressum, furtis v. gr. sacrilegiis, parricidiis, latrociniis etc. non expectata incorrigibilitate, statim degradari realiter, et tradi potestati saeculari puniendum, ut bono publico, et cleri reverentiae magis consulatur: verum alii communius, et probabilius putant, etiam propter enormia scelera, non posse clericum statim tradi curiae saeculari puniendum, nisi sit incorrigibilis, aut nisi casus sit a iure exceptus, non tantum ob textum cit. *cap. Cum non ab homine*, generaliter loquentem, sed ob textum etiam *cap. Tuae*, 6. *de poena*, ubi de latrociniis, et furtis qualificatis clericorum puniendis respondet pontifex, deponendos eos esse (verbaliter) et ad agendam poenitentiam in monasterium detrudendos, vel in carcerem concludendos, ergo nec ob gravissima delicta commissa statim sunt realiter degradandi, et curiae saeculari tradendi, quod apertius esse patet

ex cap. *Ut famae*, 25. *De sent. excommunicationis*. Sunt autem in iure casus aliqui excepti, in quibus si deliquerint clerici, non expectata incorrigibilitate, saeculari curiae puniendi tradi possunt. Crimen haeresis scil. cap. *Excommunicamus*, 13. §. *Damnati*, et cap. *Ad abolendam*, 9. §. 1. *Haeret.* crimen falsationis literarum apostolicarum *c. Ad falsariorum*, 7. *De crimine falsi*; conspirationis, seu insidiarum structarum contra proprium episcopum. *Can. Si quis*, 18. *caus.* 11. *q.* 1.; crimen assasinii; crimen nefandum contra naturam; non ordinati in sacerdotes, si missas tamen faciant, confessiones excipiant etc.

§. V. *De aliis quibusdam observandis a iudice, vel partibus litigantibus in iudicio.*

Citatio per edictum, per quam firmatum iudicium perpetuatur, et praevenitur iurisdictio, non tantum locum habet respectu pontificis citantis, aut ex illius commissione, iuxta *Clement. Dudum*, 1. *h. t.* et *Extravag.* 2. *inter com. De dolo, et contum.*, sed respectu etiam alterius cuiusvis inferioris iudicis, si scil. impediat aliquis, ne citatio personalis ad eum, aut ad domum illius facta perveniat.

In libello oblato iudici, non necessario, de iure canonico, nomen actionis exprimi debet *cap. Dilecti*, 6. *h. t.* sed satis est, si factum, et rei veritas ita exponatur, ut appareat ius actoris, et causa petendi, quidquid sit de iure civili, iuxta quod aliqui volunt, exprimi debere nomen actionis ab actore, quam intentat: alii tamen etiam de hoc iure negant; certe consuetudo magis videtur observare ius canonicum, nisi ex eodem facto plures actiones oriri possint, ubi exprimenda actio, ut appareat, quid petat actor: quod ipsum tamen omitti potest, si ex aliis coniecturis satis colligi possit mens, et actio actoris.

Si iudex habeat causam consimilem in specie cum causa sibi commissa, recusari potest tanquam suspectus, cap. *Causam quae*, 18. *h. t.* eo quod parti videatur favere, cum qua consimilem causam habet, et merito praesumi possit, ita iudicaturus in causa sibi commissa, prout iudicari cuperet in causa sua. Si iudices de causa principali, et exceptionibus praeiudicialibus simul cognoscant, vel super ipsa causa principali lite nondum contestata testes recipiant, potest ab illis licite appellari cap. *Exhibita*, 19. *h. t.* Vide de his, et aliis auctorem Method. in hoc §. cuius doctrina etiam alibi traditur.

§. VI. *Quomodo finiatur iudicium?*

Iudicium sine instantia iudicii duobus modis finitur, per lapsum temporis, et per absolutionem ab observatione iudicii: per lapsum temporis, de iure civili, perit instantia in causa criminali intra biennium; in causa vero civili intra triennium a litis contestatione numerandum, *l. Properandum*, 13. *Cod. h. t.* De iure tamen canonico nec per lapsum triennalis, nec per lapsum biennalis temporis exspirat instantia, sive in civilibus, sive in criminalibus causis; uti docet *gloss. communiter recepta* in *c. Venerabilis*, 20. *h. t.* Quia non expediebat dictam legem civilem, de pereunte instantia per lapsum certi temporis recipi, cum tali modo non consuleretur expediendis cito litibus, sed

hae potius fierent immortales, cum de iure civili fluito triennio litem eandem inchoare iterum potuissent partes, ac si nihil unquam motum fuisset, et frequentibus appellationibus a sententiis interlocutoriis, quae de iure canonico concessae sunt, facile ultra tempus constitutum lites extenderentur. Concedit quidem *Trident. sess.* 24. *c.* 20. *de refor.* quod si causa ad forum ecclesiasticum deducta, in prima instantia coram locorum ordinariis cognoscenda, infra biennium a die motae litis non terminetur, liceat partibus ad aliud iudicem superiorem causam illam deducere, ita tamen ut acta elapso biennio, aut instantia non pereant; sed partes, si velint, vel coram eodem iudice litem prosequi possint, vel si lubeat, superiorem adire, causam tamen prosequi possint, ubi inferior destitit, et in eodem, quo fuit apud inferiorem statu, assumere. Haec in puncto iuris vera sunt, consuetudo tamen videtur potius approbare iuris canonici sanctiones, quam quae iura civilia statuunt.

Per absolutionem ab observatione iudicii perit instantia, si in progressu litis appareat, intentionem ac petitionem actoris in libello inepte propositam fuisse, quo in casu absolvitur reus ab instantia huius iudicii, reservato tamen actori iure iterum agendi, et rectius libellum formandi, prout habetur in *c. Examinata*, 15. *h. tit.* ut reo provideatur, ne respondere debeat ad inepte petita, et tamen etiam actor non multum patiatur, ob inepte formatum libellum, sed rebus suis, melius hunc formando, consulere possit: et hinc si in principio statim, ante litem contestatam, libelli ineptitudo appareat, statim libellus talis a iudice ex officio reiici debet, et lis non contestari ante libellum melius formatum, nisi ex aliis circumstantiis, et coniecturis satis appareat intentio, et petitio actoris, quae etiam non nominata actione ex aequitate observari debet. Sunt insuper alia, quae faciunt iudicium omnino nullum, incompetentia scilicet iudicis, persona actoris, aut rei, quae in iudicio agere, aut conveniri non possunt; res ipsae, quae non possunt coram hoc iudice tractari; defectus citationis; defectus, et omissio substantialium solemnitatum; ordo iuris non servatus, qui ad substantiam iudicii pertinet, de quibus tamen alibi.

TITULUS II.

DE FORO COMPETENTE.

SECTIO I.

De foro competente in genere, et variis modis, quibus constituitur forum competens.

§. I. *Quis dicatur iudex competens, et quod forum competens?*

Forum competens aliud non est, quam tribunal iudicis, cuius iurisdictioni in tali causa reus subiicitur, sive ubi reus ab actore conveniri potest, ac debet, iuxta illud, quod ordinarie forum rei actor sequi debeat, et hinc iudex competens dicitur ille, cuius iurisdictioni subiicitur reus, sive coram quo actio, et lis proponi, institui, ac finiri potest. Est autem iudex competens alius simpliciter competens, quem partes litigantes adire possunt, et per se debent, tanquam ordinarium suum iudicem. Alius per se quidem incompetens est respectu partium litigantium, cuius tamen iurisdictionem partes in se prorogare possunt. Alius denique est simpliciter respe-

ctu harum partium incompetens, qui nec ordinariam in partes litigantes iurisdictionem habet, nec per partium consensum iurisdictio eius in has partes prorogari potest; cuius sententia ipso iure est irrita, et contra huius sententiae nullitatem semper excipere possunt partes, ita ut nunquam in rem iudicatam transeat, si certo constet de iudicis absoluti incompetentia.

§. II. *De variis causis, seu modis, quibus constituitur forum competens.*

Ordinarii sunt quatuor modi, quibus forum competens constituitur, et sortitur aliquis, prout habetur ex *c. ult. h. t.*, ratione domicilii scilicet, ratione contractus, ratione delicti, et ratione rei sitae in certo territorio aliquo. Praeter hos quatuor modos, de quibus paulo post, sunt etiam extraordinarii aliqui, et generales, quibus forum quis sortiri poterit. Sic primo ex *cap. Licet*, 20. *h. t.* patet, quod advenae, et peregrini in curia romana conveniri possint, si Romae existant, quamvis ex nullo alio quatuor modorum prius enumeratorum forum competens Romae sortiantur; clerici quidem in omnibus causis tam ecclesiasticis, quam temporalibus, tam civilibus, quam criminalibus; laici vero saltem in causis ad forum ecclesiasticum pertinentibus, cum enim omnes ecclesiae totius mundi sint in territorio papae, consequenter respectu omnium ecclesiis illis subditorum competens iudex est Papa. Per hoc tamen non negatur taliter convento, ex iusta, et necessaria causa, litem sibi Romae intentatam, domum revocare ad forum domicilii, ubi ad respondendum melius instructus est, et quamvis *Trident. sess.* 24. *c.* 20. *De refor.* velit, ut causae ecclesiasticae in prima instantia coram ordinariis locorum cognoscantur, ac terminentur, per hoc tamen nihil derogatum voluit *c. Licet.* cum omnium locorum ordinarius dici possit etiam papa, et Roma sit communis omnium in Christo fidelium patria. Secundo possunt etiam sortiri forum aliqui ratione causae, prout causae ecclesiasticae, et spirituales etiam laicorum coram iudice ecclesiastico tractari debent, etsi nec ratione domicilii, nec ex alio ordinario capite, ad talem iudicem personae tales spectarent. Tertio, possunt speciale forum sortiri aliqui, ob certa illis concessa privilegia, quibus ab ordinario foro exempti, certo foro gaudent. Quarto ratione communitatis privilegiatae, cui adscripti sunt. Et quinto denique ratione continentiae, et connexionis causarum, de quibus suis locis.

§. III. *Quomodo, et quando sortiatur quis forum, ratione domicilii, sive originis, sive habitationis?*

Duplex est forum domicilii, originis scilicet, et habitationis. Originis domicilium ibi quis censetur habere, ubi quis natus est ex patre, qui non tantum per modum transeuntium in hoc loco, ubi quis natus est, morabatur, cum alibi domicilium habeat, sed in quo pater nati filii stabile domicilium habebat, si tamen aliquod haberet, licet filius extra hunc locum ex occasione transitus v. gr. aut fugae natus fit. Immo iuxta aliquos ibi etiam forum originis sortitur aliquis, ubi pater illius natus, vel si ipse nepos vivente avo, et in huius potestate natus sit, avitae originis forum sortitur:

nunquam autem matris, nisi sit vulgo quaesitus, qui patrem demonstrare non potest. Et quamvis de iure fortius sit domicilium originis, quod immutabile dicitur (neque enim qui in hoc loco v. gr. natus est, non potest esse aliquando in hoc loco non natus), domicilium tamen habitationis quoad iurisdictionem praefertur; et recepta passim consuetudo habet, ut mutato domicilio ex loco originis in alium locum, iura etiam originalia, quoad officia, munera, et praestationes, etc. amittantur.

Domicilium habitationis vero ibi censetur quis habere, ubi actu habitat, et animum habet permanendi, nisi quid occurrat, quod animum illius immutet, ita ut duo requirantur ad constituendum domicilium, actualis scilicet habitatio (saltem inchoata) et animus permanendi in tali loco: et sicuti clericus duo beneficia habens, in diversis ecclesiis, quorum quodlibet residentiam per dimidium v. gr. annum requirit, domicilia habere dicitur, si in quolibet beneficio convenieute tempore residet, sic etiam laicus dici potest duo domicilia habere, si in duobus v. gr. locis per aequales anni partes actu habitat, cum animo, ita utrobique residendi, ut in quolibet loco ex ratione domicilii conveniri possit, etiam ob contractus, et crimina alibi commissa, tanquam absolute loci illius magistratui subditus, si ab alio iudice loci illius, ubi contractum, aut delictum est, non fuerit praeventus. Vagi autem, qui nullibi sedem stabilem habent, sicut ubique, ubi existunt, conveniri possunt, iuxta illud, ubi te invenero, ibi te iudicabo. Qui vero alibi quidem stabile domicilium habent, ad alium tamen locum veniunt, animo per annum v. gr. vel maiorem anni partem ibi commorandi, censentur, si in tali loco dicto modo morentur, quasi domicilium in tali loco habere, ut delictis, aut contractibus v. gr. etiam alibi commissis conveniri coram loci illius iudice possint, prout famuli, milites, praesidiarii, studiosi, etc. se habent. Quod si tamen absque dicto animo longius in loco tali permanendi, ad locum talem accedant, praeter opinionem tamen suam per accidens diutius ibi morari cogantur, non dicuntur quasi domicilium ibi habere, sed hospites tantum, et loci illius peregrini.

§. IV. *Quomodo constituatur forum ratione delicti?*

Ratione delicti sortitur quis forum, et subiicitur iurisdictioni illius iudicis in foro externo scilicet in cuius territorio deliquit, etiam si alias ei subditus non esset (ut scilicet scelera in eo loco puniantur publica vindicta, ubi commissa fuerunt; et ob bonum publicum manifesta sit delicti punitio, ubi cum offensa boni publici delictum commissum est, *arg. cap. Postulasti*, 14. *h. t.*) si in tali loco, ubi deliquit, delinquens deprehenditur, vel si antequam ex territorio tali egrediatur, citatione preventus fuit. Sicut autem nullum delictum exceptum est in tali loco commissum, quod territorii illius iudicis iurisdictionem non subeat, ita nulla persona exempta est ab hoc delicti foro, (si tamen delictum non tantum sit contra particulare statutum aliquod, ad quod fortassis alter non tenetur, sed contra ius commune) pro conditione tamen personae, ut scilicet ecclesiasticus delinquens forum delicti huius ratione sortiatur apud ecclesiasticum illius loci iudicem, saecularis vero apud saecularem iudicem, et regularis apud regularem, iuxta *Tri-*

dent. constitut. sess. 6. c. 3. De refor. et sess. 25. c. 14. De regula. De qua re alibi.

Quod si vero in uno quidem loco seu territorio inchoatum est delictum, in alio autem perfectum, et consummatum (ut si quis globum eiaculetur in territorio electoris Bavariae, et occidat hominem in territorio episcopi Augustani existente) probabile quidem est, quod iudex loci, in quo delictum perfectum est, et homo occisus, non iudex loci, ubi delictum inchoatum est, possit delinquentem talem, si in territorio illius deprehendatur, iudicare, et punire; probabilius tamen est, quod utriusque territorii iudex procedere contra talem delinquentem possit, et detur locus praeventioni, (cum in utroque territorio reus deliquisse censeatur) nisi vulneratus lethaliter in uno loco, ad alterum sic vulneratus abiisset, et mortuus esset, quo in casu punitio, et iudicium vulnerantis, penes iudicem loci, ubi vulnus inflictum est, esset.

Si tamen reus ex loco delicti commissi fugiat ad aliud territorium, tum spectato iure communi, si sub eodem supremo principe sit tale territorium, iudex talis territorii si fuerit requisitus a iudice delicti vel domicilii, eum capere, et remittere debet, cum eiusdem principis iudices se invicem iuvare debeant, si requirantur, ne delicta maneant impunita; si vero reus ad territorium fugerit, quod est sub alio principe, non tenetur reus remitti, neque cogi potest illius loci iudex ad hunc remittendum, quamvis compelli possit ad agendum a reo talis fori ratione laesionis aut damnorum factorum. Haec autem remissionis materia, quia hodie multum a consuetudine dependet, illa consulenda est, vel statuta particularia, etc. iuxta quae in nostra saltem Germania delinquens punitur, ubi deprehenditur, absque ulla remissione facta ad iudicem delicti: neque possunt ministri, aut officiales sive iudices, ubi delictum commissum est, in alieno territorio, quo reus iam aufugit, eum persequi, sed ab omni illius persecutione desistere debent, quamprimum alienum ille territorium attigit, nisi sint grassatores, latrones, aut alii similes pacis publicae perturbatores, quorum persecutio in imperio etiam extra territorium persequentis continuari potest. Quomodo etiam praelatus regularis in quoslibet sui ordinis regulares, ubicunque delinquunt, iurisdictionem habet ratione obedientiae illi promissae, et belli dux in quoslibet milites sui exercitus.

§. V. *Quomodo, et quando constituatur forum ratione contractus?*

Ratione contractus, aut quasi contractus sortiri forum contrahentes ibi, ubi contraxerunt, *ex c. ult. h. t. et ex c. 1. eodem in* 6. patet, si tamen in loco, ubi contraxerunt, moram habent, tabernam, officinam, tentorium erigendo, ad merces distrahendas, sive horreum conduxerint ad emendum, aut vendendum (neque enim, qui cum viatore, aut peregrino sciens hunc talem, et statim iterum discessurum, contrahit, in loco contractus hunc talem convenire poterit, nisi etiam hic talis in iudicem contractus consensisset, aut aliud exigat natura contractus, aut consuetudo loci, alias enim durissimum tali peregrino foret, ubique locorum, quo devenit, respondere)

etsi in loco contractus reperiatur si enim territorio contractus iam excesserunt, urgeri amplius non possunt, ad comparendum coram iudice loci illius personaliter, quamvis immissio in illorum bona, si quae habent in tali territorio, et citati contumaciter absint, fieri possit, prout habetur in *cit. c.* 1. §. *Contrahentes*, vel si nulla bona habeant, in loco contractus, habeant tamen in loco domicilii, ad hunc locum actor remitti poterit, et iudex domicilii requiri, ut actorem bonorum talium possessionem immittat. Quae tamen omnia intelligenda sunt, nisi aliter contrahentes convenerint, qui sicut solutioni faciendae certum locum nominare possunt, ita ad contractum implendum convenire possunt, de domicilii, vel loci celebrati contractus iudice, aut receptae consuetudini deferendum erit.

§. VI. *Quomodo, et quando constituatur forum ratione rei sitae in alieno territorio?*

Si actio realis, aut mixta intentatur, potest conveniri reus coram iudice, in cuius territorio res sita est, sive immobilis haec sit, sive mobilis (modo res talis mobilis non sit tantum custodiae causa, et sic tantum transeunter in loco tali deposita) *c. Sane*, 8. *et c. ult. h. t.* ita ut penes actorem sit, si res immobilis feudalis non sit, utrum in loco domicilii rei, an vero ubi res sita est, agere velit; quamvis enim tali iudici, ubi res sita est, non sit absolute subditus rei talis possessor, et consequenter actione mere personali coram tali iudice conveniri non possit, sit tamen subditus secundum quid, in ordine ad rem in illo loco sitam, et possessam: quodsi tamen in tali casu actor non forum rei sitae eligat, sed forum domicilii, et reum conveniat coram iudice domicilii, debet postmodum iudex rei sitae, ad denuntiationem iudicis domicilii, qui sententiam tulit, eam exequi *argu. c. Postulasti*, 14. *h. t.*

§. VII. *An, et qua ratione praeventus a iudice competente, non obstante postea mutatione fori, adhuc coram illo in iudicio respondere teneatur?*

Quod talis, si a iudice competente legitime praeventus fuerit, per citationem v. gr. ad instantiam partis factam, etiamsi postea forum mutaverit, nihilominus coram priori iudice respondere teneatur, et causam prosequi, constat ex *c. Proposuisti h. t.* Ibi enim finiri iudicium debet, ubi coeptum est *l. Ubi*, 30. *ff. de iud.* quamvis enim egressus ex loco, ubi domicilium habuit, desinat esse subditus ratione domicilii illius loci iudici, quam primum locum illum animo transferendi domicilium egressus est, manet tamen illi quoad hanc causam, circa quam ante excessum, per legitimam citationem praeventus fuit, ratione praeventionis subditus; nisi etiam una cum mutatione domicilii, vel iurisdictionis, mutetur status personae, si clericus v. gr. vel religiosus fiat, tum enim coram iudice ecclesiastico conveniri debet, quamvis non improbabile sit, ad mulctam pecuniariam coram iudice etiam saeculari, a quo laicus praeventus est, conveniri posse.

SECTIO II.

An, et quomodo iudex competens iurisdictionem suam extendere, aut ius dicere possit extra territorium proprium?

Quod iudex non possit directe iurisdictionem contentiosam exercere, extra territorium proprium, sive in alienos subditos, sive in suos, quoad res, et bona in alterius territorio sita, certissimi iuris est; tantum id in quaestionem venire potest, an, et quando statutum, vel sententia iudicis extra proprium territorium se extendat, et effectum aliquem habeat. De qua re sit.

§. I. *An statutum reddens personam habilem, vel inhabilem, ad contractus, vel testamenta, extendatur etiam ad bona extra territorium sita?*

Si statutum particulare provinciae, aut civitatis alicuius directe tantum disponat, circa formam actus praescribendo v. gr. quaenam substantialiter ad valorem contractus v. gr. aut testamenti etc. in tali loco facti requirantur, vel si directe disponat circa personas suae iurisdictioni subiectas, habilitans illas v. gr. ad actum faciendum, validus est actus, iuxta formam talem in illo loco factus, a quocumque demum, sive incola, sive peregrino ibi contrahente v. gr. aut testante etc., fiat, etiam quoad bona extra territorium talis provinciae, aut civitatis sita; quamvis enim circa haec bona nullam directe iurisdictionem statuentes talia exercere possint, possunt tamen indirecte, contractum v. gr. aut testamentum in tali loco factum validando, vel irritando.

§. II. *An sententia iudicis condemnantis ad poenam, vel infligentis poenam confiscationis bonorum, se extendere possit extra territorium iudicis poenam statuentis?*

Sententia poenalis, seu poenae inflictiva, ordinarie se non extendit extra, vel ultra territorium iudicis sententiam talem ferentis in ordine ad sententiae talis executionem, (quia iudex non potest actum iurisdictionis contentiosae, qualis est executio sententiae, exercere extra proprium territorium, *c.* 2. *De constit. in* 6.) nisi requisitus alterius territorii iudex, ut poenam in eius territorio exequatur, consenserit, vel poena imposita, ex praescripto legis utrique loco communis, ita ut uterque iudex eam observare debeat; quibus in casibus sententiam ab huius territorii iudice latam alterius territorii iudex exequi debet. Quod si vero ex lege communi bona in poenam confiscentur, et haec in diversis territoriis existant, ita tamen, ut diversa haec territoria uni subsint principi v. gr., tum bona confiscata, in quocumque territorio existant, ad fiscum principis illius redigentur; si tamen sub diversis principibus sint talia territoria, et ex dispositione legis utrique territorio communis poena confiscationis imponatur, tum illi fisco omnia bona mobilia confiscata cedunt, in quocunque territorio sita sint, et bona immobilia in hoc territorio sita, ubi sententia condemnans lata fuit: quae autem in alieno territorio bona immobilia sita sunt, illius territorii fisco cedent, si confiscandi bona ius habeat dominus; si autem ex speciali tantum certi

territorii statuto confiscatio poenalis fiat, locum illa non habebit circa bona extra territorium confiscantis sita, etiamsi utriusque territorii idem princeps sit, ut ne fiat odiorum extensio, sed tantum ad bona in tali territorio sita ubi statutum tale viget, extendi potest. Vide de his civilibus plura apud auct. Meth. l. cit.

SECTIO III.

De foro competente clericorum.

§. I. *Quis sit iudex competens clericorum?*

Quod conveniri possint clerici non exempti coram suo episcopo, qui iudex ecclesiasticus ordinarius est totius dioecesis, sive a laico, sive clerico conveniantur, in causis tam civilibus, quam criminalibus, certissimi iuris est, *can. Si quis*, 45. *et can. Si clericus*, 46. *causa* 11. *q.* 1. *et c.* 1. *h. t.* nisi cum consensu proprii episcopi apud alium ecclesiasticum iudicem partes agere velint, aut speciale aliquod privilegium, vel recepta consuetudo, vel ipsae etiam leges aliis etiam ecclesiasticis iurisdictionem in quosdam clericos tribuant *c. Cum contingat*, 13. *h. t. et c. Cum ecclesiarum*, 3. *de iud. ord. iunct. gloss. verbo Ecclesiastica sententia:* Quo in casu, si exempti tales clerici, aut praelati non sint a iurisdictione episcopi, penes actorem optio erit, clericum talem, vel coram suo episcopo, aut coram inferiore immediato praelato iurisdictionem in illum habente, convenire; et praelatus talis inferior, si territorium proprium non habeat in personas suae iurisdictioni subiectas, potest eam exercere in quovis dioecesis illius loco, ne frustranea sit illius iurisdictio, quae personas tantum certas respicit, et non certum locum inter dioecesim illam situm; episcopus tamen extra suam dioecesim iurisdictionem contentiosam exercere non potest, nec in ordine ad suos subditos, cum huius iurisdictio certum etiam locum respiciat, nisi vel ex consensu loci illius v. gr. dioecesis episcopi, vel ex sua dioecesi expulsus beneficio, seu privilegio *Clementinae unicae h. t.* uti velit.

§. II. *In quibus casibus in specie clerici coram iudice saeculari conveniri non possint, et in quibus possint?*

In genere quidem certum est, quod nullus iudex saecularis per se condemnare possit, vel iudicare personas ecclesiasticas, sive clericos, *c. Nullus*, 2. *h. t.* nulla consuetudine, quamvis immemorialis illa sit, quidquam iuvante, etiamsi liquida contra eos instrumenta producta fuissent, ita ut sola executio facienda esset, *c. Saeculares*, 2. *h. t. in* 6. ita ut excommunicationem ipso facto incurrat, qui contrarium agit; et hinc conveniri non possunt clerici, et aliae personae ecclesiasticae coram saeculari iudice, non tantum in actionibus personalibus, sed neque in causis sive actionibus realibus, (quidquid sit de contraria alicubi recepta praxi quoad actiones reales) *argum. c. Si Clericus*, 5. *h. t. et c. fin. De iudiciis*, cum res in territorio saecularis iudicis sita forum illi non tribuat, si persona per speciale privilegium omnino exempta sit; neque haeres clericus, qui in bona laici successit, conveniri potest ex sententia probabiliore ratione horum bonorum coram saeculari iudice, etiam si coram iudice laico contra defunctum laicum

lis iam fuisset inchoata, neque enim per preventionem iudicis laici amittitur privilegium fori clericis concessi, cum hoc nullo iure probetur; neque conveniri potest clericus coram laico iudice in causa communi clerico cum laico, aut pluribus laicis propter consortium, sed contra potius fieri debet, ut laicus coram ecclesiastico iudice in causa tali cum clerico communi conveniatur, (quia magis dignum trahit ad se minus dignum) si tamen causa dividi non possit; si enim dividua esset, quisque coram suo iudice conveniri deberet. Neque denique conveniri potest clericus coram iudice laico, etiam si tantum in possessorio agatur, non quidem fortasse propter qualitatem causae, sed propter qualitatem personae.

Sunt tamen plures etiam casus, in quibus clerici coram iudice laico conveniri possunt. Et primo quidem in causis feudalibus *cap. Verum, 7. h. t.* Secundo in casu quo bona immobilia clericis, vel ecclesiis donata aut data sunt, cum tali pacto, seu conditione, ut sub eodem foro maneant, sub quo prius existebant, quae conditio, utpote iusta, si ab ecclesia donatio, vel datio talis acceptatur, servanda est, prout principes Imperii ecclesiastici ratione suorum privilegiorum, et regalium, quae ab imperio habent, imperio subiecti sunt. Tertio si agatur contra laicum ad evincendum ab ipso rem, quam emit a clerico, et clericus venditor ad defendendum emptorem ei assistere velit, coram iudice saeculari, ipsius scilicet emptoris, comparere debet. Et quarto sicuti laicus ratione administrationis ecclesiasticae nonnunquam debet coram iudice ecclesiastico officii sui rationes reddere, ita clericus etiam ratione officii, si alieno nomine conveniatur, tutor v. gr. ratione pupilli, curator ratione minoris etc., coram iudice saeculari respondere potest.

§. III. *Quinam in specie gaudent privilegio fori ecclesiastici?*

Non tantum clerici in sacris constituti privilegio fori ecclesiastici gaudent, sed etiam clerici in minoribus constituti, vel si tantum tonsura initiati, si observent ea, quae a *Trident. sess. 23. c. 6. de reform.* his praescribuntur, ut scilicet vel beneficium ecclesiasticum (late accipiendo nomen beneficii, prout etiam pensionem significat) habeant, vel si beneficium non habeant, saltem clericalem habitum, et tonsuram deferentes in seminario aliquo clericorum, vel in aliqua schola, vel in universitate aliqua, de licentia episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versentur. Et quamvis hoc fori privilegium recte ad clericos coniugatos, qui cum unica, eaque virgine (ab alio non corrupta) contraxerunt, et dictas conditiones observant, extendatur, probabilius tamen dici potest, quod in criminalibus tantum hi hoc fori privilegio gaudeant, sive si de crimine puniendi sint, criminaliter, sive civiliter conveniantur: rectius tamen hoc fori privilegium ad uxores legitimas talium clericorum, uti et liberos eorum non extenditur, cum privilegium hoc sit privilegium personale, et uxores in illis tantum sortiantur forum mariti, qui cum ipsis communicari possunt, multo minus extendi debet ad concubinas clericorum (quarum delicta cum clericis commissa, recte dicuntur mixti fori delicta), ad familiam clericorum, ad rusticos, et colonos clericorum, etc. de quibus tamen cum iura nihil speciale, ratione fori, statuant, iuxta ius com-

mune cum illis procedendum est. Rectius tamen hac in re videtur consuetudini adscribendum, quod nunnunquam fit, quam iuris privilegio.

Gaudent autem hoc fori privilegio etiam monachi, et regulares omnes utriusque sexus; etiam laici conversi, novitii, oblati, religiosi ordinum militarium, fratres tertii ordinis s. Francisci, eremitae, qui tria substantialia vota religiosa emiserunt; vel si tria haec vota non emiserunt, vivunt tamen communiter in congregatione aliqua, iuxta ritum ab episcopo approbatum; vel si solitarii vivant, deferunt tamen habitum, et tonsuram, et sunt auctoritate alicuius episcopi, ad servitium alicuius ecclesiae deputati, et vivunt sub obedientia episcopi, et si hospitalia sint auctoritate episcopi erecta, etiam hospitalarii, si in talibus domibus vivant, et talium hospitalium incolae, qui sub obedientia dictorum hospitaliorum vivant, privilegio fori gaudent, quia omnes isti nomine personarum ecclesiasticarum in latiori acceptione venire possunt, attendenda tamen in multis consuetudo est.

§. IV. *Quando, et in quibus casibus clerici non gaudeant privilegio fori ecclesiastici?*

Primo, clerici beneficiati in sacris constituti, si habitum, et tonsuram nunquam deferant (ita ut laici passim habeantur, sine ulla iusta causa, et ab episcopo suo ter moniti, eum non reassumpserunt, vel semel in Synodo generali quidem sub expressa tamen comminatione privationis privilegii fori, privilegium hoc amittunt, *c. In audientia*, 25. *et c. Contingit*, 45. *De sententia excomm.* Ita tamen, ut si postmodum (sine fraude subterfugiendi fori saecularis) ea assumpta sint, privilegio hoc gaudeant, cum in tali casu non absolute, sed praecise propter dimissum habitum, et tonsuram privilegio fori non gaudeant, ergo his assumptis privilegio suo gaudebunt, modo nihil in fraudem fori alterius factum sit.

Secundo, si propter delictum, et subsequentem incorrigibilitatem excommunicati clerici etiam in sacris constituti fuerint, et in contumacia perseverent, ipsi amittunt privilegium fori, et fori saecularis fiunt; si tamen per sententiam iudicis ecclesiastici declaretur incorrigibilitas, et actu tradatur potestati saeculari *cap. Cum non ab homine*, 10. *De iud. et c. Ut famae*, 35. *De sententia excommunicationis.*

Tertio, si se immisceant enormitatibus, sive multa enormia delicta committant, privantur ipso iure fori privilegio clerici, quamvis in sacris constituti sint, saltem post trinam monitionem episcopi, et ut aliqui putant, post degradationis realis sententiam, et actualem traditionem saeculari magistratui factam, quod conformius iuribus est.

De aliis casibus, in quibus clerici perdunt privilegium fori, vide *c. unicum*, *De vit. et honest. Cleric. in* 6. *et Clement.* 1. *eodem cap.* 1. *De homicidio in* 6. *c.* 2. *De poenis in* 6. Et quamvis qui iudicari non potest a saeculari magistratu, nec ab eo capi possit, et in carcerem conilci, sunt tamen plures etiam casus, in quibus saecularis magistratus etiam clericos capere potest, non obstante fori privilegio, quod contra talem capturam nihil illis patrocinatur. Sic primo capi potest clericus a saeculari magistratu (ex tacita saltem commissione magistratus ecclesiastici) si in delicto deprehensus

fuerit, aut debita gravia contraxerit, vel gravi iniuria laicum affecerit, etc. et de fuga suspectus sit; non ut ab eo puniatur, sed ut suo magistratui ecclesiastico puniendus tradatur. Secundo, ut praeveniatur delictum committendum, ut si de nocte armatus incedat, et suspectus sit de homicidio committendo. Tertio, quando expressum mandatum habetur ab ecclesiastico magistratu, ut ob delictum commissum capiatur clericus. Quarto denique quando impune verberari potest a laico, *iuxta c.* 3. *de sentent. excomm.* In tali enim casu etiam capi potest. De eo tamen, utrum quis clericus sit, si hanc exceptionem ad forum declinandum opponat aliquis, cognoscere debet iudex ecclesiasticus, uti etiam, si quis fraudis arguantur in assumendo, aut reassumendo statu clericali.

§. V. *Quo iure clerici, aliaeque personae ecclesiasticae sint exemptae a iurisdictione, et potestate saeculari, num positivo tantum, seu humano, an etiam divino, et naturali?*

Qui clericos, et alias personas ecclesiasticas iure divino, et naturali eximunt a laica potestate, et iurisdictione, multi sunt, et non levia fundamenta habent suae opinionis, non tantum ex antiquo testamento, ubi Levitarum tribus nulli alii tribui subdita fuerat, sed soli Aaroni, et successoribus sacerdotibus summis, etc. sed etiam ex novo, *Matth.* 17. ubi Christus seipsum, et Petrum a solvendo tributo eximi putat, etc. et ex iure canonico *c. Quamquam*, 4. *De censib. in* 6. *et ex Trident. sess.* 25. *c.* 10. *De reform.* et ex ratione denique, eo quod personae tales sint in sortem Dei segregatae, si ergo alia inanimata, in ministerium Dei peculiariter selecta, ut sunt sacri calices, sacra altaria, templa, et vasa alia altaris ministerio dedicata, a profano usu, et civili dispositione exempta sunt de iure naturali, et divino, cur non etiam personae ecclesiasticae? His tamen nihil obstantibus fatetur quidem communior sententia, originaliter iuris divini esse hanc clericorum exemptionem, eo quod scilicet Deus dederit summo pontifici hanc eximendi potestatem; et satis certum esse, quod si in rebus mere spiritualibus, et ecclesiasticis exemptio haec sit iuris divini formaliter, et immediate; clericorum tamen, et talium personarum ecclesiasticarum exemptionem formaliter, et immediate iuris esse positivi humani, tam canonici, quam civilis; tum quod potestas circa ecclesiastica, et spiritualia immediate a Christo data est summo pontifici, sicuti potestas politica in ordine ad temporalia a republica datur principi; tum quod utriusque iuris textus hanc exemptionem clericis tribuant, et non in primitiva ecclesia, omnis anima iuxta Apostolum sublimioribus potestatibus (saecularibus scilicet) subiecta fuerit, sed ipse etiam Apostolus ad Caesarem appellaverit; tum quod pontifex etiam hodie possit minuere, aut extendere hanc exemptionem. Neque argumenta contraria efficaciter intentum probant, cum antiqui testamenti leges iudiciales, et caeremoniales hodie non amplius valeant, et novi testamenti verba de Filio Dei ab omni potestate humana exempto intelligi possint: sacri vero canones, et Tridentinum satis explicentur, si originaliter divini iuris haec exemptio dicatur esse, vel saltem si dicatur talis exempliariter facta ad antiquae legis exemptionem, non quidem immediate a Deo, sed a summo pontifice. Ad

rationem denique responderi potest, nihil ea efficaciter probari, cum vel de rebus consecratis procedat, quibus ratione consecrationis maior reverentia debetur, vel de rebus non consecratis; et par erit dubitandi ratio: quia tamen nec secundae sententiae argumenta efficaciter aliquid probant, videtur priori, quae clero favorabilior, et communior est inter canonistas, sua maior probabilitas non neganda.

§. VI. *An, et quando archiepiscopus sit iudex competens inter subditos clericos, vel laicos suffraganeorum, vel non sit?*

Non potest archiepiscopus causas eorum, qui suis suffraganeis subditi sunt, si per appellationem a suffraganeis ad se devolvantur, cognoscere, nisi prius de appellatione cognoscat, num legitima illa, an frivola sit, *c. Romana*, 1. *h. t. in* 6. Neque potest etiam querelas audire super salariis advocatorum v. gr. in causis per appellationem ad se devolutis, ne videatur iam sibi in talibus causis arripere instantiam, quod facere non potest: et quamvis cogere non possit immediate subditos suorum suffraganeorum, ut delegationem causae alicuius suscipiant, vel praecepta sua, aut sententiam exequantur, aut in causis per appellationem ad se devolutis testimonium perhibeant, aut ut super contractibus a se, vel suis officialibus auctoritatem accipiant, aut forum, nisi consuetudo recepta aliud obtineat, *iuxta cit. c.* 1. cum non habeat iurisdictionem in subditos suorum suffraganeorum, nisi in certis quibusdam casibus, quales isti non sunt; potest tamen suo suffraganeo ob iurisdictionem in hunc mandare, ut sententiam in causa appellationis contra subditum illius latam, exequatur, vel subditum suum compellat, ad ferendum in causa appellationis testimonium, *iuxta gloss. hic, v. Suscipere.*

SECTIO IV.

De foro competente laicorum conventorum a clericis, et quando laicus conveniri possit apud iudicem ecclesiasticum?

§. I. *Ubi, sive coram quo iudice ecclesiastico, an saeculari, clericus convenire possit, vel debeat laicum?*

Ex regula quadam generali actor forum rei sequi debet, et consequenter actor clericus reum laicum coram saeculari magistratu convenire deberet; sicuti tamen consuetudo peculiarium regionum hac in re varia est, ita possunt etiam iura contra communem regulam decidere aliquid. Et hinc *iuxta cap. Si clericus*, 5. *h. t.* primo, si clericus contra laicum agit, petendo ab eo rem, de qua constat, quod ecclesiae sit, aut clerico propria, vel quando laicus non negat, rem petitam ecclesiae, aut clerici esse, adiri debet iudex ecclesiasticus, eo quod in tali casu videatur sacrilegium in detentione intervenire, de quo iudicat ecclesiasticus: si vero laicus negat, rem, quae petitur, ecclesiae, aut clerici propriam esse, vel satis constet, nec ecclesiae, nec clerici propriam hanc rem esse, vel saltem dubium sit, num sit ecclesiae, aut clerici propria, clerico actore affirmante, reo tamen laico negante, coram iudice saeculari causa talis cognosci debet (ob communem regulam, quod

actor forum rei sequi debeat) modo laicus conventus fortassis apud ecclesiasticum iudicem a clerico asserente, rem hanc ecclesiae, aut clerici propriam esse, protestetur coram eo, si neget, rem hanc ecclesiae esse, quod per hanc negationem, neque litem contestari, neque in illius iurisdictionem consentire velit, ne prorogare in se iurisdictionem ecclesiastici iudicis videatur: nunquam tamen si causae principali adhaereat aliqua qualitas, quae fundare possit ecclesiasticam, etiamsi reus conventus eam neget, mixti fori tamen censebitur causa talis, ut etiam coram ecclesiastico negans reus conveniri possit.

§. II. *In quibus praeterea casibus laicus conveniri possit coram iudice ecclesiastico, sive a clericis, sive etiam a laicis?*

Regulariter quidem laicus coram laico magistratu conveniri debet in causa civili, si tamen iudex laicus desit officio suo in administranda iustitia, potest reus laicus ab actore, sive clericus hic sit, sive laicus, trahi ad iudicem ecclesiasticum, etiamsi causa mere civilis sit, *c. Licet*, 10. *et c. Ex terrore*, 11. *h. t.* Sicuti enim iustitia negligenda non est, quin immo viduae, pupilli, orphani, et aliae eiusmodi miserabiles personae, si opprimantur, aut possessione sua spolientur, possunt statim, et immediate laicum convenire coram ecclesiastico magistratu, *c. Ex parte*, 15. *h. t.* ad recuperandam possessionem (quia harum personarum defensio ad ecclesiam cumulative saltem pertinet) quamvis causa feudalis sit, aut alia profana, aut personae tales, quae in iure habentur miserabiles, divites essent: et quamvis hodie in praxi contrarium fere ubique obtineat, iuri tamen conformem nostram sententiam esse, in possessorio negari non potest, et in casu quo miserabiles hae personae sunt etiam pauperes, vel certe iuramento interposito ad contractum se observandum obligaverunt, qui cum personis talibus contraxerunt, quo in casu iuramenti abligatio ab ecclesiastico magistratu urgeri potest, *c. Cum laicus*, 3. *h. t. in* 6. ob iuramenti scilicet religionem, cuius observatio urgenda ad ecclesiasticum iudicem pertinet.

§. III. *Coram quo iudice conveniri possint raptores, et invasores rerum ecclesiasticarum?*

Cum tales malefactores sacrilegi habeantur, consequenter conveniri possunt veluti in crimine mixti fori, tam coram ecclesiastico, quam coram saeculari iudice; prout habetur in *c. Cum sit*, 8. *h. t.* non quidem si patrimonialia tantum bona clericorum iniuste invadant, quod crimen sacrilegium dici non potest, sed si bona ecclesiarum, aut ipsas etiam personas ecclesiasticas violent, vel sibi usurpent, sive possessionem bonorum, aut iurium ecclesiae invadant, et perturbent *c. Conquestus*, 16. *h. t.* (cum etiam haec iniusta detentio, et perturbatio sacrilegii nomine veniat) vel turbent etiam temporalem iurisdictionem ad ecclesiam pertinentem, aut piis causis donata rapiant etc.

§. IV. *De causis, aut criminibus mixtis, quorum cognitio ad utrumque forum ecclesiasticum, et saeculare pertinet.*

Crimina alia esse mere ecclesiastica, quae circa materiam mere spiritualem versantur, et ad iudicem ecclesiasticum pertinent, prout est crimen

haeresis, simoniae etc. aliaque mere civilia, quorum punitio praecise habetur ex iure civili, et ad magistratum saecularem, si laicus reus est, pertinet etc. ut est furtum etc.; alia mixti fori esse (in ordine ad laicos scilicet fideles, in quaestionibus facti etc.) ita ut ab utroque iure puniantur, et in illis cognoscendis, et puniendis locus detur praeventioni, qualia crimina sunt adulterium, usura, blasphemia, periurium, sortilegium, sacrilegium, crimen falsi etc. quod si tamen in his mixti fori criminibus ab uno iudice, qui alterum praevenit, absolutus fuit, potest nihilominus ab altero iudice, si secundum allegata, et probata nocens repertus fuerit, puniri; quia sententia lata in uno iudicio prorsus separato ab altero, non parit in hoc exceptionem rei iudicatae.

§. V. *Utrum, si clericus litiget cum laico, coram iudice saeculari, lis decidenda sit secundum leges, et consuetudines fori saecularis, an canonici?*

Dubiam quaestionem facit *cap. Quod clericus*, 9. *h. t.* ubi pontifex mandat, ut clericorum, qui Parisiis commorantur, causae pecuniariae, seu civiles, secundum ius canonicum decidantur. Hoc tamen non obstante, si clericus convenit v. gr. laicum coram iudice saeculari, non tantum in illis, quae pertinent ad ordinationem litis, sequi debent saecularis fori leges, et consuetudines, si iustae et rationabiles sint, sed in iis etiam, quae pertinent ad causae decisionem, iudex saecularis fori sui leges, et statuta, ac consuetudines, modo rationabiles sint, et libertati ecclesiasticae non adversentur, observare debet, *glossa in c. Quod clerici*, 9. *h. t. v. Aliquos.* Sicuti enim contrahentes debent fori illius conditiones observare, in quo contrahunt, ita etiam fieri debet in iudiciis, ubi quasi contrahitur. Ad cap. oppositum *Resp.* Pontificem ibi loqui de clerico contra clericum agente, coram iudice ecclesiastico, qui sine dubio inter duos clericos litigantes ius canonicum observare debet.

SECTIO V.

De iudice competente tum laicorum, tum clericorum in causis feudalibus.

§. I. *Quis cognoscere possit de feudo, sive pertineat ad vassallos laicos, sive clericos?*

Vel controversia de re feudali est inter ipsos convassallos, vel inter extraneum, et vassallum, vel inter dominum, et vassallum. In primo casu si controversia sit, iudex competens inter ipsos convassallos de feudali re est dominus directus feudi, etiamsi alias iurisdictionem non habeat, §. *final. De prohib. feud. alien. per Tridentinum:* quod si vero vassallorum unus asserat, se vassallum esse, et alterum vassallum neget, hic vero vassallum se asserat, neget alterum, competens iudex erit, qui ordinarius loci iudex est. In secundo vero casu, si controversia sit inter extraneum, qui non est vassallus, et vassallum asserentem, quod res, de qua controversia est, sit feudalis, ille vero neget feudalem esse, sed esse de bonis suis allodialibus, iudex ordinarius vassalli rei v. gr. competens erit ad litem hanc decidendam. In

tertio denique casu, si contentio sit de dominio utili v. gr. feudi inter ipsum dominum feudi, et inter illius vassallum, iudex competens ad talem controversiam decidendam erunt pares curiae, alii scilicet vassalli eiusdem domini directi, qui in eodem territorio feudum obtinent, in quo situm est feudum litigiosum, si lis sit decidenda secundum leges, seu consuetudines feudales. Et haec intelligi debent non tantum de vassallis laicis, sed etiam de vassallis clericis, qui dicto modo de re feudali conveniri nonnunquam possunt coram laicis, feudi dominis, aut curiae paribus, cum domini directi sit circa rem suam disponere, *c. Caeterum*, 5. *De iudiciis*, *et cap. Ex transmissa*, 6. *ac c. Verum*, 7. *h. t.*

§. II. *In quibus praeterea casibus dominus feudi cognoscere possit causas feudales inter vassallos laicos, vel clericos, et in quibus non possit?*

Quod dominus directus feudi, competens nonnunquam iudex sit, si lis de feudo oriatur inter vassallos eius domini directi, sive clerici hi sint, sive laici, ut dictum, non tantum locum habent, si in iudicio petitorio de proprietate feudi agatur, sed in iudicio etiam possessorio, si de sola feudi possessione inter vassallos agatur, actore v. gr. petente, ut ipse legitimus feudi possessor declaretur; quia regulariter, qui est iudex competens in causa proprietatis, est etiam competens in causa possessionis *c.* 1. *De causa poss. et propriet.* Neque possunt vassalli, sive clerici, sive laici sint, in causa tali feudali se subiicere alteri iudici, iurisdictionem illius in se prorogando, sine consensu domini feudi, *c. Ex transmissa*, 6. *h. t.* quia non tantum ratione nudi exercitii iurisdictionis, sed etiam ratione fidelitatis, et specialis obedientiae domino feudi quoad res feudales subiectus est vassallus.

Quod si tamen apud dominum feudi iustitia obtineri nequeat, sive deinde hoc proveniat ex contumacia rei vassalli, qui parere non vult domino feudi, sive proveniat hoc ex negligentia domini directi feudi, ordinarius iudex ipsius rei adiri potest, *c. Caeterum*, 5. *de iudic.* et nonnunquam, si ipse dominus feudi sit loci ordinarius iudex, ipsius etiam superior, vel in casu aliquo ecclesiasticus etiam iudex. Hac tamen in re circa iudicem in causis feudalibus competentem, multum potest recepta consuetudo, et specialia saepius concessa privilegia, aut legitima praescriptio, quae attendi debet.

§. III. *Quis sit iudex competens capituli cathedralis, sede vacante, si lis oriatur super feudo, et quis si lis sit super iure emphyteutico?*

In causa feudali, si conveniendum videatur capitulum cathedrale, vacante sede, coram directo domino feudi, imperatore v. gr. vel camera imperiali, conveniri debet; cum enim capitulum tale succedat in omnia iura defuncti episcopi, et obligationes; consequenter sicuti episcopus defunctus conveniri in tali causa coram imperatore v. gr. debuisset, ita etiam capitulum, vacante sede: litigare tamen cum capitulo, vacante sede, non satis tutum esse, nisi defensor ecclesiae constitutus sit, ex *capit. final. Ne sede vacante etc.* patet. Neque tamen causa super iure emphyteutico orta ad dominum directum emphyteusis, velut iudicem competentem, deferri debet (cum in iure hoc expressum non sit, et casus a communi iure exorbitans

ad non expressa extendendus non sit) nisi qui dominus directus est emphyteusis, sit etiam ordinarius illius loci iudex.

§. IV. *An cognitio de crimine vassalli ecclesiastici, ob quod feudo privari mereatur, eiusque punitio pertineat ad dominum feudi saecularem; et ad quem appellandum sit in causis feudalibus?*

De iure quidem certius est, quod clericus vassallus ob delictum commissum, propter quod feudo privandus esset, iudicari, et puniri non possit a saeculari feudi domino, a quo feudum tale obtinet, ob universalem doctrinam *c.* 1. *Clerici,* 8. *de iudiciis*, ubi dicitur de omni crimine conveniendos clericos coram ecclesiastico magistratu, *et c.* 2. *De foro compet.* ubi prohibetur, ne ullus iudicum (saecularium) clericum per se distringere, aut condemnare praesumat; recepta tamen in multis partibus consuetudo, et praxis contrarium tenet, et saeculari etiam domino feudi concedit cognitionem, et punitionem etiam clerici vassalli, si ob crimen commissum, feudo, quod a saeculari principe v. gr. obtinet, privari debeat, ita ut executionem etiam talis sententiae contra clericum vassallum concedat, modo non excedat limites inculpatae tutelae, in personam clerici aliquid attentando, cum in tali feudi amittendi casu ob delictum admissum contra feudalia iura, respectu mere civili considerentur personae etiam ecclesiasticae.

Appellatio autem in causis feudalibus, si vassallus, cui iurisdictio in feudum concessa est, sententiam tulit, ad superiorem dominum, qui feudum tale concessit, et mediatum, fieri debet, sive laicus sive clericus sit vassallus, cum hic non cognoscat causam feudalem ut clericus, sed ut immediatus feudi dominus, qui a superiore saeculare v. gr. principe feudum hoc obtinet. Plura de his alibi.

SECTIO VI.

De renuntiatione fori competentis, prorogatione iurisdictionis, et recusatione iudicis competentis.

§. I. *De renuntiatione iurium, seu favorum in genere.*

Communis regula est, quod quisque renuntiare possit iuri suo, seu privilegio in favorem proprium, et privatum concesso, non autem dato in favorem publicum. Et hinc infertur primo certum esse, quod iuri naturali valide nemo renuntiare possit, cum ius naturale non privatum tantum sed publicum spectet: quamvis enim renuntiare quis possit, ut quod decernente iure positivo, ex iure naturali consequi posset, haereditati v. gr. quae ipsi iure sanguinis, et agnationis defertur, quo minus tamen sit sanguine iunctus, renuntiare non potest. Secundo infertur, quod nemo renuntiare potest iuri divino praecipienti, aut prohibenti aliquid, cum neque hoc praeceptum, aut talis prohibitio privatum tantum, sed publicum spectet. Tertio infertur, quod iuri positivo humano, civili, et ecclesiastico subinde renuntiari possit, subinde non possit; et primo quidem si ius humanum certam formam, et substantialem solemnitatem, in actu aliquo necessario observandam, praescribat, renuntiari illi non potest, cum publicum bonum in hac

forma praescribendo observetur: et universim, si quid statutum sit ob publicum favorem, seu utilitatem, privata conventione renuntiari illi non potest, cum bonum publicum mutari non possit privatorum pactis. Secundo si ius humanum introductum sit in plurium favorem aeque principaliter, non potest unus sine consensu aliorum, et cum eorum praeiudicio renuntiare, si commodum renuntiantis sit inseparabile a commodis aliorum; quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet *iuxta regul.* 29. *in* 6. Si vero pro privata tantum persona, et in privatum tantum commodum privilegium v. gr. aliquod principaliter alicui concessum sit, potest illi renuntiare, cui favor hic privatus factus est, nisi privilegium tale concessum fuisset ob imbecillitatem aetatis, aut aeque principaliter privilegium tale in favorem huius, et in odium alterius concessum fuisset, aut renuntiatio talis ad peccatum induceret, et contra bonos mores esset, quibus in casibus renuntiatio non valet ob pessimas sequelas, quas secum traheret.

§. II. *De renuntiatione privilegii fori ecclesiastici, quod competit clericis.*

Quod clerici, nec inviti, seu coacti, nec volentes renuntiare possint privilegio fori ecclesiastici, et consentire in iudicem laicum, ut coram illo conveniantur, etiamsi iuraverint, hunc iudicem non subterfugiturum, constat ex *c. Diligenti*, 12. *h. t.* cum hoc privilegium non privatum tantum unius clerici favorem concernat, sed toti collegio clericorum propter publicam honestatem, et totius ordinis clericalis honorem concessum sit; et iuramentum, quod est contra publicam utilitatem, non teneat. Volunt autem sacri canones adeo sancte hoc observari, ut in *relato cap. Si diligenti*, certas poenas, amissionis causae v. gr. vel amissionis illius, quod evicit, quod habeatur a communione extraneus etc. statuant in eos, qui taliter renuntiant, et saeculari iudici se subiiciunt.

§. III. *De prorogatione iurisdictionis in iudicem non suum, seu alienum.*

Prorogare iurisdictionem, aliud non est, quam sponte alicui iudici se subiicere in ordine ad causam aliquam diiudicandam, ad quam alias de iure ordinario iurisdictionem non habet.

Fit haec prorogatio 4. modis. De persona in personam, de re ad rem, de tempore ad tempus, de loco ad locum; et plura ad eam legitime faciendam requiruntur. Primo ut ille, cui partes litigantes se subiiciunt, et in quem consequenter fit prorogatio, habeat iurisdictionem aliquam, alioquin partes non tam prorogarent iurisdictionem in se, quam novam conferrent, cum tamen consensus privatorum non possit facere iudicem. Secundo, ut habeat aliunde iurisdictionem ordinariam, neque enim iurisdictio delegata ad certam causam, aut personam prorogari potest ad aliam personam, aut causam, uti ex dictis iam patet, et ex *c. P. et G.*, 40. *de offic. et pot. iud. deleg. iunct. gloss. v. Prorogatio nulla.* Tertio requiritur, ut habeat similem iurisdictionem illi, quae prorogatur, spiritualem scilicet, si ad spiritualem causam cognoscendam fit prorogatio; criminalem, si fiat ad criminalem causam decidendam prorogatio etc. Quarto requiritur, ut fiat a partibus libere, et voluntarie se subiicientibus, saltem tacito consensu, et ipso facto. Quinto denique requiritur, ut ea

fiat lege non prohibente, sed permittente, qualiter tantum permittunt leges ut prorogatio fiat ad iudices sub eodem principe constitutos. Neque tamen in omnibus casibus semper concessa est haec in iudicem non suum prorogandi licentia; sic primo in causa feudali non potest vassallus invito feudi domino in iudicem non suum prorogare iurisdictionem. Secundo non admittitur prorogatio, quando super crimine proceditur, non per viam accusationis, sed ex mero officio iudicis per inquisitionem. Tertio non potest fieri haec prorogatio in iudicem non suum in causa appellationis. Quarto, non possunt laici in causis ecclesiasticis matrimonialibus, v. gr. usuris, decimis, etc. prorogare iurisdictionem in iudicem non suum, sine consensu proprii episcopi. Et quinto denique fieri non potest prorogatio iurisdictionis in sacramento poenitentiae, ut extra articulum mortis a peccatis mortalibus absolvi quis possit ab alieno sacerdote sine licentia (saltem tacita) proprii sacerdotis.

§. IV. *An, et qualiter clerici, seu personae ecclesiasticae prorogare possint iurisdictionem alieni iudicis?*

Clerici non possunt se subiicere alieno iudici, nec metropolitano quidem, sine consensu, et licentia sui ordinarii, seu proprii episcopi dioecesani, et cum hac quidem licentia, alii se subiicere non possunt, quam ecclesiastico, ut constat ex *c. Significasti*, 18. *h. t.* hanc subordinationem exigente regimine ecclesiastico; et quamvis iuxta praxim receptam, episcopus delegare non possit laico causas pecuniarias, et civiles clericorum, ipsi tamen clerici non possunt iurisdictionem laici iudicis in se prorogare, etiam cum licentia ordinarii, cum aliud sit delegare, aliud licentiam dare ad iurisdictionem prorogandam, delegans enim suam in has partes retinet iurisdictionem, et delegatus huius delegantis auctoritate, et nomine agit, non autem consentiens in prorogationem iudicis alieni, qui suam in alium quasi transferri permittit iurisdictionem, et iudex prorogatus proprio nomine, et auctoritate iudicat, quod fieri in causis laicorum a laico non potest: possunt tamen exempti a iurisdictione episcopi regulares v. gr. circa actus voluntariae iurisdictionis absolutionem a peccatis v. gr. ad accipiendam dispensationem, etc. etiam sine consensu pontificis, cedere privilegio exemptionis, et episcopo dioecesano se subiicere, cum in tali casu videatur sufficere benigne praesumptus consensus pontificis, ob favorem ordinis, cui exemptio talis facta est; nisi facultas absolvendi v. gr. non esset penes praelatum immediatum, sed propter reservationem v. gr. alia ordinis statuta penes superiorem ordinis mediatum.

§. V. *An, et ob quas causas, et quando iudex alioquin competens recusari possit?*

Quidquid sit de iure civili, quod inter delegatum, et ordinarium iudicem in ordine ad recusationem discrimen aliquod facit, de iure canonico non minus ordinarius, quam delegatus tanquam suspectus recusari potest, si superiorem aliquem habeat *c. Si quis contra*, 4. *et c. Licet*, 10. *h. t.* ita tamen, ut causa recusationis specifice exprimenda sit in libello recusa-

tionis, et coram electis arbitris probanda, ad multas fraudes cavendas. Sunt autem plures causae ad recusandum iudicem in iure approbatae, si est v. gr. probabilis suspicio de minus recta affectione iudicis erga partem, vel de imperitia illius, si iudex cum parte litigante inimicitias gerat, aut cum parte litigante iudex etiam indicialem aliquam controversiam habeat; si sanguine, vel etiam amicitia sit valde coniunctus parti litiganti; vel si dominus adversarii, cum quo lis est, vel sit illius familiaris, socius, patronus, affinis, etc. vel similem controversiam cum alio in alio iudicio iudex habeat. Est autem haec iudicis recusatio aute litis contestationem proponenda, cum sit exceptio dilatoria, nisi post litis contestationem nova causa recusationis superveniat, aut iuret pars recusans, ad suam primum notitiam post litis contestationem causam illam pervenisse.

§. VI. *Quis, et qualiter de causa recusationis allegata cognoscere possit, ac debeat, et quis sit effectus recusationis?*

Iudex si ut suspectus recusetur, non potest ipse in causa recusationis cognoscere (qui enim in principali causa suspectus est, multo magis talis habetur in causa accessoria) nisi notorie, et indubitate frivola sit, sed debet causa principalis cognoscenda remitti ad superiorem, vel alii personae idoneae, et non suspectae committi ex consensu partium, vel ex communi utriusque partis consensu arbitri eligi debent, qui de causa tali recusationis cognoscant, *c. Suspicionis*, 39. *De off. et potest. iud. deleg. et c. Cum speciali*, 61. *De appell.* interim tamen per recusationem talem manet suspensa recusati iudicis iurisdictio, et in causa coram se prolata ad ulteriorem non potest procedere.

SECTIO VII.

De citatione ad forum, seu tribunal competens.

§. I. *Quid, et quotuplex sit citatio, et quaenam ad illius substantiam requirantur?*

Citatio est actus iudicialis, quo is, quem in iudicio sisti oportet, iudicis mandato legitime vocatur in iudicium, iuris experiundi causa, quae usque adeo necessaria est ad valorem iudicii, ut actus iudiciarius contra citatum celebratus regulariter nullius sit ipse iure, cum citatio ad defensionem spectet, quae est iuris naturalis; et hinc recte etiam dicitur iudicium a citatione incipere. Dividitur autem citatio in publicam, et privatam; publica fit vel per proclamationem, seu vocem praeconis, per tubam, vel campanam, per edictum publicum, ad valvas ecclesiarum, curiarum, vel portarum civitatis affixum, qui tamen modus citandi non semper, et in omni casu permissus est. Privata citatio est, quae fit privatim in personam citandi; et haec duplex est, verbalis alia, quando reus per nuntium viva voce coram, et in faciem in iudicium vocatur; vel saltem ad domum solitae habitationis, ubi reperiri non potest, clara adeo voce citatur, ut vicini etiam de ea testari possint, vel quando pro conditione personae per literas submissas citatur. Alia realis est, quae fit per captivitatem, et apprehensionem perso-

nae, ut ad iudicem adducatur, quae realis citatio in criminalibus potissimum locum habet. Alia autem citatio simplex dicitur, quae citatum non prius contumacem facit, quam ter facta fuerit, ita tamen, ut inter singula citationum edicta certum, et iustum temporis intervallum, decem scilicet dies intercesserint. Alia dicitur peremptoria, quae pro tribus distinctis habetur, si in citato adiiciatur terminus, peremptorie; et tantum temporis continet, quantum aliae tres citationes diverso tempore factae includerent. Et demum citatio alia iuris est, quomodo ipsum ius statuit tempus, intra quod sistere quis debeat (quae citatio, etiamsi ius terminum peremptorium non habeat, semper tamen peremptoria est); alia hominis, cum quis iudicis mandato in ius vocatur.

Requiritur autem ad legitimam citationem primo, ut exprimatur nomen, et cognomen iudicis citantis, ut citatus noscere possit, competens ille iudex sit, vel non sit; delegatus sit, qui una cum citatione copiam suae delegationis transmittere debet; an ordinarius. Secundo requiritur, ut exprimatur rei qui citatur nomen, et cognomen, vel saltem universitas illa, quae citatur, ut noverit citandus, quod ad ipsum citatio pertineat. Tertio requiritur, ut contineat nomen, et cognomen actoris, ut noverit reus non ex officio iudicis, sed ad instantiam fieri citationem. Quarto requiritur, ut in citatione exprimatur causa, saltem in genere, ob quam quis citatur, ut instruatur scilicet reus, super quo conveniatur, ac deliberare possit, utrum litigare velit. Quinto requiritur, ut locus iudicii, seu tribunal apponatur (nisi aliunde constet de tali loco) ut sciat scilicet citatus, an sui territorii fines egrediatur iudex, et tutus sibi locus sit, ad quem citatur. Sexto denique requiritur, ut dies certus, et terminus congruus comparendi in citatione exprimatur, ut noverit citatus, an dies ad quam citatur, sit iuridica etc.

§. II. *Quot, et quae sint partes citationis?*

Quaelibet citatio tres partes habet, a notario diligenter actis litis inserendas. Primo mandatum iudicis, sine quo non valet citatio. Secundo ut nuntius citationem sibi demandatam exequatur in faciem citandi, si reperiri possit, vel ad illius domum, si aliter reperiri non possit. Tertio ut nuntius faciat citationis factae relationem iudici, quae a notario in acta referri debeat, ut de citatione facta constet, vel si iudex praesens non adsit, soli notario, cui relationi etiam creditur, et plena fides adhibetur praesertim in civilibus.

§. III. *A quo iudice citatio fieri debeat, et qui citari debeant, et quis sit finis, et effectus citationis?*

Quilibet iudex competens, sive ordinarius ille sit, sive delegatus citare potest, cum sine citatione iurisdictionem suam exercere non possit, ita tamen, ut qui delegatam tantum iurisdictionem habet, verbaliter tantum, vel in scriptis citare possit, non autem realiter per capturam, aut per edictum, nisi quoad edictum sit delegatus supremi principis, aut specialem commissionem, etiam quoad capturam, habeat. Et quamvis citatus privilegium ab exemptione iudicis habere possit, comparere tamen debet, et privilegium suum exhibere, ne contumax censeatur, nisi privilegium illius

notorium esset, ut est privilegium clericorum contra laicum iudicem. Citari autem debent, et possunt omnes quorum interest causa, quae in iudicio agitur, sive qui ex actu aliquo, qui fit in iudicio, laedi possunt, nisi tali iudicio per se praesentes sint, aut alia aliqua causa interveniat, ob quam omitti potest citatio, uti videre est apud civilistas. Finis autem citationis est, ut reus ad petitionem actoris in iudicio compareat, et ad defensionem se reus parare possit. Effectus denique citationis sunt, primo quod obliget citatum ad comparendum, nisi iusta causa excusetur. Secundo quod inducat praeventionem respectu illius causae, respectu cuius citatio facta est. Tertio quod perpetuet iurisdictionem delegati, postquam ab hoc emanavit, etiamsi nondum ad citati notitiam pervenerit, ita ut morte delegantis non exspiret. Quarto quod inducat vitium litiosi, et litis pendentiam, ita ut nulla sit rei talis litigiosae alienatio. Et quinto denique, quod interrumpat odiosam praescriptionem longissimi temporis, 30. vel 40. annorum; ad quam interruptionem etiam unica, et simplex citatio sufficit.

TITULUS III.

DE LIBELLI OBLATIONE.

§. I. *Quid, et quotuplex sit libellus, et an necessario cuique offerendus sit?*

Post legitimam citationem offertur iudici libellus reo tradendus, ut hic sciat, et videat, quid ab ipso petatur, et an contendere velit. Est enim libellus prout hoc loco sumitur, nihil aliud, quam editio actionis futurae litis speciem continens. Debet autem hic libellus in scripto offerri, ad multas fraudes cavendas *c.* 1. *h. t.*, debet esse brevis, tantum necessaria, et utilia continens; debet esse perspicuus, et clarus, et ideo non facile admittitur libellus alter novus, nisi propter probabile dubium altera nova petitio videatur admittenda, ad eundem fortassis finem contendens, debet esse ordinatus, tria continens. Primo scilicet narrationem facti, secundo medium concludendi sive iustam causam petendi, tertio denique ipsam petitionem, et quamvis principaliter, et primo iudici sit offerendus libellus, huius tamen copia saltem communicari debet etiam a iudice parti adversae, ob rationes saepius iam allatas.

Est autem libellus duplex, conventionalis seu postulationis, qui in causis civilibus offertur, quo rem nobis debitam petimus; et querimonialis seu accusationis, qui in causis criminalibus porrigitur. Et quamvis olim in causis civilibus de iure civili antiquo necessarius non fuerit libellus, et hodie etiam in multis locis consuetudo obtineat, ut in scripto libellus necessarius non sit, viva voce suas petitiones proferentibus coram notario, actore, et reo, de scripto tamen iure hodierno ad substantiam processus iudiciarii ordinarii requiritur libelli oblatio, uti colligitur *ex cit. c.* 1. *h. t.*

§. II. *Quomodo formandus sit libellus, sive quae in eo contineri debeant?*

Rectissime formabitur libellus conventionalis, si sit quasi syllogismus aliquis practicus, et iudicialis, qui tres partes contineat, medium scilicet

sive causam petendi, loco maioris; narrationem facti, loco minoris; et deductam exinde petitionem, seu conclusionem, ex utraque priori propositione desumptam. Sicuti autem causa sive medium concludendi duplex est, remotum, sive titulus, ex quo res aliqua debetur v. gr., et proximum, quod est ius v. gr. competens, et obligatio alterius, etc. ita in quolibet libello exprimenda est causa petendi, proxima sive remota: et in actione quidem reali, quando agitur ad rem aliquam, sive ius aliquod sibi vindicandum, sufficit exprimere causam proximam, peto v. gr. hanc rem (non tantum petendo aliquid in confuso, sed rem determinando, quae petitur) mihi adiudicari, quia dominus illius sum, ita ut de titulo, ratione cuius dominium huius rei habeo, quae causa remota dicitur, nihil necesse sit mentionem facere, nisi ius commune resistat actori; in actione vero personali explicanda est causa remota, sive titulus, vi cuius res, quam peto, mihi debetur *c. Dilecti*, 3. *h. t.* Peto hunc fundum v. gr. mihi adiudicari, quia legitime emi eum, etc. ex his enim expressis satis colligitur, non tantum, quo fundamento petam aliquid, sed satis apparet etiam, quae actio intentetur. In libello tamen criminali non requiritur conclusio seu petitio, sed sufficit sola facti narratio, ut crimen homicidii v. g. noscatur, adiunctis circumstantiis personae, loci, temporis, etc. neque enim in his criminalibus criminaliter actis pars aliquid dari sibi petit, sed de poena a iure statuta iudex concludere debet ex officio.

§. III. *De mutatione, et emendatione libelli, eiusque effectu.*

Discrimen est, inter τὸ mutari, et inter τὸ emendari libellum. Mutari libellus dicitur, cum actio proposita, vel causa petendi in eo expressa mutatur, et alia proponitur. Emendari dicitur, quando vitium aliquod ad substantiam libelli nihil pertinens, vel obscuritas aliqua tollitur, aut additur aliquid, immutata libelli substantia.

Mutare libellum actor licite potest ante litis contestationem, tam in civilibus, quam criminalibus, cum iudicium nondum proprie coeptum sit et poenitere liceat, modo reo novae dilationes concedantur, et de damno, si quod passus est ratione mutationis, talis reddatur securus: post litem vero contestatam, mutare non potest libellum actor, nisi inchoata nova instantia novum libellum offerre velit cum refusione expensarum *iuxta cap. Examinata*, 15. *de iudiciis*. Si quid tamen obscurius in libello dictum declarare velit, concessum hoc illi est tam ante, quam post litis contestationem, usque ad conclusionem causae, cum per talem accidentalem emendationem, causae status, ad quem per litis contestationem quasi contractum est, nihil immutetur. Effectus autem libelli oblati est, quod secundum petitionem in libello factam sit ferenda sententia, et quamvis si nihil intersit rei conventi, ut lis coepta perficiatur, a lite prosequenda desistere possit actor, etiam post litis contestationem, si tamen intersit rei conventi, ob expensas v. gr. factas, ut lis perficiatur, debet eam prosequi actor, et ad finem perducere, ita ut in contumaciam etiam condemnari possit, si litem prosequi nolit.

—

TITULUS IV.

DE MUTUIS PETITIONIBUS.

§. I. *Quae sint, et dicantur mutuae petitiones, et inter quas personas locum habeant?*

Mutuae petitiones recte dicuntur, conventio ex parte actoris, et reconventio ex parte rei; si scilicet petente rem aliquam actore coram iudice a reo, reus hic in eodem iudicio coram eodem iudice, vicissim aliquid ab actore petit, ita ut mutuae hae petitiones aliud non sint, quam duae petitiones ex parte litigantium factae, rei quidem conventi, actoris vero conventi coram eodem iudice, et in eodem iudicio; quae mutnae petitiones (observatis tamen observandis) licitae sunt, etiamsi per se actoris reconventi competens iudex non sit, coram quo reus conveniri debuit; aequum enim est, ut quem in sua causa conventi rei elegit iudicem actor, eum contra se reconventum patiatur. Soli autem reo convento ex personis litigantibus reconventio conceditur, ne si actori etiam reconventio concedatur, in infinitum circa mutuas has petitiones habeatur *c.* 2. *De rescript. in* 6. et quia reconventio rationem actionis habet, hinc nulli conceditur, nisi qui in iudicio agere potest.

§. II. *Coram quo iudice fieri possit reconventio?*

Coram quo iudice de causa principali legitime conventus est reus, coram eodem reconveniri a reo potest actor, sive ordinarius hic sit rei conventi iudex, sive sit delegatus, sive ad petitionem actoris, quod plerumque fit, hic impetratus fuit, ob rationem supra allatam, quae cum non urgeat, casu quo ex utriusque partis consensu, vel ex solo principis v. gr. arbitrio datus est iudex delegatus, hinc coram tali delegato reconveniri non potest actor, nisi in rescripto delegationis expresse etiam concessa fuisset reconventio. Simili modo coram iudice prorogato, quem elegit contra reum actor, reconveniri hic a reo poterit, modo causa, circa quam sit reconventio, non excedat iudicis prorogati limites, vel fiat tantum reconventio ratione maioris summae, de qua alias iudex prorogatus iudicare quidem non potest, cum possit tamen de minore summa.

§. III. *An laicus, conventus a clerico coram iudice saeculari, vicissim reconvenire possit clericum coram eodem iudice?*

Quod in causa spirituali, aut annexa reconveniri non possit clericus coram saeculari iudice, coram quo laicum convenit, neque in causa criminali, sive criminaliter sive civiliter haec tractetur, certissimi iuris est, cum iudex saecularis de talibus causis nec incidenter cognoscere possit *c. Tuam*, 3. *De ord. cognit. et c. At si clerici*, 4. *De iudic.* In causa civili vero, et mere temporali, quod clericus coram iudice saeculari reconveniri non possit, de iure quidem communi verius est, prout videre est in pluribus textibus *causae* 11. *q.* 1. et absolute clerici nec volentes, nec inviti, etiam in causa civili saeculari iudici cum praeiudicio fori privilegii se subiicere possunt *c. Si diligent*, 12. *De foro competen.* recepta tamen in pluribus locis praxis, quod

in causa mere civili clerici coram iudice saeculari reconveniantur, damnari non debet, cum dici possit, tacitum intervenire cousensum pontificis in hac consuetudiue plurimorum regnorum immemoriali, etc.

§. IV. *In quibus causis habeat locum reconventio, vel non habeat?*

In geuere loquendo, et regulariter in omnibus causis reconventio locum habet, nisi expresse reperiatur prohibita, modo iudex cognoscere causam illam reconventionis possit. Prohibetur autem expresse reconventio in causis criminalibus, ut docet *glossa communiter recepta in c. 2. v. Super suis h. t.* sive super pari, sive super minore crimine fiat reconventio, cum crimina non obiectione aut relatione criminum, sed innocentia sua reus purgare debeat, nisi iudex utriusque partis ordinarius iudex esset, qui extra reconventionem utrumque punire potest, aut conventus reus maius aliquod actori crimen obiiciat, vel suam aut suorum iniuriam persequatur, vel de crimine tantum conventus civiliter, actorem etiam de crimine civiliter recouveniat, coram iudice utrique competente. Et quamvis criminaliter conventus, pendente eodem iudicio actorem in causa civili reconvenire non possit, ne videantur delicta manere impunita, si ad civilem talem actionem distrahi possent, potest tamen reus conventus civiliter, pendente iudicio civili, actorem reconvenire criminaliter, cum ratio allata hic non urgeat. Secundo in causis appellationum nou datur reconventioni locus, ubi iudex ab actore uon sponte eligitur, sed necessario ob gravamen seu iniuriam sibi factam aditur. Tertio spoliatus agens iudicio possessorio non potest reconveniri a reo, iudicio petitorio. Quarto nou admittitur reconventio in causis executionis, quae paratam habere debent executionem in bonis debitoris. Quinto locum uon habet reconventio, si impleatur officium iudicis extraiudicialiter. Vide plura de his, et aliis similibus alibi, vel apud civilistas.

§. V. *Quando proponi debeat reconventio, et quomodo in illa procedendum?*

Proponi debet reconventio in exordio litis statim, ante litis contestationem, vel statim post illam, antequam ulterius progrediatur, uti habetur *in authent. De executoribus cap. 2. §. Sancimus 1. collat. 7. iuncta gloss. v. Mox.* Et quamvis de iure canonico reconventio fieri possit etiam in progressu litis, usque ad sententiam definitivam, uti patet ex *c. Dispendia, 3. §. Reus quoque. De rescript. in 6.* uon tamen fieri potest in progressu litis cum eo privilegio, ut pari modo causae conventionis, et reconventionis tractentur, sed una expedita, ad alteram transitus fieri debet: in aliis enim casibus, si debito tempore, et modo reconventio apud eundem iudicem, etiam delegatum interposita fuit, potest compellere iudex reconventum actorem ad respondendum reconventioni, ut simul utraque causa, tam conventionis, quam reconventionis expediatur, *c. Ex literis, 1. h. t.* (nisi prius de causa una liqueat, aut reconveniens ultro cedat favori suo, aut omnino deserat reconventionem) ita tamen, ut semper praecedentiam habeat couventionis causa, iuxta illud, qui prior appellat, prior agit, *l. Qui appellat, 29. iuncta gloss. v. Qui appellat, ff. De iudic.*

Modus autem procedendi, qui observatur in causa conventionis, (prae-

sertim vi rescripti alicuius impetrati) observari etiam debet in causa reconventionis, prout sumitur *ex c. Prudentiam*, 2. *h. t.* actoris enim, et rei, ut ait potifex, in tali casu eadem est conditio, et iure eodem utique censeri debet, et hinc clausula posita in rescripto conventionis, ut procedatur v. g. appellatione remota, observari etiam debet in causa reconventionis, (etsi de hoc in rescripto delegationis nulla facta sit expressa mentio) et quidem non solum si ad instantiam actoris rescriptum impetratum est, ut vult *gloss. fin. in c.* 2. *h. t.* sed etiam, si motu proprio in causa conventionis emanavit, ob eandem scilicet in utroque casu rationem; et si reus vi rescripti impetrati ab actore tractus fuit ultra duas diaetas extra dioecesim', et ibi conventus, potest eodem favore fruens, ibidem reconvenire actorem: et si noiit actor respondere ad libellum reconventionis, nec tenebitur reus respondere ad libellum conventionis, etc.

TITULUS V.

DE LITIS CONTESTATIONE.

§. I. *Quid sit litis contestatio, seu in quo consistat, et quo pacto inducatur, et an sit necessaria ad iudicii substantiam?*

Litis contestatio, quae plerumque requiritur ad substantiam iudicii ordinarii, recte describitur, quod sit fundamentum iudicii (proprie dicti) per petitionem (actoris) in iure propositam, et congruam (rei) responsionem animo litigandi factam (prout sumitur *ex c. unico h. t. et ex c. Dudum*, 54. §. *Licet autem. De elect.*) iuxta formam, et praxim illius tribunalis factam: ita tamen, ut per solam facti narrationem, et particulares petitiones, quae fiunt ab actore, absque petitione nulla fiat litis contestatio; potest autem ex parte rei fieri litis contestatio, non tamen negative, sive negando simpliciter narrata, et petita ab actore, prout narrantur, et petuntur, sed etiam affirmative, ita tamen, ut appareat, haec fieri non animo cedendi liti, sed animo litigandi; qui facile praesumitur, quando narrata quaedam conceduntur, petita tamen negantur, ad quem finem in iudicio sua petere censetur actor, et negare ea censetur reus, nisi maior expressio ex particulari tribunalis alicuius statuto aut consuetudine requireretur, aut expresse protestetur reus, se non animo litigandi, sed informandi tantum iudicem petita aut narrata negare.

§. II. *De positionibus, et articulis, ac responsionibus, et quomodo a litis contestatione differant?*

Positiones, quae regulariter super causa principali post litis contestationem fiunt, sunt breves quaedam narrationes, aut assertiones alicuius facti ad causam controversam pertinentis, super quo petitur ab adversario responderi, ut noverit actor, ab onere probandi hoc per confessionem ultroneam adversarii, se liberum. Debent autem positiones tales esse breves, clarae, et nihil superfluum, aut ad rem non faciens continere, reiicienda a iudice, si sint impertinentes: et continere tantum ea, quae sunt facti, non autem quae sunt iuris, cum ius suam certitudinem non a responso rei conventi, sed ex se habeat: et ordinarie in iudicio ordinario sunt in scriptis offerendae, medio

iuramento, quod iuramentum *dandorum* dicitur, quo iurat actor, se non animo calumniandi, sed iuris sui tuendi causa, positiones tales exhibere. Ex his positionibus, si quae a reo negentur, fiunt articuli probatoriales, si ad quos probandos se actor offerre debet, cum enim responsiones ad positiones debeant esse simplices, purae, et absolutae, ad rem pertinentes, et clarae, per verbum credo, aut non credo, etc. ut actor sciat, quid sibi probandum sit, consequenter ad lites abbreviandas, articulorum talium plurimus usus est. In quorum locum, si per viam inquisitionis ex officio a iudice procedatur, certa quaedam capitula proponuntur, super quibus suspectus est reus, et infamatus, ut ad ea respondeat.

Distinguuntur autem positiones istae, et articuli a litis contestatione, quod in his articulis, et positionibus nihil a reo petatur, sicuti in litis contestatione, et libello: et quamvis etiam a iudice interrogationes fieri possent, ab his tamen positiones, et articuli differunt, quod positiones tales ab actore assertive fiant, interrogatio v. gr. a iudice interrogative.

§. III. *An, et quomodo per oppositam exceptionem inducatur, vel impediatur litis contestatio?*

Quod per exceptionem dilatoriam, qua iudex tanquam incompetens recusatur, aut qua actori opponitur, quod non possit stare in iudicio, litis contestatio non inducatur, certum est, quia tales exceptiones non animo litigandi, sed potius animo litem declinandi, opponuntur: sed neque per oppositionem exceptionis peremptoriae inducitur litis contestatio, prout expresse deciditur *in c. Si oblato*, 2. *h. t. in* 6. Cum in tali casu, qui taliter excipit, non respondeat ad actoris petitionem, cum tamen litis contestatio per talem responsionem fieri debeat. Negari tamen non potest, quod per exceptiones dilatorias impediatur quidem, et retardetur litis contestatio, nisi per non oppositas illas ante litis contestationem, videatur his pars litigans renuntiare, aut iudicis iurisdictionem in se prorogare; per exceptionem tamen peremptoriam, ante litis contestationem obiectam, non impeditur litis contestatio, nisi de re iudicata, aut lite finita reus excipiat, *c. Exception.*, 1. *h. t. in* 6. vel de iuramento a parte parti delato, aut facta legitima inter partes transactione.

§. IV. *De effectibus litis contestationis.*

Plures sunt illius effectus. Primo enim per litis contestationem partes litigantes ex mutuo consensu ad hanc instantiam iudicii obligantur, ut neutra pars altera invita a iudicio recedere possit. Secundo, iudex recusari non potest post litis contestationem, nisi ex nova suspicionis causa superveniente. Tertio, non possunt amplius post litis contestationem opponi exceptiones fori declinatoriae, aut similes dilatoriae, quibus renuntiatum videtur. Quarto interrumpitur per litis contestationem praescriptio longi temporis. Quinto, revocari non potest post litis contestationem procurator, nec libellus mutari, etc. Vide plura apud auct. Method. hic ex iure civili petita.

TITULUS VI.

UT LITE NON CONTESTATA, NON PROCEDATUR AD TESTIUM RECEPTIONEM, VEL AD SENTENTIAM DEFINITIVAM.

Regula generalis hic traditur, quod ante litis contestationem nec ad testium receptionem (super causa principali scilicet) nec ad sententiam definitivam ferendam, qua causa principalis finiatur (neque enim de interlocutoriis sententiis sermo est) definiri debeat, quia tamen suas haec regula patitur exceptiones, ideo in specie examinanda illa magis. Sit ergo

§. I. *De nonnullis casibus in specie, et iure expressis, in quibus lite non contestata testes recipi non debent, vel non ferri sententia definitiva.*

Primo in causis matrimonialibus, si agatur de foedere, et vinculo, ac valore matrimonii, ordo iudiciarius exacte servandus non est, sed procedendum summarie, et celeriter negotium expediendum: si tamen de crimine tantum agatur, adulterii v. gr. ad separationem thori, testes recipi non debent, aut sententia definitiva ferri ante litis contestationem, etiamsi reus sit contumax, et excommunicari possit, *c. Ad haec*, 1. *et c. Accedens*, 4. *h. t.* cum in causa hac odiosa, quae tendit ad thori dissolutionem manente vinculo, rigidus ordo servandus sit. Secundo non potest procedi ad testium receptionem, aut sententiam definitivam contra contumacem in causa principali restitutionis, si lis contestata non fuerit, *c. Accedens*, 2. *h. t.* quamvis excommunicari possit: totus enim processus in tali casu nullus, et irritus est, lite non contestata, quae est fundamentum validi iudicii ordinarii. Tertio, quamvis contra contumaciter absentem, nec testes recipi possint ante litis contestationem, nec sententia definitiva super causa principali ferri, potest tamen actor, si reus contumaciter absens sit, in possessionem rei petitae, custodiae causa, immitti; si vero res talis sit, de qua litigatur, ut dicto modo in possessionem mitti non possit actor, per censuram ecclesiasticam compelli debet reus, ut compareat, et litem contestetur, *c. Tuae*, 3. *h. t.* ut ne contumacia reo tali prosit. Si tamen actor post oblatum libellum, ante litis contestationem contumaciter se absentet, nec ad instantiam rei citatus compareat, audiendus reus est, et ipsius defensiones, ac ferenda sententia definitiva, etiamsi lis contestata non fuerit, ne innocens scilicet propter contumaciam actoris, qui libere ad iudicium provocavit, patiatur.

§. II. *De pluribus casibus exceptis, quibus lite non contestata, testes recipi possunt, vel etiam interdum ad sententiam definitivam procedi potest.*

Primo si periculum in mora sit, quia testes sunt senes, vel valetudinarii, aut ex alia causa mors, aut diuturna absentia illius timetur, vel periculum est, ne testes rei gestae obliviscantur, possunt recipi testes, si civiliter tantum agatur (ne veritas scilicet occultetur, et probationis copia subtrahatur) quamvis lis contestata nondum fuerit *cap. Quoniam*, 5. *h. t.* non quidem, ut statim, si reus citari non possit, vel non possit comparere, ad definitivam sententiam procedatur, sed asserventur attestationes tales, donec

reus conveniri possit (si citari non possit), et ipsi ad defendendum exhibeantur (nisi in facto notorio, non ex iuris necessitate ad cautelam tantum maiorem auditi testes fuissent) saltem intra annum ab initio utilem, in progressu vero continuum, a tempore, quo poterat conveniri, numerandum, ut ne videatur fraus aliqua in testium taliter facta receptione intervenisse. Haec autem intelligi debent de testibus ex parte actoris; reus enim tam in causis civilibus, quam in criminalibus testes suos producere potest, quandocunque vult, pro hac defensione, et petitione, ut ad perpetuam rei memoriam admittantur, ratione incertitudinis scilicet, ne probationes pro innocentia eius illi pereant, nisi exceptio, a reo opponenda, vim actionis habeat, uti est exceptio de non numerata pecunia intra annum opposita. Possunt tamen in pluribus adhuc casibus, ob contumaciam rei absentis recipi testes, et ferri definitiva sententia, ante litis contestationem, de quibus vide *cap. ult. h. t.* Ex quo capitulo etiam habetur modus procedendi contra reum absentem contumaciter, si conveniatur actione reali, vel personali.

TITULUS VII.

DE IURAMENTO CALUMNIAE.

Iuramentum calumniae est illud, quo partes litigantes iurant, quod in iudicio tam agendo, quam excipiendo, et defendendo absque fraude, et calumnia versari velint, omniaque bona fide peragere. Plura censetur continere capitula hoc iuramentum, his communiter versiculis comprehensa.

Illud iuretur, quod lis sibi iusta videtur,
Et si quaeretur, verum non inficietur,
Nil promittatur, nec falsa probatio detur,
Ut lis tardetur, dilatio nulla petatur.

Et hinc a iuramento de veritate dicenda differt, quod illud praestetur in causis civilibus, et criminalibus; iuramentum autem veritatis in spiritualibus, et his annexis: quod iuramentum calumniae sit iuramentum credulitatis, alterum vero de veritate sit iuramentum scientiae, (saltem de iure, quidquid sit de praxi, et consuetudine, iuxta quam sufficit, ad hoc iuramentum, credere, quod verum sit, quod dicit); et quod denique iuramentum calumniae plura contineat, iuramentum vero veritatis tantum sit de veritate dicenda. A iuramento autem malitiae differt, quod iuramentum calumniae regulariter semel tantum in causa tota praestetur post litem contestatam, malitiae vero iuramentum toties exigi possit, quoties contra litigantem partem est praesumptio de exceptione v. gr. malitiose proposita, etc. praestari autem necessario debet iuramentum calumniae, si ab alterutra parte exactum fuerit, non obstante appellatione, quam in causa principali pars litigans fecit, ita ut in tali casu ad substantiam processus pertineat, et nullus ille processus sit, quando exactum quidem, praestitum tamen iuramentum calumniae non fuit, et quamvis tacite remitti possit hoc iuramentum calumniae, in quantum scilicet a parte non exigitur, ita ut in tali casu validus processus sit, *cap. 1. h. t. in 6. §. Propter*, per pactum tamen expressum, aut consuetudinem introductam remitti non potest, iuxta *cit. c. iuncta gloss. v. Ta-*

cito, *et c. Caeterum*, 5. *h. t.* etiamsi a iudice tantum ex officio exigatur, tum quod pactis privatorum favori publico, cui ad plurimas fraudes cavendas conducit iuramentum calumniae, praiudicari non potest, tum quod consuetudo talis pluribus fraudibus materiam praebens sit irrationabilis. Potest tamen aliquid conducere hominum probitas, ut ne iuramentum hoc a iudice ex officio exigatur, et per iuramentum de veritate dicenda suppleri possit.

§. I. *Quinam praestare debent iuramentum calumniae, vel non?*

Regulariter, et ordinarie non tantum personae principales in iudicio litigantes tam actor scilicet, quam reus (prius tamen actor, qui prius ad iudicium provocavit) per se de calumnia iurare debent, etiamsi per procuratores agant, sed etiam eorum haeredes, si ad hos lis, sive instantia causae talis devolvatur, cum illi quidem in bona fide respectu huius causae esse potuerint, haeredes tamen malam fidem habere. Clerici vero si coram iudice suo ecclesiastico in propriis causis litigent, compelli possunt ad iuramentum hoc calumniae per se praestandum (cum in causis propriis censeantur melius esse informati), si autem agant in causis suarum ecclesiarum, aut coram iudice non suo, cogi non possunt ut per se de calumnia iurent; nec possunt iurare sine consensu sui episcopi, vel superioris sui immediati: sufficit tamen, si ad ecclesiae bonum videbitur, praestare illud per syndicum, vel procuratorem ad causas ecclesiae generaliter constitutum *c. In pertractandis*, 3. *h. t.*, per quos in iudicio tales personae, praesertim si in dignitate ecclesiastica constitutae sint, decentius agent, quam per se. Sufficit tamen ob maiorem reverentiam, si episcopus per se litiget in iudicio, ut propositis tantum evangeliis, iurare debeat, uti colligitur ex *c. ult. h. t.* (nisi causae arduitas plus exigat etiam respectu episcopi) si consuetudo aliud non inbeat; sicuti autem in causis communitatis, quae syndicum v. gr. non habent, satis est, si principalis pars de calumnia iuret, ita potest etiam procurator specialis admitti ad iurandum de calumnia, tam in animam propriam, quam in animam sui principalis, si speciale de hoc mandatum habeat, *c. Nullam*, 3. *h. t. in* 6. ut ne huic calumniandi detur occasio, nisi ex officio iudicis parti datus sit talis procurator, quo in casu in animam propriam talis procurator iurare non tenetur, cum dolo facere non censeatur, quae facit ex mandato iudicis. Immo quamvis partes litigantes principales per se de calumnia iuraverint, et postea per procuratores a se constitutos causam suam prosequi velint, debent etiam isti (uti et illi, qui a procuratoribus post litem contestatam substituuntur) de calumnia iurare, uti colligitur ex *cap.* 2. §. *Procuratores*, *h. t. in* 6. cum et ipsi calumniari possint, et consequenter per principalium iuramentum de cavenda calumnia parti litiganti, non est satis consultum: quod ipsum ob hanc causam sentiendum etiam, et dicendum est de advocatis, qui melius saepius calumniari sciunt, et solent, quam ipsae partes, nisi hodierna consuetudine hi tales a iuramento hoc excusentur, de quibus dignitas personae meliora praesumere iubet, vel certe ne detur multorum periuriorum occasio, vel quod videatur iuramentum generale, quod in curiis plerisque usitatum est, dum ad munus advocati admittuntur, aliqui sufficere.

§. II. *In quibus causis, quando, et quomodo praestandum sit iuramentum calumniae?*

In omnibus causis, in quibus probatio est necessaria, non tantum in prima instantia, sed etiam in causa appellationis, praestandum est iuramentum calumniae, sive causae illae civiles sint, sive criminales (*gloss.* in *c.* 1. *v. Criminaliter*, *h. t.*) sive sint ordinariae, sive delegatae, sive compromissariae, quae coram arbitris tractantur, sive parvae, sive magnae: et quamvis olim de iure antiquo canonico, in causis spiritualibus aut eis annexis iuramentum calumniae nec deferri, nec recipi soleret, *c. Literas h. t.* eo quod in spiritualibus praesumeretur semper Deus haberi prae oculis, nec calumniaturos litigantes, et sufficere iuramentum de veritate dicenda; quia tamen postea animadversum fuit, ut ait pontifex in *cap.* 1. §. *Quamvis*, *h. t. in* 6. etiam in his causis frequenter a litigantibus calumnias irrogari, hinc statutum hoc iure novo fuit, ut in his etiam causis tam de veritate dicenda, quam de calumnia iuretur.

Est autem hoc iuramentum calumniae in principio litis praestandum, statim scilicet post litem contestatam, antequam positiones ab adversario offerantur, neque tamen, ut advertunt ss. canones, processus iudiciarius erit vitiosus, si serius praestitum fuerit hoc iuramentum, cum ordo hic, ut ait pontifex *in cit. cap.* 1. *in* 6. non sit de substantia processus, et ideo exigi nonnunquam potest etiam ante litis contestationem, super una saltem particulari dilatione v. gr. quam petit litigans, et post litis contestationem, dum in causa conclusum fuerit. Ad formam iuramenti de calumnia, quod attinet, praestandum quidem illud esset, propositis, aut tactis evangeliis pro diversitate iurantium, ut dictum; hodie tamen haec solemnitas necessaria non est, modo apud acta iuretur coram iudice, aut officiali ab illo deputato etc.

§. III. *De poenis recusantis praestare iuramentum calumniae, et huius effectu.*

Qui recusat praestare iuramentum calumniae, cum tamen praestandum esset, eam poenam incurrit, ut, si actor sit, ab instituta actione cadat; si vero reus sit, pro confesso habeatur, prout deciditur *in cap. ult.* §. *Poena vero h. t.* non quidem, quasi ipso iure poena talis incurratur, sed opus est sententia iudicis, uti patet *ex Authent. Principales cod. h. t.* neque tamen hanc poenam incurrit ecclesia, vel universitas aliqua, si syndicus, aut administrator etc. recuset iuramentum hoc calumniae praestare, cum contumacia horum non noceat principalibus; sicuti nec nocet contumacia procuratoris ad litem constituti, si post litem contestatam in propriam animam iurare noluit de calumnia, cum horum delicta non debeant adscribi principalibus.

Effectus autem huius iuramenti de calumnia vitanda est, quod iurans ob hoc iuramentum praestitum excusetur ab omni calumniandi suspicione, tam tacita, quam praesumpta, nisi evidens illa esset, de qua criminaliter accusari, et puniri potest, finita causa principali, calumnians.

TITULUS VIII.

DE DILATIONIBUS.

Dilatio in genere aliud non est, quam indultum, seu concessio temporis, inter quod aliquid agi potest. Alia est iudicialis, alia extraiudicialis, prout ad actum aliquem iudicialem egendum, vel extraiudicialem conceditur; et iudiciales, de quibus hic sermo est, sunt aliae legales, quae a lege, statuto, consuetudine, vel stylo curiae conceduntur; aliae conventionales, quae ex partium conventione, seu consensu dantur; aliae stricte dictae iudiciales, quae a iudice, pro tribunali sedente, causa cognita, et utraque parte praesente, in iudicio dantur, longiores, et breviores pro diversitate circumstantiarum, prout etiam iudicis est legales nonnunquam restringere, vel prorogare. Et sicuti tres sunt iudicii partes; Prima a citatione usque ad litis contestationem inclusive. Secunda a litis contestatione usque ad sententiam definitivam exclusive. Tertia a sententia usque ad eius executionem inclusive, ita dilationum etiam iudicialium tres sunt species. De quibus sit

§. I. *De dilationibus, quae ante litis contestationem conceduntur.*

Sunt plures tales dilationes, primo quidem citatoriae, quae etiam vocantur expectatoriae, et dantur reo citato, absenti, ad comparendum, et respondendum in iudicio petitioni actoris, quae quidem dilationes sua natura peremptoriae non sunt, sed potest una concessa, altera, ac etiam tertia concedi, quae tandem peremptoria est, si tamen ratio aliqua exigat, potest prima statim cum termino peremptorio fieri, ita tamen commodum tempus ad comparendum determinando, ut tribus citationibus aequivaleat, vel saltem pars citata, abbreviato sine causa iusta termino, non nimium gravetur, quo in casu appellare etiam posset, *c. Dilecti*, 1. *h. t.* (ad quam excludendam consultum est, ut si dilationem abbreviet iudex, causam illius exprimat, et peremptoriae citationi inserat) aut ius domum revocandi haberet in causa privata, et novas dilationes petendi, si ex loco remoto in publica causa etiam citatus fuisset *c. Exposuit*, 4. *h. t.* Secundo sunt aliae deliberatoriae dilationes, quae dantur reo post oblatum libellum, ut deliberare possit, utrum litigare velit; et plerumque sunt viginti dierum deliberatoriae hae induciae a die porrecti libelli. Quae tamen deliberatoriae dilationes quandoque negari possunt, si per literas citatorias, quibus tota petitio actoris inserta fuit, sufficienter instrui possit reus *cap. Praeterea*, 2. *et c. Literae*, 3. *h. t.* Tertio sunt aliae recusatoriae, seu declinatoriae, quae ad omnes exceptiones dilatorias opponendas dantur, priusquam fiat litis contestatio, iuxta *c. Pastoralis*, 4. *De except.* quales dilationes sunt, quae recusant iudicem, quae rescriptum impugnant, etc.

§. II. *De dilationibus, quae post litis contestationem, vel ante sententiam definitivam, vel post illam conceduntur, et de prorogatione, atque effectibus dilationum.*

In secunda iudicii parte post litis contestationem, et iuramentum calumniae praestitum conceduntur dilationes probatoriae, et allegatoriae. Pro-

batoriae sunt, quae dantur actori ad positiones, et articulos probatorios formandos, vel reo ad respondendum ad eos; item ad testes vel instrumenta quaerenda, aut praeparanda, adeoque ad probandam suam intentionem, et exceptionem. Et quamvis in causis pecuniariis, aut civilibus regulariter unica tantum detur, (nisi ob iustum impedimentum a parte litigante allegatum et probatum, tertiam, vel etiam quartam, nunquam tamen quintam iudex indulgeat cum solemnitate legali, sive post probatam petendi causam, et praestitum a parte petente iuramentum, quod malitiose non petat dilationem talem) in causis tamen criminalibus, ubi malus vertitur praeiudicium, accusatori duae, reo autem tres tales dilationes ex quacunque causa, etiam nullo allegato impedimento concedi possunt (modo absit praesumptio, qua malitiose tales dilationes petuntur. Sunt autem ordinarie trium, sex, aut novem mensium hae dilationes, pro circumstantiarum diversitate arbitrio iudicis definiendae, ita tamen, ut inter actorem, et reum servetur aequalitas. Allegatoriae vero dilationes sunt, quae dantur partibus, post probationes, et exceptiones auditas, ad allegandum ultra quid, si velint; debet enim post auditas probationes interrogare partes iudex, num ulterius aliquid allegare velint, et ad has allegationes producendas concedendae sunt partibus tres dilationes, quarum quaelibet triginta dies, sive mensem continet.

In tertia parte iudicii conceduntur dilationes definitoriae, et executoriae. Definitoriae sunt, quae dantur ad causam definiendam, statuto scilicet certo tempore, quo ad audiendam sententiam partes comparere debeant: executoriae dilationes sunt, quae dantur reo per sententiam condemnato, ad solutionem v. gr. faciendam, quod tempus ordinarie quarta mensium esse solet, ita tamen ut a iudice abbreviari, aut prorogari possit, quae quidem dilationes executoriae in actionibus realibus, aut criminalibus raro locum habent, cum statim executio in talibus casibus fiat, nisi per accidens executionem talem quid impediat. Prorogatio dilationis tum censetur fieri, quando dilationis labentis, nondum tamen elapsae, fit extensio, quo in casu prior dilatio adhuc durare dicitur, et lapso prorogatae etiam dilationis termino, nova censetur fieri dilatio, quae concedi non potest sine aliqua causae cognitione, utrum scilicet causa concedendae dilationis sufficiens sit etc. Prima tamen probatoria dilatio non potest prorogari, quia superest secunda, tertia, et quarta, allegato et probato iusto impedimento. Effectus dilationis praecipuus est, quod, ea pendente, officium iudicis conquiescat, neque quidquam agendum sit, aut innovandum super articulo, seu capitulo, super quo data est dilatio; nisi pars litigans, cui concessa fuit dilatio, hac nondum finita, agat in causa sua, et in hac, non obstante dilatione, nondum finita procedat.

TITULUS IX.

DE FERIIS.

§. I. *De variis feriarum generibus, et earum computatione.*

Feriae hic loci generatim dicuntur dies, seu tempora, quibus ius non dicitur, sive quibus a negotiis forensibus, sive actibus iudicialibus cessatur, et vacatur. Sunt autem feriae aliae solemnes, seu ordinariae, quae a legibus,

et ss. canonibus definitae sunt, et singulis annis recurrunt; aliae sunt extraordinariae, seu repentinae, quae non certa, et stabili lege, sed pro re certa occurrentibus variis occasionibus, indicuntur a principe v. gr., illarum aliae sunt sacrae, ob Dei cultum, et honorem sanctorum institutae; et quidem vel politicae, seu honorariae, in honorem principis institutae; aliae necessariae, sive rusticae, ob utilitatem tuti laborantium institutae, messis, v. gr. et vindemiae tempore etc., iuxta regionis conditionem observandae. Praeter has ferias dantur etiam feriae nuptiarum, quibus a nuptiis publice, et solemniter celebrandis abstineri debet; de quibus videndum *Tridentin. sess.* 24. *c.* 10. *De reform. matrim.* quod hodie correxit antiquum ius, et observari debet.

Incboantur autem feriae sacrae a vespera praecedentis diei, et terminantur in vespera diei sequentis, *argu. c.* 1. *h. t.* ita ut observari debeant tales sacrae feriae a vespera ad vesperam, non tantum circa officia divina facienda, sed etiam circa abstinendum a laboribus servilibus, aliisque prohibitis: plurimum tamen hac in re valet consuetudo, iuxta quam in plerisque Europae regionibus a medio noctis praecedentis usque ad medium alterius noctis talis a laboribus vacatio observatur, quam consuetudinem multum iuvat *c. Quoniam*, 2. *h. t.*

§. II. *De potestate indicendi ferias sacras, et de operibus servilibus, quae in illis fieri prohibentur.*

In ecclesia universali solus papa, et in sua dioecesi quilibet episcopus potest ferias sacras indicere *can.* 1. *dist.* 3. *De consecrat.* saltem cum consensu sui capituli, et circa sanctos iam canonizatos. Et quamvis princeps etiam secularis praecipere possit suis subditis, ut a laboribus, et operibus servilibus, ac forensibus vacent, non tamen festum diem instituere potest ad cultum sancti alicuius in conscientia, aut ad poenam obligantem, ne laicis concessa videatur de rebus spiritualibus disponendi facultas, et hinc si populus voto facto se obligavit, ad festum sancti alicuius celebrandum, possunt quidem illi, qui voverunt, vi voti ad festum tale celebrandum obligari, non obligantur tamen neque isti voventes, neque successores illorum vi statuti alicuius, aut consuetudinis, nisi approbatio episcopi interveniat.

Prohibentur autem in sacris feriis non tantum actus forenses, seu iudiciales, qui soli prohibentur in feriis rusticis, ne labores scilicet illorum interrumpantur, sed opera etiam servilia, seu mechanica, quibus ministerium corporale, aut famulatus aliis exhibetur, ut est arare, fabricare, artificiata conficere etc. de quibus operibus videndi theologi morales.

§. III. *Quinam actus non serviles, seu liberales exerceri prohibentur diebus feriatis?*

Prohibetur insuper in *c.* 1. *et ult. h. t.* ne festis diebus, divino, aut sacro cultui destinatis, mercatus fiant (publici, et solemnes contractus, publicae nundinae etc.) ne fiant placita (iudicia scilicet, et strepitus iudiciales, aut arbitria, in quibus servari debet ordo iudiciarius) ne iuramenta praestentur (extraiudicialia, quibus pacta, et conventiones publice, et solemniter

firmantur, nisi pro pace, aut alia simili necessitate fiant) qua tamen in re non tantum servandae receptae consuetudines, sed semper a prohibitionibus his excipiuntur casus necessitatis, et casus pietatis, sicuti enim necessitas non habet legem, ita ut si illa urgeat, non tantum causae civiles, sed etiam criminales diebus festis expediri possint; sic plurima etiam fieri possunt, ob causam pietatis diebus festis, in causis v. gr. alimentorum, iuramentorum, pupillorum, pauperum, et miserabilium personarum etc. in causis cultum sacrum concernentibus etc. Immo diebus festis etiam fieri possunt actus voluntariae iurisdictionis, emancipatio v. gr. manumissio, dispensatio, absolutio, concessio indulgentiarum etc. cum strepitum haec talia iudicialem non requirant, vel sint opera pietatis. Et quamvis feriis rusticis, messium scilicet, et vindemiarum, quae ad omnes loci talis incolas extendi possunt, renuntiare possint partes litigantes v. gr. ita ut non obstantibus his feriis, causam suam agere velint, cum feriae istae ob privatum favorem concessae sint, iudicem tamen cogere non possunt, ad causam diiudicandam tali feriarum tempore, nec possunt renuntiare feriis sacris, aut extraordinariis profanis, ob cultum sanctorum, aut bonum publicum indictis, cum publico tali derogare non possit privatus, prout colligitur etiam *ex c. cit. ult. h. t.*

§. IV. *Quinam actus iudiciales in specie sint prohibiti in diebus festis, vel permissi?*

Primo quidem libellus iudici in festo etiam offerri potest, cum libelli talis oblatio non sit actus iudicialis, uti nec inquisitio, quae a iudice nonnunquam fit prius, quam causa agi inchoatur, citata saltem parte adversaria. Decretum tamen, sive iudicis mandatum, de citando reo die festo fieri non potest, ob contrariam rationem, eo quod ab hoc mandato iudicium inchoari censeatur. Ipsa vero citationis executio, sive mandati citatorii insinuatio, quae nudum ministerium continet, et actus iudicialis non est, per iudicem fieri solitus, die etiam festo fieri potest. Et quamvis sint aliqui, qui putant, validam esse citationem illam, qua iudex die non festo de citando mandatum dat, citat tamen ad diem festum, ut in festo Assumptionis v. gr. B. Virginis in iudicio compareat, cum in tali casu mens citantis iudicis non sit, ut in hoc ipso die festo in iudicio se sistat, sed ut in loco compareat, quo possit altero statim die iudicium fieri; distinguunt tamen rectius alii, verborum et iurium rigori inhaerentes, et nolunt valere citationem, qua iudex expresse ad diem festum citat partem, ut se sistat in iudicio, cum ea, quae contra ius fiunt, pro infectis haberi debeant, *iuxta reg.* 64. *in* 6. valere autem putant citationem, qua ad certum diem mensis citatur aliquis, in quem illo anno dies festus incidit, cum in tali casu nihil expresse contra iura fiat, et mens citantis benigniorem explicationem mereatur.

Secundo probabile quidem est, quod in die festo testes examinari, et eorum depositiones licite, et valide possint audiri, modo praecedente die non festo iuramentum deposuerint, cum iuramenti praestatio die festo sit prohibita, examinatio vero, et depositio testium actus iudicialis non sit, qui per quemlibet a iudice deputatum tanquam merum executorem, in loco etiam non publico fieri potest; opposita tamen sententia probabilior, et iuri con-

formior est, neque enim testes die tali festo ad respondendum a iudice cogi possunt, ergo depositio eorum non est iuridica, et consequenter non est valida.

Tertio nulla est in die festo non tantum prolatio sententiae iudicialis, sed huius etiam executio, *iuxta l. ult. cod. h. t.* cum sine strepitu iudiciali fieri non possit; et ideo etiam reus die festo capi, aut incarcerari non potest, sive hoc fiat pro debito civili, sive pro crimine, nisi periculum esset in mora; et quamvis iura civilia plus hac in re admittant, servari tamen debet ius canonicum, quod haec talia ordinarie prohibet.

Quarto denique appellare quidem potest aliquis die etiam festo, non tamen appellationem prosequi, eo quod appellatio non indigeat tanto strepitu, quanto indiget appellationis prosecutio, quamvis et illud tutius fiat die non festo.

TITULUS X.

DE ORDINE COGNITIONUM.

Si plures quaestiones in idem iudicium conveniant, et deducantur, de qua prius cognoscendum sit, potissimum hic dubitatur, et hinc est.

§. I. *An prius discutienda sit quaestio consanguineitatis, quam super matrimonio pronuntietur?*

Ex *c. Intelleximus, 1. h. t.* decidendum hoc est, ubi mulier in maritum petiit aliquem, eo quod cum eo contraxisset, et super hoc testes produxit; vir tamen hoc negavit, consanguineum illius esse se in gradu prohibito probans; quae viri exceptio, quam quaestionem incidentem dicunt, prius diiudicanda a pontifice dicitur, quam causa principalis matrimonii. Ex qua pontificis decisione inferunt communiter peremptorias exceptiones, quae iustitiam causae principalis concernunt, per quas actio omnino excluditur ipso iure, seu potius nunquam nata ostenditur, prius diiudicandas, quam de causa principali cognoscatur, cum illa probata clarum sit, nullum ius competere in causa principali actori, et consequenter etiam hac exceptione probata, super causa principali indirecte saltem cognita iudex pronuntiare potest, et debet. Si vero apposita exceptio non tam iustitiam causae perimat, quam processum ordinarium iudicii impediat, qualis est exceptio litis finitae, rei transactae etc. quales exceptiones emergentes dicunt, non tantum prius cognosci debet talis exceptio, quam causa principalis tractetur, sed prius etiam super ea pronuntiari debet; ut appareat, utrum procedi ulterius debeat.

§. II. *Quomodo, seu quo ordine procedendum sit in causa, seu quaestione spoliationis?*

Colligitur responsio ex *c. Cum dilectus, 2. h. t.* ubi pontifex dicit: si reus contra actorem spoliatorem agentem super spolio, vicissim spoliationem obiiciat, distinguendum esse, utrum quaestio spoliationis per modum actionis proposita fuerit, ad restitutionem petendam; vel utrum proposita fuerit per modum exceptionis, ad intentionem adversarii repellendam. Prius si fiat, censebuntur mutuae actiones, sive conventio, et reconventio, et iuxta modum mutuarum talium petitionum pariter tractandae, et una sententia ter-

minandae sunt; ita tamen, ut in conventione semper priorem locum habeat conventionis causa, quae prius in iudicium deducta fuit; si vero per modum exceptionis opponatur spoliatio ad impediendum, vel differendum processum iudicisrium, donec restitutio facta sit, prius de exceptione spolii, velut de dilatoria exceptione, quam de causa principali cognoscendum est, cum reus in tali casu non teneatur actori respondere, priusquam restitutio facta sit, *c. ult. h. t.* Et quamvis actor condemnari non possit ad absolute restituendum, cum exceptio non flat ad impetrandam restitutionem, sed ad excludendam tantum actoris petitionem, condemnari tamen potest ad restitutionem sub conditione, si scilicet ulterius agere velit. Sunt tamen etiam plures casus, in quibus exceptio spoliationis contra spoliatorem opponi non potest, si scilicet periculum sit in mora, si praecise officium iudicis imploretur; si spoliatus conveniatur ex promissione iuramento firmata, in causa matrimoniali, et aliis spiritualibus; si factum sit notorium, etc. videatur etiam *c. Super spoliatione*, 4. *h. t.*

§. III. *An, et qua ratione, si in iudicio incidat quaestio praeiudicialis ipsi causae principali, prius de causa, seu quaestione incidente cognoscendum sit, quam de causa principali?*

Si in causa ad iudicem saecularem deducta quaestio incidat, quae quidem ad forum ecclesiasticum pertinet, sine huius tamen decisione in causa principali pergi non potest, non debet prius iudex saecularis cognoscere super causa principali, quam illa incidens quaestio a iudice ecclesiastico decisa fuerit, cum ab huius decisione dependeat illa *c. Tuam*, 3. *h. t.* ita ut iudicis saecularis, quoad causam principalem, suspensa maneat iurisdictio, dum a iudice ecclesiastico haec praeiudicialis incidens decisa fuerit, ad cuius tribunal tunc quaestio incidens ratione spiritualitatis pertinet. Quin immo in causis per se, et ex obiecto suo spiritualibus, seu ecclesiasticis, potest iudex ecclesiasticus, vel ex proprio motu, vel ad instantiam partis inhibere iudici seculari, ne in causa principali agat aliquid, antequam incidens illa decisa fuerit. Quod si tamen causa principali coram iudice seculari iam mota, quaestio praeiudicialis incidat ad forum civile pertinens, potest quidem iudex secularis etiam de hac incidente quaestione cognoscere, si non excedat illius iurisdictionem, prius tamen de ea iudicare debet, quam de causa principali, cum illa probata, locum non habeat causa principalis.

TITULUS XI.

DE PLUS PETITIONIBUS.

§. I. *Quot modis plus petatur?*

In *c. Consultum*, *unico h. t.* habetur, quod quatuor modis plus peti possit, causa scilicet, re, tempore, et loco. Causa plus petere dicitur, qui in specie, et determinate a debitore petit, in genere tantum, vel alternative, aut disiunctive debet aliquid, sic si alter tibi promisit equum aliquem, aut equum, vel duodecim aureos, tu vero equum neapolitanum determinate petas, vel omnino velis habere duodecim aureos, cum tamen penes te non

sit electio (quae in debitis ex contractu indeterminatis penes debitorem est, nisi ex verbis aliud appareat, ut ex ultima voluntate debeantur) causa plus petere diceris, et etiamsi vilius quid petat, quam alter daturus esset, plus causa petere dicitur, cum non sit electio penes hunc, sed penes debitorem, qui nonnunquam difficilius caret viliore, quam meliore.

Re plus petere dicitur, si decem v. gr. aurei tibi debiti sint, tu tamen petas viginti, non quidem ut accessorium quid principali debito, sicuti non plures petere dicitur, qui fundum v. gr. cum fructibus petit, cum fructus in tali casu petantur, non ut principale debitum, sed ut accessorii fundo, etc. tutius tamen est, ad omnem cavendam litem nihil necessariam, ut clausula tali petitioni adiiciatur, petere se scilicet haec, salvo tamen iure superflui.

Loco plus petitur, cum quis alibi convenitur, quam ubi conventum erat, stipulatus v. gr. es, quod Augustae solutionem v. gr. facere velis, alter tamen Ulmae te de solutione facienda convenit. Quo in casu ad id, quod interest, solutionem non in alieno loco petitam, et factam esse, ex aequitate naturali, non in poenam tenebitur, qui loco plus petivit, nisi petitionis talis faciendae iusta causa subsit, aut in alio quidem loco petas solutionem v. gr. quam conventum erat commodo tamen debitori, et facta mentione loci, in quem conventum erat.

Tempore denique plus petitur, cum ante diem, vel ante conditiones pacto adiectas conventum petitur; sicuti enim qui moratur solutionem, et tempore suo non solvit, minus solvere censetur, ita etiam, qui petit solutionem ante praefixum solutioni faciendae tempus, plus petere censetur.

§. II. *Quae sit poena plus petentium ?*

Olim poena plus petentium fuerat, ut causa caderent, nec facile in integrum restituerentur; §. *Si quis agens instit. de dationibus.* Hodierno tamen iure, qui plus re, causa, vel loco petit, condemnatur in omne damnum, quod sua petitione debitori intulit, ita ut post sententiam etiam latam, nova possit institui actio. Et quamvis tripli etiam poenam iura civilia statuant, pecuniae illius, quae in iudicem, et executores iudicis numeranda fuerat; de iure tamen canonico huius poenae nulla fit mentio, neque ubique huius tripli habetur ratio. Tempore vero, qui plus petit in poenam pati debet, ut adversario induciae duplicentur ad solutionem v. gr. faciendam, neque cogatur litem suscipere, nisi prius expensae illi solvantur. Interim tamen, si quis plus petit ante litis contestationem, vel etiam post, ante latam tamen sententiam a petitione hac desistat, non incurrit poenas relatas plus petentium, ut constat ex *cit. c. unico*, *h. t.* ubi poenae hae imponuntur perseverantibus in iudicio in sua plus petitione.

TITULUS XII.

DE CAUSA POSSESSIONIS, ET PROPRIETATIS.

§. I. *Quid, et quotuplex sit possessio, et quomodo a proprietate differat, et quae sint commoda, seu privilegia possessionis ?*

Possessio communiter definitur in genere, quod sit rei corporalis apprehensio, seu detentio animi, corporis, et iuris adminiculo. Dicitur primo

apprehensio, seu detentio, vere scilicet manibus apprehendendo rem, pedibus insistendo, fundando, vel ficte, iuris scilicet fictione, iuxta quam nonnunquam in certis circumstantiis, aut signi alicuius apprehensione, etc. res aliqua possideri inchoatur, et dicitur. Dicitur secundo, rei corporalis: incorporalium enim rerum, uti sunt iura, proprie iuxta iuristas non est possessio, sed tantum quasi possessio. Dicitur tertio, corporis, et animi adminiculo scilicet: licet enim ad continuandam nonnunquam possessionem non requiratur corporalis detentio, ad acquirendam tamen, et inchoandam possessionem corporis, et animi adminiculum requiritur, et alterum sine altero non sufficit. Dicitur quarto, iuris adminiculo: non quod omnis possessio iusta sit, sed quod ius tali possessioni non resistat positive, sicuti resistit, quo minus laici res spirituales possideant.

Dividitur autem possessio potissimum in civilem, et naturalem, haec corporalis possessio est, si sit a civili seiuncta, casu quo v. gr. unus rem aliquam ut suam possidet in absentia alterius, qui tamen corpore quidem absens est, animo tamen rem suam possidere pergit; et illa si a naturali seiuncta est, solo animo, absque corporali detentione retinetur, in casu v. gr. quo quis a rebus suis absens est, nec per se, nec per alium corpore res illas detinet, animum tamen nunquam abiecit, res eas possidendi, etc. Perfectissima possessio est, quae utrumque coniungit, prout loquitur possessionis definitio. Sunt quidem et aliae divisiones possessionis, sic alia iusta, alia iniusta dicitur; alia bonae, alia malae fidei; alia vera, alia colorata, et apparens; alia violenta, alia clandestina, etc. quae tamen divisiones, quia alibi explicantur, vel per se clarae sunt, ulteriorem declarationem non exigunt.

Differt autem in pluribus a proprietate possessio. Primo enim proprietas idem est, quod dominium, aut quasi dominium, possessor autem saepe nullum rei, quam possidet, dominium habet. Secundo proprietas nonnunquam acquiritur solo animo, ante apprehensionem rei v. gr.; possessio vero solo animo, sine omni apprehensione vera, vel ficta acquiri non potest, e contrario vero solo animo amittitur possessio, non autem dominium. Tertio possessio ex pluribus causis haberi potest, dominium vero non nisi ex una acquiri potest. Quarto potest fieri, ut per traditionem cum iusto titulo acquiratur rei dominium, non autem possessio, si alter scilicet rem illam, quamvis iniuste detineat, etc.

Commoda autem, seu privilegia possessionis etiam plura sunt. Primo, quod possessor bonae fidei, si alia necessaria praescriptioni accedant, praescribat rem, quam possidet. Secundo quod in dubio, num res sua facta sit, nec ne, si dubium tale praescriptionis tempore occurrat, iuvare se possit ad rem retinendam titulo possessionis. Tertio, quod ius habeat administrationis, si rem bona fide possidet. Quarto, si rem, quam bona fide possederat, bona fide absumpserit, ad plus non tenetur restituendum, quam inde locupletior factus est. Quinto non censetur princeps dare privilegium, aut beneficium cum praeiudicio alterius in possessione existentis.

§. II. *Quibus modis possessio acquiratur, vel amittatur?*

Rerum corporalium possessio acquiritur per apprehensionem talis rei veram, vel fictam; ita tamen ut necessarium non sit, quamlibet partem rei

alicuius, plures partes coninnctas habentes, apprehendere, ut vera sit apprehensio, sed sufficiat unam v. gr. partem domus, animo possidendi, totam domum ingressum fuisse; et ficta apprehensio fieri possit per varios modos, qui a iure approbantur, qui a civilistis peti possnnt. Rerum incorporalium possessio acquiritur primo per exercitium talis iuris, sciente, et patiente antiquo possessore, contra quem ius acquiritur, ita tamen nt ad possessionem talis inris acqnirendam unus nonnunquam actus sufficiat, si raro v. gr. et non facile talis usns ex gratia concedatur, nonnunqnam plures actus, et res ex variis circumstantiis colligi debent, semper tamen reqniritur, exercere talem actum, non ex gratia tantum alterius, sed ex iure quasi sibi competente.

Amittitur autem possessio solo etiam animo non possidendi, ut si quis ex fundo suo habeat, animo eum non possidendi, amittit fundi illins possessionem, non quidem, quod corporalem illius, sive naturalem possessionem non retineat, eo quod ex eo corporaliter discedat, sed quod animnm non amplius habeat, fundum talem nt suum retinendi, quo animo abiecto, civilem etiam possessionem amittit. Amittitur autem possessio immobilinm rerum, si fundum v. gr. quem corporaliter occupatum non repetis amplius, vel repulsam passus, nihil ulterius agis; mobilium vero, si ignorante etiam te, rem tuam mobilem, hac in posterum ut sua ntendi, eripit aliquis.

§. III. *De iudiciis, seu remediis possessoris in genere, et in specie, coram quo iudice institui debeat iudicium possessorium in rebus spiritualibus?*

Triplex in genere iudicium, seu remedium sive interdictum est possessorium, adipiscendae scilicet possessionis, quam nunquam habuisti; retinendae, in qua turbaris; et recuperandae, quam habitam amisisti. Quae interdicta sicuti pluribus explicant civilistae, ita ab illis ulterior subdivisio, et explicatio petenda est. Videri etiam potest anctor Method. hoc loco.

Illud hic adhuc advertendum, si iudicium possessorium adipiscendae, vel recuperandae possessionis circa spiritualia, vel quasi spiritualia instituatur, circa beneficia v. gr., ius patronatus, decimas, etc. quaestio sit de iure possidendi, tum apnd iudicem ecclesiasticum controversia talis institui debet, cum sit de iure spirituali quaestio. Si vero de solo facto turbatae v. gr. possessionis, vel expulsi ex possessione clerici foret controversia, contra laicum turbatorem, aut repellentem, etc. etiam coram iudice laico agi poterit, cum quaestio haec facti mixti ut sic fori sit, nisi illi admixta sit quaestio iuris, prout frequenter fieri solet.

§. IV. *An causa possessionis, et causa proprietatis apud eundem iudicem tractari debeat?*

Ex *c. Susceptis* 1. *h. t.* affirmative respondetur, nt ne causae continentia dividatur, et causae connexae inter se facilius expediantur; nisi vel litigantes sint omnino diversi fori, vel iudex de utraqne causa possessionis, et proprietatis, cognoscere non possit: Et quamvis commnniter dicatur, nihil commune habere possessionem cum proprietate, intelligi tamen hoc non debet, quoad cognitionem iudicialem, sed quoad substantiam, et essentiam utriusque.

Et hinc cui delegata est in genere causa cognoscenda, vel in specie causa proprietatis, intelligitur etiam causa possessoria illi delegata, ut docet etiam *glossa in c. Pastorali*, 5. *v. Requisitus h. t.* Aliud autem est, si cui commissa sit causa possessionis cognoscenda, hic enim super causa proprietatis cognoscere non potest, ut docet *glossa recepta in cit. c.* 1. *h. t. v. Indistincte* (nisi per viam reconventionis, si haec locum habeat) quia mirum non est, si proprietas, velut magis dignum, trahat ad se possessionem, non autem vice versa possessio, minus dignum, proprietatem.

§. V. *An, et quomodo causa possessionis, et proprietatis possint cumulari in iudicio, et quo ordine tractandae sint?*

Simul tractari posse in eodem iudicio causam proprietatis, et possessionis (si moveatur interdictum adipiscendae, aut recuperandae possessionis, non autem si retinendae tantum moveatur, quod cumulari cum petitorio ordinarie non potest), ita tamen ut iudex receptis probationibus super utraque causa, prius examinare possit probationes super causa possessionis, illamque terminare, ex *c. Ad ultimum*, 2. *h. t.* patet: nisi de utroque liqueat, in tali enim casu, utraque causa debet simul una sententia terminari, ita tamen, ut prius pronuntietur super possessione, in executione tamen proprietas praevaleat, *c. Cum dilectus*, 6. *h. t.* quia in pronuntiando servatur ordo, qui habitus fuit in cognoscendo; et in executione absorbet effectum sententiae latae pro possessione proprietas.

§. VI. *Qua ratione spoliatus instituere possit iudicium possessorium, et petitorium coram eodem iudice?*

Spoliatus, qui possessorio, et petitorio iudicio simul agit (quamvis non semper consultum sit, ut possessorium simul cumuletur cum petitorio) si possessionem, et spoliationem probet, non autem dominium, seu proprietatem, obtinet in possessorio, eique restituenda est possessio, non autem in petitorio (quia possessionem, et spoliationem probavit, non autem dominium, et ab una possessionis ad alteram causam proprietatis velut distinctam non fit bona illatio, *c. Cum ecclesia*, 5. *et c. Cum super*, 4. *h. t.* Et qui ab initio agit iudicio petitorio, de proprietate, sive rei vindicatione, potest, si necdum in causa conclusum sit, suspenso iudicio petitorio, interdictum possessorium adipiscendae, vel recuperandae possessionis intentare, non autem postquam in causa conclusum est, nisi iudici ex iusta causa id expedire visum fuerit, prout statuitur in *c. Pastoralis*, 6. *h. t.* ubi iniuste spoliato ita succurritur contra odiosum spoliatorem, si petitorii probationem non videatur posse evincere, ut tamen via fraudibus non aperiatur. Quin immo etiam post sententiam in petitorio latam, quia alter in probatione dominii defecit, potest hic transire adhuc ad possessorium, et e contrario ad petitorium a possessorio, quia sunt distincta, et separabilia iudicia, quae quoad hoc nihil commune habent. Haec autem, quae dicta sunt de utrinsque iudicii cumulatione, locum etiam habent in causis beneficialibus, *Clement. unica. h. t.* etiamsi ad papam appellatum fuerit a causa proprietatis v. gr. ita tamen, ut etiam ea advertantur, quae in *duobus ultimis capitulis h. t.* advertuntur.

TITULUS XIII.

DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM.

Agitur potissimum hoc titulo de interdicto, *unde vi*, sive de remedio recuperandae possessionis, si ex rei immobilis possessione per vim, sive publicam, et armatam, sive per privatam, quae sine armis infertur, deiectus fuerit. Sit ergo

§. I. ***Quibus competat interdictum*** unde vi, *seu recuperandae possessionis?*

In genere dici potest, non concedi hoc interdictum, nisi illi, qui vi deiectus, seu spoliatus fuit possessione rei immobilis, sive naturaliter, sive civiliter tantum rem illam, quae soli est, sive iuste, sive iniuste possederit. In specie vero primo si colonus fundo, vel conductor domo, ab altero vi occupata eiiciatur, non ipsis, sed domino interdictum *unde vi* competit; cum enim interdictum possessori competat, hi autem non tam possidere, quam detinere rem illam dicuntur, quam nomine alterius tenent, consequenter non tam his, quam domino talium rerum interdictum *unde vi* competit, nisi colonus v. gr., iam prius possessionem interverterit, et non nomine domini, sed suo nomine fundum v. gr. possederit. Quod si tamen ad longum tempus, ad decennium v. gr., conductori v. gr. fundus locatus fuit, competit ei interdictum *unde vi*, si tali postmodum feudo spoliatus fuit, sicuti et emphyteutae, et usufructuario, usuario, et cui habitatio concessa est, quia hi censentur esse in quasi possessione iuris aut dominii utilis. Conceditur autem hoc interdictum *unde vi* non tantum iliis, qui simpliciter, et absolute possessione spoliati sunt, sed illis etiam, qui libere possidere non possunt, uti sumitur ex *c. Pisanis*, 19. *h. t.* cum plene, et integre restitui debeat quocunque modo spoliatus.

Secundo si alicui liber homo, aut laico res sacra, sive ecclesiastica, beneficium v. gr. ecclesiasticum, decimae spirituales etc. per vim eripiantur, locus non est interdicto *unde vi*, cum haec talia, vel simpliciter non possideri possint, vel saltem ab his possideri non possint, et consequenter interdictum possessorium his non potest competere; nisi ex titulo aliquo sua libertate ille exciderit, vel ex privilegio speciali laico concessa sit spiritualium rerum possessio.

§. II. *Contra quem competat interdictum* unde vi, *vel non, et quando exspiret?*

Non competit, nisi contra eum, qui alium possessione sua deiecit, aut deiici mandavit (modo factum fuerit secutum) aut deiectionem talem suo nomine factam ratam habuit *c. Cum ad sedem*, 15. *h. t.* Sicuti enim hi in genere moris saltem spoliare censentur, ita contra eos etiam interdictum spoliatis conveniens conceditur; et quamvis hoc interdictum etiam haeredi, et caeteris successoribus spoliati competat, non tamen competit contra universales haeredes, aut successores spoliantis, cum poenale sit, et consequenter non extendendum, ut ne tamen commodum habeat haeres ex delicto tali al-

terius, cuius haereditatem obtinet, aliam contra eum actionem concedunt civilistae, et aliud etiam remedium possessorium contra successorem etiam particularem canonistae, ut videbimus.

Potest autem hic interdicto etiam contra iudicem iniuste spoliantem experiri spoliatus, *c. Conquerente*, 7. *h. t.* sive extraiudicialiter, praetermisso scilicet iuris ordine, et absque causae cognitione, ubi tamen haec necessaria fuisset, vel quod hic in iudicio quidem nulla tamen iurisdictione in tali casu praeditus, per sententiam quidem, nullam tamen, sive iudicialiter spoliaverit aliquem sua possessione, substantiale tamen vitium admittendo, aut manifestam iniuriam committendo, ex quo sententia nulla est; ita tamen, ut pro iudice iudicialiter procedente sit praesumptio, quod iuste processerit.

Liberis tamen contra parentes, et libertis contra patronos non competit hoc interdictum *unde vi*, quia facinoris atrocitatem, et consequenter aliquam facti infamiam apud viros honestos continet, sed in vicem illius datur actio in factum, de quo plura civilistae.

Exspirat autem hoc interdictum, si intra annum (utilem tamen, et non continuum) spoliatus non egerit: quoad rei vero persecutionem, de eo, quod ad spoliatorem pervenit, etiam post annum datur, et per modum exceptionis perpetuo durat, cum ea, quae sunt temporalia ad agendum, ad excipiendum perpetua sint.

§. III. *An, et qua ratione spoliatus possessione restituendus sit, et quando non?*

Spoliatus ante omnia restituendus est, si legitime probata fuerit spoliatio, vel de ea constet, et hoc petiverit spoliatus, ita ut ante restitutionem non audiatur spoliator, etiamsi in continenti probare velit dominium sibi competere, sed post restitutionem, si iudicio proprietatis experiri velit, *c.* 1. *et c.* 5. *h. t.* in hoc scilicet interdicto *unde vi* in favorem spoliatorum, et odium spoliantium, ita statuente iure, ut ne, dum propria auctoritate fit occupatio, magnae in republica perturbationes oriantur, et ex delicto spolians sentiat commodum. Quod si tamen praedo, aut alius notorius iniustus spoliator, a domino vel bonae fidei possessore, quem re sua spoliavit, vicissim ex intervallo re illa spoliatus sit, naturalis aequitas videtur requirere, ut domino magis posterius spolianti succurratur, quam iniusto prius spolianti praedoni, quin plures esse casus, in quibus spoliatus non est ante omnia restituendus, ex iure, et quidem ex *c. Licet*, 5. *h. t.* patet. Si scilicet spoliatus expresse, vel tacite consentiat, ut de exceptione dominii, seu proprietatis ante restitutionem factam cognoscatur; cum possit in tali casu iuri suo cedere spoliatus, quod in favorem illius introductum est. Secundo non est ante omnia restituendus spoliatus, si ex actis iudicii constet, nullum ius competere spoliato, sed spoliatori (quia acta iudicii faciunt notorium) vel ex confessione iudiciali ipsius spoliati, qui fatetur spoliatorem dominum esse (quia confessio est probatio probata) vel si de dominio, aut iure spoliatoris constet ex instrumento publico, quod paratam habet executionem; vel si constet de eo per testes, qui rem evidenter notoriam faciunt; vel denique, si per sententiam latam in petitorio constat de dominio, seu iure

spoliatoris. Tertio non est restituendus ante omnia spoliatus, si ex tali restitutione periculum animae timeri possit, aut irreparabile damnum, vel publicum scandalum, vel perturbatio in populo timeatur (quia in his, et similibus casibus periculum animae, et publica tranquillitas, etc. praevalet privato commodo spoliati) vel denique si rem notorie suam, qua spoliatus est, et quam per viam iuris acquirere non poterit, propria auctoritate occupavit, praesertim si sine suo damno restituere non potest, cum in tali casu alia via non sit rei suae recuperandae, qua tamen iuste, et iuridice privatus non est.

§. IV. *Quae probanda sint a spoliato agente ad restitutionem rei spoliatae?*

Duo probare debet, qui agit interdicto *unde vi,* possessionem scilicet, et spoliationem, sive quod rem illam immobilem, qua spoliatum se queritur, tempore spoliationis possederit (praesumptive saltem hoc probando) et quod hac possessione deiectus sit, uti patet etiam ex *c. Consultationibus,* 10. *iuncta gloss. v. Possessionem, et deiectionem. De offic. et potest. iud. deleg.* Et hinc qui hoc interdicto experiri vult, non audiatur, etiamsi probare velit se dominum huius rei esse, nisi probet rem se possedisse, et ea spoliatum fuisse, uti habetur ex *c. Olim,* 17. *h. t.* Cum saepius non sit idem possessor, et dominus: neque in causis profanis necessarium est, titulum probare possessionis, cum etiam praedo in his restituendus sit, *c. In literis,* 5. *h. t.*

§. V. *Quae a spoliatore, seu violento invasore restituenda sint spoliatori?*

Non tantum rem una cum fructibus naturalibus, qui percepti sunt, et percipi etiam potuissent, restituere debet spoliato violentus spoliator, seu invasor rei alienae, (deductis tamen expensis, quae in colligendis, et conservandis fructibus v. gr. fieri debebant) sed omnia insuper damna resarcire (etiamsi spoliatus non omnia haec petiverit) ac de iniuriis integre satisfacere, *c. Gravis,* 11. *h. t.* Quod si tamen spoliator, et ipse spoliatus fuit, nec ob inopiam habeat, ut restituat omnia, nisi et ipse restituatur, cogi non debet ad restitnendam rem una cum fructibus, nisi prius restitutus et ipse fuerit; *c. Olim vobis,* 16. *h. t.* Cum inanis sit actio, ut ait pontifex, quam inopia debitoris excludit, ita ut saltem executio sententiae latae de solutione fructuum facienda, suspendatur.

§. VI. *Quando, et qua ratione spoliatus agens interdicto recuperandae possessionis, in causis beneficialibus, vel aliis spiritualibus restituendus sit?*

Spoliatus beneficio, si magna adversus eum praesumptio sit, quod sine titulo, aut cum titulo vitioso beneficium ecclesiasticum obtinuerit, restitui non debet, priusquam titulum institutionis suae exhibeat, ac iustificet (ob periculum vitiosae intrusionis) aut saltem putativum titulum alleget, et coloret (per regulam v. g. cancellariae de triennali possessore, etc. Si tamen nulla contra eum sit praesumptio, restitui debet, etiamsi institutionis suae titulum nec iustificaverit, nec coloraverit, uti colligitur ex *c. In literis,* 5. *h. t. et in c.* 3. *De procuratoribus,* cum possessionem beneficii obtinere possit clericus, absque eo, ut huius proprietatem habeat, aut in hoc canonice

sit institutus. Si vero in aiiis causis spiritualibus, iure decimarum v. gr. iure eiigendi, iure patronatus, etc. spoiiatus aliquis sit, cui ius commune resistit, assistit vero spoliatori, restitui hic non debet, nisi prius titulum suae possessionis, vel saltem praesumptionem tituli ostenderit. Prout sumitur ex *c. Ad decimas*, 2. *h. t. in* 6. cum favorabiliores sint partes illius, qui iuris habet assistentiam, contra eum, cui ius resistit: iura quae in contrarium afferuntur, vel non loquuntur de casu, ubi utrumque fit, ut ius v. gr. assistat spoiianti, et resistat spoliato, vel ioquuntur de notoriis, in quibus iuris ordo servari non debet.

§. VII. *An is, qui renuntiavit beneficio, post vel ante spoliationem petere possit restitutionem, et restitui debeat?*

Si post spoliationem factam beneficio iiii cum iuramento etiam renuntiet, restituendus est, non obstante exceptione secutae post spoliationem renuntiationis, *c. Sollicite*, 2. *h. t.* quia verisimiie non est, ut ait pontifex, renuntiationem in taii casu iibere factam fuisse, et iuramentum naturam actus principalis sequitur; ita ut haec praesumptio sit iuris, et de iure, contra quam non admittitur facile probatio in coutrarium *glossa hic v. Eum spoliatum.* Nisi renuntiatio facta fuisset coram iudice competente, qui de ea causa cognoscit, cum auctoritas iudicis in taii casu toliat omnem violentae spoiiationis suspicionem; aut certo constet, sponte absque vi, aut metu renuntiasse spoliatum, cum per talem libertatem praesumptio iila elidatur; aut procuratorem ad resignandum, ante spoiiationem iam constituisset, cum in tali casu retrahatur renuntiatio ad tempus dati mandati de renuntiatione facienda, quo tempore nulla fuit coactio, aut post longum a spoliatione tempus nihil unquam de spoliatione facta conquerens resignasset, quo in casu, cum concessam sibi quereiam de spoliatione tanto tempore omittat, sponte videtur renuntiare; quod adhuc certius est in eo casu, quo interdicto possessorio ad beneficium sibi recuperandum expresse renuntiasset in tali casu, et in taiibus circumstantiis, ut de coactione nihil praesumi possit, hic enim non audietur, si de spoliatione coguoscere velit, uti nec illi, qui ante factam spoliationem sponte beneficio renuntiaverunt; *c. Accepta*, 3. *h. t.* etiamsi tantum simplex renuntiatio fuerit.

In interdicto vero retinendae possessionis in causa beneficiali reo, sive turbatori (qui extraiudicialiter turbat possessorem) opponi potest exceptio spontaneae renuntiationis, si probari possit, quod is iuramento promiserit, se possessorem non turbaturum, aut molestaturum super certo beneficio, quia in tali casu sponte renuntiasse iure suo censetur, quod in taii beneficio practendere poterat, *c. Audita*, 4. *h. t.*

§. VIII. *Quando, et quomodo restitutio spoliati facienda sit in causis matrimonialibus?*

Non tantum agere potest conlux iudicio possessorio, si a coniuge eiectus fuit, et petere se restitui, sed etiam si propria auctoritate a coniuge se separavit, discedendo ab eo, potest hic agere interdicto recuperandae possessionis, quia in utroque casu tam eiecti, quam sponte discedentis coniu-

gis censetur alter iure matrimoniali spoliatus, ita ut quae propria auctoritate a marito v. gr. discessit, etc. redire non vult, per vim capi possit, et ad domum mariti reduci, nisi per consensum de praesenti contractum matrimonium nondum fuisset, quamvis ad domum sponsi deducta v. gr. fuerit, et illi cohabitaverit, *c. Ex parte*, 14. *h. t.* neque enim sine legitimo titulo, saltem colorato, liberi hominis possessio acquiritur, qualis in nostro casu titulus non est sola in domum traductio, sed consensus de praesenti: debet tamen in his causis matrimonialibus spoliati restitutio caute fieri, ut nec iniuriam patiatur spoliatus, nec periculum animae spolians; hinc si mulier v. gr. post contractum, et consummatum matrimonium, praesumptione saltem probatum, a viro propria auctoritate discessit, impedimentum directe consanguineitatis v. gr. aut aliud divini praesertim iuris opponens, quominus matrimonialiter cohabitare possit, et in continenti probationes paratas offerat, quamvis viro repetenti eam iudicio possessorio, quoad domum, et mensam, et alia coniugalia obsequia restitui debeat, ob communem regulam spoliati ante omnia restituendi, quoad thorum tamen, ob periculum fornicationis restitui non debet, sed recepto ab illa iuramento de malitia, prius probationes requirendae sunt, quam fiat ad thorum restitutio; si vero probationes non sint in promptu, tum plena quidem etiam quoad thorum mulieris restitutio marito spoliato non est deneganda, ipsa vero mulier, si conscia sibi sit impedimenti dirimentis, a copula abstinere debet, et censuram potius ecclesiasticam tolerare, si sub interminatione talis censurae ad usum matrimonialem cogeretur, donec impedimento probato, ab illa absolvatur, prout sumitur ex prolixo *c. Literas*, *h. t.* nihil enim obest pati ad tempus censuram talem, in facie quidem ecclesiae, ob defectum verae notitiae, non tamen coram Deo omniscio obligantem, plurimum autem obesset peccato fornicationis se contaminare. Si vero spoliatio talis fiat post contractum quidem in facie ecclesiae, sed ante consummatum matrimonium, restitutio se separantis coniugis fieri non debet spoliato restitutionem petenti, quoad thorum, sed tamen quoad domum, mensam, et alia obsequia coniugalia, de quibus in *c. Ex parte*, 14. *h. t.* ad quam post matrimonium contractum sola deductio in domum mariti requiritur, et sufficit; cum per talem deductionem, necdum quidem plenam coniugis possessionem, quae habetur per copulam, acquisiverit spoliatus, sed tantum minus perfectam quoad domum, mensam, etc. quae tamen omnia circa restitutionem spoliati intelligenda sunt, nisi viri v. gr. saevitia, cui caveri satis non potest, aliud iubeat, quo in casu nulla fieret restitutio, sed in loco tuto collocaretur spolians, dum causa examinaretur.

Quodsi tamen uxor, quae a marito sponte discessit, illi eam in possessorio repetenti obiiciat crimen adulterii ab eo commissum, plene, et quoad thorum restituenda, si adulterium publice notorium non sit, etiamsi probationes illis in continenti offerat uxor spolians; cum in hoc casu ex plena tali restitutione nullum periculum animae immineat, sicuti sequeretur ex plena restitutione impedimentum dirimens praesertim divinum obiicientis; neque enim peccat uxor adultero reddens debitum, sicuti peccat in gradu dirimente coniuncta reddens debitum.

§. IX. *Utrum spoliato agenti interdicto possessorio* unde vi , *opponi possit exceptio criminis ?*

Si spoliato agenti interdicto possessorio , *unde vi* crimen obiiciatur , non obstante exceptione hac, et criminis obiectione restitui debet *c. Item cum quis,* 6. *h. t.* nisi tale crimen ad agendum eum redderet inhabilem, prout facit excommunicatio ; vel reddat incapacem possessionis, prout laicus incapax est possidendi beneficii ecclesiastici , vel sit crimen , quod ipso iure privat proprietate , et possessione , quale crimen est crimen laesae maiestatis ; vel quod privet titulo omni , ut est simonia in materia beneficiali , si tamen notoria sit , vel probationes in continenti offerantur , quia in aliis casibus praesumitur facta criminis obiectio ab inimico spoliatore.

§. X. *Cui competat, et quando opponi possit exceptio spoliationis ?*

Exceptio spoliationis a reo spoliato proposita , quamvis haec non ab actore, sed ab alio facta sit, nihil quidem impedit , si civiliter agatur , quo minus iudex in causa principali procedat, et definiat ; impedit autem si criminaliter agatur , ubi reo , qui vel omnibus suis bonis, vel certe maiore parte bonorum spoliatus est , per violentiam eo tempore , quo contra illum criminale iudicium movetur, conceditur ad probandam spoliationem 15. dierum dilatio (nisi crimen sit notorium), qua inter tempus hoc probata , non tenetur adversario accusatori respondere , nisi prius restituatur , *c. Frequens,* 1. *h. t.* quia bonis suis taliter spoliatus non debet suis adversariis obiici , ita inermis , et in casu , in quo nec sumptus iudiciales sufficientes habet , nec homines sibi favorabiles , qui causam agant , facile reperit , cum tamen maiore auxilio indigeat, quam civiliter tantum conventus , ubi fraudes nonnunquam possunt principalis causae cognitionem intervertere ; neque tamen specialis haec constitutio, in quantum criminaliter accusato in casu talis spoliationis ab alio factae favet, extendenda est ad casus alios , cum sit a communi iure exorbitans , et potest ac debet iudex , probata spoliatione ab alio facta , certum illi temporis terminum praefigere , intra quem restitutionem petat in iudicio, ne videatur magis ad eludendam accusationem, quam in favorem criminaliter accusati concessa haec dilatio, iuxta *cit. c.* 1. §. *Solet autem.*

Non potest autem contra agentem in causa ecclesiastica opponi exceptio spoliationis rei privatae , neque vice versa agenti in re privata opponi exceptio spoliationis rei ecclesiasticae , prout in *cit. c.* 1. §. *Ad hoc ultimum* habetur. Cum enim qui in causa ecclesiastica agit , non tam nomine suo , quam nomine ecclesiae agat , et de re publici iuris ; qui vero in causa privata agit, non agat nomine ecclesiae , sed suo nomine, et consequenter de re privati iuris ; quae autem publici iuris sunt , cum privatis compensari non possint , consequenter nulla est exceptio de spolio privatae rei contra spoliatorem in re ecclesiastica agentem. Intelligitur autem nomine rei ecclesiasticae hic non tantum res pure spiritualis , uti sunt sacramenta, ius decimandi , etc. sed ea etiam temporalia , quae ad ecclesiam qua talem , monasterium , etc. pertinent , non tamen quae ad particulares tantum clericorum personas pertinent , et potius patrimonialia illorum habentur , quam ecclesiastica.

§. XI. *An, et quando violentum, aut iniustum invasorem, vel detentorem rei, propria auctoritate expellere liceat?*

Potest dominus, qui absens v. gr. proprio fundo spoliatus per violentiam fuit, per vim etiam expellere iniustum invasorem, modo non ex intervallo, sed in continenti hoc fiat, et modus iustae defensionis non excedatur, *l. 1. iuncta gloss. v. Ad defendendam possessionem, cod. Unde vi, etc. et cap. Olim*, 12. *h. t.* quia vim vi repellere de iure naturae licitum est: censetur autem taliter per vim re sua deiectus in continenti, et non ex intervallo vim vi repellere, per modum iustae defensionis, si post intellectam spoliationem violentam statim, priusquam ad alios actus divertat, aut spoliatorem ad rem suam recuperandam persequatur, aut media saltem procuret (iudicialia vel extraiudicialia) ad dictam recuperationem necessaria, consultando v. gr. cum amicis super hac spoliatione, advocatos constituendo, etc. ab alterutro enim horum si cessaret, non iam sua defendere, et vim vi repellere censeretur, sed vindictam quaerere, quod illicitum est propria auctoritate sumere, et civilem etiam possessionem, quam in tali casu, quamvis turbetur in ea, adhuc retineret, et defenderet, amittere censetur.

§. XII. *An aliquando propria auctoritate possit quis capere possessionem, etiamsi corporaliter antea non apprehenderit?*

Qui possessionem civilem rei habet, naturali possessione penes alium existente, potest propria auctoritate occupare naturalem possessionem vacantem per mortem v. gr. usufructuarii, vel coloni, etc. prout sumitur ex *c. Cum venisset*, 9. *h. t.*; notissimi enim iuris est, quod extincto iure usufructuarii consolidetur ususfructus cum proprietate, absque alia apprehensione, et naturalis possessio velut accessoria civili accedat. Et quamvis qui titulum habet rei obtinendae, quia res v. gr. sibi vendita est, non possit propria auctoritate possessionem illius rei capere, si nondum tradita illa sit, sine voluntate illius, qui eam sibi tradere debet, ne spoliator, aut praedo censeatur; qui tamen ad beneficium v. gr. aliquod praesentatus, aut electus est, et in hoc confirmatus, aut verbaliter saltem institutus fuit, adeoque ius in re, ac verum titulum habet, potest spectato iure communi possessionem eius vacantem statim ingredi, et administrare, *argu. c. Nosti*, 9. *et c. Transmissam*, 15. *De elect.* nisi aliud habeat ecclesiae illius consuetudo.

§. XIII. *De aliis duobus remediis recuperandae possessionis.*

Primum est conditio ex *c. Saepe*, 18. *h. t.* quod remedium competit contra tertium, qui rem aliquam per vim iniustam ereptam sciens, et mala fide accepit, cum enim contra talem malae fidei possessionem non detur interdictum *unde vi*, qui nec spoliavit, nec mandavit, nec ratam habuit suo nomine factam spoliationem, quibus solis de rigore iuris civilis interdictum *unde vi* conceditur, voluerunt tamen ex aequitate aliqua ss. canones etiam huic spoliato, contra tertium malae fidei possessorem succurrere, et conditionem rei sibi ablatae, ac per vim ereptae ex *c. Saepe*, concedere, sive hic tertius malae fidei possessor rem talem immediate a spoliatore, sive me-

diate acceperit, etiam possessore bonae fidei intermedio. Quod remedium a iure canonico introductum in foro etiam civili locum habet, eo quod periculum animae hoc exigat, ita tamen, ut qui hoc remedio uti vult, probare debeat, non tantum possedisse se rem talem, et violenter eius possessione deiectum esse, sed probare insuper debeat, tertium possessorem conscium spoliationis factae, rem hanc accepisse, aut detinere.

Secundum est conditio *ex can. Redintegranda, causa* 3. *q.* 1. quod remedium putant aliqui, contra quemvis possessorem dari, etiam contra possessorem bonae fidei, qui nullam prorsus rei alienae notitiam habet, putant tamen probabilius alii, hoc tam generale, et pingue iuris canonici remedium contra possessores etiam bonae fidei satis expressum non esse, neque colligi posse ex relato canone *Redintegranda*, ubi plus non dicitur, quam quod episcopi, ex quacunque causa iniuste spoliati, sint ante omnia restituendi, quod iuxta regulam universalem verissimum est, non tamen probat contra eos, qui bona fide rem possident, cum in his nullum subsit periculum animae, et frustra concilium Lateranense posterius *can. Redintegranda*, *de remedio, ex c. Saepe*, laborasset, si tam pingue remedium contra quemvis possessorem constitutum iam fuisset.

TITULUS XIV.

DE DOLO, ET CONTUMACIA.

SECTIO I.

De dolo.

§. I. *Quando acceptio doli detur ad rescindendum contractum dolo initum?*

Non est hic sermo de quocumque dolo, bono etiam, qui aliud non est, quam solertia aliqua adversus publicos praesertim boni publici hostes, ad fraudem eorum, et iniurias excludendas, sed sermo hic tantum est de dolo malo, qui est calliditas aliqua, fallacia, aut machinatio ad circumveniendum, fallendum, vel decipiendum alterum adhibita; et si quidem naturaliter contingat, vocatur ignorantia; si vero ex malitia alterius contingat, dolus vocatur: potest autem dolus versari, vel circa substantiam rei, vel tantum circa accidentalia: ille dolus substantialis vocatur, et facit contractum taliter dolose initum ipso iure nullum, cum taliter dolo decepti non sit consensus; hic vero, qui circa accidentalia committitur, accidentalis dicitur. Uterque dolus iterum subdividi potest, ita ut alius det causam contractui, nunquam in contractum talem consensura parte contrahente, nisi dolo tali deciperetur; alius vero sit incidens tantum, quo absente nihilominus pars contractura fuisset.

De dolo ergo dante causam contractui rigide satis sentiunt iura civilia, quod scilicet contractus iste servari debeat, §. 1. *instit. de except.* non tantum in eo casu, quo non ipse contrahens dolum commisit, sed hic ab alio, vel a propria alterius contrahentis voluntate provenit, sed casu quo etiam ipse contrahens dolum talem non tantum circa accidentales qualitates, sed

saepe etiam circa substantiam commiserit: ex canonica tamen, uti et praetoris aequitate, competit taliter decepto exceptio doli contra dolosum petitorem, ad rescindendum contractum, si rescindi hic possit, *l. Si dolo*, 5. *eod. De rescind. vend.* sive stricti iuris, sive bonae fidei contractus fuerit (ne scilicet decipiens sentiat commodum ex sua malitia) vel actio de dolo contra quemcunque deceptorem ad id quod interest, taliter deceptum hunc non fuisse. Quod si tamen dolus non dedit causam contractui, sed incidit tantum in contractum, quamvis ad interesse competat actio, contractus tamen talis nec invalidus redditur, nec ad petitionem decepti per appositam doli exceptionem rescindi debet, cum taliter deceptus vere, et absolute in contractum talem consenserit. Vide alia, quae tam hoc §. quam duobus sequentibus ex iure civili ab auctore Method. referuntur.

SECTIO II.

De contumacia.

§. I. *Quid, et quotuplex sit contumacia, et quibus modis quis constituatur contumax?*

Contumacia est inobedientia a legitime vocato contra iudicem in illis, quae ad iudicium pertinent, commissa. Et quamvis pluribus modis committatur contumacia, duplex tamen communiter dicitur esse contumacia, vera, et ficta, seu interpretativa, aut praesumptiva. Vera contumacia committitur, cum quis coactive legitime citatus, ad cuius notitiam facta citatio etiam pervenerit, tamen non comparet, quamvis nullum legitimum impedimentum obsit. Praesumptiva, seu ficta est, cum quis per edictum legitime citatus, de quo tamen dubium sit, utrum ad illius notitiam pervenerit citatio, non comparet; praesumitur vero hic talis a iure contumax, nisi postea notam purget, et iustam causam alleget, ac probet, cur non comparuerit: neque tamen ex sola non comparitione constituitur quis contumax; sed ex eo etiam, si malitiose se absentet, aut abscondat, ne ad eum perveniat citatio, si compareat quidem, infecto tamen negotio sine iudicis licentia discedat, non rediturus ad iudicium; si actor venit quidem ad iudicium in termino citationis, actionem tamen, aut suae actionis libellum nullum edit, vel non prosequitur litem, si reus non respondeat ad omnes articulos ab actore propositos, vel obscure tantum, et nihil categorice respondeat, si non probent allegata, et deducta, vel non pareant mandatis iudicum in illis, quae ad causam pertinent, si executionis sententiae repugnent, etc. quibus in casibus ad instantiam partis contra contumaciam procedi potest a iudice.

§. II. *Quomodo procedendum sit contra actorem contumacem?*

Si actor post oblatum libellum contumaciter absit, et legitime citatus non compareat, ad contestandam, et prosequendam litem, potest iudex de iure canonico (quidquid sit de iure civili, iuxta quod plures dilationes, et annus integer actori ad comparendum indulgetur ante litem contestatam) auditis, et receptis testibus Rei praesentis, et hoc petentis, si causa illius rite probata fuerit, ad sententiam definitivam procedere, vel si de causa rei non liqueat, absolvere hunc ab hac instantia, uti sumitur ex *c. Causam*, 3.

h. t. ne scilicet ex contumacia sua post litem captam commodum aliquod habeat contumax actor, qui cum ad litem provocaverit, merito contra se pati debet rei probationes, et iudicis sententiam, cum tamen hoc de reo, qui invitus ad litem trahitur, quamvis contumaciter absit, dici non possit. Conceditur quidem actori in *c. Actor.* 1. *h. t.* in 6. si post terminum citationis, ad quem reum adesse voluit, et comparuit hic, actore non comparente appareat, quod reum iterum citare velle possit, non vult tamen audiendum eum pontifex, nisi prius legitimas expensas, quas adversarius ob eius absentiam facere debuit, solvat, et cautionem sufficientem praestet, quod in termino constituto sit compariturus, cum pars innocens damnum pati non debeat propter alterius malitiam, neque credi possit illi sine cautione sufficiente, qui semel in comparendo malitiosus fuit.

§. III. *Quomodo procedendum sit contra reum contumacem, spectato praecipue iure canonico?*

Si reus post litem contestatam sit contumax, tum vel liquet de causa, et ferri debet sententia definitiva; vel non liquet, et actor mitti debet in veram possessionem, reservata tamen reo absenti quaestione proprietatis, prout conformiter iure civili statutum habetur in *c. Prout nobis*, 4. *h. t.* poenam scilicet maiorem constituente iure, ubi maior contumacia est, nolente tamen, ut de quaestione, cuius cognitio habita non fuit, sententia feratur. Si tamen ob contumaciam rei per primum decretum, rei servandae causa in possessionem missus sit actor, et hanc intra annum ob potentiam adversarii v. gr. consequi non possit, nihilominus tamen elapso anno verus rei illius possessor efficitur, ne melioris conditionis sit contumax quam obediens, ut ait pontifex in *c. Contingit,* 9. *h. t.* Non amittit tamen reus contumax de canonica aequitate suam possessionem veram, si intra annum compareat, ac cautionem praestet, quod in ius vocatus comparere velit, et interesse competens praestet illi, cuius interest, quod in tempore non venerit.

§. IV. *De aliis quibusdam poenis, et modis, quibus contumaciam rei punitur, aut coercetur.*

Potest nonnunquam iudex ob rei contumaciam, spectatis variis circumstantiis, actorem non mittere in possessionem rei petitae, sed hanc sequestrare, et contumacem in expensas a tempore citationis factae condemnare ab actore factas ob rei contumaciam (ut constat ex *c. Ex literis*, 2. *et cap. Cum dilecti*, 6. *h. t.*) non quidem ad exitum usque causae, cum reus, quamvis contumax sit, non debeat ante sententiam commodo suae possessionis spoliari, sed usque dum ponatur contumacia in vicem missionis in possessionem ex primo decreto, succedente sequestratione. Subinde tamen etiam contumacia rei punitur suspensione ab officio, et beneficio, ac crescente contumacia etiam excommunicatione, prout sumitur ex *c. Veritatis*, 8. *h. t.* et si malitiose actori suam intentionem probanti peremptoriam exceptionem opponat, quam non probat, in continenti, vel expensas actori solvere tenebitur, vel si non possit, arbitrio iudicis puniendus est, *c. Finem*, 5. *h. t.* ut ne iniuria fiat actori, qui suam intentionem probavit.

§. V. *Quomodo citandus sit reus contumax absens, si non reperiatur; et an etiam appellans, et recedens ante sententiam definitivam, iterum citari debeat; et utrum appellans ab interlocutoria, postea possit a sententia definitiva contra se lata iterum appellare?*

Sufficit in casu, quo personaliter citandus reperiri non potest, ad incurrendam contumaciam, si edictum citationis affigatur in publicis valvis ecclesiae, vel curiae, vel ad domum illius, ubi solitus est habitare *c. Venerabilis*, 10. *h. t.* etiamsi unica tantum peremptoria citatio fuerit, si autem citatus ad totam causam ab interlocutoria, aut alio gravamine, ante sententiam definitivam, recesserit, aut ad superiorem appellaverit, non debet iterum necessario a iudice inferiore citari ad sententiam definitivam (quia per appellationem talem, aut recessum tacite saltem contra talem iudicem protestatur) nisi appellans v. gr. facti poenitens appellationi sponte renuntiaverit, *c. Eum qui, h. t. in* 6. *et Clement. Si ante, h. t.* sed potest ad causam definiendam, eo etiam non citato, procedere, si causa appellationis illegitima fuerit. Plura in *tit. de appellat.*

TITULUS XV.

DE EO, QUI MITTITUR IN POSSESSIONEM, CAUSA REI SERVANDAE.

§. I. *Quid sit missio in possessionem rerum, vel bonorum ex primo decreto, et quis eius effectus, et quando, ac quomodo concedatur, ac fiat?*

Missio ex primo decreto est, et dicitur illa, qua iudex ad instantiam partis primo iubet, praesentem partem, ob contumaciam absentis, mitti in possessionem bonorum petitorum, custodiae causa, ita ut per talem immissionem nec dominium, nec vera, et stabilis possessio rei acquiratur immisso, sed detentio tantum, et rei custodia; post annum tamen, nisi cautionem de se sistendo in iudicio intra annum reus sua culpa praestare intermiserit, quamvis voluntatem huius praestandae habuerit, in actione reali verus possessor stabilitur, et irrevocabiliter actor constituitur, et omnia commoda habet verae possessionis, salvo manente iure proprietatis parti adversae absenti, prout sumitur ex *c. Constitutis*, 1. *h. t.* ut ne scilicet contumacem sua contumacia iuvet, neque tamen sine speciali culpa alia proprietate excidat. Patet tamen etiam ex *c. h. t.* si per reum absentem non steterit, quo minus intra annum cautionem praestaret, eo quod vel legitime impeditus fuerit, vel cautio a iudice aut alio, cui offerri poterat, acceptata non fuerit, etc. quod etiam post annum cautio recipi debeat, et possessio restitui (neque enim mihi in poenam imputandum est, quod per me non stat, quo minus faciam, ut ait *glossa hic v. Non steterit*, et habetur in *reg.* 41. *in* 6.) Siculi etiam in pristinum statum restituitur, si repetens possessionem alleget, et probet, contumacem se non fuisse, et cautionem desistendo se in iudicio praestet, ita ut nec in expensas in tali casu condemnari possit, nisi de contumacia aperte constet, *c. Cum venissent*, 3. *h. t.* ubi enim non est culpa, nec poena locum habet: et quamvis in actione reali in illam rem immissio

facienda est, quae ab actore petitur, si locum illa immissio habet; in actione tamen personali hic ordo servandus est, ut primo immissio fiat custodiae causa in bona mobilia debitoris, iuxta mensuram, et quantitatem debiti, deinde si mobilia non habeat debitor, vel non sufficiant in partem bonorum immobilium, et tandem si neque haec sufficiant, rerum etiam incorporalium iurium, actionum, sive nominnm contra suos debitores, etc. immissio fiat, ut satisfiat actori absque ulteriore tamen laesione debitoris rei.

§. II. *An missio in possessionem ex primo decreto, seu custodiae causa fieri possit in beneficiis ecclesiasticis?*

Qui agit iudicio petitorio contra possessionem beneficii ecclesiastici ad hoc obtinendum, non immittitur ob contumaciam rei in possessionem talis beneficii ex primo decreto, sed recipiendae sunt probationes, et ad sententiam definitivam procedendum, etiam lite non contestata, prout statuitur ex *c. Eum qui unico, h. t. in* 6. ne periculum sit vitiosi ingressus, si titulus beneficii non prius examinetur. Haec tamen decisio extendenda non est ad alios casus materiae spiritualis, et ecclesiasticae, ubi periculum animae, aut boni publici non orget.

§. III. *Quid sit missio in possessionem bonorum ex secundo decreto iudicis, quomodo, et quando interponatur, et quis sit eius effectus?*

Missio ex secundo decreto est secunda iussio iudicis, qua iubet hic actorem ob perseverantem rei contumaciam mitti in bona eius possidenda iuxta petitionem, et ius actoris, ita ut verus, ac incommutabilis possessor efficiatur, et fructus rei taliter possessae suos faciat, ac aliis possessoriis commodis gaudeat, servata tamen reo legitima defensione super proprietate rei, quae omnia ex dictis sufficienter iam patent. Interponi autem hoc decretum debet post elapsum annum a tempore primi decreti, et praesertim in actionibus personalibus, ac ad instantiam actoris, praevia causae cognitione, utrum ex iusto titulo an ex contumacia absit reus, et citato hoc absente, quia ubi causae cognitio necessaria est, ibi etiam necessaria est partium praesentia, vel saltem citatio.

TITULUS XVI.

UT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETUR.

§. I. *Quando lis dicatur pendere, et quomodo intelligenda sit regula illa, lite pendente nihil esse innovandum?*

Lis in ordine ad huius tituli finem ut nihil scilicet innovetur, per quod litis pendentis qualitas, statusve causae, in praeiudicium alterutrius litigantis immutetur, pendere dicitur, postquam citatio a iudice competente (quamvis hic per propositam exceptionem, ut suspectus v. g. elidi possit) emanavit, ac ad partem citatam pervenit, vel per hanc stetit, quo minus citatio ad eam perveniret (quia per quem stat, ne citatio ad se perveniat, habetur pro citato) dummodo in citatione ea sint expressa, per quae plene reus citatus potest instrui, super quibus in iudicio conveniatur. *Clement. Cum lite*, 2.

h. t. Et hinc lis pendere dicitur a citatione usque ad sententiam definitivam, si ab hac non fuit appellatum, nec in rem iudicatam transiit, et per sententiam interlocutoriam lis finita non censetur, nisi iudex pronuntiet, competentem se iudicem non esse.

§. II. *De pluribus casibus in specie, in quibus nihil est innovandum, lite pendente.*

Ex *c. Memoria*, 1. *h. t.* patet, quod rescriptum, pendente lite in praeiudicium possessoris litigantis impetratum, nullum sit, et subreptitium, nisi litis pendentis mentio fuerit facta, cum de principe, aut papa praesumi non possit, quod rescriptum concedere voluerit in praeiudicium legitimi possessoris, prout etiam sumitur ex *cap. Dilectum*, 5. *h. t.* et habetur etiam in *cap. Causam*, 19. *iuncta glossa. De testibus.* Et si lex iuris communis de novo emanans non extenditur ad causam litis iam motae, sive pendentis, absque speciali mentione, multo minus absque expressa mentione speciale rescriptum ita extendendum est, tanquam odiosum, et a communi iure exorbitans, quamvis motu proprio concessum esset.

Secundo, ex *c. Laudabilem*, 2. *h. t.* patet, quod coniux ab altero coniuge ad separationem thori accusatus, non debeat a iudice, pendente lite, possessione sui coniugis privari, donec crimen de eo legitime probatum sit, cum non debeat sine culpa iure suo privari.

Tertio, ex *c. Ecclesia*, 3. *et* 4. *h. t.* habetur, quod res litigiosa, super qua inter actorem, et reum lis pendet, extra casus a iure permissos, de quibus *glossa in cit. c.* 3. *v. Litigiosi h. t.* pendente lite, alienari non debet, nec possit (ut ne durior conditio parti litiganti imponatur) et si alienata talis res fuerit, ac recuperari non possit, qui alienavit, rem aliam aequivalentem in eius locum substituere debeat, quae, et ipsa pendente lite alienari non possit, cum subrogatam assumat naturam, et conditionem eius, cui subrogatur.

§. III. *Quomodo nihil innovandum sit, lite pendente, in causis beneficialibus?*

In casu, quo duo in discordia electi praesentati, postulati etc., ad eandem praelaturam inter se apud iudicem competentem litigant, et unus ex illis, pendente lite, moriatur v. g. aut iuri suo renuntiet, et a persecutione causae cesset, non potest ad aliam electionem, lite circa alterum pendente, procedi, ita ut nova electio attentata sit ipso iure irrita, *c. Dispendiis*, 1. *h. t. in* 6. (Nisi notorie constet, litem talem in fraudem novae electionis motam fuisse, et neutri litigantium ius aliquod competere). Statuente hoc Bonifacio VIII. contra ius antiquum in *cap. Ex parte*, 10. *De arbitris;* ne superstiti litiganti ius suum adimatur, non examinata causa, et ut sciatur, cuinam pro illa vice ius eligendi competat. Pari modo, si lis alicui super beneficio iam obtento moveatur, non debet alteri fieri collatio huius beneficii, super quo lis mota est, etiamsi lite pendente ille moriatur, donec contra superstitem, qui litem movit, fuerit haec finita, prout statuit pontifex in *c. Si ii*, 2. *h. t. in* 6. Quod si vero duo de beneficio litigantes in curia mo-

riantur, collatio talis beneficii ad papam pertinet, et ad ordinarium, si uterque extra curiam moriatur, nisi non tam ad illos, quam ad tertium aliquem ius beneficii talis pertineret. Si autem unus in curia moriatur, et alter extra curiam, ille vero, qui in euria moritur, beneficium possederit, ad papam iterum pertinet collatio, ad ordinarium autem, si ille possedit beneficium, qui extra curiam moritur; si vero neuter possidebat, nterque tamen mortuus est, unus in euria, alter extra, collatio pertinet ad pontificem; si supersit tamen unus litigantium, et litem prosequatur, non confertur beneficium, dum lis pendet, confertur tamen a papa, vel ordinario, prout litis decisio, vel pro defuncto in euria, vel pro alio facta fuit, ita statuente *Clement. Si duobus*, 1. *h. t.*

TITULUS XVII.

DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONUM, ET FRUCTUUM.

§. I. *Quid sit sequestratio, sive sequestrum, et quotuplex, et quae res sequestrari possint?*

Sequestrum est rei controversae, vel fructuum eius apud quendam tertium, et inter litigantes medium, qui sequester dicitur, facta depositio, ut lite finita, ei, qui vicerit in causa, restituatur. Sunt quidem qui volunt possessionem transferri in sequestrem, si iudicis auctoritate, invito etiam possessore, res sequestretur; contrarium tamen est probabilius, quod scilicet possessio in sequestrem non transeat, quamvis communi partium consensu res sequestretur, si non de ipsa possessione, sed de proprietate tantum lis moveatur, et expresse hoc actum non sit, ut possessio sit penes sequestrem, cum praesumi non debeat, possessionis comodis privare se velle aliquem, nisi specialis causa cogat. Duplex autem est sequestrum, voluntarium aliud, seu conventionale, quod fit communi utriusque partis litigantis consensu, et necessarium alterum, sive iudiciale, quod fit auctoritate sive mandato iudicis, et quidem vel motu proprio, et officio, vel ad instantiam unius partis litigantis, altera contradicente. Possunt autem sequestrari res corporales, et incorporales, sive iura, res mobiles, et immobiles, res profanae, et spirituales. Et fieri potest sequestratio talis tam in iudicio, quam extra iudicium, etc.

§. II. *An, et quibus casibus sit licita sequestratio, et quibus casibus sit prohibita?*

Sequestratio voluntaria, quae fit ex consensu partium, regulariter non est prohibita, sed permissa, et approbata a iure, quia est species quaedam depositi, et consequenter legitimus contractus. Necessaria tamen sequestratio, quae fit auctoritate iudicis, et parte iuvita, regulariter utroque iure tam civili, quam canonico prohibita est, quia non oportet iudicium ab executione inchoare, et possessor, pendente iudicio, possessionis suae commodis privandus non est. Sunt tamen plures casus, in quibus sequestratio necessaria locum habet, et primo quidem, si actor fructus rei, in cuius possessionem custodiae causa ex primo decreto missus est, pro arbitrio suo distrahat, et

dissipet, sequestrari hi possunt, *c. Dilectus*, 2. *h. t.* ne scilicet horum fructuum, quorum ipsis custodia tantum concessa est, restitutio, si facienda sit, reddatur impossibilis. Secundo, quando periculum, aut timor subest, ne res, de qua controversia est, pendente lite absumatur, aut pereat, sequestrari ea potest (ne iudicium reddatur illusorium) nisi per sufficientem cautionem, praesertim circa res mobiles satis caveri possit. Tertio si appellet reus a sententia possessionem illi abiudicante, fructus tamen interea, dum pendet appellatio, dissipet, possunt in tali casu fructus illi sequestrari *c. Ab eo*, 3. *h. t.* (ad restitutionem scilicet victori faciendam facilitandam) vel si contra executorem latae sententiae, quae etiam in rem iudicatam iam transiit, appellet, quo in casu statim sequestratio fieri potest, si res mobilis sit, vel fructuum saltem, si res sit immobilis, etiam si fructus non dissipentur, quia praesumptio in tali casu est malitiosae appellationis, ad impediendam praecise executionem interpositae. Quarto, sequestratio fieri potest, si periculum sit, ne litigantes ad arma deveniant, et vi possessionem occupare velint, neque enim permittere iudex debet, ut quae iudicio componenda sunt, armis decidantur. Quinto, sequestrari fructus possunt, si quis officio suo, propter quod fructus percipit, non satisfaciat, et de hoc monitus fuit. Sexto, sequestrari dos potest, si maritus vergat ad inopiam, et periculum sit, ne dotem dilapidet, vel saevitia viri non patiatur restitutionem coniugis, aut periculum corruptionis timendum ex restitutione sponsae etc. Illud tamen adhuc circa sequestrationem necessariam advertendum. Primo si facta ea sit loco missionis in bona ex primo decreto, eodem modo loquendum esse de tali sequestro tollendo, vel continuando, quo locuti fuimus de missione in bona per primum decretum, cum subrogatum in tali casu iuxta naturam illius, cui subrogatur, explicandum sit, uti etiam habetur *in c.* 1. *h. t.* Advertendum secundo, quod quatuor concurrere debeant, ut licite fiat a iudice sequestratio. Primo, ut iudici constet saltem summarie de iure illius, qui sequestrationem fieri postulat. Secundo, ut is, in cuius praeiudicium petitur sequestratio, citetur, et videat eam fieri. Tertio, ut postulans sequestrationem iuramento affirmet, quod non postulet eam calumniae, seu aemulationis causa, sed ad iuris defensionem. Quarto, ut appareat aliqua suspicio contra eum, contra quem petitur sequestratio.

§. III. *De sequestratione beneficii litigiosi, nondum a proviso per triennium possessi.*

De hoc statuit *Clement. unica*, *h. t.* ad cavendas, et refrenandas malitias litigantium, malitiosis cavillationibus lites beneficiales prolongantium etc. ut sequestratio beneficii, de quo lis movetur per ordinarium loci, fieri possit contra possessorem non triennalem talis beneficii, posito quod in curia romana una sententia definitiva lata, et promulgata contra possessorem talem fuerit (quae sit prima respectu loci, non tamen causae) per quam principalis quaestio, et non interlocutoria tantum decisa fuerat. Plura de hac sequestratione a curia romana multum pendente, et vix alicuius in partibus nostris praxis, vide apud auctorem Methodi.

TITULUS XVIII.

DE CONFESSIS.

Confessio, de qua in hoc titulo agitur, aliud non est, quam illius, quod ab adversario intenditur, in iudicio, vel extra iudicium facta asseveratio: et hinc duplex est confessio, iudicialis alia, quae fit in iudicio; et alia extra iudicialis, quae fit extra iudicium. De utraque dicendum aliquid, prius tamen aliquid de iudiciali confessione.

§. I. *De requisitis ad confessionem iudicialem, et quibus modis ea fiat?*

Requiritur, ut ea fiat in indicio coram iudice competente, sedente pro tribunali, in causis requirentibus plenam causae cognitionem. Et hinc si tantum coram notario fieret, etiamsi altera pars praesens adesset, iudex tamen non adesset, vel esset iudex in hac causa incompetens, aut summarie tantum procederet, confessio facta non haberet (saltem de iure, aliud enim circa confessionem coram notario factam, et ad protocollum receptam, consuetudo hodierna habere dicitur) vim confessionis iudicialis. Secundo requiritur, ut sit de re certa, incerta enim confessio sententiam parere non potest, quod tamen de confessione indiciali dicitur. Tertio debet esse de re, quae neque rerum naturae, neque iuri adversatur, alia enim confessio, nec probabilis esset. Quarto debet fieri praesente adversario, vel saltem eius procuratore, vel saltem a iudice, aut alio quopiam sit acceptata, modo absens ratam postmodum habeat acceptationem talem, cum parti hoc modo satis consultum sit. Quinto requiritur, ut fiat sponte, et libere, extorta enim metu, aut alia vi, fidem non facit. Sexto requiritur, ut fiat ex certa scientia, ignorantis enim confessio nihil facit, et revocari potest error facti usque ad sententiam, modo probari possit talis error ante latam sententiam, *c. Ex parte*, 3. *h. t.* Septimo requiritur, ut sit facta ab eo, qui 25. annis maior est; quamvis enim eius, qui minor est 25. annis, pubes tamen, confessio in iudicio facta sine curatoris auctoritate valeat, laesus tamen in integrum restituitur intra quadriennium.

Fit autem confessio in iudicio duobus potissimum modis, expresse scilicet, cum quis verbis expressis, seu voce confitetur rem aliquam. Et tacite sive ipso facto, prout proferens instrumentum aliquod coram iudice, tacite censetur omnia confiteri, quae in illo continentur, et qui actum aliquem libere exercet, censetur omnia confiteri, quae ad actum illum consecutive etiam pertinent etc. Quae tacita confessio saepius ex iuris interpretatione praesumitur, uti patet ex *cap. Si post praestitum*, 2. *h. t. in* 6. Ita tamen, ut contra eam admittatur probatio. Et quamvis ex confessione rei simpliciter, et pure facta, sine adiecta qualitate restringente, fundata maneat actoris intentio; si tamen confessioni a reo factae qualitas aliqua restrigens adiiciatur, et sit praesumptio aliqua iuris contra eam, tum pro parte acceptari potest in praeiudicium confitentis, *l.* 1. *cod. ad l. Cornel. De sicariis. l. Si non convitii*, 5. *cod. De iniuriis;* vel nulla est praesumptio iuris contra talem adiectam qualitatem, et tum in favorem rei confessio talis acceptari po-

test, si probetur adiecta qualitas, et unum tantum articulum contineat confessio; si enim plures articulos contineat partim acceptari, partim repudiari posset, si pro uno articulo nulla pugnaret iuris praesumptio, contra alterum vero haberetur iuris praesumptio.

§. II. *An positio super facto negativo, quae aliter probari non potest, nisi per confessionem adversarii, sit admittenda? et quomodo puniri possit is, qui confitetur crimen contingens causam principalem, vel incidenter in iudicio?*

De priore quaestione agitur *in cap.* 1. *h. t. in* 6. admitti scilicet posse eas positiones a iudice, si suadente aequitate viderit expedire: quamvis enim stricto iure illud solum possit poni, quod probari potest, positio autem negativa, si non sit per circumstantias loci, et temporis determinata, directe per testes probari non possit, ut infra dicetur, potest tamen quandoque iudex suadente aequitate, si ita expedire videatur, positiones tales negativas admittere (cum aliter saepe causa expediri nequeat) quamvis cum clausula, *Salvo iure impertinentium, vel non admittendorum*, positiones alias admiserit.

Ad posteriorem quaestionem responderi potest, quod si quis crimen contingens causam principalem confiteatur incidenter coram suo iudice, reo tali tale crimen confitenti, imponi quidem non possit poena ordinaria, uti colligitur ex *cap. Quum sit*, 9. *de excessib. Praelato.* possit tamen iudex novum processum inchoare, et ex officio inquirere contra criminosum, qui taliter suum crimen confessus est, et producere priorem confessionem de commisso crimine, ad probationem delicti, et poenam ordinariam inferendam, uti colligitur ex *c. Cum super*, 2. *h. t.* Ex quo capitulo satis etiam colligitur, quod pontifex ex plenitudine suae potestatis etiam possit, sine novo processu instituto, in casu criminis taliter incidenter affirmati, et cogniti ad ordinariam poenam imponendam procedere.

§. III. *De effectibus iudicialis confessionis, et revocatione eiusdem.*

Effectus iudicialis confessionis praecipuus est, quod non tantum plene probet, cum nulla sit maior probatio, quam proprii oris confessio, sed faciat etiam, ut confitens contra se habeatur quodammodo pro iudicato, ita ut talis confessio habeat vim sententiae, et rei iudicatae quodammodo (saltem in causis civilibus) quoad ipsum confitentem. Et quamvis non debeat pro confitente talis confessio admitti, cum nemo in propria causa testis esse possit, aut fidem plenam faciat, quia tamen contra se nemo praesumitur temere fateri, hinc recte dicitur, per eam tolli omnem iuris, et de iure praesumptionem, notorium induci, et admittendam, ac audiendam etiam, postquam in causa conclusum est, ita ut ex ea ferri possit sententia definitiva, quamvis processus propter ordinem iuris non servatum nullus esset, neque regulariter taliter confessus appellare possit. Plurimi tamen affirmant, etiam in hoc casu propriae confessionis iudicialis, sententiam iudicis definitivam requiri, quae ferri debeat contra confessum in iudicio, cum iudicium semel coeptum per sententiam dirimendum sit, et iudex super causa, de qua cognovit, pronuntiare debeat, et hinc recte dicitur quodammodo pro iudicato, et vim sen-

tentiae iudicatae hanc confessionem habere, quam sententiam reqniri etiam post confessionem spontaneam rei, in causis criminalibus, certum est.

Potest antem confessio, a parte litigante in iudicio facta, revocari ab eodem, si in continenti haec fiat revocatio, et a parte adversa nondum sit plene acceptata confessio talis, quod enim per acceptationem adversario ius quaesitum fuit, invito hoc auferri non potest, nisi error probetur antequam sententia lata est.

§. IV. *An confessio unius criminosi facta in iudicio praeiudicet aliis, ita ut ea admittenda sit, et probet etiam adversus alios socios criminis?*

Resp. ex *c. Cum monasterium*, 1. *h. t.* negative, nisi aliis legitimis probationibus, vel per propriam confessionem etc. reos eos esse, constiterit, quamvis si infamia aliqua laborent, purgatio canonica illis indici possit: aequitate scilicet ita eorum vitae v. gr. consulente, ut tamen famae eornm nihil adhaereat maculae. Immo ex hoc ipso capitulo habetur, quod ordinarie, et regulariter de criminis sociis, seu complicibus interrogari non debeat reus de se in iudicio crimen confessus, si nulla eorum praecedit infamia, aut indicia; eo ipso enim, quod crimen hic talis de se confessus, infamis, et vilis persona habeatur, nullius etiam fidei est illius contra alios testimonium, *c. Testimonium*, 54. *De testibus etc.* nisi crimina a iure sint excepta, uti snnt crimina bono pnblico valde perniciosa, crimen laesae maiestatis, crimen haeresis, crimen veneficii, seu magiae, crimen latrocinii, et grassationis per vias publicas, crimen sacrilegii, simoniae, falsae monetae, assassinii, furti etc., in quibus de sociis interrogari permittunt, et iurari, uti etiam in delictis occultis, et difficilis probationis, in quibus de veritate constare vix potest, nisi per socios, quale crimen est crimen coniurationis, et conspirationis contra superiorem etc., et in delictis, de quibus ex natura rei, vel ex circumstantiis constat, quod absque alterius mandato omissa non sint, aut sine socio committi non possint, nec soleant etc. Ut autem in his etiam casibus iuridice iudex de sociis inquirere de se confessum possit, primo requiritur, ut iudex non interroget in specie, de hoc vel illo etc., sed tantum in genere (ne videatur iudex non tam inquirere de sociis criminis, quam suggerere, contra quos fateri debeat) nisi legitimae praesnmptiones contra certam aliquam personam pugnarent. Secundo requiritur, ut talis denuntiatio sociorum per tortnram confitentis etiam confirmetur (ut ne varius, et vacillans in tali denuntiatione videatur), quam postea a tortura liber sponte ratificet. Tertio requiritur, ut iuramento confirmet denuntiationem socii criminis, quia testi sine iuramento deponenti, nec in civilibus, nec in criminalibus habetur fides, nisi contraria alibi consnetudo aliud habeat. Quarto requiritur, ut denuncians socium criminis, nullam cum hoc gerat inimicitiam, ut ne vindictae potius causa, quam veritatis amore videatur denuntiare. Quinto requiritur, ut in suis denuntiationibus contra socios criminis sit constans criminosus, ne vacillando suspectam merito faciat denuntiationem. Sexto requiritur, nt reus de se confessus, praeter hanc criminis infamiam non sit aliunde infamis, et testimonio, ac fide indignus, cum haec iura, quae de sociis criminosum de se confessum interrogari permittunt, a communi regula

18

negante exorbitantia strictae sint interpretationis, et ad aliter infames non extendenda. Septimo denique requiritur, ut denuntiatio talis facta a crimi-noso sit adminiculata aliis coniecturis, et non nuda assertio criminosi, ne praeiudicium patiantur ex tali denuntiatione multae personae honestae, prout pluribus mox dicetur.

§. V. *Utrum confessio, vel denuntiatio facta a criminoso de sociis criminis, sola absque aliis indiciis sufficiat, vel iudex ex officio procedere possit ad specialiter inquirendum, citandum, capiendum, vel etiam torquendum personas denuntiatas?*

Resp. Non sufficere solam denuntiationem in criminibus non exceptis, nullo alio concurrente indicio, ut index possit de persona denuntiata specialem inquisitionem instituere, cum enim in his criminibus iuridice interrogare non possit reum de sociis criminis, consequenter facta ad eum inquisitio illegitima erit, velut facta contra prohibitionem utriusque iuris, nisi secundum consuetudinem particularem tribunalium talis a reo socii facta denuntiatio, non tam ut testis depositio, quam ut denuntiatoris reciperetur, qui iudici viam aperit ad inquirendum. In criminibus vero exceptis, in quibus legitime potest de sociis criminis interrogari criminosus de se confessus, si alio indicio verosimili denuntiatio ipsius adiuvetur, publica infamia v. gr. personae denuntiatae, vel quod familiariter cum criminoso egerit, quod alterius etiam criminosi accedat denuntiatio etc., potest iudex non tantum ad specialiter inquirendum, sed ad citandum etiam, capiendum, et quandoque etiam si valde gravia, et ingentia indicia adsint, ad torquendum denunciatum procedere, non tamen ad condemnandum, nisi certae probationes, et indubitatae intervenerint.

§. VI. *De confessione extraiudiciali, eiusque effectu.*

Confessio extraiudicialis, parte praesente facta, et cum speciali causae expressione, in causis civilibus, plene probat in iudicio contra confitentem, si duobus testibus probari possit; parte vero absente facta, aut causa nulla speciali expressa, vel nihil probat, vel tantum semiplene contra confitentem, uti colligitur ex *c. Si cautio*, 14. *De fide instrum.* Nisi in priore casu evidenter errasse se pars confitens probet, aut per exceptionem non numeratae pecuniae v. gr. elidi possit confessio, aut fiat tantum per verba narrativa etc., et in posteriore casu, nisi in instrumento facta sit confessio, aut testamento, vel alia ultima voluntate, aut iuramento confirmata sit, aut fuerit geminata non uno tantum tempore, sed ex intervallo, vel facta fuerit non ad obligandum, sed liberandum ab obligatione etc., his enim in casibus plenam probationem facit, etiamsi pars adversa confessioni tali non adfuerit, aut specialis causa expressa non sit.

In causis vero criminalibus confessio extraiudicialis indicium tantum sufficiens facit ad torturam, si in iudicio contra confitentem producatur, prout sumitur ex *c. Olim*, 25. *De rescript.* non quidem quasi sufficiens indicium faceret ad torturam tertii, cum vix sufficiat ad indicendam purgationem canonicam, sed ad torturam, et in praeiudicium confitentis, nunquam

tamen confessio talis plenam, aut semiplenam probationem facit ad condemnationem.

TITULUS XIX.

DE PROBATIONIBUS.

§. I. *Quid, et quotuplex sit probatio?*

Recte definitur probatio in genere, quod sit actus iudicialis, quo per instrumenta, aut testes, aut idonea argumenta de re controversa iudici fit fides. Dividitur autem primo in artificialem, quae arte, et industria probantis ex ipsa causa, et circumstantiis facti desumitur, et in semi artificialem, quae a testibus v. g. extra causam ad fidem faciendam assumitur. Secundo dividitur in plenam, et semiplenam. Plena plenam facit fidem de re in iudicium deducta, ut ad sententiam ferendam iudex plene instructus sit: Semiplena, quae etiam imperfecta dici potest, est illa, quae aliquam quidem, non tamen plenam fidem iudici facit, ut ex illo iure moveri possit ad sententiam ferendam pro hac, vel illa parte etc.; addunt aliqui mixtam, quae ex duabus semiplenis probationibus fit, quae, si ad eumdem finem tendant, coniunguntur (saltem in causis civilibus) ad unam plenam probationem faciendam (sive sint eiusdem, sive diversi generis probationes) non autem, si ad diversos fines tendant; cum in illo casu, quae singula non probant, collecta iuvent, *iuxta gloss. fin. in c. Cum causam*, 13. *h. t.* In hoc vero casu, cum ad diversa tendant, non possunt unum idemque probare. Tertio dividitur in iudicialem, quae fit in iudicio post litis contestationem, a qua iudicium stricte incohoare dicitur, et in extraiudicialem, quae fit extra iudicium, vel ante litis contestationem. Quarto denique alia iuris, alia facti probatio aliquibus dicitur, quae si velit, quod ius aliquando probandum sit, aliquando vero factum, verum quidem dicit de facti probatione, de iuris autem probatione admitti non debet, cum ea, quae iuris sunt, non indigeant probatione, tanquam per se certa, et iudici nota.

§. II. *Cui incumbat onus probandi, vel quis probare debeat?*

Affirmanti incumbere onus probandi ordinarie communis regula docet, et hinc tam in civilibus, quam in criminalibus, tam in spiritualibus, quam temporalibus etc., actor, sive accusator probare debet suam affirmationem, et reus suam exceptionem affirmativam, nisi absolute ob praesumptionem iuris pro actore totum probandi onus transferatur in adversarium, *iuxta l. Cum de indebito*, 25. *ff. h. t. et c. unicum Ut eccles. benefic. sin. dimi. conf., iuncta glossa, v. Actore non probante, et iuxta receptam gloss. in cap. Ex insinuatione*, 3. *v. Probare potuerit. De procurat.* Vel nisi sponte in se receperit reus onus probandi, aut a iudice iuramentum probationis loco reo deferatur, quod accipere debet. Et quamvis ille, qui absolute negat factum aliquod, non teneatur probare, eo quod iuxta *c. Bonae*, 23. *De elect.* negantis factum per rerum naturam (sive secundum cursum naturae loquendo) nulla sit probatio, et non entis nullae sint differentiae, proprietates, definitiones etc., ex quibus probationes desumi debent, potest tamen nonnunquam

per iuramentum proprium delatum, propositio etiam negativa probari; vel per praesumptiones, ita ut saltem onus probandi in adversarium reiiciatur; vel quod super negativa propositione fundat intentionem suam allegans, vel per negantis propriam confessionem, si tamen talis confessio probatio dici potest. Quin immo, si propositio negativa facti determinata sit ad certum locum, tempus, vel alias circumstantias, potest probari saltem indirecte, circumstantias tales, quae sub sensum cadunt, probando; (et sic qui asserit, se tali tempore in loco tali non fuisse, probat negativam, se non occidisse talem in tali loco, se cum hoc non contraxisse tali tempore etc., vel si propositio negativa facti praegnans sit, virtualiter saltem, et implicite propositionem affirmativam continendo, directe etiam ea probari potest, quo modo probat, se non libere renuntiasse, qui probat coactum se renuntiasse; vel quando contra iuris praesumptionem negatur in aliquo qualitas de iure requisita, quod probari debet, quia quilibet praesumitur esse idoneus, nisi contrarium probetur.

§. III. *Quis probare debeat in iudiciis communibus, et quomodo probationes utriusque partis litigantis fieri, et recipi debeant in interdicto retinendae possessionis?*

In iudiciis communibus, sive duplicibus (cuiusmodi sunt haec tria, familiae herciscundae; Communi dividundo; et finium regundorum), uterque litigantium probare debet, quia quilibet simul actor, et reus est, prout habetur *in l. Inter*, 44. §. *Qui familiae*, 4. *ff. Famil. herciscund. et c. Ex literis*, 3. *h. t.* ita tamen, ut qui prior ad iudicium provocavit, magis actoris, quam rei locum habeat, et prior de calumnia iurare debeat.

In interdicto retinendae possessionis, quando utraque pars contendit se in solidum possidere eandem rem, uterque reus, et actor est, et utriusque partis probationes a iudice recipi debent, tum possessionis, tum tituli, si offerant se ad illum probandum, ut exinde appareat, pro qua parte pronuntiandum sit, prout sumitur ex *cap. Licet causam*, 9. *h. t.* vel ut appareat, quis habeat possessionem antiquiorem.

§. IV. *Utrum reus teneatur exhibere actori ad probandam intentionem eiusdem, instrumenta, seu documenta contra se? et an actor, quando plene probavit, cogi possit ad iurandum?*

Reus in iudicio conventus non tenetur exhibere propria instrumenta actori contra se ad fundandam illius intentionem, prout habetur *in cap. Ex epistola*, 1. *h. t.* (neque enim aequitas permittit, ut reus contra se actorem instruere cogatur) nisi instrumenta, quae exhiberi petuntur, non tam sint propria unius, quam communia utrique parti, vel ratione proprietatis, vel ratione causae, vel quando facta sunt pro cautione plurium, vel quod facta sint a persona publica, ex publico officio etc. quin etiam sua instrumenta reus edere debet actori petenti, si hic fundatam suam intentionem habeat, circumstantiam tamen aliquam, quae intervenit, ignoret (cum in tali casu non petantur instrumenta ad principaliter impugnandum) vel si ipse reus suis in iudicio instrumentis contra actorem utatur, et necessaria haec sint ad

actorem instruendum, utrum litigare velit, ad replicam formandam etc. vel si ex speciali privilegio ius habeat ad petenda rei instrumenta, quale privilegium fiscus habet (saltem in causis civilibus) ecclesiae, hospitalia, et alia loca pia etc. et ex probabili causae aliae favorabiles (nisi contraria praxis obsistat) causae usurarum restituendarum, causae matrimoniales, et quando agitur de salute animae.

Qui autem in iudicio suam intentionem plene probavit, non potest compelli, ut id ipsum etiam iuramento confirmet, non obstante contraria consuetudine, quae non valet, uti patet ex *c. Sicut consuetudo*, 2. *h. t.* cum in tali casu iuramentum fieret absque ulla causa, quod illicitum, et irrationabile est, ita ut etiam licite possit actor iuramentum iudiciale sibi delatum recusare, si intentionem suam plene probavit, cum iuramentum hoc adhiberi non debeat litis decisae causa, sed litis decidendae.

§. V. *De illis, quae probata sunt in genere, et in specie de probatione aetatis.*

Probatio in genere versatur circa facta incerta, et de quibus dubitatur (cum notoria probationem non requirant, *c. Super eo*, 3. *De testib. cogend.*) quae in iudicium deducta sunt, et ad causam pertinent, et probari possunt.

In specie vero de aetate, si dubitetur, ille probare eam debet, qui suam intentionem, vel exceptionem fundat super ea, prout etiam colligitur ex *c. In praesentia*, 8. *h. t.* nisi ex sola corporis constitutione inspecta probabilem coniecturam habens de aetate iudex, onus probandi in alium transferat, vel nisi probato actu principali, ad cuius valorem necessario certa aetas requiritur, accessorie, et ex praesumptione aetas sufficienter probata sit, duobus enim modis aetas probari potest, vere, per testes scilicet qui partui v. gr. interfuerunt etc., et praesumptive, per indicia scilicet et coniecturas ex constitutione corporis, ex instrumento matrimonii etc.

§. VI. *De probatione virginitatis.*

Ex *c. Proposuisti*, 4. *h. t.* habetur, quod virginitas mulieris satis probatur per proprium illius iuramentum, et testimonium septem mulierum (aut pauciorum etiam, modo fuerint honestae, bonae famae, et in hac re peritae) quae ex aspectu corporis eam virginem esse, testentur, quamvis de contrario iuret maritus v. g. cum huius iuramentum semiplenam tantum faciat probationem, illius autem iuramentum, cum testimonio mulierum plene probet, nisi tale mulierum testimonium per alias aeque bonae qualitatis mulieres fuerit reprobatum, *c. Causam*, 14. *h. t.*

§. VII. *De probatione, sive modo probandi filiationem.*

Difficilis probationis est filiatio, et plerumque pro parte patris ex praesumptionibus tantum desumitur; talis autem praesumptio est, primo si quis natus sit ex coniugatis in una domo cohabitantibus (etiamsi constet, quod eodem tempore, cum alio etiam viro adulterii consuetudinem habuerit uxor) pro legitimitate in favorem filii, et matrimonii praesumente iure, ita ut haec praesumptio etiam ad illum casum extendatur, quo uxor extra domum

quidem mariti habitavit, hic tamen saepius ad illam accesserit, vel si nata fuit proles ex concubina, quam quis domi habuit, quo in casu illegitimus quidem filius habebitur, ex hoc tamen patre genitus praesumetur, praesertim si ad patrem huius concessa fuit concubina, et filium agnoverit concubinarius, iuxta *c. Per tuas*, 10. *h. t.* Hinc secundo praesumitur, quis filius esse horum, vel huius parentis, si ab his vel horum aliquo filius appellatus sit, et ab eis ut filius habitus, tractatus, et educatus sit, tum enim constituitur in quasi possessione filiationis, ut vere filius horum, aut huius praesumatur, donec contrarium probetur, ut ait *glossa in citat. cap. Per tuas, v. Nominato.* Et quamvis haec ipsa glossa recte notet, solam nominationem filii non facere aliquem filium, quia filiatio a natura provenit, si tamen cum nominatione tali ea concurrant, quae non facile nisi filio a patre exhibentur, paternam illi curam adhibendo, nominando eum in iudicio, in instrumento publico etc. filium suum, annotando eius nativitatis diem inter alios liberos etc. satis probant filiationis quasi possessionem, ita ut huic non obsit, etiam postmodum a patre v. gr. repudietur, et reiiciatur, ac negetur esse suus filius, quia ius acquisitum filio ab eo, sine eius facto auferri non potest, et nimis indignum est, ut ait pontifex, quod sua quisque voce dilucide contestatus est, in eundem casum proprio suo testimonio, infirmare, eique resistere. Tertia denique coniectura est, ex qua possit probari filiatio, communis fama, et opinio, praesertim domesticorum, consanguineorum, ac vicinorum, quod talis sit communiter nominatus, vel habitus, ac tractatus, ut filius, cui coniecturae multum adminiculatur coniectura, quae desumitur ex effigie, et similitudine hominis cum alio, quae quidem coniectura, si sola sit, nihil probat, et fallax est, si tamen accedat alii praesumptioni in iure fundatae, non omnino vana est.

§. VIII. *Quomodo probandi sint confines, seu limites locorum?*

Per libros antiquos, testes, famam, et alia adminicula probari fines hos, ex *c. Cum causam*, 13. patet. Quamvis enim libri, et scripturae antiquae privatae plenam fidem semper non faciant, (nisi communiter a maioribus nostris fides illis sit habita, aut in loco publico asservatae, et repertae fuerint) tribuitur tamen his aliqua veneratio, et auctoritas probandi, et quidem fidem plenam faciunt in causis nulli praeiudicantibus, aut exigui praeiudicii, ut quod ecclesia sit consecrata, infans hic sit baptizatus etc. cum in talibus casibus nemo praesumi possit, quod fallere velit, et quod in talibus antiquis factis leviores probationes sufficiant. Quinam autem libri antiqui habeantur, quamvis aliqui velint, hominum memoriam debere eos excedere, alii 40. annos requirant, rectius tamen hoc prudenti iudicis arbitrio relinquitur.

§. IX. *An, et qualiter fidem faciant, seu probent literae episcopi, vel alterius ordinarii iudicis, et quomodo reprobari possit per testes instrumentum, tanquam falsum nomine collegii, seu universitatis confectum?*

Ad primam quaestionem *Resp.* Literas tales fidem facere ad probandum aliquem excommunicatum, si non magnum exinde praeiudicium alteri inferatur, et subscriptione illius, aut sigillo munitae sint, donec oppositum pro-

betur, *c. Post cessionem*, 7. *h. t.* ob auctoritatem scilicet, et specialem ipsi debitam reverentiam.

Ad secundam quaestionem *Resp.* quod singulae personae alicuius collegii, vel conventus possint sub iuramento reprobare instrumentum falso sigillo obsignatum, et confectum nomine collegii, seu universitatis, *c. Tertio loco*, 5. *h. t.* Sunt enim in tali casu singuli in favorem suae ecclesiae contestes, quod fieri potest, cum causa collegii non sit principaliter causa singulorum, sed causa universitatis.

§. X. *Quam vim probandi habeat narratio facti alicuius in literis sedis apostolicae?*

Plene probare talem narrationem, si super illa, gratia, aut intentio papae fundetur, et versentur in causis beneficialibus, aut spiritualibus graviter alteri non praeiudicantibus ex *Clement. Literis, unica h. t.* patet. Quamvis enim regulariter narrationi tali alicuius inferioris non credatur, ob specialem tamen praerogativam papae, et ob fastigium tantae dignitatis tali narrationi a papa suis literis insertae creditur, si tamen factum proprium narretur; si enim factum alienum narretur, super quo se fundet gratia, et intentio papae, plenam quidem fidem facit narratio talis, ita tamen, ut contra eam admittatur probatio. Si vero intentio papae super his, quae in literis illis narrantur, non fundetur, tum nihil probant. Et patet ex *c. Si papa*, 10. *De privileg. in* 6.

§. XI. *De probationibus, et aliis actis iudicii in scriptum redigendi; et de actis prioris iudicii exhibendis aliis iudicibus, ad quos causa pervenit.*

Universa iudicii acta ex mandato iudicis conscribenda esse, ex *c. Quoniam contra*, 11. *h. t.* patet, a notario scilicet, vel si hic haberi non possit, ab aliis duobus viris idoneis, qui notarii locum supplent, ad cavendas scilicet multas litigantium tricas, et fraudes iudicum, nisi causae essent valde exiguae, et leves, ubi vix praeiudicium aliquod timeri potest. Neque tamen ad acta iudicii probanda praeter iudicem, et tabellionem, qui in praesentia iudicis, et ex huius mandato ea scripsit, alii testes requiruntur, cum utriusque officium sit publicum, et ex consuetudine tantum ad sententiam definitivam testes alii adhibentur.

Quod si vero causa ad alium iudicem devolvatur, acta, et processus prioris iudicii ei exhiberi, et ad eum transmitti debent, prout habetur *in c. Causam*, 11. *de testib. etc. ex c. Cum bonae*, *h. t.* desumitur, ita ut fidem faciant etiam in altero iudicio, inter easdem personas, et in eadem causa. Sive sint acta ordinaria iudicii, sive sint acta probatoria, seu industriosa causae, et ad merita litis, eiusque decisionem spectantia, nisi per lapsum temporis, aut absolutionem ab observatione iudicii, instantia iudicii perempta sit.

§. XII. *Quomodo, quando, et ubi facienda sit probatio, et quis sit finis illius, et effectus.*

Fieri debet probatio secundum formam libelli, cum secundum illam pronuntiandum sit, et consequenter iudex secundum libelli formam instrui debet,

et moveri; et hinc clara etiam debet esse, et certa, et in quaestione speciei non sufficit probare genus, sed species probari debet, sive fiat in loco iudicii, sive extra, nbi index testes v. gr. recipere vult. Facienda antem est ordinarie post litis contestationem, ut supra dictum, ita tamen, nt prius probetur actoris intentio, quam rei exceptio, cum actore non probante absolvendus sit rens (saltem ab observatione huius instantiae) etiamsi nihil egerit; neque post publicata testimonia, et postqnam in causa conclusnm est, admittenda est alia probatio super eisdem articulis, prout sumitur ex *cap. Iuravit*, 6. *h. t.* (nisi snper articulis de novo emergentibns, nt infra dicetur) cnm per talem in causa conclusionem censeantur partes renuntiare ulterioribus probationibus.

Finis autem probationis est, iudici fidem facere, et ut intelligat hic, qnalem sententiam ferre debeat, cui facienda est probatio, et hic secnndum allegata et probata, sententiam ferre, ne litem faciat snam, condemnandus in id, quod litigatoris interest. Neque est contra probationem factam purgatio canonica admittenda, cum innocens ille in foro fori esse non possit, qui plene probatus est esse nocens *c. Ad nostram*, 12. *h. t.* et saepe, nt sic crimina impunita relinquerentur, cum magno reipnblicae damno.

TITULUS XX.

DE TESTIBUS, ET ATTESTATIONIBUS.

Potissima probationis species est, quae fit per testes viva voce deponentes; sunt enim testes, qui de facto aliquo legitime vocati testimonium dicunt, attestationes vero sunt ipsorum depositiones; et quamvis testium alii sint iudiciales, alii instrumentarii, alii testamentarii, hic tamen potissimum agitur de testibns iudicialibus, qui nd rei alicuius controversae fidem faciendam in iudicio adhibentur, de quibus.

SECTIO I.

De qualitate testium.

§. I. *Quinam sint habiles, vel absolute inhabiles ad testificandum?*

Testes generatim loquendo debent esse idonei, et fideles non condncti pretio, et nt *in c. Placuit*, 1. *h. t.* statuitur, ieiuni testimonium ferre debent. Censentur autem idonei, qui per canones, vel leges non arcentur a testimonio ferendo, et plerumqne dicuntur omni exceptione maiores. Fideles autem hic dicuntur illi, qui fide digni sunt, et a moribus probati, ut dicitur *can. Placuit*, *causa* 4. *q.* 2. Pretio conducti censentur illi, quibus pro testimonio ferendo pecunia v. gr. etiam non petenti oblata fuit. Ieiuni vero, ut ferant testimonium, de honestate quidem est et consilio, ratione iuramenti, quod a testibus praestandum est, non autem de necessitate, et praecepto; et hinc attendenda est consuetudo, quae tantum attendit, ut non sint ebrii, sed sobrii, qui testimoninm ferunt.

Prohibentur autem de iure, qno minus testimonium simpliciter ferre possint primo impuberes, sive pupilli, qui ob infirmitatem iudicii absolnte a

testimonio ferendo excludnutur, (excepto crimine laesae maiestatis) quamvis pnberes facti de illis, quae tempore impubertatis, cum discretionem iam haberent, viderunt, possint testari. Secundo excluduntur furiosi, quia mente carent, ita nt neqne de illis testari possint, qnae furoris tempore contigerunt, quamvis ad se postmodum redierint. Tertio excluduutur regulariter caeci, quia uon snfficit semper iu teste de anditu tantum, sed saepe debet de visu deponere, nisi taiia essent, de quibus testificari debet, quae non visn, sed anditu percipinntur. Quarto excludnntur muti, et snrdi simul, quia non possunt animi sui sensum commode exprimere. Quinto non admittuntur ad testimonium ferendum servi stricte dicti (ne ex metu dominorum veritatem magis supprimant, quam aperiant) nisi in exceptis criminibus, in quibus etiam inhabiles testes admittuntur, quamvis uon sint omni exceptione maiores.

§. II. *An, et qua ratione infames, criminosi, periuri, accusati de crimine; vel excommunicati repellantur a testimonio dicendo in iudicio?*

Infames infamia iuris iuhabiles sunt ad testimouium in iudicio ferendnm, tam iu criminalibus, quam civilibus, uti patet ex *c. Testimonium*, 54. *h. t.* cum enim iufamibns sint interdicti actus legitimi, testimoninm autem ferre in iudicio inter actus legitimos repntetur, conseqnenter prohibiti hi illis erunt, ita ut nec contra alium eadem infamia laborantem, ut testis admittatur, nisi in causa criminum exceptorum, aut in subsidinm veritatis, quae aliter haberi nou potest (ita tamen, ut sine tormentis credendum illis uou sit) vel famae suae sit restitutus, aut occulta tantnm infamia laboret, aut infamia facti tantnm, quia a iudice ex officio, vel parte opponente a ferendo testimouio repelli potest.

Neqne admitti debent ad testimoninm iu iudicio fereudum criminosi de gravi crimine ipsis obiecto couvicti, uti habetnr *in cap. Super eo*, 13. *et in cap. Testimonium*, 54. *h. t.* Et quamvis si poenitentiam egerit de crimine, et sit emendatus, in causa civili pro teste admittatur criminosus, si unlla iuris infamia laboret, si tamen in crimine perseveret, uec iu civilibus, ut testis admitti debet, cum non sit credendnm contra alios illis, qui criminibns implicantur; iu criminalibus vero criminaliter intentatis, uec emendatus in testem admittitur, uisi post publicam, quae saltem per trienniuⁿm constanter iam duravit, poenitentiam, et emendationem, vel si ad probandam tantum innocentiam rei testimoninm ferat; vel si pars litigans ad videndnm testes prodnctos nihil contra eorum crimina opponat, ueqne iudex ex officio repellat, aut necessitas eos admittere iubeat, quamvis in nullo horum casuum omni exceptioue maiores.

Periuri, qui falsnm iuramento confirmarunt, ad fereudum testimoninm non admittnntur, nec in causa civili, nec in causa criminali, quantumvis sint emendati, et de periurio poenitentiam egerint (quia, qui semel peieravit, praesumptionem contra se habet ad periurinm iterum committendum), ita ut etiam in criminibus exceptis periuri iu testes nou admittantur, excepto crimine haeresis, in qno, in favorem fidei etiam periuri, tam contra se, quam contra complices, nt testes admittantur, modo ex manifestis indiciis

appareat, qnod non ex levitate animi, aut odio, sed ex zelo iustitiae, et amore fidei deponant.

Accusatus de crimine, gravi scilicet pendente accusatione, non debet admitti ad testificandum in alia causa criminali, praeterquam in criminibus exceptis, *c. Non debet*, 56. *h. t.* Censetur enim, dum accusatio pendet, gravata illius existimatio, cum tamen testes in causa criminali debeant esse omni exceptione maiores; ita ut nec pendente appellatione, si de crimine condemnatus appellavit, in causa criminali ad testificandum admittatur; quamvis accusatus admitti possit, ut testis, pendente accnsatione in causis civilibus, vel civiliter actis, non tamen, ut omni exceptione maior faciens semiplenam probationem.

Excommunicati denique (maiore excommunicatione) ad testificandum in iudicio admitti non debent, quia inter infames numerantur, prout colligitur etiam *ex c. Veniens*, 38. *h. t. iuncta glossa final.* et cavetur etiam hoc expresse *in c. Decernimus*, 8. *De sent. excommun. in sexto.* Ita tamen, ut excommunicatus non toleratus sive vitandus a iudice repelli debeat, etiam parte nihil opponente; si autem vitandus non sit, possit quidem iudex a testificando eum repellere, si excommunicatio publice nota sit, non tamen teneatur, nisi pars adversa de excommunicatione contra talem testem excipiat, quamvis enim hic vitari non debeat, sicut ille, et cum hoc communicare possit, non autem cum illo, pars tamen, cui favor hic factus est, ut cum excommunicato non vitando communicare possit, non tenetur hoc favore sibi concesso uti, et consequenter a testificando eum repellere potest. In crimine tamen haeresis ob favorem fidei ad probandum hoc etiam excommunicati admittuntur.

§. III. *Quinam prohibeantur ferre testimonium pro certis personis.*

Primo, non admittitur testis in iudicio parens pro filio, aut filius pro parente, propter naturalem amorem, et affectionem; et hinc extenditur haec assertio etiam ad matrem, ad omnes ascendentes in linea paterna, et materna, ad filios naturales tantum, spurios, et incestuosos, ad filios adoptivos, si in patris adoptantis potestate sit adoptivus, immo nec vitricus pro privigno, nec privignus pro vitrico testari potest, etc. plures tamen etiam casus referuntur, in quibus filii pro parentibus, ant parentes in causis filiorum testes esse possunt, quos vide apnd Auctorem hoc loco relatos, quamvis non in omni casu sint semper omni exceptione maiores. Ob hanc tamen etiam naturalis affectionis rationem, nec maritus pro uxore, nec uxor pro marito testificari potest regulariter, nec sponsus pro sponsa, aut concubinarius pro concubina, nec consanguinei ant affines, in causis criminalibus, vel civilibus arduis, pro consanguineo aut affine in tertio saltem gradu, ut testes admittuntur, nisi modici tantum praeiudicii causa civilis esset, aut in causa criminali ad necessariam rei defensionem, et offendendam innocentiam adhiberetur illius testimonium, aut partes expresse contentae essent, cum vel sit exigua erga alterutram partem testis talis affectio, vel utrique aeque affectus sit, etc.

§. IV. *An, et in quibus casibus testes domestici produci possint, vel familiares, vel amici, et an etiam subditi possint testimonium dare pro suis dominis?*

Tripliciter dici possunt aliqui domestici. Primo stricte, sicuti se habent maritus, et uxor, et nati ex illis liberi, et qui sunt sub patria adhuc potestate; de quibus, quod pro se invicem testes esse non possint, priore §. dictum est. Secundo domestici dicuntur in latiore sensu, omnes etiam famuli, et famulae pretio, et mercede conducti, qui in eadem domo sub potestate unius patrisfamilias habitant, et huius imperio aliquo modo subsunt. Tertio domestici dicuntur in latissima tamen acceptione, qui in eadem domo simul convivunt, et convescuntur, quos alii appellant etiam familiares, et commensales.

De secundi ergo generis domesticis loquendo, quod testes pro patrefamilias, aut domino esse non possint, nec in civilibus, nec in criminalibus, sumitur ex utroque iure *l. Etiam*, 3. *cod. h. t. et ex c. In literis*, 24. *h. t.* ob periculum scilicet, quod in tales personas facile cadit, ne dum dominis parere, et favere volunt, falsum deponant, et peierent. Si tamen desierit esse domesticus tempore depositionis, ita ut allata ratio locum in eo non habeat, repelli non potest, nisi fraus aliqua, quae in illius dimissione praesumi posset, aut circa domesticum talem honestas, et integritas omnem falsi suspicionem tollat; aut producatur tantum ad innocentiam domini accusati, vel suspecti probandam, aut sciens adversarius reus, testes contra se productos esse domesticos actoris, nihil contra eos excipiat; vel sit utriusque partis domesticus, aut testetur pro domino contra alium domesticum, aut producatur a domino in causa difficilis probationis, in subsidium aliorum testium, qui haberi non possint, etc. quamvis in talibus etiam casibus non sint integrae fidei testes, et omni exceptione maiores.

Tertii generis domestici, qui familiares, et commensales dicuntur, possunt quidem produci, et admitti debent ut testes in causis eorum, quibus in eisdem aedibus absque subiectione tamen aliqua convivunt, et in eadem mensa convescuntur, integri tamen omnino, et omni exceptione maiores non sunt, nisi maxima vitae probitas omnem suspicionem tolleret. Pari modo amicus pro amico testari potest, de ipsius tamen fide magis, minusve dubitari potest, pro qualitate amicitiae, et iudicis arbitrio: et quamvis idonei testes non videantur, quibus imperari potest, a producente eos, si pro producente testentur, si tamen imperare hic talibus tantum possit ratione universalis alicuius iurisdictionis, admittuntur, cum tanta in tali casu suspicio esse non possit, omni tamen exceptione maiores non sunt.

§. V. *An socius criminis, vel bonorum, possit esse testis pro socio, vel contra illum?*

Quamvis universaliter loquendo pro, vel contra socium criminis non debeat in testem adhiberi socius criminis, iuxta *c. Veniens*, 10. *h. t.* eo quod talis sit vilis persona, infamis, et criminosus, ac subsit periculum falsae depositionis, etc. in illis tamen casibus, in quibus de sociis examinari po-

test reus, iuxta superius dicta, etiam in testem admittitur, et depositio illus, sicuti alterius vilis, et infamis personae, fidem sed valde exiguam facit: prout etiam in crimine simoniae fieri potest, si civiliter tantum, ad privationem scilicet beneficii agatur, et hic qui testatur, socius quidem criminis, non autem muneris fuit, nullum ex sua cooperatione emolumentum accipiendo. Prout habetur *in c. Mediatores*, 1. *h. t. in* 6.

Sicuti autem socius criminis non admittitur in testem pro socio bonorum, ad testificandum pro illo, sive sint socii omnium bonorum, sive partis tantum, aut rei particularis utrique tamen communis, quia ut sic in propriam utilitatem deponeret; secus tamen est dicendum, si non agatur de re utrique communi, in hoc enim casu socius in una re prohibetur esse testis pro socio in diversa re, aut pro re divisibili, cum ut sic nihil ex tali depositione specialis commodi haberet.

§. VI. *Qui prohibeantur dicere testimonium contra certas personas?*

Primo prohibetur inimicus contra eum testimonium ferre, cum quo gerit inimicitiam, *c. Repellantur*, 7. *c. Meminimus*, 13. *c. Cum oporteat*, 19. *de accusat.* ita ut ne in criminibus exceptis hi possint contra tales esse testes (quia merito ob malevolentiam falsum depositurus praesumitur) si inimicitia sit valde gravis, et capitalis, et nondum sit reconciliatus inimicus, neque sit fraude procurata inimicitia, aut non deponat in favorem inimici, vel contra producentem, vel non sit utrique parti pariter inimicus, nec a parte, contra quam producitur, approbatus, quamvis neque in his casibus sit omni exceptione maior.

Secundo laicus in causa criminali, quae criminaliter agitur, non admittitur regulariter ad testimonium ferendum contra religiosum, *c. De caetero*, 14. *h. t.* non tantum quia plerumque clericis infesti sunt laici, ut ait pontifex *in can. Laicos*, 5. *caus.* 2. *q.* 7. sed quia decens non est, ut statu inferior contra statu superiorem in causa criminali testimonium ferat. Et quamvis ad accusandum admittantur, si suam, vel suorum iniuriam prosequuntur, ut ait *in cit. c.* Pontifex, neque tamen in his casibus ad testificandum, si criminaliter contra eos agatur, admittendi sunt. Cum condemnatio non sequatur ex accusatione, sed ex probatione: excipiuntur tamen etiam crimina excepta haeresis v. gr., laesae maiestatis, sodomiae, simoniae, etc. aut alia notoria, et scandalosa, in quibus laicus etiam contra clericum testari potest; prout etiam admittitur, si clericus sit de crimine infamatus; si aliunde veritas haberi non potest; si in favorem clerici deponat; si famae tantum probatio necessaria sit; si de crimine agatur civiliter; vel si agatur per modum denuntiationis aut inquisitionis, etc. neque tamen semper erit omni exceptione maior. Quin immo nec clericus in causa criminali criminaliter acta contra laicum testis esse potest, propter periculum irregularitatis incurrendae, si agatur causa sanguinis; et quamvis in civilibus, aut si de crimine civiliter agitur, ubi nullum periculum est poenae sanguinis, contra laicum clericus testari possit, fieri tamen hoc debet coram proprio episcopo, vel cum huius licentia coram iudice saeculari, vel in causa ecclesiastica coram alio iudice ecclesiastico.

Tertio iudaei, pagani, haeretici, aliique infideles, et qui a fide catholica defecerunt, ad testificandum contra fidelem catholicum idonei non sunt; quia sunt de falsitate ex iuris praesumptione suspecti, neque fidem merentur, qui fidem abiecerunt; quod multi etiam extendendum ad iudaeos, aut infideles recenter conversos, etc. putant, insuper admitti eos in testes non posse, etiamsi christiani expresse consentiant. In criminibus tamen exceptis, et in quibus casibus veritas aliter haberi non potest, aut si contra alios iudaeos, aut infideles testentur, etiamsi ab orthodoxo producantur, contra eos, etc. admitti possunt, non sunt tamen omni exceptione maiores. Catholici vero testimonium contra iudaeum, aut infidelem nec in causis civilibus, nec in criminalibus reiicitur, ita ut nec per privilegia a principibus concessa iudaei tueri se possint, quo minus per testes christianos convinci possint iuxta *Clement.*, 1. *h. t.* cum talia privilegia, ut ait pontifex, christianae religioni probrosa sint, et adversa; et aequalitas in iudiciis servanda actorem, et reum concernat, non autem testes.

§ VII. *Qui prohibeantur ferre testimonium in certis causis?*

Primo mulier potest esse testis in causis civilibus, tam in foro civili, quam canonico, etiam in causis matrimonialibus, quae inter valde arduas censentur, ut colligitur *ex c. Super eo*, 13. *h. t.* ita ut sit integrae fidei, et semiplenam probationem faciat, si una tantum taliter testetur, (ita tamen ut virorum testimonia mulierum testimoniis praeferantur) nisi causa sit feudalis, in qua mulieris testimonium non admittitur, prout expresse habetur *in c. unico, Qui testes sunt necessarii ad novam investituram, lib.* 2. *feud. tit.* 32. (cum in his causis feudalibus summae opinionis testes requirantur) nisi foemina illustris esset, quae et ipsa sub se feudum, et vasallos haberet. Et quamvis de iure civili, et Caesareo mulier etiam in criminalibus testis esse possit, nisi sit causa valde gravis, et ardua, vel ubi agitur ad poenam mortis, vel mutilationis, quibus casibus saltem integrae fidei non erit testis mulier, et omni exceptione maior, de iure tamen canonico in causis criminalibus, si criminaliter ad poenam publicam agatur, ad testandum mulier non admittitur, *can. Mulierem*, 17. *iuncta gloss. v. Non testis, causa*, 33. *q.* 5. *etc.* ob naturalem scilicet mulierum mutabilitatem, et fragilitatem, ac inconstantiam. Nisi de crimine civiliter tantum agatur per modum exceptionis, *cap. Tam literis*, 33. *iuncta glossa, v. Faeminas h. t.* aut ad procedendum ex officio per modum denuntiationis, aut inquisitionis, *c. Quoniam*, 3. *h. t.* aut si criminaliter agatur, si tamen de crimine excepto, aut non possit aliunde haberi veritas, vel testetur tantum ad innocentiam rei ostendendam, etc.

Secundo puberes seu minorennes in causis civilibus testes esse possunt, praeterquam si illae arduae sint, non tamen in criminalibus, nisi agatur de crimine excepto, aut veritas aliunde haberi non possit, aut procedatur tantum per inquisitionem; neque tamen in talibus casibus admissi plenam probationem faciunt, ob praesumptionem iudicii nondum satis maturi.

Tertio personae pauperes, et vilis conditionis admittuntur quidem, caeteris paribus, in testes in causis civilibus minus arduis, cum testis idoneus

non tam ex facultatibus, quam ex moribus, et vitae probitate desumatur, non tamen in civilibus arduis, et criminalibus, ad cavendum periculum falsae depositionis, quam suspicantur iura per promissionem, aut datam pecuniam facile a paupere tali, aut vilis conditionis homine obtineri posse; et hinc in quocunque casu admittatur talis, omni tamen exceptione maior non est, quamvis per torturam purgata sit falsae depositionis, et lucri captandi causa suspicio; si tamen arbitrio iudicis, aut partis omnis suspicio fraudis etiam penes pauperem abesset, aut fides pauperis per alios plures testes idoneos iuvaretur, posset etiam illius testimonium ut integrae fidei admitti, cum nec sola paupertas, nec sola vilis conditio personae vitio illi verti debeat.

§. VIII. *An, et qua ratione prohibeatur quis testimonium ferre in propria causa.*

Neminem in propria causa testem idoneum esse, communis et generalis regula docet, ob suspicionem scilicet minus sincerae depositionis in propria causa propriam utilitatem spectante; et ob hanc causam neque ille testis idoneus videtur, qui similem causam in iudicio agit, propter quam in testem hic, et nunc producitur, nisi aut protestatio praevia de nullo proprio commodo quaerendo in tali testificatione eum idoneum faciat, vel agatur tantum de modico emolumento, vel non possit aliter haberi veritas, vel testetur talis tantum in causa suae communitatis.

Sed nec in illa causa potest quis esse testis, quam ad iudicium ut actor, vel accusator detulit, ne probando talem suam actionem, aut accusationem in propria causa testis esse censeatur; et quamvis si processit per viam denuntiationis charitative, non tam ad puniendum, quam emendandum peccatum, possit in illa causa testis esse iuxta *c. In omni*, 4. *h. t.* si iudex tamen iudicialiter procedat, ad puniendum denuntiatum, ad deponendum, v. gr. ab officio aut beneficio, tunc in criminibus gravibus, aliisque magni praeiudicii causis non potest esse testis denuntiator, quia in talibus casibus non est recedendum a communi iuris regula, quod idem accusator, seu actor, et testis esse non possit, nisi qui publica auctoritate ad denuntianda crimina ex officio suo sit deputatus (cui merito maior fides haberi debet, quam alii cuicumque denuntiatori) aut agatur de peccato evitando, neque possint alii testes haberi.

Iudex autem in ea causa, quae coram ipso adhuc pendet, non potest in testem produci, ob nimiam pro causa tali in suum honorem decidenda affectionem; et si agatur apud alium iudicem appellationis v. gr. de iustitia, vel iniustitia latae a priore iudice sententiae, non potest produci in testem, ne in causa sua ob affectionem ad sententiam a se latam sit testis quodammodo, quamvis in priore casu, si necessitas sit, ne pereat ius partis, ob defectum probationum peti possit a parte, quae illius testimonio indiget, ut alius ipsi iudex substituatur, et sic ipse in tali casu testari possit, prout colligitur etiam ex *c. Dilecto*, 40. *h. t.* quin etiam *ex c. Cum dilectus*, 32. *de elect.* colligitur, quod testis esse possit iudex in iis, quae aliis, quam iudicibus cognita esse non possunt, cum in aliis etiam casibus testes suspecti admittantur ob necessitatem, seu inopiam probationis; et ex *glossa com-*

muniter recepta in cit. c. Dilecto, v. Recusatis, h. t. habetur, quod ordinarius possit coram suo vicario testimonium dicere in causa, quae coram vicario agitur, et ex potiore ratione potest etiam delegans coram delegato testimonium ferre, cum in neutro casu in causa coram se pendente, sed alteri delegata, testimonium dicat.

§. IX. *De testimonio ferendo ab advocato, vel procuratore, haerede, vel legatario, et aliis quibusdam.*

Neque advocatus, neque procurator in ea causa, in qua fuit advocatus, vel procurator, in testem admittendus est, uti habetur *ex can. Si testes*, 3. §. *Patroni*, *causa* 4. *q.* 3. *et ex c. Insuper*, 6. *h. t. iuncta glossa. In casu* (propter praesumptam scilicet affectionem ad hanc causam) etiam finito officio, aut si velit deponere, aut deposuerit officium advocati, aut pronuntiatoris in tali causa, in secunda v. gr. instantia; sive in iudicio appellationis, uti habetur *ex c. Romana*, 3. *h. t. in* 6. nisi contra eum produceretur in testem, cui in prima instantia favit, cum esset in tali casu ratio affectus ad causam, prout etiam non habetur, si nondum coepit agere in iudicio, aut si pro illo quidem, cuius advocatus v. gr. in una causa fuit, in alia tamen causa in testem producitur. Et cum allata ratio etiam probet contra curatorem, vel tutorem in causa pupilli sui, aut minoris, contra administratorem, syndicum, et actorem in causis coeptorum negotiorum ab illis agendorum, etc. consequenter etiam de his intelligi debet, quod dictum de advocatis, et procuratoribus.

Mediator vero, sive ille, qui inter contrahentes v. gr. conciliator, et medius quasi fuit, non potest ordinarie in negotio, cuius mediator fuit, testis esse ob rationem saepius iam allatam, si tamen utraque pars sive litigantes consentiant in eum, ut testem, in tali negotio potest invitus etiam compelli, ut sit testis iuxt. *glossam receptam in c.* 1. *v. Civiliter*, *h. t. in* 6. vel si favor matrimonii ab ea testificatione pendeat, aut admittatur, non ad probandam validitatem contractus, sed tantum ad probandam circumstantiam aliquam, vel ad infirmandum contractum, cum ratio affectus in talibus casibus parum, vel nihil probet.

De haerede, aut legatario quid dicendum sit ratione testamenti, in quo haeres, vel legatarius scriptus est, infra *lib.* 3. *De testamentis* dicitur, ex quo loco etiam parebit, quod in iudicio pro valore testamenti asserendo non admittatur in testem haeres, aut fidei-commissarius universalis, admittatur autem legatarius, seu fidei-commissarius particularis.

De venditore res certa est, quod pro emptore in causa rei venditae testis esse non possit, quia testatur ut sic in proprium interesse, cum evicta re teneatur talis venditor ad pretii, et damnorum, quae patitur emptor, restitutionem. Donans vero donatario, et in favorem donatarii testis esse non potest in causa rei donatae ob affectum, quem habet ad suae donationis stabilitatem, sed nec fideiussor testis esse potest in causa, in qua fideiussit contra creditorem debitoris, pro quo fideiussit, neque principalis debitor in causa sui debiti, cum ubique proprium interesse intervenit.

§. X. *An in causa universitatis, vel collegii, qui est pars, vel membrum eiusdem, possit testimonium ferre?*

Respondetur affirmative, *iuxta c. Insuper*, 6. *et in c. Cum nuntium*, 12. *h. t.* quod verum est de collegio, seu universitate tam saeculari, quam ecclesiastica, ita ut quilibet in particulari, etiamsi talis communitatis pars sit, in testem pro sua communitate admitti debeat, cum non ferant in propria causa testimonium, sed pro iure universitatis, quod distinctum quid est a iure singulorum: et quamvis ex tali pro universitate testimonio commodum aliquod tales testes habeant, hoc tamen non censetur tantum, ut falsum depositurus in bonum suae communitatis videatur talis honestus, et bonae vitae testis: quod si enim magna singulorum utilitas coniuncta esset cum iure universitatis, illorum testimonium, qui magnam exinde utilitatem haberent, non audietur, cum in effectu hi agerent de proprio commodo; prout etiam non admittitur membrum universitatis in causa criminali in favorem communitatis, aut in causa civili valde ardua, ubi testes omni exceptione maiores requiruntur; neque admittitur talis pars communitatis in favorem huius deponens, si valde parva sit communitas, cum hi tales potius inter domesticos numerandi sint.

De episcopo vero, aut alio ecclesiae praelato dici quidem potest, quod in causa suae ecclesiae, vel monasterii in testem admittendus sit, prout patet ex inscriptione *c. Insuper*, 6. *h. t.* si tamen praelatus procuratorem in iudicio constituat, qui suo nomine agit, non potest esse in ea causa testis, cum in tali causa actor principalis ipse praelatus habeatur, et consequenter, ne idem sit actor, et testis, admitti in testem non debet, sicuti nec admitti debet in testem, casu quo collegium non habeat, sed solus administret, et solus agat, vel agat de redditibus suae mensae.

SECTIO II.

De numero, iuramento, et depositione testium.

§. I. *Quot testes requirantur ad legitimam probationem, et plenam fidem faciendam?*

Ordinarie ad probationem rei gestae requiruntur, et sufficiunt duo testes idonei, et omni exceptione maiores, tam in profanis, quam ecclesiasticis, tam in civilibus, quam in criminalibus causis, prout *ex capite* 17. *et* 19. *Deuteronomii* habetur, et ex *c. In omni*, 4. *et c. Licet*, 23. *h. t.* sunt quidem aliquae causae, in quibus de iure plures, quam duo, aut tres testes requiruntur, prout etiam patet ex *can.* 2. *iuncta glossa, v. Praesul. caus.* 2. *q.* 4. de consuetudine tamen hodie non omnia observantur: et quantumvis hac in re quoad numerum testium requisitorum multa possit consuetudo, non potest tamen facere, ut unus testis, cuiuscunque sit dignitatis, plene probet, cum talis consuetudo apertam occasionem praeberet multis calumniis, periuriis, iniquis oppressionibus, etc. nisi gravis valde necessitas, aut evidens utilitas consuetudinem talem, aut statutum tale exigeret, prout de facto in causis iudicialibus levioribus, nihil tertio praeiudicantibus, in

causis summariis, in causis quibusdam non iudicialibus; cum agitur de evitando peccato; in denuntiatione inhabilitatum ad ordines suscipiendos, vel ad beneficia ecclesiastica obtinenda; ad probandam rei innocentiam; vel casu quo partes consentiant, ut unico testi piena fides habeatur; vel hic sit officialis ad denuntiandum constitutus; vel de proprio actu testetur, etc. unius testis testimonium sufficit: in genere tamen etiam dici potest, quamvis unus testis plenam fidem non faciat ad causam decidendam, si tamen sit omni exceptione maior, semiplene probat, de eo quod in iudicio deponit, et sufficientem praesumptionem facit ad inquirendum, citandum, et torquendum etiam reum, et coniunctum cum aliis indiciis et praesumptionibus plenam fidem facere potest saltem in civilibus causis; et quamvis unicus testis, etiamsi fide dignissimus sit, testis omnino inhabilis defectum non suppleat, putant tamen aliqui per unius superabundantem fidem aliorum contestium minorem habilitatem suppleri posse, quia quod imperfectum est, per aliud suppleri potest, non autem, quod omnino nullum est.

§. II. *De iuramento testium.*

Quod testis non iurati, qualiscunque ille sit, testimonium nihil probet in iudicio, ex utroque iure patet, *l. Iurisiurandi*, 9. *cod. h. t. c. Nuper*, 51. *h. t.* et hinc a teste, antequam deponat, iuramentum exigitur non calumniae, sed veritatis. Et quod nec pretio, nec amore, nec odio, nec terrore, nec ex alio sinistro motivo moveatur ad testimonium dicendum; et quod depositiones suas ante earum publicationem nemini sit revelaturus. Et quamvis in quibusdam tribunalibus ea praxis observetur, ut testium depositiones fiant, antequam ab illis iuretur, moneantur tamen expresse, ut ita deponant, ut possit postmodum depositiones suas iuramento confirmare, et depositio taliter facta nunquam ad sententiam ferendam (in re alicuius momenti) inducet iudicem, nisi iuramento depositiones illae fuerint confirmatae, et quidem in iudicio, non extra illud. Debet autem testium iuramentum esse corporale tangendo evangelium, nisi consuetudo aliam praxim induxerit, aut specialia alicubi privilegia personae aliquae habeant, ita ut illis etiam non iuratis credendum sit. Potest tamen etiam ab adversa parte, contra quam testes producuntur, si expresse consentiat, remitti hoc iuramentum, ut constat ex *c. Tuis*, 39. *iuncta gloss. v. Remittatur*, *h. t.* (cum simplici assertione in proprium praeiudicium contentus esse possit, in cuius favorem iuramentum hoc introductum est) exceptis causis criminalibus capitalibus, et causis matrimonialibus, ubi agitur de valore matrimonii, quia in hoc casu vertitur periculum animae, in illo casu publica vindicta iuramentum exigit, si agatur de beneficio ecclesiastico.

§. III. *De forma, et modo, quo testes deponere debent, et quomodo delicta occulta per testes probari possint?*

Testes praesentes quidem in loco iudicii testimonium rogati, et a partibus producti deponere debent, non tamen in scripto, sed viva voce, de his, quae aliquo sensu corporeo perceperunt, prout habetur *in can. Testis*, 15. *Caus.* 3. *quaest.* 9. *iuncta gloss. v. Qui noverunt* (ut iudex scilicet cogno-

scere possit, quo vultu, qua constantia, vel trepidatione, etc. testimonium deponant) nisi consuetudo, aut necessitas aliud iubeat.

Delicta occulta, uti est fornicatio, adulterium, etc. probantur quidem per testes iuratos, sufficit tamen, si deponant de auditu, et de indiciis, quae crimina talia comitantur, vel praecedunt, et communi fama adiuventur, ita tamen ut pro diversitate circumstantiarum, aut causae, maior vel minor probatio sufficiat: multum tamen hac in re, quae evidenter probari non potest, iudicis arbitrio relinquitur.

SECTIO III.

De testibus, de credulitate, et singularibus; et testibus inter se, vel sibi ipsis contrariis.

§. I. *An, et quam vim probandi habeant testes de credulitate?*

Testes, qui non deponunt, quod rem sciant proprio sensu perceptam, sed quod credant ita se habere, eo quod a viris fide dignis audiverint, dicuntur testes de credulitate, quibus etiam si plures eorum sint, qui taliter iurati deponunt, fides tamen plena non habetur (quia testis de sua, non de alia scientia deponere debet, de illis scilicet quae ipse vidit, vel audivit, non de illis, quae ex aliorum relatione didicit, quae depositiones multis plerumque coniecturis, quibus periculum fallendi subest, nituntur) etiamsi fama publica cum tali depositione concurrat *c. Tam literis*, 33. *h. t. iuncta gloss. v. De auditu.* Admittuntur tamen etiam testes de credulitate eorum, quae ex aliis audiverunt, ad fidem aliquam faciendam in casu necessitatis, si suae credulitatis rationem reddant, in causis quae directe probari, et certo cognosci non possunt; ad probandam rei innocentiam, si concurrant alia adminicula, praesumptiones, vel indicia; si deponant super factis antiquis, aetatem hominum de facto viventium excedentibus; si deponant de illis, quae facta sunt tempore pestis; si deponant ad probandam consanguinitatem, vel affinitatem etc. saltem si agatur ad vitandum peccatum, et conditiones requisitas *in c. Licet*, 47. *h. t.* habeant, ac deponant ab eadem persona, et quidem eodem loco, ac tempore etc. audivisse se; in quibus casibus, si non in omnibus plena fides ex talium testium depositione habeatur, potest tamen infamato, et contra quem taliter depositum est, indici purgatio canonica, uti patet ex cit. *c. Tam literis*, *etc.*

§. II. *De testibus singularibus, eorumque probatione.*

Contestes in hac materia dicuntur illi, qui unum, idemque factum testantur; singulares vero testes dicuntur illi, qui de diversis factis testantur; et haec testium singularitas alia est adversativa, si dicta eorum testimonia, vel depositiones inter se repugnent. Alia est diversificativa, si testes deponant de factis non contrariis sibi invicem, sed diversis, et nihil se mutuo iuvantibus, prout factum est in casu *capituli Cum tamen*, 16. *h. t.* Alia denique testium singularitas est cumulativa, sive adminiculata, si deponant scilicet testes de actibus diversis, se mutuo tamen adiuvantibus, quia depositiones talium testium diversae quidem sunt, ad eundem tamen finem tendunt, ut si de possessione agri sit quaestio, et testetur unus vidisse se

Titium seminasse agrum talem, alius vero testetur vidisse se, quod Titius hunc ipsum agrum messnerit. His notatis.

Certum est primo, testes ut plenam fidem faciant, non debere esse singulares, contraria, vel diversa prorsus testificantes, sed debere esse contestes de uno eodemque facto in specie testificantes, prout habetur *ex c. Bonae*, 23. *de elect. et ex c. Cum dilectus*, 32. *eodem, iuncta glossa v. Probatio; et ex cit. c. Tam literis, iuncta glossa v. Soli.* Ita ut non tantum in substantia delicti convenire debeant testes, sed in tempore etiam et loco, etc. ut plenam ad condemnandum reum, et puniendum poena ordinaria fidem faciant. Possunt tamen magnam contra reum praesumptionem facere, si de diversis actibus diverso tempore factis deponant; et si deponant de diversis quidem actibus, mutuo tamen se adiuvantibus, possunt non tantum in causis civilibus plene nonnunquam probare, sed etiam in causis criminalibus, ut si quaeratur de actu sua natura successivo, vel iterabili, et hic testatur se hodie vidisse in tali loco v. gr. Titium, alter testatur, altero se die in eodem loco vidisse se Titium etc. vel si testatur hic, ex occisi domo turbatum exire se vidisse Titium, alter testetur vidisse se fugientem Titium, tertius testetur de occisi, et Titii longa inimicitia.

§. III. *An, et quando probent testes inter se contrarii?*

Nihil probant, si duo tantum producantur, et hi sibi invicem contrarientur in suis depositionibus (cum ut sic pro utraque parte contradictionis unus habeatur testis tantum) nisi alter testis in tantum praevaleret alteri dignitate, et vitae bonitate, ut iuramentum ipsi deferri posset a iudice in supplementum probationis, cum saepe non tam ad materiam, quam ad qualitatem testium attendendum sit, et hinc si plures testes producantur, quorum aliqui pro certo quodam facto deponunt, et contestantur, unus vero his contradicat, non evertit quidem hic plenam probationem a contestibus habitam, si omnes illi fuerint idonei testes, potest tamen hic unus, si multum dignitate emineat, multum minuere fidem illorum, ut iuramento suppletorio locus esse possit, *c. In nostra*, 32. *h. t.* ex quo cap. etiam habetur; quod in casu plurium pro utraque parte testium productorum iudex etiam attendere debeat ad qualitates depositionum, qui probabiliora, et vero similiora deponant, et in casu aequalium depositionum pro reo in favorabili causa sit pronuntiandum, et universim etiam dici potest, quod testibus nonnunquam pro una parte productis, qui contradicunt alterius partis testibus, plus credendum sit, veluti si testes unius partis sint melius informati. Secundo, si hi in specie deponant, cum alii tantum deponant in genere. Tertio si dicti sui rationem hi reddant, alii vero non. Quarto, si ab honestiore, et digniore persona producantur; illi vero n minus digna, et vili. Quinto, magis etiam creditur testibus affirmantibus, quam negantibus, si deponant super negativa ad locum, tempus, etc. quae cadunt sub sensum, coarctata.

§. IV. *An, et quomodo testes contraria deponentes sint conciliandi?*

Conciliatio haec testium dissidentium ad iudicem pertinet, qui ita interpretari eorum depositiones debet, si fieri possit, ut de diversis actibus

videantur testati fnisse, ad vitandam contrarietatem, et periurium, ut colligitur ex *c. Cum tu*, 16. *h. t.* (delictum enim non est facile praesumendum, aut puniendum *iuxta regul.* 2. *de Regulis iuris*) ita ut testes habeantur singulares, nihil sibi contradicentes, nisi manifesta sit contrarietas, *iuxta glossam in c. In nostra*, 32. *v. Adversa*, *h. t.* Debent autem testes dissidentes sic conciliari, etiamsi ex parte nna piures eornm sint, qnam ex parte altera, quia eadem militat ratio etiam in hoc casu, ita ut in significatione minus propria alterius dictum sumi nonnunquam possit, modo talis conciliatio sit probabilis, et non fiat ad effectum condemnationis in criminalibus, neque fiat circa actum non reiterabilem, etc.

§. V. *An probet testis varians, vel sibi ipsi contrarius?*

Testis variantis, qui in iudicio summario aut in negotio inquisitionis deposnit, si postmodum in iudicio plenario, et ordinario diversa deponat, super eodem facto, et coram eodem iudice, quamvis iuratus deponat, non valet testimoninm *arg. c. Per tuas*, 10. *De probat.* Cum enim veritatem se dicturum spoponderit, aut iuraverit, contraria autem vera esse non possint, merito de falsitate suspectum se facit, et nihil probat, si tamen in eiusdem iudicii instantia, et inter easdem personas, denuo examinatus testis contrarinm dicat ei, quod in alio examine prius dixerat, tum regulariter statur priori eius dicto, si ntrumque sit iudiciali iuramento firmatum, *Argu. cit. c. Per tuas*, et colligitur *ex c. Sicut*, 9. *h. t.* (Neque enim in potestate testis debet esse, parti pro qua prius deposuit, postmodum praeiudicare, et evertere per negationem ius, quod prius illi tribuerat) nisi in continenti dictum sunm revocet, et corrigat *c. Praeterea*, 7. *De testibus cogend.*, vel nisi probabilissimam rationem sui erroris afferat, si ex intervallo contrarium deponat; vel nisi prior depositio facta fuisset extra torturam, posterior in tortura, si personae sint tales, ut fides illis non habeatur extra torturam; vel posterius dictum variis praesumptionibus, et coniecturis adminiculatum sit; vel prius dictum in iudicio nullo, aut sine iuramento depositum sit, vel in causa haeresis contrarium dicat posterius, quam prius dixerat.

Qnod si vero contrarium dixerat testis extra iudicinm illi, quod in iudicio deposuit, regulariter standum est illo, quod in iudicio deposuit, non tantum vi iuramenti, sub quo in iudicio deposuit, cum extraiudiciale dictum sub nullo iuramento dictum fuerit, sed ad evitandas etiam periuriorum poenas, et ob reverentiam iudicii, nisi utraqne depositio iuramento firmata esset, aut prima, depositis multis coniecturis, et praesumptionibus adminicularetur, etc. qnamvis prius extraiudiciale dictum multum detrahat iudiciali depositioni, nt in tali casu iudex sententiam ferre non possit ad depositionem talem iudicialem.

SECTIO IV.

De prodnctione, et receptione testium, eorumqne examinatione.

§. I. *Quando producendi, et recipiendi sint testes?*

Ex dictis iam patet, regulariter quidem, et ordinarie producendos, ac recipiendos testes esse post litem contestatam, plures tamen esse causas, et

casus, in quibus produci, et recipi possunt testes etiam ante litis contestationem, prout tit. 6. dictum, et habetur etiam *c. Cum olim*, 34. *et c. Significavit*, 41. *h. t.* Possunt tamen casu quo tempore latae sententiae testes quidem adhibiti fuerunt, sed nullum super his instrumentum publicum confectum sit, petente eo postmodum, pro quo sententia lata est, implorato iudicis officio testes denuo vocari, audiri, et depositiones eorum instrumento publico in scripturam a notario redigi, prout sumitur ex *c. Albericus*, 42. *h. t.*

§. II. *Quoties testes produci possint, et an testes iam alias producti iterum reduci possint in eadem causa ?*

Regulariter non nisi tres productiones testium admitti possunt (ita ut iidem testes, si testificata non didicit producens, produci possint iterum super antiquis articulis, vel etiam novis *c. Constitutis*, 46. *h. t.*) ex causa tamen iusta, et cum solemnitate legali quarta etiam productio testium dari, et concedi potest *c. In causis*, 15. *et c. Ultra*, 55. *h. t.* ne scilicet per effrenatam testium multitudinem, et multam illorum depositionem lites nimium protrahantur, et ne periculum sit evulgandorum eorum, quae testes deposuerunt, aut subornationis alicuius; nisi prius quam tertia productio fiat, partes ulteriori productioni renuntiaverint: et quamvis quarta productio testium ex causa concedi possit a iudice, debet tamen pars petens quartam hanc productionem praestare iuramentum, quod attestationes testium nec suae, nec adversae partis, nec per se, nec per alios suppresserit, aut occultaverit, quod depositiones testium non exploraverit, nec perscrutatus sit (non obest tamen, obiter eas legisse tantum, aut referri audivisse, cum ex tali casu nulla videatur subornationis praesumptio posse oriri,) et quod hanc quartam productionem non petat malitiose, et dolose, etc. in quibus consistit solemnitas illa legalis, cuius meminerunt iura: qua supposita, si tamen cesset subornationis praesumptio, et partes non renuntiaverint ulteriori testium productioni, potest illa pars, quae petivit quidem ulteriorem productionem, cui tamen illa concessa non fuit sine iusta causa, a gravamine hoc, et sententia hac interlocutoria, quae vim definitivae habet, non tantum de iure canonico sed etiam de iure civili appellare, cum beneficium a lege indultum non sit alicui auferendum, *iuxta Reg. iuris* 17. *in* 6. prout deciditur etiam *in c. Significaverunt*, 36. *h. t.*

§. III. *Quomodo producendi, et recipiendi sint testes: et quomodo puniantur impedientes productionem, et receptionem eorum ?*

Ad testium validam receptionem debet pars, contra quam producuntur, citari, *c. In nomine*, 2. *h. t.* (ne videantur recepti tantum in favorem producentis, et in odium alterius partis absentis), ita tamen, ut pars adversa citari tantum debeat ad videndos testes, qui contra eam producuntur, et articulos super quibus producuntur, ac audienda eorum iuramenta, non tamen ad audiendas eorum depositiones, et dicta, quae secreto, et sigillatim a iudice coram notario recipienda sunt; et est haec citatio usque adeo necessaria, ut nullius momenti sint contra non citatum receptae attestationes, nisi iudex ex officio procedat per inquisitionem generalem, aut periculum

sit in mora, vel ratione causae, vel ratione testium alio arbitrorum, vel ratione probationum alias omittendarum; aut pars, contra quam producuntur testes, per se sit praescus, ita ut nulla citatio necessaria sit.

Qui vero testes impediunt, quo minus testimonium perhibeant veritati, aut ne producantur, et recipiantur, sunt excommunicandi, prout constat ex *cit. c. Constitutis*, 45. *h. t.* Et si qui iuraverint, testimonium se non daturos contra partem aliquam, hoc iuramento velut iniquo non obligantur, et compelli possunt ad testificandum, si attestationes nondum sint publicatae, nec renuntiatum productioni testium, *c. Intimavit*, 18. *h. t.* Debent autem testium attestationes sumptibus producentium fieri, cum regulariter sumptus ille praestare debeat, in cuius gratiam actus celebratur.

§. IV. *De examine testium, et in primis a quo sint examinandi?*

Examinandos esse a iudice, constat ex *authen. Ut defuncti, et cap. Illud etiam, novell.* 60. *iuncta gloss. v. Testibus.* Ita tamen ut possit iudex eorum, longe fortassis absentium, examen alteri committere; et depositiones descriptas sibi transmitti postulet. Prout habetur in *l. Iudices, cod. de fide instrum. et c. Constitutus,* 3. §. *Praeterea. De fideiuss. et c.* 2. *De iudic. in* 6. etiam extra iudicium recipiendos, et solum ministerium, sive nuda executio examinis post receptos, et approbatos iam testes committatur; nisi sint causae criminales, in quibus ipsemet iudex testes recipere, et examinare debet, ut si res exegerit, tormentis subiiciantur: vel nisi illi, qui in testes producuntur, sint personae privilegiatae, aut aegre venire possint ad locum iudicii, quibus, ut domi suae per submissas personas idoneas examinentur in causis saltem civilibus, conceditur, ut constat ex *l. Ad personas,* 15. *ff. De iureiurand. et c. Si qui testium,* 8. *h. t.*

§. V. *Quomodo examinandi sint testes?*

Non plures simul, sed singulos sigillatim, et secreto examinandos esse ex *c. Venerabili,* 52. *h. t.* constat (ad cavendum scilicet omne periculum, ne ex favore potius, quam veritate idem deponat aliquis, quod alter deposuit), et ex *c. Cum causam,* 37. *h. t.* patet, quod diligenter sint examinandi, non solum super negotio, seu causa principali, sed etiam de ratione, seu causa scientiae, de personis testium, et singulis circumstantiis; neque enim censetur scire, qui nescit rationem, seu causam reddere eius, quod asserit. Abstinendum tamen est non solum ab incongruis, et nihil ad rem facientibus interrogationibus, sed etiam a nimium exquisitis, considerata qualitate personae, quae examinatur, et semper moderari debet iudex nimiam testium multitudinem, ita ut non permittat ultra quadragenarium numerum testium multitudinem super uno, eodemque articulo excedere.

—

SECTIO V.

De publicatione attestationum.

§. I. *Quomodo facienda sit attestationum publicatio, et an pertineat ad substantiam processus? Item an attestationes receptae in uno iudicio publicandae sint, ut probent, et fidem faciant in alio iudicio?*

Examinatione testium facta, et postquam ulteriori productioni renuntiarunt partes, ad quam faciendam a iudice induci debent, debent attestationes in secreto receptae, utraque parte praesente, vel altera etiam absente, si citata tamen fuerit, et contumax declarata sit, publicari, non quidem quasi ad substantiam processus iudiciarii haec publicatio pertineat, et consequenter ipsius omissio nullam reddat sententiam latam (quia sine examinatione testium ex instrumentis v. gr. potest ferri sententia) sed quod necessario ex praecepto requiratur, ita ut si omissa sit, quamvis pars eam petiverit, iudex autem recusaverit, appellare pars illa possit: possunt tamen attestationes in priore iudicio receptae in altero iudicio, si super eadem causa, et super iisdem articulis, et inter easdem personas etc. fuerit, publicari (quia iuxta dicta etiam in alio iudicio fidem faciunt, et successor in iudicio idem quasi iudex cum priore censetur) et omnibus prosunt, quibus prodesse potest res indicata. Neque tamen receptae attestationes inter partes principaliter litigantes ad petitionem tertii intervenientis in iudicio publicari debent, etiamsi illius aliquo modo intersit (ne videatur praeiudicium aliquod partibus principaliter litigantibus inferri) quamvis si iuri suo velint partes cedere, publicatio fieri possit, prout colligi potest ex *cap. Constitutus*, 30. *h. t.*

§. II. *An attestationes receptae per arbitrum, et publicatae, fidem faciant, ac probent coram iudice ordinario, vel delegato?*

Resp. Probare, et fidem facere coram arbitris receptas attestationes, sicuti et alia acta iudicii instructoria causae, sive quae respiciunt factum, et merita causae etiam coram iudice ordinario, aut delegato, si testes mortui sint, vel si vivant adhuc, in optione partis litigantis est, contra quam testes producti fuerunt, an attestationibus habitis acquiescere velit, an maijt de novo audiri testes, prout deciditur in *cap. Praesentata*, 50. *h. t.* Quamvis enim acta coram arbitris stricto iure non debeant valere ut acta indicialia, cum arbitri tales nullam iurisdictionem habeant, quia tamen arbitria ad instar iudiciorum redacta sunt *l. 1. ff. De recept. arbitr.* manet etiam ex aequitate sua talibus attestationibus probatio, praesertim cum mortuis testibus, si eorum attestationes nihil probarent, perire saepius posset probandi facultas, et ius alterius periclitari. Haec tamen intelligi non debent de actis ordinariis litis, sive iudicii, quae pendent ab instantia iudicii, consequenter hac exspirante, debent illa repeti, nisi partes renuntiare possint, et velint.

§. III. *An post publicationem attestationum iidem testes, vel alii super iisdem articulis, vel contrariis produci, et recipi possint, vel non?*

Articuli, qui parti proponenti probandi regulariter sunt, alii dicuntur

antiqui, alii dicuntur novi, alii dependentes ab antiquis; antiqui dicuntur, qui iam ante propositi fuerunt in libello, super quibus, si testes legitime iam producti, et recepti fuerunt, ac attestationes publicatae, iam non amplius, aut alii admittuntur, ut ex dictis patet. Novi sunt, qui non sunt propositi, et ad causam motam sunt impertinentes, neque iuvant intentionem actoris, aut rei, qui articuli omnino reiiciuntur a iudice, neque super illis testes admittuntur ad probandum frustra, quod probatum nihil facit ad causam motam. Dependentes denique articuli ab antiquis sunt, et dicuntur illi, qui propositi, ac probati adiuvant causam, seu intentionem litigantis; qui facti quidem necessitate sub prioribus continentur, non tamen necessitate probationis, prout habetur in *cap. Cum Ioannes*, 10. *de fide instrument.* super quibus articulis nova probatio admittitur, nisi articulus talis virtualiter etiam quoad probationem contineretur in antiquis, ut sic enim antiquus censeretur, et nulla nova illis probatio post publicatas legitime attestationes admitteretur.

Inter contrarios vero articulos ea est differentia, ut alii dicantur directe contrarii, alii indirecte: directe contrarii dicuntur, qui directe adversantur articulo a producente per testes probato, et super his probatorii testes post legitime publicatas attestationes non admittuntur, ob periculum fraudulentae alicuius subornationis. Indirecte contrarii dicuntur, qui testium depositioni ad certas circumstantias articulum litigantis restringenti adversantur, et sic indirecte etiam articulo per testes tales probato: super quibus admittuntur testes reprobatorii etiam post publicationem attestationum, prout sumitur ex *c. Ex tenore*, 35. *h. t.* Cum per hanc restitutio illa primum innotescat. Vide plura de his apud auctorem Method. hoc, et sequenti §. in quo quaeritur: quando, et in quibus casibus etiam post publicatas attestationes iidem, vel alii testes super iisdem, vel directe contrariis articulis denuo produci, et recipi possint?

SECTIO VI.

De exceptione contra testes, et eorum reprobatione.

§. I. *Quomodo, et quando excipiendum sit contra testes?*

Contra testes possunt triplicis generis exceptiones opponi. Primo contra personas testium, quod vel omnino, vel ratione causae ad testimonium dicendum sint inhabiles, ut supra dictum. Secundo, contra examen testium, quod non sit legitime factum, vel ex defectu iurisdictionis ab incompetente iudice, vel quod producti, et recepti fuerint testes ante litem contestatam; quod admissi fuerint parte non citata; quod post tertiam productionem recepti fuerint, sine solemnitate legali; quod recepti fuerint post percepta testificata; quod recepti fuerint post conclusionem in causa, aut post renuntiationem ulterioris productionis; quod recepti sint non iurati simul, ac non seorsim, et secreti, et de quibus omnibus iam actum in superioribus c. h. t. Tertio excipi potest contra ipsa testium dicta, et depositiones, et quidem variis modis, prout iterum ex dictis patet.

Quando autem excipiendum sit, si quaeratur? Respondetur primo, contra personas testium opponi debent regulariter exceptiones, priusquam eorum

attestationes sint publicatae (ne videantur ex odio magis factarum attestationum reprobari) ita tamen, ut a communi regula tres casus excipiat *c. Praesentium*, 31. *h. t.* Primo scilicet, si excipiens post publicationem attestationum iuret, quod malitiose non agat excipiendo. Secundo, si citatus adversarius ad videndum testes contra se productos cum protestatione sibi reservavit facultatem excipiendi contra eorum personas. Tertio, si probaverit (saltem per iuramentum proprium) quod ea, quae opponere vult contra testes, post publicatas attestationes primum didicerit. Quae tamen omnia intelligi debent de testibus non absolute, et simpliciter inhabilibus, contra quos semper, etiam post publicatas attestationes excipi potest, sed de testibus secundum quid inhabilibus, quorum depositiones subinde admittuntur.

§. II. *De depositione testium, qui producti sunt, ad probandam exceptionem dilatoriam, vel peremptoriam super causa principali.*

Testes producti ad probandam exceptionem dilatoriam tantum, quam reus contra actorem proponit, non possunt cogi, nec admitti debent, ad testimonium ferendum super causa principali, cum tantum iuraverint, veritatem se dicturos super exceptione dilatoria, *cap. De testibus*, 29. *h. t.* et eorum depositio magis tendat ad impediendum caeptum negotium, quam ad prosequendum. Si vero producti sint super exceptione peremptoria probanda, tunc petente adversario, ut etiam super causa principali deponant, iurare debent, et cogi possunt, ut iurent, super toto negotio se veritatem dicturos, quia simul procedi potest super exceptione peremptoria, et super causa principali.

§. III. *An, et quando exceptio opposita contra testes impediat eorum restitutionem, vel non?*

Ordinarie non impedit receptionem, et examinationem testium, si a reo contra testes adversum se productos excipiatur, sed quaestio de illorum inhabilitate in finem litis reservari potest, (fortassis in progressu apparebit, nihil horum depositionibus opus esse ad sententiam ferendam, et consequenter frustra de eorum inhabilitate litigaretur) nisi testi obiiceretur notorius defectus, sive crimen publicum, et manifestum, vel tale, quod in continenti statim probari potest talis enim exceptio impedit talis testis receptionem, et examinationem, neque in finem reservari debet, uti patet ex *c. Ex parte*, 7. *h. t.* vel contra quem opponitur exceptio, pugnet etiam praesumptio iuris, aut opponatur, quod sit capitalis inimicus eius, contra quem producitur; quod sit excommunicatus vitandus, quod sit periculum, ne postea non possit examinari etc.; multi tamen docent, quod sit in arbitrio iudicis, utrum velit exceptiones contra personas testium reservare in finem litis.

§. IV. *An, et quomodo licitum sit reprobare testes?*

Quod liceat testes probatorios super causa principali productos reprobare, et horum reprobatorios iterum reprobare, non autem reprobatorios hos reprobatoriorum ex *c. Licet dilectus*, 49. *h. t.* patet, ne partibus litigantibus, ut ait pontifex, detur occasio, negotium et litem diutius protrahendi. Et quamvis hoc capitulum tantum loquatur de personis testium, quod taliter

reprobari possint, intelligi tamen etiam debet de probandis dictis, sive depositionibus testium, cum sit par ratio: neque impedit etiam, quominus testes reprobatorii ulterius reprobari possint per instrumenta, quia solum prohibetur tertia fieri reprobatio per testes, quo in casu magis periclitatur causa de inutili prolongatione, quam impeditam vult *cit. cap.* Modus autem servandus in reprobatione testium probatoriorum, et reprobatoriorum potissimum consistit in eo, quod delicta, sive defectus, qui testibus obiiciuntur, specifice exprimantur, et probentur, et iuramentum praestet opponens, quod non malitiose procedat *c. Praesentium*, 2. §. *Testes h. t. in* 6. ad omnem praesumptionem elidendam, quae in altera praesertim reprobatione intervenire posset. Et quamvis ipse producens non possit testes a se productos reprobare, nisi inimicitiae graves inter producentem, et testes intervenissent, vel alia nova causa emerserit, potest tamen eorum testimonia reprobare, si videat pro suo potius adversario deponere eos, aut in dictis suis non convenire: cum producendo has personas in testes, pro testibus eas quidem approbaverit, non tamen eorum dicta, quae tum adhuc nescit.

TITULUS XXI.

DE TESTIBUS COGENDIS, VEL NON.

§. I. *Quando, et in quibus causis, ac quomodo testes compelli possint ad ferendum testimonium.*

Possunt ordinarie de utroque iure, si rogati, vel vocati testimonium ferre nolint, sine rationabili causa excusante, compelli a iudice, et cogi sub interminatione etiam censurae, aut mulctae pecuniariae in causis pecuniariis, seu civilibus, ad testimonium perhibendum, ob publicam scilicet necessitatem, et utilitatem. Uti habetur in *l. Si quando*, 19. *et authent. sequente cod. De testibus, et c. Causam*, 1. *et c. Cum super*, 2. *et c. Caeterum*, 6. *h. t.* (ob praesumptionem mali doli, nisi alia praesumptione haec ipsa elidatur) nisi specialiter ab hac coactione excepti essent, non quidem ob iuramentum, quod fortassis de non testificando contra aliquem illicite fecerunt, sed ob alias causas, uti paulo post dicetur.

§. II. *An, et quando testes cogi possint, ad ferendum testimonium in causis criminalibus?*

Spectato iure canonico nec laici coguntur ordinarie ad testimonium dicendum in causis criminalibus, quando directe agitur ad vindictam publicam (quamvis multi teneant contrarium) prout probari posse videtur ex *c. Dilectorum*, 10. *h. t. iuncta gloss. v. Super criminibus*, ob periculum scilicet gravium odiorum, et peccatorum ex tali testificatione timendorum, ac incurrendae irregularitatis; quae ratio multo magis probat, quod de criminibus occultis, ut testimonium ferat, nemo cogi possit, de quo ex indiciis nulla publica suspicio est, aut infamia praecessit, nisi crimen esset valde periculosum, et perniciosum etiam in futurum; aut veritas aliter sciri non posset, cum praeiudicio reipublicae, *c. Pervenit*, 5. *h. t.* aut malitiose se subtrahant testes, vel malitiose impediantur *c. Super eo*, 3. *et c. Cum contra*, 9. *h. t.* aut

si de crimine agatur per modum inquisitionis, ne indignus v. g. ad beneficium promoveatur *c. Super his*, 8. *h. t.* aut si agatur per denuntiationem charitativam, ad impediendum peccatum, vel ad tollendum animae periculum; aut si testari quis debeat ad innocentiam illius, qui reus habetur, ostendendam; aut si agatur de crimine conspirationis subditorum contra praelatum suum *c. Venerabilis*, 11. *h. t. etc.*

§. III. *De personis privilegiatis, quae ad ferendum testimonium cogi non possunt.*

Plures sunt eiusmodi privilegiatae personae, quae ordinarie ad testimonium ferendum non coguntur, senes scilicet, qui maioris sunt 70. annis; valetudinarii, qui morbo detinentur, ne in iudicii locum venire possint (quamvis *gloss. in c. Si qui*, 8. *de testibus v. Valetudinarii*, putet, mittendum ad hos notarium, qui scripto eorum testimonium excipiat; consulatur, et servetur hac in re consuetudo); milites qui in expeditione bellica sunt; sacerdotes, et universim clerici omnes qui a saeculari iudice cogi non possunt, in ulla causa, ad ferendum testimonium, cum nullus clericorum, coram seculari iudice absque licentia sui ordinarii, iurare possit, neque facile cogi possunt, ut coram ecclesiastico iudice contra ecclesiam suam testentur etc. Quod si tamen veritas aliter haberi non possit, aut probetur utilitas publica talium etiam testimonium requirere, vel probetur, quod malitiose se, ex odio, favore, aut timore etc. partis subtrahant, cogi possunt ad testificandum, iuxta morem, et consuetudinem illius tribunalis.

TITULUS XXII.

DE FIDE INSTRUMENTORUM.

§. I. *Quid, et quotuplex sit instrumentum.*

Instrumentum, prout hic de eo sermo est, dici potest quaelibet scriptura, ad alicuius rei assertionem, vel probationem facta; horum instrumentorum alia sunt publica, alia privata. Instrumentum publicum dicitur illa scriptura, quae publica auctoritate, sive a publica persona, qualis censetur esse notarius, legitime ac cum debitis solemnitatibus confecta est, sive in iudicio, sive extra iudicium; vel si a publica persona confecta non sint, quoad effectum tamen probandi publica dicuntur, uti sunt acta iudicii, iudicis auctoritate confecta, scripturae illae, quae ex archivio publico, sive cancellaria extrahuntur, scripturae publico aliquo, et authentico sigillo signatae, episcopi v. g., principis secularis, capituli, civitatis, vel alterius communitatis ius sigilli habentis; scripturae privatae quidem, quae tamen interveniente auctoritate magistratus, aut iudicis publicantur; et scripturae denique subscriptione scribentis, et trium vel duorum testium munitae etc. quae scripturae omnes auctoritatem eam habent, ut fidem faciant etc. dummodo in eis defectus nullus fraudis suspicionem generans appareat, et ob hoc authentica dici possint, non tamen omnis authentica scriptura etiam publica est, nisi in latiore aliquo sensu τό publicum accipere velis. Quae autem publica propria scriptura est a notario confecta, iterum duplex est, alia vocatur protocollum, quae

summaria, succincta, seu brevis actus gesti est annotatio, memoriae causa facta; alia vocatur transumptum, videlicet instrumentum authenticum, et originale, ex protocollo desumptum, in legitimam formam cum debitis solemnitatibus redactum, plenam rei gestae expositionem continens. Et quae ex his originalibus instrumentis describuntur, exempla sive copiae instrumentorum dicuntur. Privata vero instrumenta, quae domestica etiam dicuntur, et a privatis tantum personis, non autem a notario confecta dicuntur, authentica sunt, vel non authentica. Authentica dicuntur illa, quae testium subscriptione, aut sigillo, eoque recognito, et approbato, vel alio legitimo modo, munita sunt, ita ut plenam fidem faciant. Non authentica dicuntur illa, quae his adminiculis carent, uti sunt rationes privatae, inventaria privata, seu registra, apochae, antapochae, epistolae privatae etc.

§. II. *Quomodo conficiendum sit instrumentum publicum?*

Plures sunt solemnitates ad hoc requisitae. Primo requiritur divini nominis invocatio; cuius tamen omissio, saltem de iure communi scripto non vitiat instrumentum, cum nullus iuris textus habeatur, expressionem hanc requirens; servanda tamen est communis consuetudo. Secundo requiritur, ut ponatur in instrumento annus nativitatis Domini currens eo tempore, et apponatur insuper indictio (cuius inveniendae specimen auctor Method. hoc loco tibi suggeret) et post indictionem, mensis ac dies confecti instrumenti, et nonnunquam etiam hora diei addatur; nomen quoque, et annus imperatoris regnantis in terris imperii, aut supremi illius principis, qui superiorem in suis terris non agnoscit, exprimatur; apponatur etiam locus castri, vel civitatis, domus etiam, et hypocausti, vel atrii, ubi contractus v. g. super quo conficitur instrumentum, celebratus est, (quamvis iuxta aliquos haec tam specialia, et minuta non requirantur, servanda tamen iterum consuetudo. Tertio requiritur, ut duo vel tres testes actui illi, seu confectioni instrumenti adsint, vocati ad hoc, et rogati, saltem in certis quibusdam casibus, quorum nomina instrumento inserantur, ut appareat, per quos de veritate, si dubium oriatur, constare possit. Et quamvis necessarium non sit, ut nomina sua subscribant testes, notarius tamen suum pronomen, et cognomen subscribere debet, et simul exprimere, quod ab eo, vel ab illis, ex quorum consensu actus hic dependet, rogatus ad hoc fuerit. Quarto denique requiritur, ut instrumentum scriptum coram partibus legatur (si tamen contractus ratio scripturam exigit) atque solemne notarii sigillum apponatur, quod quidem de iure non requiritur, ut plura alia consuetudo tamen iubet, quae in hac instrumentorum materia multum valet.

§. III. *De notario conficiente instrumenta publica.*

Ut autem legitimam auctoritatem habeat notarius publica talia instrumenta conficiendi, debet vel a supremo principe aliquo, qui in temporalibus superiorem non agnoscit, vel ab aliquo speciale privilegium habente creandi notarios, notarius esse constitutus, vel debet hoc ipsi ab immemoriali consuetudine competere (quamvis hodierna consuetudine inferiores etiam magistratus aliqui in suis territoriis notarios constituere possint) ita tamen, ut

sit talis legitimo matrimonio natus; liber sit, et non servus; ut sit peritus iuris (quamvis ad hoc officium non requiratur gradus iuris); ut sit laicus (neque enim clericis saltem iu sacro ordine constitutis convenit esse, saltem in rebus saecularibus notarios); qui tam in rebus ecclesiasticis, quam temporalibus notarii officium exercere potest, quia exercet nudum ministerium sine omni iurisdictione; ut non sit publice excommunicatus non toleratus etc. non potest tamen extra territorium constituentis instrumentum fidem faciens conficere (quamvis intra territorium constituentis possit etiam pro extraneis, si rogatus ab his fuerit, instrumentum conficere, extra territorium constituentis fidem etiam faciens) cum officium publicum intra terminos regionis illius restringatur, ubi confertur, et extra illud territorium non iam sit persona publica, sed privata; servanda tamen est hac etiam in re recepta consuetudo, quae potestatem etiam notarii extra territorium constituentis extendit, intra partes volentes.

§. IV. *Quam vim probandi habeant instrumenta publica?*

Originale instrumentum, legitime confectum plene probat, et plenam fidem facit de illis, quae dispositive in eo continentur, non tantum pro proferente tale instrumentum, sed etiam contra proferentem *c. 1. et 2. h. t.* ob praesumptionem, quam pro se habent talia instrumenta, quin etiam protocollum, si notarii manu scriptum sit, ex rogatione partium plenam fidem facit de actis, quae ex eo plene intelligi possunt (quia matrix quasi est, seu archetypum, ex quo extrahitur instrumentum, et nisi actus ad sui substantialem perfectionem scripturam requirat, ante instrumenti perfectionem nondum perfectus) ita quidem, ut si dubium occurrat in instrumento, quod ex protocollo solvi possit, standum sit protocollo; et si fortassis notarius qui protocollum confecit, ante instrumenti confectionem mortuus sit, possit, si partes consentiant, alius notarius cum auctoritate iudicis ordinarii instrumentum ex relicto protocollo conficere, ut constat *ex c. Cum P.*, 15, *h. t.*

§. V. *Quam vim probandi habeant exempla desumpta sex extracta ex originali instrumento.*

Regulariter tales copiae sine originali non probant, *c. Si scripturam*, 1. *h. t.* Potest tamen si auctoritate iudicis ordinarii, vel delegati ex iusta causa ad petitionem partium a publica persona, et citatis illis, quorum interest, ex originali transumptum est (vulgo vidimus dictum) eandem vim probandi habere, quam habet originale *c. Si instrumenta*, 15. *h. t.* Si tamen testetur transcribens notarius, quod originale nulla sui parte fuerit vitiatum; neque tamen semper auctoritas iudicis intervenire debet in tali exemptione instrumentorum, prout fit in casu, quo ex utriusque partis consensu, et rogatu notarius tale exemplum conficit; vel si ab eodem notario sit exemplatum, qui originale conficere iussus fuerat; vel quando propter antiquitatem exemplo plene fides adhiberetur, etiamsi non constet, quod supra dicta requisita in eo observata sint, vel denique si inter acta iudicii, et processus descriptum ex originali apud iudicem reperiatur, secundum integrum illius tenorem productum, et collatum a notario etc.

§. VI. *An probent, et quam fidem faciant instrumenta, seu scripturae privatae?*

Scriptura privata, quae manu propria quidem scribentis scripta, vel subscripta est, nulla tamen testium subscriptione, sigillo, aut alio adminiculo est munita, nihil probat, *l. Instrumenta*, 5. *cod. de probat.* Cum non sint authenticae tales scripturae: immo nec eae scripturae, quae testium subscriptione munitae sunt, in iudicio exhibitae, si testes in illis scripti decesserint, probant aliquid, nisi manu publica notarii verb. gr. confecta sint, aut authenticum sigillum habeant, per quod probari possit, prout scribit *Alexand. III. in cap. Scripta*, 2. *h. t.* et si syngrapham talem, vel apocham neget aliquis a se scriptam, vel subscriptam, nihil probat contra illum, nisi aliunde probetur ab eo scriptam, vel subscriptam fuisse. Si vero agnoscat scripturam talem aliquis a se scriptam, vel subscriptam, non probat quidem in favorem scribentis, sive pro scribente, neque in alterius cuiusdam praeiudicium, ob periculum fraudis, quod subesse potest; contra ipsum tamen scribentem, si causa debendi v. gr. expressa in illa sit, plene probat, quia suae propriae confessionis quivis acquiescere debet, non autem si causa debendi non sit expressa, uti colligitur ex *l. Scripturas*, 11. *cod. Qui potiores in pign. sint.* Quod idem de cautione, sive promissione censendum est, nullam scilicet ab ea obligationem, aut actionem produci, si causa expressa non sit, ob quam promissio talis facta est *c. Si cautio*, 14. *h. t.* Cum obligatio non oriatur, nisi ex titulo, qui si expressus non sit, ut illius habeatur confessio, nec probari potest, non valet quidquam talis cautio in praeiudicium alicuius, cum per errorem facta censeatur talis promissio, nisi in donatione a divite pauperi facta, vel ob praecedentia merita v. gr. praesumi posset donatio facta, causa etiam non expressa; vel facta fuisset promissio talis loco pio, ob favorem piae causae etc., vel confessio mere liberatoria esset, facta ab eo, qui remittere debitum potest; vel confiteatur aliquis, rem talem suam non esse, aut sit geminata confessio, vel conditionata, vel facta fuerit in ultima voluntate etc., in quibus uti et pluribus aliis casibus nulla requiritur expressio causae ad valorem promissionis, donationis, aut confessionis factae etc.

Quod si tamen testes producti de tenore scripturae privatae, sive de contentis in ea deponant, duo sufficiunt ad plenam probationem, etiam non subscripti. Si vero deponant non de contentis in scriptura, sed praecise de facta ab his partibus scriptura, aut facta subscriptione, tres testes esse debent (ad cavendum melius omnem errorem) sive masculi illi sint, sive foeminae, et ut probent aliquid, quod ipsis praesentibus, ac videntibus scriptura haec a partibus scripta, vel subscripta fuerit, nisi fortassis ex authenticis scripturis aliis haec appareat cum illis ab eodem scriptis comparata, similitudinem habere, aut ipse partes a se scriptam, aut subscriptam talem scripturam recognoscant, et fateantur, quibus in casibus in priore quidem semiplena fides ex comparatione tali habetur, in posteriore vero, plena fides tribuitur taliter confessis contra scribentem; quamvis aliqui probabilius velint,

non omnem, qualem scilicet fidem comparatio talis, vel confessio talis faciant, prudenti iudicis arbitrio, spectatis circumstantiis relinquendum.

§. VII. *An, et qualiter probent scripturae privatae in specie?*

Privatae scripturae tres sunt species, apocha, et antapocha, rationes, sive liber rationum, et epistola. Apocha, sive ut vulgo appellatur quetanlia, *Quittung*, qua creditor fatetur, sibi solutum a debitore debitum; et antapocha, sive scriptura, qua debitor fatetur, tantum censum v. gr. se solvisse, quantum debebat, quae creditori a debitore datur, sicut illa debitori datur a creditore contra scribentem, aut subscribentem confessum plene probat, aliis tamen praeiudicium nullum facit, ut dictum, ad cavendas multas fraudes; si autem pars neget, se scripsisse, aut consensisse in scriptam ab alio per comparationem literarum, aut testium praesentium depositionem, iuxta dicta, fides probari, et decidi debet, quae literarum comparatio, aut testium depositio, in eo etiam casu requiritur, quo testes non autem partes, scripturae tali subscripserunt, nisi scriptura talis ex publico archivio; vel ex cancellaria producta fuisset, quo in casu sine aliis adminiculis plena fides tali scripturae haberetur.

Liber rationum, seu rationes privatae regulariter non probant plene pro scribente sine aliis adminiculis, seu praesumptionibus, quia alias quilibet sibi probationem parere posset, scribendo debitorem in his rationibus, quem voluerit, contra scribentem tamen regulariter probat, quia confessio est a parte producente facta, et ab altera parte iam praesente approbata. Pro tertio tamen, aut contra tertium ordinarie nihil probat, nisi talium rationum sint socii, aut sermo sit de rationibus mercatorum; quorum libri, suppositis certis circumstantiis, ex recepta in pluribus locis consuetudine, in foro mercatorum, quoad negotiationes, et commercia etiam plene probant.

Epistola, sive literae missivae, regulariter pro scribente non probant, fidem tamen aliquam faciunt contra scribentem, si constet ab illo scriptam fuisse, et ab eo cui mittitur acceptatam fuisse; contra tertium tamen regulariter nihil probat ob rationes iam saepius allatas.

§. VIII. *Quantum fidem faciat, seu quam vim probandi habeat sigillum scripturae, seu literis appositum?*

Sigillum, quo scripturae tales muniuntur, duplex est, publicum scilicet quod publica auctoritate magistratus alicuius, vel communitatis apponitur. Et privatum, quo uti solet privata persona pro suis negotiis, et literis expediendis. Publico sigillo si instrumentum aliquod munitum sit, plena fides huic habetur in rebus ad iurisdictionem, aut officium tale sigillum apprimentium spectantibus, *cap.* 2. *h. t.* Neque tunc alia recognitio necessaria est, cum de sigillo authentico magistratus constet: et hoc quidem ex recepta consuetudine: spectato tamen iure communi probabilius est, quod literae taliter signatae in praeiudicium alterius non plene probent, nisi in causis levioribus, quia periculum est, ne tam facile inducatur aliquis ad falsum signandum, quam ad falsum dicendum.

Quod si literis talibus, seu scripturae privatae proprium tantum perso-

nae privatae sigillum appositum sit, in praeiudicium quidem apponentis plenam fidem facit, etiam sine alia subscriptione aut propria', aut testium (quia non minus sigillo, quam subscriptioni credi potest) si tamen sigillum tale ut proprium sigillantis recognoscatur, aut probetur, vel saltem si in literis non exprimatur, cuius sit, ex coniecturis aliis, aut circumstantiis hoc colligi possit: non autem in praeiudicium tertii, cum non possit maiorem fidem facere, quam simplex unius testis testimonium, qui in praeiudicium tertii non plene probat: et hinc quamvis duorum virorum omni exceptione maiorum, si sigilla eorum apposita sint, talibus literis plenam fidem facere possint in praeiudicium tertii, non minus, quam duo testes, si sigilla sua hi recognoscant, et approbent, securius tamen erit, a sigillante subscriptam esse scripturam talem, aut suos characteres, et literas habere sigillum, quo facilius recognosci possit.

§. IX. *De productione instrumentorum.*

Instrumenta potest utraque pars producere, ordinarie non tantum post litem contestatam, sed etiam post publicationem attestationum, donec in causa conclusum sit *c. Cum dilectus*, 9. *h. t.* Neque enim in tali productione instrumentorum, post publicationem attestationum factam, periculum est alicuius subornationis, sicut esset, si liceret adhuc testes producere; mirum ergo non est, hoc esse prohibitum, non autem illud: post conclusionem vero in causa instrumenta produci non posse amplius, ipsa natura conclusionis facit, quae est renuntiatio saltem tacita omnis ulterioris probationis, nisi in certis casibus ubi etiam saepe post sententiam admittitur probatio per instrumenta, si ita iudici ex officio expedire videatur; si post conclusionem in causa primum reperta sint, et iurare velit pars producens, quod nulla negligentia in illis prius inquirendis intervenerit, ignorata tamen fuerint; si producantur ad innocentiam rei in causa criminali probandam; si parte adversa praesente, et nihil contradicente instrumentorum productio recipiatur; si a sententia fuerit appellatum, quo in casu instrumenta produci possunt post sententiam in iudicio appellationis, quorum productioni in priore instantia obstabat conclusio in causa; si producatur instrumentum non ad probandum, sed ad priores probationes tantum declarandas; et generaliter quandocumque aliqua iusta causa iudici subesse videtur. Potest tamen etiam iudex, ante conclusionem in causa certum tempus partibus statuere, ad lites abbreviandas, intra quod instrumenta sua producere debeant.

§. X. *De editione instrumentorum.*

Si instrumenta communia sint utrique parti litiganti, et ea pars aliqua exhibere petat, iudex tamen hoc non curet fieri, ab eo licite appellatur, et quidquid post appellationem attentatum fuerit, non valet *c. G. perpetuus*, 12. *h. t.* Cum per talem denegationem pars adversa iniuste gravetur, prout etiam ex dictis, et ex dicendis patebit. Quod si tamen pars litigans ad fundandam suam intentionem, aut exceptionem, privilegium aliquod, aut instrumentum allegat, non cogitur quidem illud apud acta iudicii deponere, debet tamen iudici totum illud ad videndum, et informandam mentem exhibere *c. Cum*

personae, iuncta gloss. v. Integraliter, De privilegiis in 6. et ad legendum coram parte praesente saltem illud capitulum exhibere, de quo est quaestio, prout habetur in *cap. Contingit*, 5. *h. t.* nisi omnia in illo instrumento contenta a se invicem dependeant, quia in tali casu talis causa discuti non potest, nisi omnia in instrumento contexta examinentur.

§. XI. *De variis exceptionibus, quae contra instrumenta opponi possunt.*

In genere dici potest, quod exceptiones contra instrumenta, vel desumantur a causa efficiente, ut quod non a legitima auctoritate confecta sint; vel a causa materiali, ut quod sint de re illicita; vel desumantur a causa formali, ut quod desit substantialis aliqua solemnitas etc. In specie vero contra instrumentum opponi potest, primo quod falsum contineat, *cap. Accepimus*, 5. *h. t.* (quo in casu exhibendum tale instrumentum iudici in loco securo, et intra tempus praefixum a iudice, ut de falsitate hic cognoscat, quae non inspecto instrumento sciri non potest) ita ut si ex una tantum parte sit falsum, totum suspectum reddatur, nisi falsitas subsit articulo prorsus diverso, et separato ab aliis nihil connexis cum illo falso, utile enim per inutile vitiari non debet *iuxta regulam* 87. *in* 6. Secundo opponi potest, quod sit vetustate consumptum, cancellatum, vel deletum, ut legi amplius non possit, vel non debito modo signatum, vel alio modo vitiatum, ut merito suspicionem falsitatis inducat, prout constat ex *c. Licet*, 5. *de crimin. falsi*, et ex *c. Inter dilectos*, 6. *h. t.* ubi plures eiusmodi exceptiones contra instrumenta afferuntur. Tertio, opponi multa possunt contra sigillum instrumento appositum, quod enormiter fractum sit, seu sculptura, et imago deleta, ita ut ex parte residua non possit satis colligi, cuius sit, neque ex imagine, neque ex literis circumsculptis non amplius legibilibus; quod figura dignitati sigillantis non conveniat; quod regem potius, quam pontificem referat, cum tamen huius esse prohibeatur; quod per testes probari possit furtivum illud esse, aut factum ad imitationem veri sigilli; quod sit ignotum *cap. Quod super*, 7. *h. t. etc.* cui fidem haberi non vult pontifex in *relato cap.*

§. XII. *Quando vitietur instrumentum ob rasuram in eo factam, vel ob errorem in eodem commissum a scriptore?*

Vitiari instrumentum ob lituram, seu rasuram, vel interlineaturam in parte substantiali, aut loco suspecto, ex quo maxime veritas apparere deberet, apparentem, ita ut ei fides habenda non sit, ex *cit. c. Inter dilectos* §. *Instrum.* habetur, et expressis in *c. Cum venerabilis*, 7. *iuncta glossa*, *v. Propter praedicta*, *de religiosis domibus.* Si vero rasura, vel deletio facta sit in parte non substantiali, aut loco non suspecto (quando sine eo res tota subsistit) non vitiatur instrumentum *c. final. de crim. fals. et c. Ex litteris*, 3. *h. t.* Quin etiam in loco scripturae substantiali, et suspecto, non semper rasura vitiat instrumentum, si clare appareat ex scriptura, quod ipsemet notarius sua manu in loco raserit aliquid, aut superscripserit, et huius ad finem instrumenti mentionem faciat; si ex antecedentibus, et consequentibus appareat, ita loquendum esse, prout rasura, aut verbum superscriptum indicat; si per aliam scripturam authenticam pars in instrumento rasa intelligi

possit; si penes adversarium fuerit instrumentum, in quo, cum exhibetur, rasura apparet; praesumitur enim in tali casu rasura facta ab adversario, et consequenter illi, pro quo producitur, nihil praeiudicat etc. Quod si incuria scriptoris instrumentum contineat errorem aliquem, aut vocis integrae omissionem, quae tamen ex aliis facile colligitur, non vitiatur instrumentum tale, cum de intentione instrumentum conficientis satis constet, neque in tali casu praesumptio fraudis alicuius locum habet.

§. XIII. *An probent, ac fidem faciant instrumenta inter se contraria, ab eodem, vel a diversis producta?*

Producens instrumenta, sive scripturas inter se contrarias in iudicio contra suum adversarium nihil probat, sive scripturae illae publicae sint, sive privatae, sive una publica, et altera privata, sive directe sibi invicem contrariae sint, sive indirecte; cum enim producens instrumenta censeatur ea omnia, quae in illis continentur, vera esse fateri, quod fieri non potest *c. Imputari*, 13. *h. t.* Si tamen contraria instrumenta producantur a diversis partibus, tum fides habenda est scripturae digniori, publicae scilicet et authenticae, prae privata non authentica, quae testibus, vel aliis adminiculis munita est; quae magis caret suspicione falsi, et magis negotio convenit, *iuxta gloss. in cit. cap. Imputari, v. Scripturas:* Si vero contrariae tales scripturae paris omnino sint auctoritatis, et omnino aequales, tum absolvendus est reus, quia actore non probante absolvitur reus, etiamsi nihil ille probaverit. Si tamen contrarietas talis per commodam explicationem tolli possit, fieri debet, quomodo possit scilicet valere tale instrumentum, et cavere, ne pereat.

§. XIV. *An, et quomodo instrumenta reprobari possint per testes?*

Si testes omnes in instrumento scripti, aut subscripti contradicant illi, asserentes vel non esse ita actum, prout instrumentum asserit, vel se non interfuisse, cum instrumentum conficeretur etc., reprobum, et falsum redditur instrumentum, nisi testes tales convincantur, *cap. Tertio*, 5. *De probat. et c. Tam literis*, 33. *De testibus.* Cum enim per testium inscriptorum, aut subscriptorum fidem instrumentum firmetur, consequenter si hi negent, subscripsisse se, aut fuisse praesentes, dum instrumentum conficeretur, aut contractus fieret, nulla fides tali instrumento habenda est, si vero non omnes negent, aut contradicant instrumento, sed tantum aliqui, aliis tamen pro valore instrumenti stantibus, sufficiunt ad valorem instrumenti sustinendum, si duo omni exceptione maiores pro illo stent, quamvis plures sint contrarii, cum enim numerus sufficiens, et legitimus testium pro instrumento adsit, non debet reprobari per aliorum supervacaneorum testium contradicentium depositionem, nisi multum excederet numerus testium reprobantium numerum duorum affirmantium; multum tamen in re hac controversa iudicis arbitrio tribuendum.

Sufficiunt tamen etiam duo testes tantum in instrumento non inscripti, neque subscripti, ad reprobandum publicum instrumentum, quamvis directe contra contenta in instrumento non deponant, modo contra instrumentum deponant, ostendendo illius falsitatem, eo quod notarius v. g. aut pars con-

trahens, aut testis inscriptus etc., alibi fuisse probetur eo tempore, quo confectum fuit instrumentum. Et quamvis notarii auctoritas duobus testibus aequivaleat, intelligi tamen hoc debet de notario viva voce deponente, non autem de notarii mortua voce in instrumento.

Quod si autem testes non inscripti, neque subscripti instrumento deponant contra contenta in instrumento, quod ab alia parte pro se producitur, iudicis arbitrio relinquendum, num maior fides, variis consideratis circumstantiis, instrumento, an duobus, vel tribus testibus contra contenta in illo deponentibus habenda sit; prout colligitur ex *c. Cum Ioannes*, 10. *h. t.*

§. XV. *Utrum fides sit adhibenda constitutioni Extravagantis papae, quae allegatur in iudicio, si de ea dubitetur, an sit decretalis authentica?*

In *c. Pastoralis*, 7. *h. t.* statuitur, ut tali Extravaganti, quae in corpore iuris contenta non est, si iuri communi sit consona, fides habeatur, et secundum eam pronuntiet iudex, cum in tali casu sententia iudicis non tam auctoritate Extravagantis talis, quam iuris communis nitatur. Si vero sit iuri communi consona, non iudicet secundum eam, sed Superiorem, papam scilicet auctorem constitutionum Extravagantium prius consulat, cum merito de illius fide dubitetur, quae sub legitima forma non exhibetur.

§. XVI. *De interpretatione, renovatione, et amissione instrumentorum.*

Instrumenta stricti iuris, et consequenter non extendenda ultra contenta, de quibus notarius rogatus est, et quibus ipse interfuit, passim docetur ab auctoribus, qui tamen etiam fatentur, ad successores etiam particulares extendi posse, atque non minus pro, aut contra hos fidem facere, atque pro, et contra auctorem.

Si periculum sit, ne pereant, aut corrumpantur instrumenta, revocari possunt, *argu. cap. Cum dilecta*, 4. *De confir. util.* Et quidem in absentia partis adversae, cum res sit modici, et facile reparabilis praeiudicii.

Amissio autem instrumenti, si per casum fortuitum contigit, non praeiudicat quidem creditori, si aliis legitimis probationibus debitum v. gr. vel tenorem instrumenti probare adhuc posset, neque tamen etiam ei patrocinatur, ita ut nude illius assertioni credatur. Si vero proprio facto creditoris v. gr. amissum sit instrumentum, eo quod scilicet, futurae solutionis spe illud laceravit, tum probare hoc debet creditor, pro debitore stante liberationis praesumptione, nisi contrarium probetur. Et si denique adversarii debitoris v. gr. facto instrumentum interiit, vel amissum fuit, tum perinde procedendum in causis privatis est, ac si plene contra ipsum debitum per instrumentum probatum fuisset, (ne fraudibus, et malitiis campus aperiatur) non autem circa iura ecclesiae, quae quamvis proprio praelati sui facto instrumentum perierit, adhuc tamen ad iura sua probanda, si aliis modis tueri ea possit, admittitur.

—

TITULUS XXIII.

DE PRAESUMPTIONIBUS.

§. I. *Quid sit praesumptio, et quot sint eius species, quive effectus?*

Praesumptio bene definitur, quod sit rationabilis coniectura rei dubiae collecta ex argumentis, et indiciis, quae per rerum circumstantias plerumque, vel frequenter eveniunt. Indicium autem dicitur notabile signum rei, de qua dubitatur, ad veritatem cognoscendam inserviens, et hoc quidem indicium aliud dubitativum est, quod movere quidem potest animum ad credendum aliquid, sed cum formidine, seu virtuali dubio de opposito; aliud indubitatum, quod ad plenum assensum movere animum potest, et quidem remotum aliud, quod minus idoneum est, ad rem demonstrandam, et saepius fallere potest; aliud proximum, quod magis verisimile est, sive aptum ad rem demonstrandam: et iterum alia sunt levia indicia, quae vix suspicionem gignunt; alia sunt gravia, quae opinionem non levem, non tamen omnino certam generant; alia gravissima, quae pariunt assensum moraliter certum: et ex his indiciis variae etiam oriuntur praesumptiones vehementes scilicet seu violentae, quae habentur ex gravissimis indiciis; probabiles, quae minus urgentibus indiciis nituntur; et leves, quae vix merentur praesumptionis nomen, sed potius dici debet ex levibus indiciis orta suspicio satis temeraria.

Praecipua prasaemptionis divisio est, quod alia sit hominis, alia iuris praesumptio. Illa ex variis indiciis, et coniecturis formatur ab homine, seu iudice; haec in lege expressa est; illa tollitur per contrariam probationem, haec tollitur quidem etiam per contrariam probationem, si iuris tantum sit, quia quae a probationibus provenit fides, magis certa est, quam praesumptio iuris: si autem sit iuris, et de iure praesumptio, ita ut non tantum lex ita praesumat, sed dependenter ab hac praesumptione certi aliquid statuat super praesumpto, et sic velit haberi hoc pro veritate, nulla in contrarium admittitur probatio (nec appellatio, nec iuramentum) nisi aperte constet de veritate, quae facit omnem praesumptionem cessare; vel nisi confessio iudicialis contra talem praesumptionem pugnet, modo sit de facto, quod in illius potestate est, contra quem pugnet praesumptio; vel tantum sit indirecta contra talem praesumptionem probatio; aut pro probatione tali nihil a parte contraria opponatur, cum in tali casu videatur tacite consentire in tollendam praesumptionem, si tamen a voluntate partis dependeat illa, de qua iuris est, et de iure praesumptio.

Potest autem dependenter a praesumptione iuris, et de iure, immo iuris tantum ferri a iudice sententia definitiva, cum censeatur plena, perfecta, et liquida probatio, modo per contrariam probationem non fuerit improbata. Utrum autem ferri possit sententia, dependenter a sola praesumptione hominis, iudicis arbitrio relinquitur, uti mox dicetur.

§. II. *De variis causis, indiciis, seu coniecturis, ex quibus oriuntur, ac desumuntur praesumptiones, et quam vim probationes habeant?*

Ex vehementi, et violenta praesumptione, sive ab adversa parte allegata

ea manifestata sit, sive non, sed aliunde in iudicio manifestata sit absque alia probatione, procedere potest iudex ad sententiam definitivam etiam condemnatoriam; non tantum si agatur civiliter, sed etiam in causis criminalibus, non tantum ad poenam extraordinariam infligendam, sed etiam ad poenam ordinariam in criminibus occultis, et quae sunt difficilis probationis, uti habetur ex *c. Afferte*, 2. *ex c. Literis*, 12. *et ex c. Tertio*, 13. *h. t.* ne saepius ex defectu probationis alterius ius alteri pereat, aut crimina impunita maneant.

§. III. *Unde sumantur aliae praesumptiones non violentae?*

Primo quod in delictis commissis, in dubio v. gr. praesumatur dolus, ex *cap. Sicut*, 1. *h. t.* patet; qui enim noxius est alteri, quod malo animo hoc fecerit, facile praesumitur, nisi contrarium probetur, vel alia validior praesumptio praevaleat, per quam prior elidatur; uti patet ex *l.* 1. *cod. ad leg. Cornel. de sicar.* Non tamen praesumptio haec sufficit, quae est ad solum conatum criminis, crimine non secuto, saltem iuxta receptam praxim, et consuetudinem, quae nisi effectus sequatur, conatum solum ordinaria poena, qua crimen tale puniri solet, non punit, nisi lex expressa etiam hoc praecipiat, aut crimen sit valde atrox, et actus valde propinquus effectui pravo.

Secundo praesumitur ex bona conversatione in adolescentia, eadem etiam in virili aetate, et senectute *c. Ex studiis*, 3. *h. t. et ex c. Cum in iuventute*, 15. *eodem*, *et iuxta illud Proverbiorum*, 22. *Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea*, et universim ex praeterito rei statu saepe praesumitur de futuro, prout habetur *in cap. Scribam*, 9. *h. t.* (nisi temporis usu necessario vel verisimiliter immutetur) et ex praeterito de praesenti, prout *glossa colligit in cit. c. Scribam*, et ex prius datis, et neglectis, etc. quae tamen praesumptiones saepius fallunt, iuxta illud, *Angelicus iuvenis senibus sathanizat in annis.*

Tertio praesumitur contra illum, qui declinat iudicium, et praesumitur pro illo, qui se offert iudicio, prout constat ex *c. Nullus*, 4. *h. t.*, (sicuti enim illum premere iudicatur conscientia mala, ita hic conscientia bona gaudere videtur) fuga tamen, sive post, sive ante inquisitionem, aut accusationem, metu tamen huius futurae, nec semiplenam probationem facit, sed levem tantum suspicionem, cum magis praesumi debeat fugisse, ad declinandum multis gravem iudicialem processum, quam ob conscientiam criminis, nisi fuga ipsa specificum delictum in tali persona esset, ut fuga in milite, aut fuga fieret ex publico carcere, cum huius effractione, quae fuga indicia criminis facit, saltem ad graviorem torturam, et propter violatam publicam custodiam, poena dignum faciat taliter fugientem.

Quarto qui ex duobus sibi obiectis unum tantum negat, praesumitur alterum tacite fateri *c. Nonne*, 5. *h. t.* quia in tali casu, in quo potest contradicendo impedire actum, taciturnitas pro confessione habetur, ex praesumptione scilicet iuris, quae saepius fallit, et vix locum habet, nisi circumstantiae bene expendantur.

Quinto vicarius praesumitur ea scire, quae in vicinia facta sunt *c. Quosdam*, 7. *h. t.* si tamen facta talia sint, quae sunt communiter nota in tali

loco, aut teneatur de his ex officio inquirere in facta viciniae; in aliis enim casibus regulariter ignorantia facti praesumitur, donec scientia probetur.

§. IV. *An, et qua ratione quilibet praesumatur bonus, vel idoneus ad beneficium, officium, vel actum aliquem?*

Generalis quidem regula est, quod quilibet praesumatur bonus, vel idoneus ad officium, beneficium, vel actum aliquem, nisi contrarium probetur *c. Dudum*, 16. *h. t. c. unico de scrut. in ordin. facien.* Si qualitates, de quibus praesumitur, sint intrinsecae, seu naturales, non autem si sint mere extrinsecae, et accidentales, quales sunt studuisse in academia, esse doctorem, vel graduatum, quae probari debent; et quamvis de intrinsecis etiam qualitatibus morum integritate, legitimis natalibus, etc. promovens inquirere debeat, fit tamen praesumptio pro talibus qualitatibus, si post inquisitionem nullus defectus appareat, quae habilitas facilius etiam praesumitur in iam promoto, quam in promovendo. Sunt tamen regulae huius generalis multae limitationes, ita ut vera sit illa regula si in nullius tertii praeiudicium vergat illa praesumptio; vel si ipsi, pro quo praesumitur, ex tali praesumptione praeiudicium aliquod oriatur, et nisi agatur de salute, aut utilitate animae, ubi melius est praesumere delictum, quam non praesumere delictum, aut praecedentes coniecturae de dolo praesumere velint, aut de iustitia actus facti, praecise praesumptio fiat ex honestate, et prudentia personae agentis.

§. V. *An, et qua ratione probari possit matrimonium per praesumptiones, seu coniecturas?*

Matrimonium quamvis per solum instrumentum super dote, aut donatione propter nuptias confectum probari non possit, nec per id solum, quod vir, et mulier in instrumento se coniuges nominent, nec per solam diuturnam cohabitationem, vel congestationem annuli, nec per solam famam, seu communem opinionem viciniae habentis illos pro coniugibus, etc. simul tamen iuncta haec omnia sufficienter animum iudicis informare possunt, ad sententiam ferendam pro valore matrimonii *c. Illud*, 11. *h. t.* cum haec omnia fieri possint, non principaliter ad constituendum matrimonium, sed ex alio fine. Satis tamen his omnibus praesumptionibus videtur cavisse Tridentinum omne matrimonium annullans, quod in locis recepti Tridentini non est contractum coram parocho, et duobus, vel tribus testibus.

§. VI. *An quis ex praesumptione vehementi de gravi crimine condemnari possit, et qualis probatio requiratur ad probandum, quod non est verosimile?*

Ex solis praesumptionibus etiam vehementibus non debet quis de gravi crimine condemnari, uti patet ex *c. Literas*, 14. *h. t.* quia in criminalibus requiruntur probationes indubitatae, et luce meridiana clariores, nisi tamen sint urgentissimae praesumptiones, aut causa non tam gravis, ad quam iuxta proportionem gravitatis vehementiores etiam, et graviores requiruntur, uti colligitur ex *c.* 2. *et* 13. *h. t.*

Ad probandum autem, quod non est verosimile, cum praesumptio iuris

pro hoc stet, quod verosimile est, non admittitur quaelibet iuris praesumptio, nisi communis loci fama, vel alia indicia, aut coniecturae concurrant, et testes fortassis, qui contra verisimilem iuris praesumptionem testantur, sint personae valde honestae, de quibus nulla est suspicio, quod sint corruptae, aut peieratusae; uti colligitur ex *c. Quia verosimile*, 10. *h. t.*

§. VII. *An, et quando lex fundata in praesumptione obliget in foro conscientiae, vel etiam in externo?*

Sciens praesumptionem, quae contra se stat, quamvis haec iuris sit, aut iuris, et de iure, falsam esse, non tenetur in foro conscientiae ad legis, aut sententiae in tali praesumptione fundatae observationem, saltem ante sententiam iudicis (quia praesumptio cedit veritati) nisi lex talis non tam in praesumptione fraudis v. gr. actu intervenientis, sed in genere in periculo fraudis fundetur, quamvis enim in hoc posteriore casu in particulari aliquo facto cesset fraus omnis v. gr. non tamen cessat in genere periculum fraudis, quod movebat ad legem talem statuendam, uti videre est in matrimonio clandestino per Tridentinum irritato. Sententia tamen, et auctoritate iudicis compelli potest talis, quamvis pro se veritatem habeat, contra se tamen iuris praesumptionem, ad legis talis, aut sententiae contra ipsum latae observationem, cum fori externi sententia ex probatione procedat, et consequenter, si veritas probata non sit, probata autem sit praesumptio, huic, non illi assistet iudex.

TITULUS XXIV.

DE IUREIURANDO.

SECTIO I.

De iuramento in genere, et variis iuramentis, tum licitis, tum illicitis.

§. I. *Quid sit iuramentum, et de conditionibus ad illud requisitis, variisque iurandi formis, ac modis.*

Iuramentum recte definitur, quod sit invocatio divini nominis in testem, quod duplici modo fieri potest, vel affirmando, aut negando sub invocatione divini nominis in testem, et habetur iuramentum assertivum; vel promittendo aliquid cum iuramento, et habetur iuramentum promissorium. Potest autem Deus in testem vocari explicite, vel implicite, iurando scilicet per creaturas, quatenus in illis reluceat Deus; uterque iurandi modus licitus est secundum se, *c. Etsi Christus*, 26. *h. t.* si suos tres comites habeat, veritatem scilicet (ut res quae iuratur, vera sit, sive ita habere putetur, sicuti iuratur), iudicium (ut non temere, et sine necessitate, utilitate, ac pia affectione iuretur), et iustitia denique, ut licitum scilicet sit, ac honestum, quod iuratur. Sunt autem iurandi formulae variae, quas magis ex usu patriae, iuxta quam iam hoc, iam illud, pro iuramento habetur, etiamsi explicite divinum nomen non invocetur in testem, et ex theologia morali discere potes, quam ex iure canonico; ex quo tamen satis certum est, quod ex natura rei non requirantur verba formalia ad iuramentum (valde tamen conveniens

est, ut in foro externo per verba iuretur) et quamvis iuxta sacros canones iuramentum fieri debeat, tactis, vel propositis saltem Evangeliis, quod in iuramento solemni saepe servatur, consuetudo tamen maribus praescripsit, ut erectis cum pollice duobus primis digitis manus dexterae, reliquis duobus inde pressis; foeminis vero, ut iurent ad sinistram pectoris partem posita dextera; sacerdotibus denique tangendo pectus, ut iurent.

§. II. *De divisione iuramenti.*

Iuramentum dividitur primo in assertorium, et promissorium, uti iam dictum, ita ut ad iuramentum promissorium non tantum reducatur iuramentum, quo confirmatur promissio, sive pactum, sed iuramentum etiam fidelitatis, et obedientiae, quod episcopi in sui ordinatione, et abbates in sui benedictione, si a pontifice confirmationem suae dignitatis accipiant, praestare debent summo pontifici, iuxta *c. Ego, 4. h. t.* et quod romanorum imperator in sua coronatione ecclesiae romanae, et summo pontifici praestare solet, ut patet ex *Clement. Romani h. t.*

Secundo dividitur iuramentum in contestatorium, sive illud, quod fit per simplicem contestationem divini numinis, sive quando simpliciter Deus in testem vocatur: et in iuramentum execratorium, quod fit sibi ipsi, vel aliis dilectis, vindicem Deum, sive malum a Deo immittendum imprecando. De quo theologi morales.

Tertio dividitur in iuramentum iudiciale, et extraiudiciale. Hoc extra iudicium fit, et satis explicatur a theologis moralibus. Illud in iudicio fit, et in diversas species subdividitur, ita ut aliud dicatur iuramentum calumniae, de quo in tit. 7. huius libri: aliud dicatur in litem, cuius tres sunt species; prima est iuramentum veritatis, sive verae aestimationis, quod defertur parti, ad cognoscendam quantitatem, seu valorem rei per alterius malitiam ablatae, praecedente tamen iudicis taxatione *c. ult. De his, quae vi, metusve, etc.*; secunda est iuramentum affectionis, per quod ratione pecularis affectionis, aut utilitatis erga rem sibi deperditam, conceditur huic parti, praecedente tamen iudicis ratione, rem maioris aestimare, quam communiter valeat; tertia est iuramentum super interesse singulari, et extra rem, quando scilicet damnum passus fuit ex non restituta re sua, quod iuramento aestimare permittitur: aliud denique dicatur litis decisivum, quod in iudicio ad finiendam litem nonnunquam defertur, et si quidem hoc a parte parti defertur, quod simpliciter recusari potest, dicitur voluntarium; si vero iudice approbante, deferatur a parte parti, ita ut referri a parte possit, dicitur iudiciale specifice. Necessarium vero dicitur, quod ob inopiam plenae probationis a iudice alterutri parti litigantium, vel ex officio, vel ad instantiam alterius partis defertur, et suppletorium etiam dicitur, ac sine iusta causa recusari non potest.

§. III. *Quae personae in iudicio iurare possint?*

Omnes homines rationis usu praediti ex natura rei sunt capaces iuramenti edendi in iudicio, etiam pueri ante pubertatem, ut constat ex *c. 1. De delict. puero.* Cogendi tamen impuberes non sunt, ad iurandum in iudi-

cio, ob defectum perfectae discretionis ad reverentiam iuramenti requisitae; sed nec sacerdotes in levi causa compelli debent ad iurandum in iudicio, *can. Si quis presbyter*, 4. *cap.* 2. *q.* 5. neque enim iuramentum necessarium est, nisi quod fidei iurantis non omnia deferantur, quod sacerdotis dignitas dicere non patitur: periuri autem nullo modo admittendi sunt, ad iurandum in iudicio, quia cum semel iam peieraverint in iudicio, periculum est ne iterum peierent.

§. IV. *De variis iuramentis illicitis, quae iurantem non obligant.*

Iuramentum de re illicita, aut bonis moribus, ac rectae rationi repugnans, scienter factum, quod observari non debeat, regula generalis est; cum iuramentum non sit vinculum iniquitatis, neque opus est absolutione a tali iuramento, cum nullam pariat obligationem; et hinc iuramentum principis de servanda moneta cusa, quam tempore editi iuramenti scit in legitimo pondere esse vitiatam, illicitum est, et non servandum. Si vero ignoravit, monetam illam falsam esse, cum iuravit, iuramentum, quo potest modo, aliam scilicet monetam probatam, aut aliud aequivalens substituendo servari debet, ut patet ex *c. Quanto*, 18. *h. t.* Secundo non valet iuramentum praelati de non repetendis rebus, seu bonis ecclesiae per vim iniustam ablatis, *c. Pervenit*, 2. *h. t.* neque valet iuramentum regis, qui bona, ac iura ad coronam pertinentia alienans iurat, ea se non repetiturum, *c. Intellecto*, 33. *h. t.* neque obligat iuramentum, quo praelatus iuravit, servaturum se aliqua, quae in episcopalis dignitatis, potestatis, aut praelaturae praeiudicium vergunt, prout sumitur ex *c. Sicut nostris*, 27. *h. t.* Tertio non obligat iuramentum patronis ad beneficia praesentantibus factum, de antiquo censu, sive pensione augenda, *c. Prohibemus*, 7. *de censibus, et c. Gravis*, 15. *iuncta glossa v. Absolvi, eodem, et cap. Tua nos*, 11. *h. t.* Quarto non obligat iuramentum religiosi iurantis, se cum aliis in monasterio, in quo professus est, non permansurum, *c. Sicuti*, 13. *h. t.* neque filii aut aliarum personarum coniunctarum, de non loquendo patri, aut matri, aut aliis sanguine iunctis, aut de non subministrando iis necessaria subsidia, prout possunt, et debent, *c. Cum quidam*, 12. §. *Illi vero h. t.* Quinto non obligat iuramentum fidelitatis praestitum illi, cui non debebat praestari, si tamen contrarietur ei, quod alteri iurans praestare debuisset, *c. Ea te*, 22. *h. t.* Sexto denique non obligat iuramentum, quod quis fecit, de re aliqua sibi sub secreto commissa, non revelanda, si legitime in testem productus hic, qui iuravit a iudice interrogetur, cum ex diversis rationibus haec omnia iuramenta illicita sint.

§. V. *De quibusdam iuramentis illicitis, quae inter coniuges edi solent.*

Primo si coniuges temere, et sine iusta ac honesta causa ex odio v. gr. aut vindictae alicuius cupidine, non tamen pietatis, ac continentiae amore iuramentum faciant, debitum coniugale sibi invicem non reddendi, nec petendi, et perpetuam separationem servandi quoad thorum, non est obligatorium iuramentum tale *c. Tua nos*, 24. *h. t.* Secundo si maritus uxori iuramento promittat, quod non sit de ullo crimine committendo eam accusaturus,

nihil obligat tale iuramentum, c. *Quemadmodum*, 25. §. *Illud autem*, *h. t.* Tertio non probat iuramentum quoad contractum inter aliquos matrimonium, quamvis ab uno eorum contractum tale fuisse iuretur, c. *Mulieri*, 34. *h. t.* cum etiam haec iuramenta vel sint illicita, vel temeraria, vel ad cavendas multas fraudes nihil probantia.

§. VI. *De iuramentis licitis, quae observari debent, et obligant, donec relaxentur, et iurans ab iis absolvatur.*

Generalis regula est, quod iuramentum observandum sit, et obliget, si non vergat in interitum, et dispendium aeternae salutis, neque in alterius redundet praeiudicium, c. *Si vero*, 8. c. *Cum contingat*, 28. *h. t. et c. Quamvis*, 2. *de pactis in* 6. Ita ut qui sine impedimento aliquo necessario, sed ex spontanea tantum libertate illud non observat, periurii reus habeatur, c. *Quaerelam*, 10. *h. t.* c. *Cum quidem*, 12. *eodem*; et qui post electionem suam ad praelaturam aliquam, pro obtinenda confirmatione post iuramentum calumniae v. gr. vel veritatis praestitum, positiones aut responsiones manifeste contrarias affert, a confirmatione, et iure electionis repelli debeat tanquam periurus, cum iustam causam nullam habeat, talia contraria producendi, c. *Cum in positionibus*, 8. *h. t. in* 6.

§. VII. *An, et qua ratione obliget iuramentum de solvendis usuris, vel solutis non repetendis.*

Inter iuramenta, quae ex parte recipientis tantum turpitudinem continent, non tamen ex parte iurantis, est iuramentum de usuris solvendis, ad quod observandum, non quidem ex obligatione iustitiae, sed in reverentiam divini nominis, quod iurando solutionem interposuerunt iurantes, cogi possunt, *cap. Debitores*, 6. *h. t.* Quamvis enim recipiens usuras turpiter, et illicite faciat, eas accipiendo, nihil tamen peccat, qui eas solvit, ad quas mutuum sub usuris ex causa necessitatis fortassis accipiendo sub iuramento se obligavit. Quin immo, etiamsi mutuatarius promittendo sub iuramento usuras, fortassis peccaverit, taliter iurando, mutuum scilicet taliter petendo, sine ulla necessitate, aut utilitate, vel alterum ad usurarium tale mutuum inducendo, manet tamen adhuc ex iuramento obligatus ad solvendas usuras, cum iuramentum tale, quamvis illicitum fuerit, non sit tamen de re illicita, quae sine peccato impleri non potest, cum ex parte dantis usuras non sit turpitudo, sed ex parte recipientis tantum, qui, quae sub iuramento sibi promissa sunt, remittere potest, et si non remittat, quamvis male agat, alter tamen, qui ut reverentiam iuramento servet, eas solvit, nihil delinquit, neque ullo modo alterius iniustae acceptioni cooperatur, cum quod facit, faciat ex causa iusta, et rationabili, et creditor, qui usuras tales accepit, per censuram etiam ecclesiasticam compelli possit non tantum ad remittendum iuramentum, sed ad solutas usuras restituendas, c. *Ex administrationis*, 1. *h. t.* (cum nullum ius sive dominium ad has usuras acquisitum illi fuerit, sine iusto titulo eas accipiendi) et statim eas repetere possit per conditionem sine causa, qui eas solvit: quo remedio si uti nolit, qui solvit usuras, potest petere, ut compellatur creditor,

ad relaxandum iuramentum, modo petitio talis fiat intra tempus solutioni praefixum nondum finitum, ad cavendam periurii notam; vel potest excipere contra creditorem, si in iudicio de solutione facienda conveniatur, vel potest ipsius iudicis etiam saecularis officium implorare, ad remittendum tale iuramentum, sine quo remisso, ad solutionem saltem momentaneam faciendam obligaretur, non quidem ex iustitia, sed ex religione iuramenti.

Iuramentum vero de non repetendis usuris, si debitor hoc iuravit, illicitam facit repetitionem; nisi prius iuramenti talis relaxatio impetretur. *Arg. c. Ad audientiam*, 4. *de his quae vi metusq. caus. etc.* quia iuramentum hoc cum sine peccato servari possit, obligat, nisi nova causa repetendi superveniat, quo in casu cessat obligare prius factum iuramentum, quod strictae interpretationis est *c. Ad nostram*, 20. *h. t.* et de iure postmodum exorituro intelligi non potest. Interim tamen certum etiam est, quod hoc iuramentum denuntiationem evangelicam usurarii, ob delictum commissum, non impediat, ad corrigendum scilicet delinquentem, et peccatum impediendum (cum iuramentum non fuerit de non denuntiando ad correctionem, sed de non accusando ad poenam, ita ut parte etiam non petente, iudex ex officio inquirere possit contra usurarium, in ordine ad restituendas usuras, et possit iudex ecclesiasticus edictum generale promulgare, quo praecipiatur sub censurae interminatione, ut qui criminis usurarii, quamvis iuraverit crimen se tale non manifestaturum, notitiam habent, illud denuntient, vel in iudicio de eo deponant.

§. VIII. *An iuramentum vi, ac metu extortum, vel dolo, aut errore praestitum obliget, ac servandum sit?*

Si possit absque peccato iurantis impleri iuramentum, quod gravi metu iniuste incusso extortum est, obligat illud, nisi vel a parte, cui factum est tale iuramentum remittatur illud, vel a legitimo superiore relaxatum sit, *c. Si vero*, 8. *et c. Verum*, 15. *h. t.* metus enim quamvis gravis sit, et sit iniuste incussus, non tollit absolute voluntarium, ut ex dictis iam patet; neque tamen efficaciter etiam praeiudicium facit iuranti, quamvis metu levi tantum extortum sit, aut in observatione illius tantum venialiter peccaretur, in favorem illius, qui per metum talem iuramentum tale extorsit, ne hic ex malitia sua comodum habeat.

Si tamen ex errore, et dolo praestitum iuramentum fuerit, et hic fuerit antecedens, sive causam contractui dederit, verseturque circa substantiam rei iuratae, nullum tale iuramentum, et irritum est, nec relaxatione indiget, cum error talis, aut dolus omnem consensum tollat; si vero sit circa qualitates, sive circumstantias tantum accidentales, iuramentum est validum, nisi qualitates tales redundent in substantiam rei, de qua theologi morales videri possunt.

§. IX. *De aliis nonnullis iuramentis licitis, quae obligant, et omnino servanda sunt.*

Primo obligatur suo iuramento debitor, qui expresse vel tacite iuravit creditori, quod super re oppignorata, ob fructus ex ea perceptos, et con-

sumptos, nullum gravamen, aut molestiam ei illaturus sit, neque pignus repetiturus, donec pecunia mutuo accepta sit illi soluta, *c. Ad nostram*, 7. *h. t.* Secundo obligantur suis iuramentis abbas, et monachi, qui pro sui monasterii debito iurarunt, quod velint obsides (minus rigide sumendo hoc nomen) manere interim, dum debitum sit solutum, uti et fideiussores, qui iurarunt creditorem servare indemnem, prout statuitur in *c. Ex rescripto*, 9. *h. t.* Tertio obligatur suo iuramento, qui iuravit, quod iura ecclesiae alicuius pro viribus suis defendere velit, ita ut si deinde recurrente necessitate sub iuramenti debito requisitus eam non defendat, sed ad superiorem appellet, a periurio non excusetur, nisi alia eum difficultas succurrere ecclesiae impediat (prout statuitur in *c. Brevi*, 17. *h. t. Iuncta gloss. v. Difficultas*) aut ecclesia nolit eam v. gr. constitutam pensionem dare huic, qui defensurum se sub conditione pensionis illius solvendae iuravit, aut hic per alium aeque idoneum iura ecclesiae defendere velit, aut causam manifeste iniquam foveat ecclesia: in his enim casibus, cum in eorum aliquibus sine peccato observari non possit iuramentum, aut sine corporalis salutis interitu, vel ecclesia conditionem positam implere nolit, aut hic, qui iuravit, per aeque idoneum obligationi suae satisfacere velit, factum iuramentum non obligat.

SECTIO II.

De iuramento litis decisivo

§. I. *An iuramentum litis decisivum a iudice, vel a parte alteri litiganti deferri possit?*

Iudex potest ex officio parti litiganti, actori, vel reo iuramentum litis decisivum deferre, nec a parte ut sic delatum recusari potest, nisi causam recusandi habeat, eamque alleget, et probet; aut nisi iuramentum tale a iudice sibi delatum alteri parti litiganti referre velit, prout constat ex *c. Iuramentum*, 36. *h. t.* quia potissimum litium expediendarum remedium est, si aliae probationes desint, iuramentum. Sunt autem causae recusandi tale delatum iuramentum plures, si is scilicet cui defertur iuramentum, rei gestae ignarus sit; vel probabilem oblivionem alleget; vel actio sit talis, qua non potest quis conveniri; vel si actor plene probavit suam intentionem, vel si actore nihil probante reus sit absolvendus etc.

Si tamen pars parti iuramentum litis in iudicio deferat, quod fieri posse ex *ult. c. Iuramentum*, patet, simpliciter a parte, cui defertur recusari potest, vel referri potest; neque enim una pars alteram, in quam potestatem habet, compellere potest ad iurandum, et consequenter simpliciter hoc sic delatum recusari potest, referri tamen etiam potest, quia aequum est, ut hic patiatur legem, quam ipse tulit, *c. Cum omnes*, 6. *De constitut.* Ita ut nisi relatum taliter praestet, ex iuris dispositione in causa principali non amplius audiatur, sicuti reus, si delatum a iudice iuramentum nec praestare velit, nec referre, pro confesso habetur. Excipiuntur tamen casus, quo per alias probationes suam causam probare velit reus, vel quo actor super facto alieno, quod plene probare non potest, iuramentum reo defert, vel versetur iudicium circa causam famosam furti v. gr. ut excipit pontifex

in *cit. c. Iuramentum*, in quo casu reus plerumque meliorem rei notitiam habet, quam actor, et consequenter delatum sibi iuramentum referre non potest.

§. II. *Utrum, cum a iudice ob inopiam probationis in causa dubia iuramentum defertur, illud reo ad purgationem sui, sive innocentiam suam demonstrandam, an vero actori in supplementum probationis deferri debeat?*

Non potest certa regula generalis hac in re tradi, sed iudicis arbitrio ex perspectis prudenter circumstantiis res relinquenda est; uti colligitur *ex cit. c. Iuramentum*, §. *Sane*, *h. t.* ordinarie quidem, et caeteris paribus reo potius deferendum erit a iudice iuramentum, si actor probavit causam suam semiplene, cum favorabiliores sint rei partes, qui etiam sine iuramento absolvendus est saltem ab hac instantia, si actor nihil probavit: si tamen actor semiplene probavit, nihil contra eum probante, sed tantum negante reo, iuramentum defertur actori, qui de iure suo probavit, cum aiter nihil probaverit. Plura tamen attendere debet iudex in hoc iuramento deferendo. Primo, ut fiat praemissa causae cognitione. Secundo ut actor semiplene probaverit. Tertio ne deferatur hoc iuramentum ei, qui cognitionem rei non habet. Quarto ut is, cui defertur, non sit persona vilis, aut infamis, sed fide digna, et honesta, nec suspecta de periurio. Quinto ut causa non sit ardua, et magni momenti, in qua non defertur iuramentum hoc, etc. posito tamen, quod actor plene probavit per duos testes v. gr. omni exceptione maiores suam intentionem, reus tamen per unum testem contrarium semiplene probet, non poterit reo in supplementum probationis plene deferri iuramentum, quia actoris plena probatio dedit semiplenam probationem rei.

§. III. *In quibus causis iuramentum deferri possit, vel etiam debeat, sive a parte, sive a iudice, et in quibus non possit?*

In omni causa, in qua licitum est transigere, potest etiam a parte parti deferri iuramentum voluntarium, quia tale iuramentum vim transactionis habet: necessarium vero iuramentum a iudice in supplementum probationis ad petitionem actoris reo deferri potest in quavis quidem causa, ob *l. In bonae fidei*, 3. *cod. de reb. cred.* Excipiuntur tamen primo causae criminales, in quibus potest quidem iudex nonnunquam reo, ad probandam suam innocentiam, iuramentum deferre, si actor non sufficienter probavit crimen, nunquam tamen actori, seu accusatori in supplementum probationis, cum in tali casu, si criminaliter agatur, debeant esse probationes luce meridiana clariores *leg. ult. cod. De probat.* Excipiuntur secundo causae famosae, et arduae, quamvis bis in causis multum possit iudicis arbitrium. Tertio excipiuntur causae matrimoniales, in quibus regulariter iuramento suppletorio locus non est.

§. IV. *An, non solum ad petitionem partis, sed etiam ea non petente, iuramentum suppletorium deferri possit a iudice; et de tempore, quo illud deferendum est.*

Ad primam quaestionem ℟. non tantum posse iudicem hoc facere ex officio suo, et eodem non implorato, sed etiam subinde debere, si id expe-

dire aequum videatur, prout sumitur ex *cit. c. ult.* §. *Sane h. t.* cum enim iudex pro veritate eruenda modis omnibus laborare debeat, consequenter, si aliter veritas haberi non possit, et aequitas hoc permittat, potest etiam per iuramentum eam explorare.

Ad secundam quaestionem resp. quod pars litigans ante conclusionem in causa possit, ac debeat petere delationem iuramenti suppletorii, etiamsi terminus ad probandum praefixus iam elapsus sit, et nulli testes amplius produci possint, cum in iuramenti talis delatione non sit periculum subornationis, aut periurii, sicuti posset esse in testium productione: postquam tamen in causa conclusum est, per quam partes omnibus ulterioribus probationibus renuntiant, et os quasi claudi sibi permittunt, nulla quidem a partibus peti potest iuramenti suppletorii delatio, potest tamen hoc iudex, si aequitas postulare videatur, ex officio deferre etiam in instantia appellationis, quia in ordine ad iudicem nunquam in causa concluditur.

§. V. *Quando, et in quibus causis iudex possit ex officio a partibus exigere iuramentum de dicenda veritate?*

In causis, in quibus periculum animae, aut peccati subest, potest iudex ex officio suo, deficientibus aliis probationibus, si adsint praesumptiones aliquae, exigere iuramentum de veritate dicenda a partibus, cogendo etiam eas ad id censuris ecclesiasticis, uti habetur *in c. Ex literis*, 32. *h. t.* cum iudicis sit inquirere, et quantum potest, cogere ad veritatem dicendam.

SECTIO III.

De interpretatione iuramenti.

§. I. *Quomodo interpretandum sit iuramentum?*

Quoad obligationem suam stricte illud interpretari oportet, quantum materia circa quam versatur, et verba pacti, vel promissionis, cui adiicitur, permiserint, quia ubi de obligatione agitur, stricta fieri debet interpretatio, *iuxta l. Quidquid*, 99. *ff. de V. S.* et cum nec favor, nec reverentia iuramenti talem extensionem exigant, sanctius servandi, si stricta illius sit interpretatio: et hinc iuramentum generaliter editum ad servanda statuta v. gr. extendi non potest ad statuta illicita *c. Contingit*, 1. *h. t. in* 6. neque ad statuta postmodum facta *c. Clericus*, 35. *h. t.* neque ad servanda statuta usu non recepta, cum stricta iuramenti facti explicatio ad haec talia se non extendat.

Debet tamen iuramentum praestitum circa materiam iuris, vel circa ea, quae ius concernunt, intelligi secundum iuris communis dispositionem, et ad illam restringi, neque ultra extendi, *gloss. in c. Primum, v. Declaramus, h. t. in* 6. *et iuxta, c. Ad nostram*, 21. *h. t.* cum intentio iurantis alia esse non potuerit, quam iuris communis observatio.

§. II. *Aliae quaedam regulae traduntur circa interpretationem iuramenti.*

Generalis, et optima regula est, quod iuramentum bona fide praestitum interpretandum sit iuxta intentionem iurantis, et ad incognita iuranti,

vel de quibus verosimiliter non cogitavit, neque sub iuramenti obligatione in se suscipere voluisset, extendendum non sit, *iuxta c. Veniens*, 16. *iunct. gloss. v. Praesumpsisset*, *h. t.* (cum in tali casu defuerit voluntas se obligandi ad incognita, vel tam ardua, quae occasionem iurandi non praebuerunt) quod ipsum etiam probatur ex *c. Quintavallis*, 23. *h. t. et ex cap. Petitio*, 31. *eodem.*

Solet quidem ordinarie etiam dici, quod iuramentum sortiatur naturam, et conditiones actus, cui adiungitur, et iuxta illas sit intelligendum, cum accessorium sequatur naturam principalis, *iuxta reg. iur.*, 42. *in* 6. et sumitur etiam ex *c. Quemadmodum*, 25. *h. t.* saepe tamen non tam accessorium iuramentum est confirmans praecise actum cui adiungitur, sed per se stans, et principaliter obligationem inducens, quo in casu etiam si promissio nulla sit, sua tamen iuramenti est obligatio, et consequenter non induit naturam actus, cui adiungitur: nunquam tamen ita explicandum est, ut cum alterius gravi praeiudicio, seu incommodo obliget, ut colligitur *ex c.* 27. *h. t.* quia tale iuramentum est contra iustitiam ius alterius graviter laedens.

§. III. *De conditionibus, quae ipso iure tacite insunt iuramentis, et plerumque subintelligendae sunt.*

Quod iuramento promissorio tacite quaedam conditiones generales insint, secundum quas obligatio iuramenti attendenda est ex dictis iam patet, et ex *c. Quemadmodum, iunct. gloss. v. Conditio*, ita tamen, ut tales conditiones, quae suapte natura tali iuramento tacite insunt, etiamsi exprimantur, non faciant iuramentum conditionatum, et particula *si* pro *quia* accipiatur, prout etiam sumitur *ex c. Significasti*, 4. *iunct. gloss. v. Conditione*, *de elect.* Tales conditiones sunt primo, si potuero, quia ad impossibile nemo potest obligari. Secundo, si licite potuero, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, et quod iuste, ac licite fieri non potest, non dicitur homini possibile, *can. Faciat*, 15. *iunct. gloss. v. Quod potest*, *causa* 22. *quaest.* 2. Tertio, si Deo placuerit, quia Deo non placent, nisi licita. Quarto, salvo iure, et auctoritate superioris, quae in omni iuramento excepto excepta videtur, cum subditus obligare se non possit in praeiudicium auctoritatis superioris, quo minus hic in materia sibi praeiudicante iuramentum irritare possit, *cap. Venientes*, 19. *h. t.* Quinto, nisi is, in cuius gratiam, vel utilitatem iuratum est, obligationem remittat, quia invito, et non acceptanti meam promissionem, aut remittenti (saltem tacite) obligari non possum, si tamen principaliter tale iuramentum promissorium non sit factum Deo, quo in casu ex probabili sententia homo, quamvis in gratiam ipsius etiam factum sit iuramentum, non potest remittere hoc, cum non sit ipse, cui principaliter iuramento promissum quid est, sed Deus, qui quamvis iuramentum remittat, si principaliter homini illud factum sit, et hic illud remittat, non remittit tamen ad remissionem hominis, si principaliter sibi iuramento promissum quid sit. Sexto subintelligitur in quovis iuramento etiam haec conditio, si res non fuerint notabiliter mutatae, potest enim esse tanta mutatio, ut verisimile non sit, voluisse sub iuramenti obligatione rem etiam

taliter mutatam intelligere. Septimo, in reciproco pacto, nut contrnctu ea etinm conditio intelligitur, si pactis suis, et promissis alter steterit, ac fidem servaverit; neque enim fidem debeo illi, qui frangit fidem, *c. Pervenit*, 3. *h. t. et c. Sicut*, 29. *eodem.*

SECTIO IV.

An, et qua ratione iuramentum habeat vim confirmandi pacta, et contractus?

§. I. *An iuramentum habeat vim confirmandi contractus, qui, ea seclusa, ipso iure sunt irriti?*

Non potest Iuramentum confirmare contractus lure nnturae irritos (quia versantur tales contractus circa materiam illicitam iure nnturae) potest tamen confirmare eos contractus, qui iure civili tantum sunt irriti, nut rescindi possunt, ut non tantum habeant oblightionem ex religione, sed etiam ex iustitin, si scilicet, nec ex parte contractus, nec ex parte personae, cum qun contrahitur, ulln sit tnrpitudo, nec principaliter irritatus sit n iure positivo contractus taiis ab bonum commune, quin et hic contractns est contra bonos mores clviles, *c. Quanto*, 18. *c. Cum contingat*, 28. *h. t. et cap. Licet*, 2. *in eodem in* 6. *et c. Quamvis*, 2. *De pact. in* 6. ut ne scilicet in relatis luribus frustra sit additum, *si sine vi, aut dolo iuramentum tale sit praestitum;* cum enim dolo etinm extortum Iuramentum ex virtute religionis saepe servandnm sit, si sine dispendio salutis servnri potest, conseqnenter ex clausuln illn nddita recte colligitur, aliunde etiam obligationem esse, ex iustitia scilicet, pront etinm confirmatur ex *authen. Sacramenta puberum, cod. Si adversus venditionem.* Tnles autem contractus, qui iure civili sunt irriti, per inramentum tamen confirmantur, snnt plures, niienntio scilicet fundi dotalis, et donationis propter nuptias; contractus minoris super re immobili, vel mobili, quae servando servari potest; donntio inter virum, et mulierem, et liberos non emancipatos; renunciatio filiae de non succedendo paternae haereditati; donatio excedens centum solidos, non facta insinuatione apud iudicem; promissio instituendi certum haeredem, aut non revocnndi testamentum, qune promissio praebet occasionem captandae mortis; donatio omnium bonorum; mntatio filiifamilias cnm renuntiatione senntus consulti macedoniani; fideiussio mulieris, cum renuntintione senntus consulti velleiani; renuntintio pacti non utendi exceptione non numerntae pecunine; promissio poenae sponsalibus ndiectae, et solvendae a resilIente etc. si tamen ius positivum non tantum contractum, sed etiam ndiectum iuramentum irritum reddat, non potest per hoc confirmari contractus, cnm iuramentum tale nullnm vim obiigandi habeat, prout communiter dicuntur ea iuramenta infirma, et nulla esse, qune adiiciuntur pactis v. gr. bono publico repugnantibus, sive quae ndversantur bonis moribus civilibus, cum reipublicne damno, cuiusmodi turpe pactum, et Iuramentum nb utroque iure irritum est, si quis puellne sub iurnmento promittat matrimonium, si uxor sua moriatur, vel quod remittere velit dolum, furtum, vel aliam iniuriam, si in posterum committatur.

§. II. *Unde cognosci possit, quando iuramentum habeat vim confirmandi contractus, vel non, et quos effectus habeat iuramentum confirmatorium contractus?*

Non confirmatur iuramento pactum v. gr. quod a iure positivo civili etiam, principaliter prohibetur, et irritatur, ob publicam utilitatem, prout iam dictum, cum iuri publico pacta privatorum etiam iuramento confirmata derogare non possint: confirmatur autem pactum v. gr. quod quidem prohibitum est, principaliter tamen, et directe ob privatam utilitatem paciscentis, etiamsi secundario, et indirecte etiam bonum publicum concernat tale pactum, cum quilibet possit renuntiare iuri in favorem suum introducto. Quod si tamen inculpabile praeiudicium tertii non quidem indirecte tantum, sed directe pactum tale v. gr. tenderet, non confirmaretur iuramento, cum iuramentum tale esset de re iniqua.

Sunt autem plures effectus iuramenti, quod confirmat pactum v. gr. de iure invalidum. Primus est, quod ex tali iuramento oriatur duplex obligatio, una respectu Dei ex virtute religionis, altera erga hominem, cum quo pactum initum est ex iustitia, vel fidelitate. Secundus est quod, si ab alio, quam creditore relaxetur tale iuramentum confirmatorium, maneat tamen obligatio iustitiae, aut fidelitatis erga paciscentem v. gr. quia obligatio in tali casu non tantum provenit ex vi iuramenti, sed ex legis dispositione, pacta talia v. gr. iuramento confirmare volentis, si tamen creditor remittat tale iuramentum in sui favorem praestitum, omnino dissolvitur contractus, vel pactum iuramento confirmatum, quia hic talis, quod pro suo favore pugnat, remittere potest. Tertius effectus est, quod iuramentum confirmatorium irrevocabiliter servandum sit ita, ut non liceat repetere id, quod solutum est. Quartus est, quod pariat actionem in iudiciis, quia inducit etiam civilem obligationem, ex qua actio in foro externo oritur. Quintus est, quod ordinarie non possit illius relaxatio obtineri, quia cederet talis relaxatio in praeiudicium tertii. Sextus est, quod transeat talis pacti, aut contractus obligatio etiam ad haeredes, ad quos iura, et onera defuncti transeunt.

§. III. *An iuramentum habeat vim irritandi, aut confirmandi contractus initos contra prius iuramentum, illos non celebrandi?*

Actus, qui contra prius iuramentum, de eo non ponendo, fit, est validus, si secluso iuramento validus esset, cum totam suam vim habeat a libera voluntate ponentis illum, et prius iuramentum de eo non ponendo tantum faciat illicitum, non autem invalidum actum, quamvis periurus hic sit, qui contra prius iuramentum sic agit. Et hinc matrimonium de praesenti validum est, contra priora sponsalia iurata contractum: venditio, vel donatio facta traditione valida sunt, quamvis prius, nec donaturum te, nec venditurum iuraveris; revocatio procuratoris, aut testamenti valida est, quamvis prius iuraveris, te non revocaturum. Quod si tamen actus, qui fit contra prius iuramentum, per se, et absque iuramento invalidus sit, non confirmatur per tale iuramentum posterius factum, neque enim potest obligare hoc iuramentum posterius, cum faciat periurii reum iurantem, sic

vinculum esset iniquitatis; si vero actus qui iurati fuerunt, sint contrarii, tum si prior est validus, posterior est invalidus, etiam si huic iuramentum accedat, cum hic posterior actus impleri non possit sine iniuria prioris iuramenti.

SECTIO V.

De obligatione, et relaxatione iuramenti.

§. I. *An obligatio iuramenti sit personalis, an vero realis, ita ut ad haeredes transeat?*

Iuramentum qua tale, semper personale est ex parte illius, qui iuravit, et ex virtute religionis ad praestandum id ad quod se obligavit, ita ut illius ex virtute religionis obligatio ad successores, haeredes, vel alios, qui non iurarunt, non transeat, quamvis suo, et successorum suorum nomine iurans aliquid promiserit. Possunt quidem isti nonnunquam obligari ad id praestandum, quod alter iuravit, non tamen obligantur ex vi iuramenti ab illo praestiti, (nisi hoc ipsum in se susceperint) sed ex vi pacti (saltem taciti) ex iustitia ad idem praestandum obligantur. Sicuti enim nemo iurat, nisi sua voluntate, ita nemo alius iuramenti hoc vinculo obligatur, si non ipse etiam idem iuramento promisit; et quamvis possit etiam per procuratorem praestari, ut patet ex *cap. ult. De iur.*, *in* 6. (quia quod quis facere potest per seipsum, etiam potest per alium; *reg. iuris*, 68. *in* 6.) modo procurator speciale mandatum habeat, ad taliter alterius nomine iurandum, et actus talis sit, qui per alium geri possit, non tamen ipse procurator tali iuramento obligatur, quod praestitit ex mandato, et loco alterius, sed ipse principalis.

Ex parte tamen illius, cui praestatur iuramentum, reale illud est, ita ut ad haeredes transeat, et si iurans super vivat eum, cui iuravit, haeredibus illius solvere teneatur, quod promisit, uti habetur ex *l. Si pactum,* 9. *ff. de prob. et ex c. Veritatis*, 14. *h. t.* sicuti enim potest se pluribus obligare, ita potest etiam ex vi iuramenti pluribus esse obligatus, et consequenter etiam successoribus.

§ II. *A quo, et quomodo possit relaxari iuramentum promissorium homini praestitum?*

Iuramentum homini praestitum, si ex parte recipientis iuramentum promissorium non sit turpitudo, nec damnum enorme, aut vis iniuste illata iuranti restitutionem faciendam imperet, a nemine, nisi solo pontifice, invito eo, cui iuratum est, relaxari possunt; quia cum per tale iuramentum ius illi, cui iuramentum praestitum est, acquisitum fuerit, consequenter sine iniuria illius auferri hoc illi non potest, nisi a suprema in spiritualibus potestate in causa gravissima, et ob bonum commune, vel ab ordinario etiam nonnunquam, si periculum in mora sit, et causa gravissima urgeat. Si tamen ex parte recipientis iuramentum sit turpitudo, eo quod per vim, dolum, aut metum iniuste incussum, extortum illud fuerit, vel sine gravissimo damno, et enormi laesione iurantis servari non possit, potest episcopus, vel alii, qui relaxandi iuramenta talia privilegia habent, illud relaxare

(quorum nonnunquam etiam est, in casu declarare, num iuramentum tale obliget) vel petere potest hic, qui iuravit taliter, ut ille ad remittendum iuramentum cogatur, qui turpiter tale iuramentum extorsit. Si vero penes episcopum sit, relaxandi iuramenti potestas, et haec relaxatio tantum petatur pro foro conscientiae, tum episcopus iurantis, iuramentum illud relaxare debet, cuius est vincula conscientiae suorum subditorum solvere: sin autem relaxatio talis petatur, ad tollendam omnino etiam in foro externo obligationem, et ad effectum rescindendi omnino contractus v. gr. per dolum, vel metum iniustum initi, tum debet ordinarie talis relaxatio fieri ab episcopo illius, cui iuratum est, quia in tali casu forum rei, cui iuramentum praestitum est, et qui metum v. gr. iniuste incussit, debet sequi actor, qui petit iuramenti inique extorti relaxationem, nisi ille, cui iuratum est, speciali se episcopo iurantis sponte subiiciat, et sic eius in se iurisdictionem prorogget, aut ratione contractus extra dioecesim initi, aliud iuberetur. Saeculari tamen magistratui non facile concedendum, quod directe, et immediate relaxare iuramenta talia possit, cum iuramentum sit vinculum spirituale, quamvis ob bonum publicum inter laicos sibi subiectos indirecte hoc nonnunquam possit, remittendo v. gr. iuramenti obligationem invicem illius, cui iuratum est, et hoc remittere debeat.

TITULUS XXV.

DE EXCEPTIONIBUS.

§. I. *Quid sit exceptio, et quomodo dividatur? et de opposita ei replicatione.*

Exceptio stricte dicta accipitur pro defensione reo competente, per quam excluditur actio, quae de iure actori competat. Varie hae deciduntur, ita ut aliae dicantur exceptiones dilatoriae, et temporales, quae suspendunt tantum, et differunt ad certum tempus actionem, et intentionem actoris: aliae sint peremptoriae, et perpetuae, quae tollunt omnino ius agentis, et perimunt actionem. Dilatoriae exceptiones iterum subdividuntur in fori declinatorias, ob incompetentiam v. gr. iudicis, aut quod suspectus sit, aut quod officio iudicis fungi non possit, etc. quae ab initio litis statim proponi debent, ne videantur consentire in iudicem: aliae sunt, quae respiciunt personam litigantis, et opponuntur ad eum ab agendo repellendum; vel ad repellendum procuratorem: aliae sunt, quae respiciunt causam, uti est exceptio libelli inepti, litis pendentis.

Secundo dividuntur exceptiones, quod aliae sint personales, quae personam sequuntur, eamque egrediuntur, et ad haeredes non transeunt, et plerumque rei talis conventi exceptionem competentiae habent. Reales aliae quae rei cohaerent, eamque sequuntur, et consequenter ad haeredes transeunt, uti est exceptio rei iudicatae etc. Aliae sunt mixtae quasi, certo quidem personarum generi competentes, ratione tamen certae materiae, uti est exceptio senatus consulti velleiani, quibus succurritur mulieribus, si per suam fideiussionem laedantur: exceptio operarum contra patronos libertis concessa, ad eas operas obligantes, quae concessae libertatis causa sunt impositae: ex-

ceptio senatus consulti macedoniani, quae filiofamilias sine consensu parentis mutuum accipienti competit: et exceptio denique restitutionis in integrum.

Tertio dividuntur exceptiones, ut aliae sint civiles a iure civili introductae: aliae vero sint praetoriae a praetore introductae, ex aequitate quadam naturali etc. de quibus civilistae. Exceptioni opponitur replicatio, per quam actor excludit exceptionem rei, et est quasi exceptionis exceptio; huic autem replicationi obiici potest a reo duplicatio, et ab actore triplicatio, et a reo quadruplicatio, et sic deinceps, ita tamen ut a iudice, ne nimium extendatur iudicium his allegationibus, ex officio possit modus praefigi.

§. II. *An, et qualiter licitum sit, excommunicato excipere in iudicio, vel appellare, vel alia defensione uti?*

Non tantum excipere potest in iudicio excommunicatus, sed omni alia defensione etiam appellationis uti potest, prout colligitur *ex c. Cum inter*, 5. *h. t.* quamvis enim agere ipsi in iudicio, aut reconvenire actorem, non permittatur, voluntarie provocando ad iudicem, quae tamen necessaria illi sunt ad defensionem media (prout plura refert hoc §. auct. Meth.) ius naturae non permittit illi auferri; quin ipsam appellationem etiam prosequi potest, etiamsi ut sic sit actor principalis, prout sumitur *ex c. Significaverunt*, 11. *h. t.* quia utitur defensionis iure. Plura de his, quae vix ad hunc titulum pertinent, circa appellationem excommunicati, aut rescripti ab excommunicato impetrati valorem, vide hoc §. apud auct. Meth.

§. III. *Quando, et quomodo exceptio excommunicationis opponi possit, vel debeat, et quando exceptiones contra testes proponendae sint?*

Exceptio excommunicationis quamvis inter dilatorias numeretur, ante litis contestationem ordinarie opponenda, potest tamen ea in qualibet parte iudicii, etiam post conclusionem in causa, usque ad sententiam definitivam, si ea scienter etiam ab initio omissa fuit, opponi; ne quis cum animae suae periculo excommunicato communicare cogatur, et ut magis censura ecclesiastica timeatur. Quamvis enim ad legitimas expensas excommunicato faciendas condemnari possit, qui sciens exceptionem hanc omisit, et frustra laboribus, et sumptibus fatigavit actorem excommunicatum, prout statutum *in c. Exceptionem*, 12. *h. t. et in c. Pia*, 1. *eodem in* 6. quod si tamen aliquis exceptionem excommunicationis alieni obiiciat, ut ipsum ab agendo repellat, debet speciem illius (utrum sit maior, vel minor excommunicatio) et nomen excommunicatoris proprium, et appellativum (vel saltem nomen dignitatis) exprimere (ut sciatur delegatus, an ordinarius iudex hic sit) et intra octo proximos dies, ab obiecta excommunicatione, hanc probare apertissimis documentis, (per testes scilicet vel instrumenta) prout statuitur *in cit. c.* 1. §. *Si quis*, *h. t. in* 6. admittendus iterum intra tale tempus, si prima vice in probatione defecerit, non tamen tertio volens excipere, quia praesumitur, postquam bis iam defecit in probatione, malitiose, et tantum ad subterfugiendam sententiam hoc agere, nisi nova excommunicatio post duas primas probationes interveniat.

Contra personas testium exceptiones obiici, et probari debent, ante la-

tam sententiam (antequam in causa conclusum sit) definitivam, *c. Denique*, 1. *h. t.* Immo ordinarie fieri debent hae exceptiones ante publicatas attestationes, nisi non tam contra personam testis, quam contra dictum illius opponatur, aut sententia non transeat in rem iudicatam, quia in his casibus semper locus est opponendi, ad impediendam saltem excommunicationem, *iuxta l. Pure*, 5. *ff. De dol. et met. except.*

§. IV. *An, et qualiter iudex certum terminum statuere possit, intra quem exceptiones dilatoriae, vel etiam peremptoriae proponi debeant?*

Potest iudex partibus litigantibus terminum statuere, intra quem omnes suas dilatorias exceptiones proponere debent, ita ut si post terminum talem finitum opponere aliquas velint, non audiantur; nisi prius protestatae fuissent partes (non tantum generali clausula: *salvis aliis exceptionibus:* sed in specie, et quidem in scripto exprimendo eas, quas velint postea probare) aut exceptio aliqua de novo emergeret parti competens, vel nisi is qui opponere vult, iuramento asserat, se post lapsum terminum ad notitiam illius primum pervenisse, prout statuitur, *in c. Pastoralis*, 4. *h. t.* (ad decidendas scilicet, et abbreviandas lites, sine singulari tamen partium praeiudicio) aut si intra terminum assignatum probare exceptionem talem non poterit, possit tamen postea (paria enim sunt non competere exceptionem, et eam probari non posse); aut exceptio sit de incompetentia iudicis, in quem pars consentire non possit (quia est exceptio nullitatis, quae semper opponi potest) aut si exceptio litis finitae, ad peremptorie infringenda merita causae; vel sint exceptiones contrariae a reo propositae, quae cum simul probari non possunt, potest reus ab una probanda transire ad aliam, vel denique sit exceptio excommunicationis, *iuxta Clement. Excommunicationis, unic. h. t.* etiamsi specifice ad proponendam etiam exceptionem excommunicationis intra tempus praefixum iudex statuerit (quia beneficium a iure concessum non potest auferre iudex) et si quis etiam iuraverit, se non oppositurum hanc excommunicationis exceptionem; cum talis exceptio non tam in favorem partis quam ob bonum publicum concedatur, et ob periculum animae.

De peremptoriis tamen exceptionibus, utrum a iudice certus etiam terminus illis praefigi possit, quo elapso non amplius audiantur, dubitant auctores, non tam quod possit, quam quomodo possit. Qua in re distinguendum videtur, ita ut iudex terminum talibus peremptoriis exceptionibus praefixerit, vel cum causae cognitione, vel sine ea: si prius contigit, non potest reus, post elapsum terminum peremptorias tales exceptiones proponere, *argu. l.* 2. *ff. de re iudicat.* si posterius contigit, potest reus etiam post terminum a iudice positum elapsum peremptorias exceptiones opponere, cum non possit sine iusta causa, et consequenter non sine causae cognitione hoc iure suo proponendi exceptiones peremptorias privari.

§. V. *An, et qualiter aliae nonnullae exceptiones opponi possint, vel non possint?*

Plura habens beneficia, si excipiat contra alium de pluritate beneficiorum, non est admittendus, iuxta *c. Cum ecclesiasticae*, 3. *h. t.* quia non

debet quis in aliis reprobare, quod in seipso approbat; et hinc probabile est loqui hoc capitulum de beneficiis compatibilibus.

In favorem, et defensionem suae ecclesiae potest quis opponere exceptionem excommunicationis, periurii, vel aliam legitimam exceptionem, absque eo, ut vicissim ipsi per modum replicationis similis exceptio opponi possit, *c. Dilecti*, 8. *h. t.* Sicuti enim exceptio, quae non repellit intentionem actoris, pro nulla habetur, ita etiam replicatio pro nulla habenda est, quae non excludit exceptionem, prout fit in casu nostrae assertionis, in bonum ecclesiae, ne indignus ad eam promoveatur.

Exceptio rei iudicatae non competit reo absoluto per sententiam iudicis, eo quod rem non amplius possideat; etiamsi postea iterum possidere incipiat, *c. Adversario*, 13. *h. t.* neque enim ad rei illius restitutionem, tum condemnari, aut absolvi ab ea potuit, quando rem talem non amplius possidebat, nisi dolo malo possidere desierit (quo in casu saltem ad aestimationem rei condemnari potuit) aut pretium pro re possessa vendita acceperit, quod in locum rei venditae succedit.

Exceptio rei iudicatae per iudicem ecclesiasticum potest opponi, etiam coram iudice saeculari in causa mixti fori, et ex converso, *c. Cum quidam*, 2. *h. t. in* 6. quia sententia lata per legitimum iudicem ius tribuit parti contra quemvis iudicem alium, nisi ageretur in causa appellationis, aut esset sententia a saeculari iudice lata cum periculo animae.

In casu, quo quis declinatoriam v. gr. exceptionem contra iudicem opponit, quae tamen non admittitur, potest quidem ad superiorem iudicem appellare, et huius erit, de exceptione hac iudicare, non tamen de causa principali, *c. Olim*, 7. *h. t.* debet enim iudex appellationis de eo tantum cognoscere, super quo fuit appellatum.

In casu, quo per exceptionem suspensionis ab officio, et beneficio, contra quam replicatur de nullitate illius, retardetur ordinatio, seu provisio ecclesiae, debet absolutio a superiore fieri saltem ad cautelam, prout sumitur *ex c. Apostolicae*, 9. *h. t.* cum non debeat obesse ecclesiae mora in rebus spiritualibus, stante tali dubio.

§. VI. *An excipiens confiteri videatur de iure adversarii: et an quis in iudicio pluribus, iisque contrariis exceptionibus uti possit?*

Communis *regula iuris est*, 63. *in* 6. quod is, qui exceptionem obiicit, non videatur de intentione adversarii confiteri; ad primam ergo quaestionem responsio negativa est, quae etiam habetur *in c. Cum venerabilis*, 6. *h. t.* de quo enim pars excipiens in iudicio post litem contestatam omnino contendere vult, hoc utique non censetur confiteri; si tamen ipse reus fateatur v. gr. debitum, exceptionem tamen annectat, resolutione facta, hac, et in similibus exceptionibus, nisi probaverit reus, habebitur pro confesso, et condemnabitur.

Ad secundam quaestionem respondeo, quod possit reus in iudicio non una tantum, sed pluribus etiam uti exceptionibus, vel simul eas proponendo vel successive etiam contrariis (saltem disiunctive, et sub conditione, ne utrumque verum esse asserere videatur) ita ut si in probatione una defi-

ciat, ad alteram transire possit, nisi ita directe sibi invicem adversarentur exceptiones tales, ut, quod ponitur in una, nec conditionaliter poni possit in altera, quin convincatur eas ponens de mendacio.

TITULUS XXVI.

DE PRAESCRIPTIONIBUS.

SECTIO I.

De praescriptione in genere, et personis praescribentibus, ac rebus, quae praescribi possunt.

§. I. *Quid sit praescriptio, et an, ac quomodo ab usucapione distinguatur, et ob quas causas sit a iure introducta?*

Praescriptio recte definitur, esse *exceptio* (peremptoria scilicet) *ex tempore, et modo legibus definito substantiam capiens.* Usucapio vero *apud iurisconsultum l. 3. ff. de usurpat. et usucap.* dicitur esse *adiectio* (sive acquisitio dominii, ut glossa loquitur) *per continuationem possessionis* (habitae cum bona fide, ac iusto titulo, ut iterum glossa dicit) *et temporis lege definiti;* ita ut praescriptio ab usucapione iuxta has definitiones differat, tanquam effectus a sua causa; quae enim per usucapionem, tanquam viam ad praescriptionem nobis adiiciuntur, pro illis tanquam domini excipere contra adversarios titulo praescriptionis possumus; et quamvis aliqui velint, praescriptionem ab usucapione distingui in eo, quod haec sit mobilium, illa immobilium, dicitur tamen haec distinctio nullum in iure fundamentum habere, cum ad res etiam immobiles *institut. De usucap. et praescript.* usucapio referatur, res tamen tanti momenti non est, ut pro ea multum litigetur, cum hodie pro synonimis accipiantur usucapio, et praescriptio.

Introducta autem est a iure civili praescriptio, seu usucapio, et a iure canonico propter bonum publicum commune approbata fuit, ne diu, et fere semper quarumdam rerum dominia incerta fluctuarent, et ut litibus saepe diu duraturis finis imponatur, ac hominum ad iura sua, et res suas in iudicio defendendas ignavia excitaretur, ob periculum amittendae per praescriptionem rei suae, si repetere eam in iudicio negligerent. Et hinc non tantum in foro externo, sed in foro etiam interno, et conscientiae vim suam habet praescriptio, ita ut qui praescripsit, postmodum non teneatur ad rem illam restituendam, si resciret, alienam eam fuisse, cum per usucapionem legitimus rei illius dominus factus sit, utroque iure approbante, quamvis nulla culpabilis negligentia prioris domini intervenisset (nisi per iudicem in integrum hic restitueretur) ut docent communiter omnes, iuxta varios iuris, et glossae textus, et si per errorem pristino domino restituat, tanquam indebite datam repetere posse, et ut suam vindicare.

§. II. *Quinam in genere possint praescribere, vel non: et adversus quos possit praescribi, vel non?*

Cum usucapio, sive praescriptio sit modus acquirendi dominii, consequenter possunt omnes praescribere, seu usucapere, qui sunt capaces acqui-

rendi dominii, ita ut etiam furiosus, aut amens, vel alio ex capite usu rationis destitutus inchoare quidem taliter constitutus usucapionem non possit, possit tamen continuare eam, si coepta sit, dum esset sanae mentis; cum taliter constitutus non desinat possidere, quod sanae mentis possidere coeperat. Precario tamen rem possidens, usufructuarius, creditor rem pignori sibi datam, et universim, qui non possident suo nomine, usucapere, vel praescribere non possunt, uti nec clerici bona suorum beneficiorum, cum vel legitima eis possessio desit, vel incapaces sint dominii sibi acquirendi, vel quae bona habent, canonica institutione obtinere debent, sicuti autem non omnes praescribere quaelibet possunt, ita contra personas aliquas certas praescribi non potest, quae scilicet in iudicio stare, agere, iura sua tueri, vel bona administrare non possunt, uti sunt pupilli, filii familias in certis quibusdam bonis, capituli, ecclesiae vacantes etc.

§. III. *Quae res praescribi possint, vel non possint?*

Regulariter omnes quidem res corporales, sive mobiles eae sint, sive immobiles praescribi, seu usucapi possunt, nisi lege aliqua, aut speciali ratione prohibeantur: res vero incorporales, uti sunt iura, servitutes, actiones etc. sicuti proprie possideri non possunt, sed tantum quasi possideri dicuntur, ita proprie, nec praescribi. Sunt tamen aliqua, quae praescribi omnino non possunt, sic primo res, quae in hominum commercio non versantur, et in nullius dominio sunt, uti sunt res sacrae, liber homo ut fiat servus, res publicae, quae ad publicum usum sunt deputatae, viae publicae, ac plateae publicae nullo unquam tempore praescribi possunt, etiamsi populus illis uti desinat, quia haec, quae sunt omnibus communia, a nemine privato possideri proprie possunt. Secundo res furtivae, vel vi expulsiva possessae, seu occupatae praescribi nequeunt, etiam a bonae fidei possessore tempore ordinario (quamvis tempore extraordinario a bonae fidei possessore praescribi possint) et nisi prius vitium rei furtivae, vel violenter occupatae, purgatum fuerit, per hoc, quod ad legitimum dominum suum redierit, vel nisi a bonae fidei possessore res talis distracta ad tertium pervenerit, quo in casu res quidem aliena non tamen furtiva distrahitur, cum hic non animo furandi, aut legitimo domino rem suam subtrahendi, quod ad rem furtivam requiritur, distraxerit rem talem. Fructus tamen ex re tali furtiva percepti, ordinario etiam tempore praescribi possunt, si bona fide possessi sunt, neque enim partus rei furtivae, ut ait lex, est pars rei furtivae. Tertio res quae sunt merae facultatis, seu liberae, et gratuitae voluntatis praescribi non possunt, quia ex talibus actibus, qui liberrime ponuntur, nulla potest induci obligatio, cum nullam contineant, nisi prohibitioni v. g. interpositae acquieverit cum patientia, qui actus tales merae facultatis exercuit. Quarto limites seu fines provinciarum, episcopatuum, ac parochiarum etc. et quae huiusmodi limitibus cohaerent, praescribi non possunt, dummodo constet, tales fines fuisse legitima auctoritate positos, *cap. Super eo, 4. De parochis.* ne confundantur scilicet termini ad confusionem devitandam positi, et quamvis fines agrorum ad ecclesias v. gr. spectantium praescribi possint, quoad

proprietatem, et dominium, non tamen praescribi possunt, quatenus sunt fines constituti certorum districtuum.

§. IV. *Utrum subditi per praescriptionem se eximere possint ab obedientia principis, vel alterius praelati inferioris, aut legitimi superioris?*

Contra ea, quae principi debentur in recognitionem supremi principatus, et universalis dominii, ac subiectionis ei debitae, non potest a subditis, qua talibus praescribi, *l. Comperet*, 6. *cod. De praescript.* 30. *vel* 40. *annor.* Potest tamen a subditis praescribi ea exemptio a tributis, et censibus, quae, non in recognitionem supremae maiestatis, sed in subsidium, ob necessitatem aliquam publicam solvuntur, cum subditus manens subditus illa solvat in signum subiectionis, non autem haec, et quamvis mediante praescriptione ex subdito fieri possit non subditus, et exemptionem a talis principis subiectione praescribere, prout recepta praxis docet, manens tamen subditus ad ea obligatur, quae ad superioritatem recognoscendam conveniunt. Immo nec contra obedientiam inferiorum praelatorum episcopi v. gr. vel legitimi alterius superioris praescribere possunt subditi, *c. Cum non liceat,* 12. *h. t.* Neque enim in possessione suae immunitatis est subditus, quamdiu manet subditus, cum tamen talis possessio ad praescribendum requiratur, nisi translative tantum praescribant, ita ut alteri v. gr. episcopo subiecti sint, non autem simpliciter, sive exclusive, ut nulli neque romano pontifici subiecti sint, quod esset contra ius divinum.

§. V. *An contra praelatum possit praescribi visitatio, et procuratio ratione illius debita?*

Neque contra visitationem praelati, ad quam de iure communi obligatur, praescribere possunt subiecti clerici, neque contra procurationem ratione visitationis illi debitum, uti decernitur *in cap. Cum officii*, 16. *h. t.* (Quamvis praelatus eam remittere possit, et quoad modum solvendi mutare, saltem non invitis illis, qui solvere tenentur) non tantum, quia praescriptio talis perniciosa esset ecclesiae, sed indecens etiam sit, et tam iuri divino, quam naturali contrarium videatur, ut non habeat ius petendae procurationis, qui obligationem habet visitationis. Quin etiam *ex c. Accedentes*, 11. *h. t.* habemus, quod neque contra procurationes, quae debentur legatis, et nuntiis apostolicis, ullo unquam tempore praescribi possit, quo minus illis solvatur, propter honorem scilicet sedis apostolicae, in signum obedientiae erga illam, et ob publicum bonum, quod legati tales promovent; et quamvis praescriptio, et privilegium aequiparentur, per privilegium autem possit obtineri a solvendis talibus procurationibus immunitas, consequenter etiam per praescriptionem obtineri posse eam videatur; negatur tamen haec aequiparatio in omnibus locum habere, ob multa, quae praescriptioni propria sunt, non autem privilegio, et in illis in quibus expresse prohibetur praescriptio; aequiparatio haec locum habere non potest.

§. VI. *An praelatus inferior episcopo possit praescribere iura episcopalia?*

Respond. posse inferiorem episcopo praelatum omnia iura episcopalia in

certis ecclesiis dioecesis, et capellis praescribere, tam privative quam cumulative; uti habetur *ex c. Auditis*, 15. *h. t.* (cum sit capax omnia illa iura possidendi, et consequenter etiam praescribendi) nisi ea requirant ordinem episcopalem, et ita ut non plus acquirat, quam praescripsit *c. Cum olim*, 18. *h. t.* ac episcopus v. gr. iurisdictionem generalem saltem in habitu retineat, cum absolute sit suae dioecesis episcopus caput.

§. VII. *An res alienari prohibitae praescribi possint?*

Respond. non posse praescribi, si simpliciter alienari prohibeantur; posse tamen praescribi, si absolute quidem alienari possunt, servatis tamen certis solemnitatibus: prius fieri non potest, eo ipso, quod per praescriptionem res alienentur, ergo si simpliciter prohibeatur res talis alienari, praescribi non potest, nisi fortasse ante prohibitionem alienationis earum, coepta iam fuisset usucapio, aut tempore immemoriali praescripta res talis fuisset, quod praesumptionem facit facultatis a principe datae ad alienandum: posterius fieri potest, eo quod simpliciter res tales alienari possint, et in praesumptione non minus certae conditiones requirantur, quam in rerum talium alienatione.

SECTIO II.

De conditionibus ad praescriptionem requisitis, et in specie de prima, et secunda conditione.

Quatuor conditiones ad legitimam praescriptionem requiri, certum est. Prima est possessio, eaque continua, et non interrupta. Secunda est bona fides praescribentis. Tertia est iustus titulus. Quarta est tempus a lege definitum.

§. I. *An, et qualis possessio requiratur ad praescriptionem?*

Quod ad omnem praescriptionem necessario requiratur possessio, aut si incorporalia praescribantur, quasi possessio constat ex *regula iuris tertio*, *in sexto*, et *ex l. 25. ff. De usucap.* Et quidem, quod non sufficiat sola naturalis, sufficiat tamen civilis, sive sola sit in praescribente, sive coniuncta sit cum naturali, ex variis iuribus habetur; et ex ea ratione, quod ad praescriptionem ea requiratur, et sufficiat possessio, vi cuius transferri potest dominium, aut quasi dominium, sed sola naturalis possessio non est sufficiens ad transferendum dominium, alias etiam depositarius rem depositam praescribere posset, et possent duo simul eandem rem praescribere, casu quo unus eam naturaliter tantum, alter civiliter tantum eam possideret, quod est absurdum concedere, ergo sola naturalis non sufficit; sufficit autem sola civilis, per quam dominia transferri possunt.

§. II. *An laici non possint praescribere decimas ob defectum possessionis?*

Respondetur affirmative, prout expresse deciditur in *c. Causam*, 7. *h. t.* (cum sint iuris huius possidendi incapaces) ita ut ius percipiendi decimas, neque tempore immemoriali praescribere possint, quamvis optima fide illud habuerint, et fama communis, erronea tamen fuerit, quod legitima concessio facta ab ecclesiastica persona intervenerit; cum error hic nec titulum verum,

nec veram iuridicam possessionem illis tribuerit, immemoriali tempore tum tantum tituli praesumptionem inducente, si capacitas possidendi in praescribente adest. Quod si tamen cum temporis immemorialis possessione, fama communis concurreret, de legitime a praelatis ecclesiae ante Lateranense, vel a pontifice obtento iure decimandi, esset quidem hic talis laicus tam in foro interno, quam externo securus a decimarum, aut iuris decimandi restitutione, quia ipsa haec antiquitas legitimae concessionis olim factae praesumptionem inducit, si tamen postea constaret per instrumentum v. g. antiquum, modo repertum, ius decimarum per illegitimam, et invalidam alienationem ad maiores illius pervenisse, obligaretur hic talis, non obstante ulla antiqua possessione praesumpta ad restitutionem.

Intelligi tamen hoc debet, de iure decimandi spirituali, sive quod fundatur in spiritualibus administrationibus, et functionibus: quod si enim decimae per legitimam auctoritatem a titulo, seu iure spirituali separatae sunt, possunt ut sic possideri, et praescribi a laicis, cum ut sic sint laicales: a nemine tamen hodie haec decimarum a iure spirituali separatio fieri potest, nisi a solo summo pontifice, penes quem etiam huius materiae plenissima potestas est; cuius etiam est, per privilegium laicis ius hoc decimandi concedere. Plura tamen de hoc infra *in tit. De decimis.*

§. III. *An ad omnem praescriptionem, et omni tempore necessaria sit bona fides ad praescribendum?*

Quidquid sit de iure civili caesareo, de iure canonico ad omnem praescriptionem (etiam immemoralis temporis, et quae sciente domino fit), uti et omni tempore bona fides requiritur, ita ut non sufficiat, bona fide inchoatam fuisse tantum praescriptionem, sed bona fide etiam continuari debeat, donec tempus a lege praescriptum completum fuerit, uti constat ex pluribus iuris textibus; omni enim constitutioni merito derogat ius canonicum, quae sine peccato servari non potest, prout servari non potest lex, quae cum mala fide scientia scilicet, rei alienae praescriptionem permittit: et quamvis in dubio praesumendum sit, bona fide possedisse aliquem, nisi contrarium probetur, cum delictum non facile praesumi debeat, si tamen contra ius commune possessionem acquisiverit aliquis, et in tali casu possessionis suae titulum allegare non possit, contra ipsum praesumitur. Ex quo fundamento optime infertur, quod primi illi, qui contra legem, sive canonica illa sit, sive civilis rite promulgatam, et receptam egerunt, praescriptionem inchoare non potuerint, cum malam fidem habuerint; successores tamen, qui merito credere potuerint, antecessores suos in non observanda tali lege nihil deliquisse, contra talem legem praescribere possunt, cum bonam fidem habeant. Sunt quidem aliqui, qui putant debita personalia, vel contra actiones personales ad talia debita, et contra servitutes etiam hodie cum mala fide praescribi posse, cum talis sui debiti cognitionem, et scientiam habeat, quamvis creditor illius solutionem non urgeat; rectius tamen alii opinantur, ob universalem ss. canonum doctrinam, cum mala fide praescribi posse negantium, etiam in his debitis, ac servitutibus rusticis praescribendis bonam fidem ex parte praescribentis requiri: vel quod credat, se nihil debere, nisi ab adver-

sario suo moneatur, et urgeatur executio latae fortassis contra ipsum sententiae, aut servitus exigatur, vel alia invincibilis ignorantia interveniat etc. potest tamen pro foro externo fieri statutum aliquod, ad lites multas cavendas, et negligentiam dominorum excitandam, ut si intra certum tempus solutionem non urserit creditor, nullum amplius ad illud debitum elapso tali termino ius habeat pro hoc foro. Eadem tamen etiam doctrina est, circa praescribendam poenam pro delicto impositam, contra quam praescribere potest, qui debet hanc poenam, etiamsi sciat, eam se debere, modo practice etiam indicet, ad eam solvendam se non obligari, nisi exigatur, quo in casu bonam fidem practicam habet. In servitutibus vero urbanis praescribendis requiritur insuper, ut ille qui praescribit, actum aliquem positivum contra ius alterius bona fide exerceat, putans scilicet hoc sibi licere.

§. IV. *An dubitans, num res sua sit, an aliena, habeat bonam fidem sufficientem ad praescribendum?*

Qui incipit cum tali dubio rem possidere, inchoare non potest praescriptionem, quia caret bona fide; si vero post caeptam bona fide praescriptionem dubium hoc primum superveniat, potest talis non obstante hoc dubio continuare, et perficere praescriptionem, modo debitam diligentiam adhibuerit, ad dubium hoc resolvendum, prout videtur probari posse ex *c. ult. h. t.* Cum in tali casu iuxta communem iuris regulam resolvere se optima fide possit, cui dubium tale coepta iam praescriptione supervenit, quod melior sit conditio possidentis, et retinere rem talem possit; quidquid sit de eo, num sua sit, an non, ita ut speculativum quidem dubium habeat, num res haec sua sit, vel non, suspendat tamen hoc iudicium suum, et practice certus sit, quod retinere eam possit.

§. V. *An, et qualis ignorantia sive facti, sive iuris impediat bonam fidem, et consequenter etiam ipsam prescriptionem, vel non?*

Affectatam, et crassam ignorantiam non excusare a peccato, communissima sententia docet, et consequenter non minus bonam fidem tollit ignorantia illa, quam praescriptionem impedit. Si tamen invincibilis ignorantia sit facti, vel iuris non liquidi, sicuti bonam fidem non impedit, ita nec praescriptionem; quae enim a iure reprobata non est ignorantia, consistere potest cum bona fide, non tantum in foro conscientiae, sed etiam in foro externo, et consequenter cum tali ignorantia praescribi potest; prout etiam ex pluribus utriusque iuris textibus patet. Quod si vero iuris clari, manifesti, et indubitati ignorantia habeatur, quamvis invincibilis haec sit, nolunt tamen iura ad praescribendum illi favere, aut ab bonam fidem (civilem scilicet, non theologicam) sufficere, prout iterum pluribus iuris textibus ostenditur, et consequenter cum tali ignorantia praescribi non potest, cum enim a iure positivo dependeat sola praescriptionis natura, nolint autem iura ad praescribendum his favere, qui iuris indubitati ignorantiam habent, consequenter praescribere hi tales cum tali ignorantia non possunt, nisi fortasse tales personae essent, in quibus toleratur ignorantia iuris etiam clari, uti sunt milites, minores, mulieres, rustici, etc. de hac tamen quaestione consulendi civili-

stae, qui pluribus etiam ostendunt, quamvis ignorantia iuris clari non prosit ad acquirendum, prodest tamen, cum agitur de damno vitando.

§. VI. *An, et quomodo bona, vel mala fides antecessoris, seu auctoris prosit, vel obsit successori in ordine ad praescriptionem ?*

Qui succedit bonae fidei possessori in re aliqua, potest ad praescribendum etiam numerare tempus sui antecessoris, et sicuti accessione illius temporis ad complendam praescriptionem, si et ipse hic successor bonam fidem habeat; cum enim antecessor transferendo hanc rem in alium, omne etiam ius, quod circa hanc rem habebat, in eum transtulerit, habuerit autem ius, eam sibi praescribendi intra tempus a iure requisitum, cuius partem iam explevit, consequenter etiam hoc ius, ut reliquo tempore addito, rem talem praescribat, in eum transtulit. Qui vero malae fidei antecessori succedit, si singularis tantum successor sit, ex donatione v. g., venditione, legato, etc. huic equidem antecessoris tempus, quo mala fide rem possidebat, nihil prodest ad praescribendum, neque tamen mala antecessoris fides etiam impedit illum, quo minus praescriptionem inchoare possit, si bonam ipse fidem habet, et res praescribenda nullo vitio reali affecta sit, quo minus praescribi possit: impedit autem illum ad inchoandam etiam praescriptionem, quamvis malam fidem ille non habeat, si successor sit universalis, sive haeres antecessoris malae fidei: vitium enim defuncti nocere eius successori universali, cum sit (iuris fictione) una cum defuncto persona, et eadem (iuris fictione) haeredis talis, et antecessoris illius possessio, etc. passim asseritur; nisi haeres talis praeter titulum haereditatis, alio speciali titulo rem talem possideret, aut non esset haeres immediatus, sed mediatus tantum, etc. hoc enim in utroque casu non obesset mala fides antecessoris, cum in ordine ad talem rem, vel non sit una, eademque persona (iuris fictione) successor cum antecessore, vel daretur duplex fictio iuris, quae tamen a iure reprobatur.

§. VII. *An mala fides respectu unius impediat praescriptionem respectu alterius ?*

Non impedit mala fides respectu unius rei, aut iuris praescriptionem respectu alterius rei, vel iuris distincti, cum bona fides praescriptioni necessaria, circa ea tantum necessaria sit, quae praescribuntur: qui tamen absolute circa rem, quam praescribere vult, malam fidem habet, sciens eam esse alienam; etiamsi erret circa personam putans eam Titii esse, cum tamen sit Caii, praescribere non potest, parum enim interest ad malam fidem, utrum huius vel illius sit, modo sciatur res esse aliena.

§. VIII. *An, et qualiter mala, vel bona fides praelati possit obesse, vel prodesse ecclesiae quoad praescriptionem ?*

Si praelatus noverit, rem, quae ab ecclesia detinetur, notorie esse alienam, praescribere eam non potest, sed restituere tenetur, et in tali casu non censetur, rem ecclesiae alienare, quod sine solemnitatibus ipsi prohibitum, sed alienam rem suo domino restituere, quod boni administratoris est: si vero notorium non sit, rem alienam esse, neque a praelato hoc pro-

bari possit, retinere eam poterit, et praescribere, cum nullam iustam causam habeat, ab ecclesia eam alienandi: et quamvis si scientiam rei alienae habeat praelatus, capitulum vero circa eam, quae communiter a praelato, et a capitulo possidetur, bonam fidem habeat, probabilius praescriptioni locus non sit, cum propter malam fidem praelati, destruatur bona fides capituli, circa rem, quae communiter possidetur; in rebus tamen ad capitulum solum spectantibus nihil obest mala fides praelati, modo capitulum sit in bona fide, et praelati in iudicio facta confessio dicat, quod res talis aliena sit in rebus divisis, praeiudicat quidem praelato, quod suam partem (saltem quoad vivit) nihil tamen praeiudicat capitulo, quominus praescribere possit, nisi mandatum a capitulo ille habeat, pro re tali in iudicio agendi, aut praesumptio iuris sit contra capitulum, quod scilicet res talis aliena sit, *arg. cap. Si diligenti*, 7. *h. t.*

SECTIO III.

De tertia, et quarta conditione, videlicet de titulo, et tempore ad praescribendum necessario.

§. I. *An, et qualis titulus requiratur ad sufficientem, et probam praescriptionem, et quando nullus requiratur?*

Ordinarie requiri ad praescribendum practer bonam fidem iustum titulum, in confesso est apud omnes, eo quod titulus sit causa, et fundamentum iustae possessionis, et bonam fidem habere vix possit aliquis ab initio saltem, nisi habilem habeat, et sufficientem titulum ad possidendum. Neque tamen titulus hic ad praescriptionem requisitus verus debet esse, vera v. g. donatio, vera venditio, vera solutio, etc. (talis enim titulus verus sine praescriptione transfert dominium) sed sufficit coloratus, sive apparens, qui bona fide putatur validus, quamvis a parte rei non sit, qualis titulus est donatio v. g. venditio, etc. insufficiens quidem secundum se, ob latentem defectum, ad transferendum dominium in donatarium, emptorem, etc. sufficiens tamen cum usucapione, vel existimatus, ut si v. g. haeres alicui rem tradat, quasi debitam ex legato, cum revera legata non sit, vel praesumptus tantum, si scilicet ob temporis diuturnitatem intervenisse titulum ius praesumit, cum tamen fortasse nullus intervenerit. Et quidem in praescriptione ordinaria longi temporis, decem scilicet, aut duodecim annorum, sicut et in triennali usucapione titulus non praesumitur, sed requiritur, ut allegetur, et probetur titulus coloratus, vel existimatus, ut constat ex *l. Nullo*, 24. *cod. De rei vindicat. et ex can. Placuit*, 15. §. *Potest etiam aliter. Causa*, 16. *q.* 4. In praescriptione autem longissimi temporis, 30. vel 40. annorum, ordinarie non requiritur titulus, qui allegetur, et probetur, sed sufficit bona fides, qua credit praescribens titulum se habere, et causam possidendi, tametsi fortassis eam non habeat, *l.* 3. *et* 4. *cod. De praescript.* 80. *vel* 40. *annorum.* Quod longe certius est in praescriptione centenaria, vel immemoriali, cum in tali praescriptione tempus immemoriale, aut longissimum tempus vim praesumpti tituli habeat, et tribuat ex privilegio fortassis a principe, vel a lege concesso, etc. provenientis. Si tamen praescriptio talis longissimi temporis,

vel etiam centenaria fiat ab aliquo, cui ius commune ad praescribendum resistit, vel alia contra eum praesumptio pugnat, non sufficit sola bona fides ad praescribendum, sed debet titulus certus allegari, et probari (nisi praescriptio sit immemorialis, et capacitas possidendi in usucapione) *c. Si diligenti*, 17. *h. t. cap. Episcopum*, 1. *eodem in* 6. cum praesumptio sit contra bonam illius fidem, cui ius commune ad praescribendum resistit, si nullum possessionis suae titulum ostendere possit.

§. II. *Quanto tempore praescribantur res mobiles, et immobiles, contra privatos?*

Res mobiles (quae loco moveri possunt) praescribuntur triennio cum titulo, et bona fide, *l. unica cod. De usucap. transfer.* nisi sint res furtivae, quarum vitium nondum purgatum est, quae non praescribuntur, nisi triginta annorum spatio, quod tempus etiam requiritur ad praescriptionem aliarum rerum mobilium, si sine titulo usucapio fiat, ut colligitur ex *l. Sicut*, 3. *et l. Si quis*, 8. *cod. De praescript.* 30. *vel* 40. *annorum*. Res vero immobiles, quae loco moveri non possunt, uti sunt fundi, praedia, domus, et similia, inter praesentes, qui in eadem scilicet civitate, vel eiusdem territorio, ac sub eodem regimine habitant, praescribuntur cum titulo decem annis; inter absentes, qui in diversis scilicet territoriis, aut sub diverso regimine habitant, viginti annis; sine titulo vero, tam inter absentes, quam praesentes triginta annis, si sint res privatorum. Si vero praescriptio fiat absente per partem temporis praescribente, et per aliam partem praesente, servanda est proportio absentiae, et praesentiae, ita tamen, ut anni absentiae duplicentur, veluti si quis per quinque annos praesens sit, qui rem immobilem usucapit, reliquo tempore vero sit absens, quindecim anni ad praescribendam talem rem requirantur.

§. III. *Quantum tempus requiratur ad praescribendum contra ecclesias?*

Ad praescribenda bona mobilia, et contra ecclesiam romanam, sufficit triennium, cum circa haec specialia ecclesiis concessa privilegia non legantur; ad praescribendum autem bona immobilia, et iura ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, aut aliorum locorum piorum, etc. quidquid sit de iure antiquo, hodie requiruntur 40. anni de iure ordinario (et ex specialibus privilegiis ad praescribendum bona immobilia religiosorum s. Benedicti, et cum his communicantium, quoad hoc privilegium, 60. anni) ut patet ex *cap. De quarta*, 4. *c. Ad aures*, 6. *et c. Illud autem*, 8. *h. t.* ob speciales his locis, et causis concessum favorem, ita tamen, ut si res eadem, quae praescribitur, prius per tempus aliquod privati fuerint, postea in ecclesiam transferatur, ea servetur proportio, ut tempus quidem illud, quo contra privatum praescribitur, computetur, addatur vero tantum temporis, quantum illi deest, iuxta ecclesiarum privilegium, complendo scilicet praescriptionem intra 20. annos, si contra privatum v. gr. per 5. annos coepta sit, dimidiam scilicet partem temporis habendo ex usucapione contra privatum, et alteram dimidiam partem accipiendo ex usucapione contra ecclesiam. Excipitur tamen ab hoc iure communi quadragenariae contra ecclesiam prae-

scriptionis casus specialis, quo iura alicuius ecclesiae ab haereticis; vel schismaticis recuperatae, et ad fidem catholicam conversae ab episcopo v. g. convertente intra trienninm praescribuntur, prout deciditur in *c. Placuil*, 1. *h. t.* ob favorem scilicet fidei, et ad excitandam episcoporum diligentiam, si in culpabili mora convertendae talis plebis proprius episcopus fuerit.

Ad praescribenda bona immobilia, et iura ad ecclesiam romanam pertinentia requiritnr tempns centum annorum, pront sumitur ex *c. Ad audientiam*, 13. *h. t. et c. Cum vobis*, 14. *eodem*, quod privileginm centenariae praescriptionis etiam aliis indirecte, et in consequentiam prodesse potest, quatenus ins habent ab ecclesia romana, et huic praeiudicantur, pront etiam colligitur ex *c. Dilecta*, 4. *de confirm. utili*. Et quamvis contra ea, quae de iure divino, quoad supremam iurisdictionem, et potestatis plenitudinem, ac specialiter reservnta in signum specialis praerogativae, etc. papae conveniunt, quae nnnquam inferioribns concedi solent, nullo unqnam tempore praescribi possit, ut ex dictis patet, immemorialis tamen praescriptio negari non debet circa ea, quae nonnunquam inferioribus etiam a pontifice conceduntur.

§. IV. *De tempore, quo praescribi polest contra principem, vel eius fiscum?*

Contra principem nunquam praescribuntur, quae ipsi competunt in recognitionem supremae potestatis illins, ut dictum, neque ea bona contra principem praescribnntur, quae illi soli ratione dignitatis reservantur, si nulli subdito ea communicari a principe soleant, ut iterum ex dictis patet: quae vero ad iurisdictionem principis pertinent, subditis tamen, quamvis raro, nonnunquam solent communicari, praescribi contra illnm possunt, prout dicitur in *c. Super quibusdam*, 26. §. *Praeterea, de V. S.* sine titulo quidem tempore immemoriali; cum titulo intra 40. annos; vel si bona sint, quae ad coronam spectant, intra centum annos; cum enim tot anni requirantur ad praescribenda bona civitatis cnm titulo, *argum. l. ultim. cod. de ss. ecclesiis*, multo magis ad praescribenda bona regni requirentur.

Ad praescribenda vero bona tam mobilia, quam immobilia contra fiscum principis, si bona talia fisco iam sint incorporata, requiruntur cum titulo 40. anni; si vero nondum sint fisco tradita, et incorporata, neque etiam fisco denunciata, quamvis illi debita sint, praescribnntur tempore ordinario, sicuti alia privatorum bona; si vero denunciata iam sint fisco, nondnm autem tradita, et incorporata, quadriennio praescribuntur: de quibus videantur civilistae. Certe adversus fiscum ecclesiae romanae nonnisi centum annis praescribitur, et adversus fiscum inferiorum ecclesiarum 40. annis, sicuti supra de praescriptione contra ecclesias dictum est.

§. V. *De tempore, quo praescribi possunt bona feudalia, et emphyteutica?*

Etiam huius §. materia potius ad civilistas, quam canonistas pertinet; de ea tamen breviter dici potest, ad inducendum, vel constituendum feudum via praescriptionis, requiri cum titnlo 40. annos, sine titulo tempus immemoriale; ut tamen extraneus ius feudi contra vasallum, vel etiam contra dominum feudi praescribat, sufficere 30. annos: ut vero dominium utile feudi

praescribere possit extraneus, si ignoret hanc alienationem seu translationem in extraneum dominum feudi, requiritur tempus immemoriale, vel 100. annorum, si praescriptio fiat contra dominum feudi; si tamen extraneus rem talem in se alienatam non ut feudalem, sed allodialem bona fide possideat, praescribit eius dominium directum adversus dominum 40. annis; contra vasallum vero ecclesiae, ut ab extraneo feudum ecclesiasticum, vel ecclesiastica emphyteusis praescribatur, requiruntur 30. anni, si sciente ecclesia, penes quam est dominium directum, praescriptio talis fiat; si vero fiat ignorante ecclesia, requiruntur 100. anni, ut melius consulatur ecclesiis, quarum interest scire, quem vasallum, aut emphyteutam habeant, alii tamen minus etiam tempus sufficere putant.

§. VI. *Quo tempore praescribi possint iura quaedam spiritualia?*

Beneficium, quod possidet aliquis bona fide, cum titulo colorato contra alium, cui legitime beneficium tale collatum fuit, ut praescribat ille, 10. requiruntur anni inter praesentes, inter absentes vero 20. anni, iuxta modum, quo alia iura, et bona immobilia praescribuntur, cum peculiare privilegium, quoad talem praescriptionem non habeat beneficium: sine titulo autem non potest praescribi unquam, cum sine titulo neque bona fides adsit, quae sine canonica institutione (saltem existimata) non habetur: per hodiernam tamen cancellariae regulam statuitur, ut si quis bona fide, et cum titulo colorato, per triennium pacifice beneficium possederit, quod absque simonia (reali scilicet) ingressus est, ita ut neque intrusus fuerit in tale beneficium apostolicae dispositioni reservatum, molestari amplius super tali beneficio non possit, et tutus sit non tantum in foro externo ad vitandas lites, sed etiam in foro conscientiae ad tollendos scrupulos.

Ius eligendi episcopum, aut alium praelatum, extranei clerici, qui non sunt de collegio, ut praescribant, 40. anni requiruntur cum titulo colorato, vel tempus immemoriale sine titulo, si hoc usucapere velint exclusis capitularibus *iux. cap.* 1. *h. t. in* 6. Si vero ius hoc per praescriptionem obtinere volunt ut una cum capitularibus ipsi extranei clerici eligant, tum non opus est titulo, sed sufficit longissimum tempus 40. annorum, prout contra ecclesiam praescribitur, neque enim in hoc casu extraneis clericis ius resistit, aut magni praeiudicii res agitur, cum capitulares ab eligendo non excludantur, et horum scientia, et patientia extraneo clerico ad ius eligendi praescribendum pro titulo servire possit.

Ius patronatus, sive ius praesentandi ad beneficia, si constet ecclesiam ab initio fuisse liberam, sine titulo non praescribitur a laico, nisi tempore immemoriali: et quia praesumptio iuris tali praescriptioni resistit, cum titulo non praescribitur nisi 40. annis; si vero dubium sit, libera num fuerit ecclesia parochialis, possunt parochiani ius patronatus in tali ecclesia praescribere intra tempus relatum, cum verisimile sit illos fuisse fundatores: si autem ecclesia libera non est, sed constat, illam patronum habere, tunc ius patronatus a laico contra verum patronum praescribi potest cum titulo colorato 10. annis inter praesentes, et 20. inter absentes; sine titulo autem annis 30. prout alia bona immobilia, et iura contra privatos praescribuntur, neque

enim ut sic contra ecclesiam praescribitur, cuius parum interest hunc, vel illum habere patronum. Quid autem hac in re statutum hodie sit in Tridentino, in titulo de iure patronatus videbitur.

§. VII. *De tempore, quo praescribuntur iura servitutum, obligationes, et actiones.*

Servitus mixta, quae a re debetur personae, uti est ususfructus v. g. usus, et servitus mere realis, quae a re rei debetur, sive affirmativa illa sit, sive negativa, sive rustica, sive urbana, cum bona fide, et titulo inter praesentes 10. annis acquiritur, inter absentes 20. annis, sine titulo annis 30. nisi servitus continua aut quasi continua fiat sciente, et patiente domino, ad quam taliter praescribendam etiam sine alio titulo sufficiunt 10. anni inter praesentes, et 20. inter absentes; aut sit discontinua, quae sine titulo non praescribitur, nisi tempore immemoriali, ita tamen ut ad hanc praescriptionêm non requiratur scientia, et patientia domini. Amittuntur vero per praescriptionem servitutes, reales quidem rusticae per solum non usum, 10. annis inter praesentes, et 20. annis inter absentes : urbanae vero per non usum, et positivum actum praescribentis contrarium servituti debitae; prout variis iuris sui textibus probant civilistae, quos consule, tam de servitutibus praescribendis, quam de aliis actionibus, et obligationibus, quoad tempus praescriptionibus talibus necessarium.

§. VIII. *Quomodo praescriptio temporis immemorialis, et centenaria inter se differant, et qualiter utraque probetur?*

Immemorialis possessio dicitur illa, cuius initium hominum memoriam excedit, hominum scilicet, qui tum vivunt; censetur autem excedere hominum memoriam, quod excedit 100. annos, qui est finis ordinarie vitae longaevae hominis, ut adeo praescriptio immemoralis in eo differat a centenaria, quod huius praescriptionis sit certus terminus, et non requiratur ignorari huius initium, illius vero immemorialis praescriptionis non sit certus terminus, et non sciatur, quando caeperit. Quin etiam differant inter se ex modo probandi, quamvis enim utraque per testes probari possit, potest tamen centenaria etiam per instrumentum publicum probari, ex quo de possessione 100. annorum constat, et immemorialis ut legitime per testes probetur, debent hi deponere, quod haec ita esse a suis maioribus viderint, et audiverint; neque unquam contrarium viderint, vel audiverint; et quod communis semper opinio, et fama publica fuerit, rem ita, et ita se habere; et ex probabili debent hi testes 54. annorum esse, qui de 40. annis testentur, intra hoc tempus nunquam vidisse, vel audivisse se aliud.

SECTIO IV.

De nonnullis impedimentis praescriptionis, quo minus ea procedat, vel caepta, continuetur, et de restitutione adversus eam iam completam.

§. I. *Quando praescriptio non procedat, sed non currat, vel dormiat, aut suspendatur?*

Praescriptio dicitur non procedere, sive non currere, quando ob aliquam causam incipere non potest, vel quia deest possessio civilis, sine qua nulla datur usucapio; vel quia bona fides, aut titulus deficit, si hic ad praescribendum est necessarius; vel denique ex incapacitate ipsius rei ad praescribendum hic, et nunc inhabilis: dormire dicitur praescriptio, quando inchoata quidem legitime iam est, et propter impedimentum interveniens ad aliquod tempus currere non potest, sed suspensa manet, et quasi quiescit, ita tamen, ut cessante tali impedimento, iterum currat, et continuari possit ad praescriptionem complendam tempus, quod, antequam dormiret praescriptio, currebat, et tempus, quod post ablatum impedimentum currit. Censetur antem tali modo dormire, primo tempore hostilitatis sive belli, uti patet ex *c. Ex transmissa*, 10. *h. t.* Secundo dormit praescriptio contra ecclesiam, quando haec vacat *c.* 1. *et ult. Ne sede vacante, etc.* vel si praelatus agere non possit censura aliqua, aut impedimento iuris (non facti tantum) impeditus *c.* 1. *et c. Auditis*, 15. *h. t.* Tertio contra ecclesiam romanam dormit, si schisma sit in illa ecclesia; vel contra romanum imperium, si vacat hoc; aut contra pupillum, si duret adhuc pupillaris aetas etc. quia in his casibus aut iura non dicuntur, vel de iure agere non potest, contra quem praescribitur, vel suo legitimo defensore caret ecclesia etc.

§. II. *Quando, et quomodo praescriptio interrumpatur, et an etiam per impetrationem privilegii contrarii.*

Interrumpi dicitur praescriptio, quando antequam completur, ita cessat, ut cessante etiam interruptionis causa prius, et posterius tempus non continuetur ad complendam praescriptionem, sed de novo debeat inchoari, et totum tempus praecedens interruptionem sit extinctum, prout sumitur ex *c. Illud autem*, 8. *h. t.* qualis interruptio censetur fieri, quando deficit aliquid, quod ad substantiam, sive essentiam praescriptionis requiritur, ut si amittatur possessio civilis, si cesset bona fides, si cesset titulus, ubi hic requiritur, vel si iura ita disponant (a quorum dispositione praescriptio vim suam, et auctoritatem habet) prout de praescriptione longi, et longissimi temporis disponunt, quod interrumpatur per litis contestationem iuridicam, si postmodum sententia contra possessorem lata fuit, nisi praesumptio sit ex sufficientibus coniecturis contra actorem, quod litem malo animo, praecise ad interrumpendam aut prolongandam praescriptionem, moverit.

Si quis autem impetret privilegium contrarium praescriptioni, interrumpitur quidem praescriptio, si ea nondum completa sit, quia post impetratum privilegium videtur esse in mala fide praescribens, ex hoc videlicet capite ad privilegium sibi impetrandum motus, quod putaret rem talem ad se non

pertinere; si vero completa iam sit, nihil ei nocet privilegium impetratum contrarium praescriptioni, sed hoc tantum operatur, ut in posterum praescriptione uti non possit ad rem praescriptam sibi defendendam, cum huic, eo ipso, quod privilegium contrarium praescriptioni impetrare vel voluerit, vel impetraverit, praescriptioni renuntiasse videatur; cui tamen non renunciat, si privilegium, quod non est contrarium praescriptioni, impetravit, cum tale privilegium ad maiorem tantum cautelam, et corroborationem praescriptionis, etc. impetrari potius videatur.

§. III. *Quibusnam remedium restitutionis in integrum competat adversus praescriptionem?*

Conceditur hoc privilegium primo minoribus 25. annis, adversus praescriptionem etiam longissimi temporis, ut eam petere possint intra quadriennium post impletum 25. annum. Secundo conceditur ecclesiis, aliisque piis locis, quamvis 40. aut 100. annorum praescriptio contra ea completa iam fuerit. Tertio conceditur nonnunquam etiam maioribus, si iusta causa subesse videatur, ob quam prius, dum contra eum currebat praescriptio, agere non potuit: et quidem contra praescriptionem longi temporis iusta etiam causa concedendae restitutionis in integrum maioribus, videtur etiam aliquibus esse, quod invincibiliter ignoraverit aliquis currentem contra se praescriptionem; quam tamen ignorantiam iustam causam concedendae maioribus restitutionis in integrum negant aliqui, quia praescriptio aeque praeiudicat ignoranti, ac scienti *iuxta c. Vigilanti, 5. h. t. et l. ult. cod. de praescript. long. temp.*

TITULUS XXVII.

DE SENTENTIA, ET RE IUDICATA.

SECTIO I.

De sententia.

§. I. *Quid, et quotuplex sit sententia, et quomodo a re iudicata differat.*

Sententia in genere definiri potest, quod sit iudicialis decisio rei controversae per pronuntiationem iudicis rite factam, liti finem imponens. Duplex autem est sententia, alia definitiva, quae principalem causam definit, eique finem imponit per absolutionem, vel condemnationem: alia est interlocutoria, quae non super principali negotio, sed super aliquo emergente, vel incidente articulo inter principium, et finem causae fertur, quae a definitiva in eo etiam differt, quod definitiva ordinarie ab eodem iudice revocari non possit, possit autem interlocutoria ante definitivam, ut quae nunquam respectu iudicis in rem iudicatam transit, nisi habeat vim definitivae, imponentis finem illi instantiae.

Differt autem a re indicata sententia, quod haec sit ipsa iudicis definitio, et pronuntiatio, illa vero sit res controversa, de qua sententia lata est, et quae per iudicis decisionem finem accepit; subinde tamen pro eodem videntur sumi sententia, et res indicata, ut cum dicitur sententiam transire in rem iudicatam, quae tamen videtur potius esse quaestio de nomine.

§. II. *Qualis sententia sit ferenda?*

Sententia ferri debet secundum legum, et canonum praescripta, ita ut contra ius constitutionis lata, sive contra legem, aut canones clare, et indubitate praescribentes certam aliquam in re certa sententiam, aut modum, sit ipso iure nulla, etiam si praetextu consuetudinis reprobatae a iure lata sit *c. Cum causa*, 8. *h. t.* cum consuetudo talis nihil valeat, et iudex non habeat ius arbitrandi contra legem, aut canones. Si vero lata sit contra ius litigatoris, contra merita causae scilicet, valida quidem sit talis sententia ob praesumptionem pro iudice, (ita tamen ut appellatio remedium afferre possit) si error iuri litigatoris contrarius in sententia expressus non sit (nisi notorie iniusta esset sententia *c. Inter caeteras*, 9. *h. t.*) nulla tamen sit ipso facto, si error hic iuri contrarius expressus in sententia sit, quae enim praesumptio pro iudice est, si error taceatur, cessat, si error exprimatur.

Debet autem sententia iudicis non tantum certa esse, etiamsi summa incerta petita sit, quatenus res in iudicium deducta patitur, sed debet etiam expresse, vel saltem virtualiter continere absolutionem, aut condemnationem, non tamen causam, quae iudicem movit ad absolvendum, vel condemnandum, *iuxta c. Sicut*, 16. *h. t.* nisi necessitas praecepti urgeat, prout urget in sententia excommunicationis, *c.* 1. *De sentent. excommunic. in* 6. aut diversi effectus, quos sententia parere potest, expressionem causae requirant.

§. III. *Quomodo sententia ferenda sit?*

Primo ferenda est sententia partibus litigantibus ad eam audiendam, vel trina citatione, vel una peremptoria citatis, cum illi, quorum interest audire iudicatum, debeant esse, vel vere, vel interpretative praesentes, quales haberi non possunt, si citati non fuerint, et contumaciter absint, *Clem. Pastoralis*, 2. *h. t.* nisi factum sit notorium, ita ut reo nulla defensionis causa competat. *Argum. c. Cum olim*, 12. *iuncta glossa v. Absenti*, *h. t.* Si tamen legitime citatus ad audiendam sententiam ex iusta quidem, sed iudici ignorata causa, absit, tenet quidem sententia, eo absente lata, retractatur tamen, si legitimum absentiae suae impedimentum postmodum probet, aut probet eam ex alio capite iniquam fuisse, prout sumitur ex *c. Cum Bertholdus*, 18. *h. t.* ut ne reus iniuste gravetur.

Secundo ferenda est sententia cum causae cognitione, et servatis a iure praescriptis solemnitatibus, *c. Ad probandum*, 24. *iuncta glossa v. Ex alia iusta causa*, *h. t.* ita ut etiam summus pontifex in causis decidendis iuris ordinem servare debeat *c. In causis*, 19. *h. t.* (aequitate hoc exigente, et ad alios iudices redundante exemplo) nisi considerata necessitate, vel utilitate dispensative aliter agendum putet pontifex, cuius plenitudini nihil obstat ius mere positivum humanum.

Tertio debet ferri sententia definitiva pure, et non sub conditione; per hanc enim si conditio proprie dicta defutura, et extrinseca esset, non definiretur proposita controversia, sed maneret suspensa. Fatentur tamen auctores, ferri quidem eam sub tali conditione non debere, latam tamen tenere, cum per appellationis remedium corrigi possit.

§. IV. *De aliis nonnullis conditionibus requisitis ad sententiam; et ubi, ac quomodo ea ferenda sit?*

Scribi eam debere, et postea ex scripto ab ipso iudice recitari, et sedendo non stando proferri, statutum habetur in *c. Et si*, 5. *h. t. in* 6. (tum ut veritas sententiae occultari non possit, si scripto non feratur, tnm ut ipsi sententiae, et iudici ferenti maior reverentia deferatur) nisi levis tantnm, et exigui momenti causa foret, inter viles praesertim personas, quae sine scripto expediuntur, aut fori alia consnetudo esset, quae observari debet, aut sententia tantum esset interlocutoria, vel in causa notoria, vel personae sententiam talem ferentes illustres essent, aut in dignitate constitutae, quibus conceditur oh dignitatis praerogativam, nt sententiam in scripto conceptam per alium partibus proferre possint etc.

Debet autem sententia ferri in loco publico, ubi tribunal ordinarium habet iudex (si ordinarins sit; vel si delegatus sit ad universitatem causarum in loco delegantis; si vero delegatus sit ad particularem tantum causam decidendam, ferre sententiam potest in quovis loco bonesto, et congruo, cum certum tribunal non habeat) et tempore congruo, die scilicet non feriato, et eo tempore, ad quod citatio facta fnit, de die, et non de nocte; prout sumitur ex *c. Consuluit*, 24. *De offic. deleg.* tum ut omni falsitati praeveniatur, cui tenebrae potius quam dies conducunt, tum nt ne partes extraordinarie graventur, si vel loco, vel tempore extraordinario comparere debeant etc. Multum tamen in his potest ipsarum partium litigantium consensus, et loci consuetudo, qnae observari debent.

§. V. *Contra quem ferri debeat sententia, quando dominus agit per procuratorem, et quomodo sententia sit probanda?*

De iure civili contra procnratorem ordinarie ferri debet sententia, si per procnratorem civiliter agatur, et cum hoc, nomine quidem absentis, lis contestata fuerit, *l.* 1. *cod. De sentent. et interlocut. etc.* quia procurator per litis contestationem fit dominus litis, ut cum hoc quasi contractum censeatnr. Ius tamen canonicum ad has legales subtilitates nihil attendit, ita ut sententia de inre canonico valeat, sive in procuratorem, sive in principalem personam absentem concipiatur, qui enim per alium facit, perinde est, ac si faceret per seipsnm, inxta *regul. iuris*, 72. *in* 6.

Probari etiam potest, et debet sententia, si scriptura deperdita sit, per dnos testes, *cap. Cum olim*, 12. *De privileg.* ita tamen ut tria in tali casu probanda sint, actnm scilicet fuisse celebratum, instrumentum snper eo confectum, et hoc amissum fuisse, *iuxta l. Testium*, 18. *cod. De testibus.*

§. VI. *Quomodo sententia ferenda sit conformiter libello, et an si in illo certa causa expressa sit, ea probari debeat?*

Sententia ferri debet secundnm tenorem, et formam libelli, *Clement. Saepe*, 2. *de V. S.* et quidem in tribus conformis esse debet libello sententia. In re scilicet (ut index non pronnntiet de alia re, quam qnae petita est, nisi nniversaliter illa insit rei petitae; aut causa, quae agitur fuerit crimi-

nalis; vel in supremo tribunali agatur), in causa petendi (ut iudex aliam causam non proferat), et in actione (ut eam actionem sequatur iudex, quam actor instituit), sive condemnet, sive absolvat.

Si specialem causam expressit actor in suo libello, et eam probare non possit, succumbit in iudicio, et reus absolvitur; quamvis post litem contestatam nova causa superveniret, ex qua vincere posset actor, cum sententia feratur iuxta causam, quam in iudicium deduxit; si vero ex generali tantum causa domini v. gr. nulla speciali causa expressa res petatur, tum sufficit actori ad fundandam suam intentionem quamcunque iustam causam probare, *c. Abate*, 3. *h. t. in* 6. vi cuius illi competat dominium v. g., quidquid sit de rigore iuris civilis, cui aequitas canonica hac in re praevalet (ad finiendas scilicet lites) iuxta quam, qui in genere rem petit, omne suum ius in iudicium deducere videtur (ad rem illam vindicandam v. g.) non tantum quod tunc habebat, tempore litis contestatae, sed etiam, quod postea, durante iudicii processu, coepit competere.

SECTIO II.

De re iudicata, sive transitu sententiae in rem iudicatam.

§. I. *Quando sententia transeat in rem iudicatam, ita ut retractari non possit?*

Si non appellet pars litigans, contra quam sententia lata est, intra 10. dies a tempore latae sententiae computandos, cum tamen posset appellare, sententia transit in rem iudicatam, et ius facit inter partes litigantes, ita ut saltem per remedium ordinarium retractari amplius non possit, si alias de iure subsistat, *c. Quod ad consultationem*, 15. *h. t.* (cum talis, intra tempus concessum, non appellans acquiescere sententiae latae per iuris interpretationem censeatur, *c. Cum dilectus*, 32. *De elect.*) neque illa pars, contra quam lata est sententia, admittatur amplius, si iterum productis actis, vel alia ratione probare velit, sententiam contra se latam iniustam fuisse, prout sumitur ex *c. Cum inter*, 13. *h. t.* (cum res iudicata praesumptione iuris, et de iure pro veritate habeatur) aut si praetextu privilegii, in iudicio quidem exhibiti, si tamen contra illud sententia lata sit, sententiam impugnare velit, uti habetur in *c. Suborta*, *h. t.* quia sententia etiam contra tale privilegium lata tenet, quia si exhibitum in iudicio fuit, et tamen contra illud iudicatum fuit, praesumitur invalidum illud agnitum fuisse, aut revocatum ab eo, qui ius revocandi habet. Sunt tamen aliqui casus, in quibus etiam postquam sententia transit in rem iudicatam, pars victa audiatur, vel sententia retractari debeat, ut si v. g. pars victrix fateatur sententiam pro se latam, iniustam esse, vel si notorium sit sententiam esse iniustam etc. vel si a iudice admissa fuit etiam, postquam in rem iudicatam transiit sententia, exceptio, et probatio contra iniustam sententiam, quamvis enim in tali casu admittere exceptionem talem, et probationem non deberet iudex, si tamen admittit, debet super ea exceptione ferri sententia, et si iniusta fuerit sententia, haec retractari.

§. II. *An si prima sententia transivit in rem iudicatam, secunda ab aliis iudicibus v. g. delegatis contra primam lata valeat?*

Ex *cap. Inter*, 20. *h. t.* respondetur, quod non teneat secunda contra primam sententiam, qnae in rem iudicatam transiit, lata, si prima sententia iudicibus exhibita non fuit, vel nihil contra validitatem illius oppositum; teneat vero, si prima sententia exhibita iudicibns fuit, et de eins valore disputatum, cum recte in tali casu praesumatur, quod iudices primam sententiam pro nulla habuerint, etiamsi directe nihil pronuntiarint snper valore, aut invaliditate primae sententiae, sed tantum pronuntiaverint snper causa principali.

§. III. *Quando, et in quibus casibus sententia non transit in rem iudicatam, et inprimis an in causis matrimonialibus?*

Sententiam non transire in rem iudicatam, aliud non est, quam quod nulla etiam appellatione interposita, nova tamen instantia iudicii ad causam iam decisam iterum examinandam peti possit; sic sententia contra legitimum matrimonium ad hoc dissolvendum lata, vel quae lata fnit pro matrimonio, quasi legitime illud contractum fuisset, cum tamen nullum sit, nunquam transit in rem iudicatam, cum semper ad illud redintegrandum, vel ad hoc dissolvendum, et retractandam sententiam, quoties compertum fuerit, eam errore quodam latam fuisse, agi possit, ut patet ex *cap. Lator*, 7. *h. t.* neque enim ulla iuris, aut iudicis auctoritas, aut partinm consensus, etc. potest dissolvere matrimonium validum, aut invalidum reddere validum, cum talis sententia peccatum foveret, dissolvendo eos, qui veri coniuges sunt, aut coniungendo eos, qui non sunt coniuges. Et quamvis per viam simplicis querelae ad superiorem etiam causa haec deferri possit, potest tamen etiam ab eodem iudice, vel ex officio, vel per viam simplicis querelae adito sententia lata retractari, si de iniustitia hnius constiterit. Neque tamen passim, et indifferenter quilibet admitti debet ad sententiam talem impugnandam, ne nimium lites multiplicentur, et cum praesumptio stet pro iudice; sed prius a iudice summaria cognitione dispiciendum, num causa verisimilis subsit sententiae latae impugnandae.

Intelligi tamen haec debent primo, quod non transeat in rem iudicatam sententia, a qua non fuit appellatum, quoad ipsum matrimonium; quoad litis enim expensas, in qnas succumbens condemnatus fuit, transit in rem iudicatam sententia, si ab hoc congruo tempore appellatum non fuit, cum pro hoc casu nihil probet allata ratio. Secundo, quod transeat in rem iudicatam sententia, a qua appellatum non fuit, si pro favore matrimonii ex errore quidem male iudicatum sit, error tamen hic ex consensu partium corrigi possit; si v. gr. de matrimonio gravi metu iniuste incusso iudicavit iudex, quod validum illud sit, et pars metum passa non appellavit post latam sententiam, sed potius vel de novo in matrimonium expresse consensit, vel marito v. gr. matrimonialiter post latam sententiam cohabitavit, ita ut in matrimonium prius ob metum invalidum, postmodum consensisse praesumatur, quia sententia talis non fovet peccatum. Tertio transit in rem iudicatam sen-

tentia (saltem quoad nocentem coningem) si non quidem ad dissolvendum matrimonii vinculum, sed in causa divortii ad cohabitationem tollendam lata sit, quia neque haec sententia peccatum fovet, ita tamen, ut innocenti semper liberum sit, etiam post terminum appellationis elapsum, ad reconciliationem partis nocentis agere, nisi nocens statum iam mutavisset, professionem religiosam faciendo.

§. IV. *De aliis nonnullis casibus, in quibus sententia non transit in rem iudicatam.*

Primo sententia censurae, excommunicationis, suspensionis, et interdicti, etiam post elapsum decennium ad appellationem concessum, non transit in rem iudicatam, quo minus excommunicatus v. gr. petere possit absolutionem, vel de iniusta excommunicatione conqueri, non quidem per viam appellationis, sed per simplicem querelam *c. Cum contingat*, 36. *De offic. iud. deleg. c. final. De paenis*, *c. Sacro*, 48. *de sent. excom. et gloss. in c. Ad reprimendum*, 8. *v. Suspendatur*, *de off. iud. ordin.* ob eandem scilicet rationem, quae pro causis matrimonialibus militat.

Secundo sententia lata in causa beneficiali, a qua intra decem dies non est appellatum, non transit in rem iudicatam in praeiudicium ecclesiae (ob favorem scilicet ecclesiae) vel in praeiudicium animae, si periculum peccati immineat, *arg. c. Lator.* 7. *h. t.* ita ut possit vel ex officio iudex contra talem, pro quo lata est sententia, inquirere, vel simplicem alterius querelam admittere, et audire: in proprium tamen praeiudicium beneficiati v. g. contradicentis sententiae latae transit haec in rem iudicatam, si suo tempore contra eam non appelletur, *c. Cum dilectus*, 32. *de elect.*

Tertio, sententia ex falsis instrumentis, et testimoniis lata non transit in rem iudicatam, etiamsi conveniente tempore ab ea appellatum non sit; sed si probari possit, quod iudex ex eorum falsitate ad sententiam ferendam motus fuerit, retractari haec debebit, *c. Sicut*, 9. *De testibus*, *et c. Cum I. et A.* 22. *h. t.* ut ne malitia partis litigantis, et iudicis condemnantis obsit innocenti oppresso a falsis instrumentis, et testimoniis.

Quarto, non transit in rem iudicatam decisa lis, quae ex iuramento necessario in supplementum probationum parti a iudice delato, definita fuit, quin retractari ea postmodum possit, si per nova instrumenta constet de falsitate iurantis, *l. Admonendi*, 31. *ff. de iureiurand. iuncta glos. In casu*: neque enim quod ex iure speciali tantum fit, uti fit litis decisio, per iuramentum necessarium partis, praeferendum est ei, quod fit de iure communi, prout se habet probatio, quae fit per instrumenta legitima: haec tamen non probant contra iuramentum voluntarium parti a parte delatum, quo in casu decisio litis non fit in vim sententiae a iudice latae, sed in vim transactionis inter partes celebratae.

Quinto denique nulla sententia, quae ipso iure invalida est, transit unquam in rem iudicatam, quo minus usque ad triginta annos de nullitate illius agi possit; tum quod exigat hoc iuri debita reverentia, tum quod saepe in talibus sententiis periculum animae vertatur.

SECTIO III.

De sententiis latis a pluribus iudicibus super eadem causa.

§. I. *Si plures iudices in aliqua causa diversas proferant sententias, quinam illarum valeat?*

In casu, quo plures hi iudices omnes sunt praesentes, dum diversas ferunt sententias, plurium sententia, sive maioris partis, quae in unam sententiam convenit, tenet, ut tradit *gloss. in c. final. h. t. v. Proferentibus,* et sumitur *ex can.* 1. *et* 2. *dist.* 65. nisi vel ex speciali rescripto, aut privilegio quaelibet sententia pro nulla habeatur, si non concordibus iudicum votis lata sit; vel nisi causa decidenda sit ex consensu duorum collegiorum, quo in casu non maior pars quoad numerum personarum attenditur, sed maior pars utriusque collegii.

In casu vero, quo duo sunt iudices, quorum quilibet diversam ab altero sententiam profert, vel plures quidem eorum sunt, in numero tamen aequali in ferenda sententia discordant, tenet illa, si iudices sint ordinarii, et iurisdictionem in solidum quilibet eorum habeat, quae pro reo fertur, non autem, quae fertur pro actore (cum favorabiliores sint partes rei, quam actoris *reg.* 115. *ff.* et promptiora sint iura ad absolvendum, quam ad condemnandum, *c. Ex literis,* 3. *de probat.*) nisi sententia pro actore in causa favorabili, pro valore matrimonii v. gr., pro libertate, pro dote, pro valore testamenti etc. lata sit; his enim in casibus, si iudices dicti aequali numero discordent, valet sententia, quae pro actore lata est, ob specialem causarum illarum favorem. Si vero sint iudices ad specialem tantum causam delegati, qui in aequali numero quoad sententiam discordant, tunc superior, sive delegans adeundus est, ad quem causa sufficienter instructa remitti debet pro sententia obtinenda, quia in tali casu neuter habet iurisdictionem in solidum (saltem quoad usum, et exercitium) et unus sine altero procedere (ordinarie) aut sententiam ferre non potest.

§. II. *Utrum ex pluribus iudicibus, vel arbitris omnes, vel saltem maior pars sententiam proferre debeat, an vero sufficiat, si unus eorum proferat?*

Si unus iudicum vel arbitrorum, praesentibus aliis, mandantibus, aut consentientibus (saltem ex maiore parte) scriptam sententiam recitat, perinde censeri debet, ac si simul ab omnibus iudicibus, vel arbitris recitata fuisset, quamvis enim sententia proferri non possit per alium, ut dictum, potest tamen proferri per alium, qui est de numero iudicum, modo in plurali numero loquatur: *Nos iudices, nos arbitri etc. c. Cum ab uno,* 4. *h. t. in* 6. cum talis sententia non proferatur ab uno nomine capituli, et collegialis non sit.

§. III. *An sententia lata a pluribus coniudicibus, quorum unus iurisdictione privatus est, vel eam impeditam habet, valeat?*

Non valere eam, si delegati hi coniudices sint, probat *c. Ad probandum,* 24. *h. t.* etiamsi dati hi iudices fuissent cum clausula. Quod si non

omnes, vel ut si unus nolit, vel non possit, alter solus, vel alii procedant sine illo: neque enim horum cuilibet in solidum iurisdictio competit, sed simul omnibus, et dum cum inhabili vitando, excommunicato v. gr. procedunt, suam etiam iurisdictionem inficiunt, ut nulla sit illorum sententia; quae tamen ratio cum locum non habeat in iudicibus ordinariis, quorum quilibet sine altero in solidum iurisdictionem habet, consequenter valebit sententia, quamvis ea a pluribus feratur, quorum unus est excommunicatus v. gr. vitandus etc. nisi etiam hi scienter admiserint excommunicatum vitandum, quo in casu nulla etiam illorum est sententia, in poenam temerariae admissionis excommunicati v. gr. vitandi.

SECTIO IV.

De effectu, et executione sententiae, et poena iudicis perperam iudicantis.

§. I. *Quis sit effectus sententiae latae inter partes litigantes, et an ea etiam prosit vel obsit aliis?*

Praecipuus effectus sententiae definitivae est, quod inter partes litigantes, inter quas lata est, ius faciat, si ab ea non fuit tempore congruo appellatum, aut appellatio deserta fuit, quia tum habetur pro veritate iuxta *reg.* 207. *ff.* aliis tamen, inter quos lata non est, ordinarie non praeiudicat, *c. Quamvis, penult. h. t.* neque enim uni per alterum iniqua conditio inferri debet, et cum litigantes inter se quasi contrahant, in ordine ad iudicem, coram quo litigant, etiam sententiam ferre debent, quae in causa tali pronuntiabitur: contractus autem eos tantum, qui inter se contraxerunt, obligant, consequenter nemo alius, quam litigantes, hac sententia tenebitur; et sicuti aliis ea non obest, ita nec aliis ea prodest: nisi is, cui principaliter, et primo loco actio vel defensio causae in iudicium deductae competit, alium patiatur agere, quem prohibere posset, se substituendo in locum illius, vel protestando contra illum, uti patet *ex l. penult. ff. de re iudic.* vel si passus fuit eum, a quo causam habet, agere, aut defendere in iudicio, prout iterum ex *cit. c. penult.* patet; vel nisi propter criminis v. gr. consortium infamia etiam in consortem redundet, aut aliorum legitime citatorum, qui tamen ad iudicium venire noluerunt, intersit sententia lata; aut denique causae sint connexae, ita ut non possit pro uno, aut contra unum ferri sententia, quin illa etiam alterum afficiat.

§. II. *De aliis nonnullis effectibus sententiae.*

Plures sunt etiam alii effectus sententiae definitivae. Et primo quidem, quod per illam lis, seu controversia finiatur *argum. c. Iurgantium*, 2. *h. t.* saltem quoad instantiam iudicii, cum iudex sententia definitiva lata functus sit suo officio, et quoad hanc causam iudex esse desinat; quamvis eodem die, quo tulit sententiam, supplere adhuc possit, quae ad causam consequentia spectant, ut si omisit condemnare ad expensas litis, vel ad fructus restituendos etc. immo si ordinarius iudex est, non tantum declarare postmodum potest, sententiam a se latam nullam esse, sed denuo causam talem

ex integro resumere potest, quia nullam sententiam ferendo non censetur suo officio functus.

Secundus latae sententiae definitivae effectus dici potest, quod ea a superiore, si rite, et iuste lata sit, sit confirmanda, prout sumitur *ex cap. Ea quae*, *4. h. t.* si nimirum confirmatio talis a superiore postulata fuit ad maius scilicet latae sententiae robur.

Tertius effectus dici potest, quod nullum sit rescriptum contra sententiam prius latam impetratum, si huius non fiat mentio, et consequenter etiam collatio v. gr. beneficii, si facta fuit vi talis rescripti, nulla erit, prout sumitur ex *c. Cum olim*, *12. h. t.* verisimile enim est, quod papa v. gr. tale rescriptum concessurus non fuisset, contra sententiam, aut pronuntiationem prius a se factam, cum nemo in dubio praesumatur proprium factum impugnare, sed potius praesumatur circumventus, ita ut nec motus proprius praesumptionem hanc, quae iuris, et de iure est, corrigat.

Quartus effectus sententiae definitivae dici potest, quod interdum irroget infamiam reo condemnato, qualiter *in l. Athletas*, *§. ult. ff. De his, qui nota infa.* statuitur de condemnatis in causa iniuriarum, sive civiliter, sive criminaliter de iniuria agatur.

Quintus denique effectus sententiae definitivae dici potest, quod ex sententia pro actore lata competat ei actio in factum, ad praestandum id, in quo reus condemnatus est: quae actio sicuti haeredibus etiam actoris datur, ita etiam contra haeredes rei datur. Reo autem absoluto per sententiam datur exceptio rei iudicatae contra actorem, eiusque haeredem.

§. III. *Per quem, et quo tempore, modo, ac ordine executio sententiae facienda sit?*

Executio sententiae fieri debet ab eo iudice, qui eam tulit, siquidem sit ille ordinarius, *l. A divo Pio*, *15. iunct. gloss.* v. *A se ff. de re iudic.* aut papae delegatus, *c. In literis*, *9.* iunct. gloss. v. *In casu, et c. Pastoralis*, *28. De offic. iud. deleg.* ita ut si interposita appellatione iudex appellationis prius latam sententiam confirmet, quam tulit iudex a quo, ad hunc remittere debeat partes pro executione, ut iudicium, ubi latum est, ibi etiam perficiatur, ad meliorem reipublicae, et talium negotiorum ordinem. Et quamvis multi dubitent, utrum haec ipsa executio etiam competat delegatis ab inferiore aliquo magistratu, ab episcopo v. gr., vel utrum partes ad delegantem pro executione remittendae sint, cum delegatus talis omni suo officio functus videatur, pronuntiando sententiam; quia tamen, cui causa expedienda committitur, omnia etiam commissa merito censentur, quae ad causae talis expeditionem spectare videntur, ideo probabilius est etiam his delegatis suae sententiae executionem competere, nisi specialiter haec illis prohibita esset.

Non est tamen sententia (saltem in civilibus) statim executioni mandanda, sed expectandum est saltem per dies decem (ut locus detur interponendae appellationi, si parti gravatae videatur appellandum) et in debitis personalibus tempus a iure definitum ad executionem, est tempus quadrimestre, quod condemnato ad solvendum conceditur, prout patet ex *c. Quod*

ad consultationem; ita tamen, ut ex iusta causa possit hoc tempus abbreviare Iudex. In realibus vero actionibus sententia statim ut ea in rem iudicatam, post decem dies appellationi concessos, transiit, executioni mandanda est, et rei possessio actori, pro quo iudicatum est, danda, ita ut ad executionem non sufficiat, pignora tantum dare pro re, ad quam condemnatus est, *iuxta c. Cum aliquibus*, 6. *h. t.* nisi restitutio statim facienda impossibilis esset, aut pars victrix sponte pignora v. gr. pro re, vel aestimationem rei, etc. admitteret, in cuius favorem restitutio praecepta est, et cogenda esset. In causis vero criminalibus executio statim fieri potest, praesertim in Germania, ubi iuxta stylum criminaliter condemnato non conceditur appellationis remedium.

§. IV. *An is, cui commissa est executio, possit admittere exceptiones oppositas contra executionem sententiae, et de illis cognoscere?*

Duplex communiter dicitur executor, si distinctus hic a iudice sit, alius dicitur, et est merus executor, cui nulla cognitio, sed sola executio causae iam plene cognitae, et decisae committitur, alius mixtus dicitur, et est, cui non mera executio, sed aliqua etiam cognitio de facienda executione committitur: hic ergo admittere potest exceptiones, quae tendunt non ad impugnandam sententiam, ac illis de aliqua iniustitia arguenda, sed quae tendunt ad impediendam, aut retardandam executionem, et de illis cognoscere, *c. De caetero*, 5. *h. t.* neque enim assumere sibi debet executor partes iudicis, cui de causa principali cognoscere convenit. Si vero merus executor quis constitutus sit, nulla ipsi cognitio causae competit, et consequenter admittere non potest ullam exceptionem, sed sola exequendi necessitas illi incumbit (cum omnis cognitio etiam ad executionem pertinens supponatur in tali casu praemissa) quamvis sciat iniustam sententiam a iudice latam, cum illius non sit discernere iuste an iniuste iudicatum sit, nisi iniusta sententia lata esset in causa criminali, ubi de vita, aut membris hominis agitur (ad cuius velut intrinsece malae executionem nemo cogi potest) vel in causa etiam civili indubitate nulla esset lata sententia (cum sententia nulla non sit sententia, neque transeat unquam in rem iudicatam) prout colligitur *ex c. Super eo*, 2. *De crimi. falsi*, et quamvis multi sint, qui dicunt, executorem non posse exequi sententiam formaliter iniustam, ex malitia v. gr. iudicis latam, si sciat formaliter eam iniustam esse, cum in tali casu nihil operari possit praesumptio pro iudice, sunt tamen etiam, qui cum glossa in *c. Pastoralis*, 28. §. *Quia vero, v. Etiam si sciat*, *de offic. iud. deleg.* contrarium teneant, quod scilicet merus executor sententiam etiam, quam scit formaliter iniustam, exequi possit, si onus impositum declinare non possit, aut non possit ad superiorem velut gravatus recurrere, tum quod pars sibi adscribere debeat, si quod patitur ab executore tali incommodum, eo quod intra tempus debitum non appellaverit; tum quod huic parti contra iudicem de damno dato agendi remedium adhuc supersit. Huic tamen etiam mero executori, quamvis nulla iurisdictio competat, non tamen omnis coercitio, (facti scilicet) neganda est contra executionem impedientes, ne inanis sit facta illi executionis commissio.

§. V. *An tertius interveniens pro suo interesse possit impedire executionem sententiae inter alios latae?*

Ex *c. Cum super*, 17. *h. t.* habetur, quod, quamvis contra principalem actorem in iudicio sententia lata sit, tertio tamen, cuius interest, qui tamen iudicio tali non interfuit, nihil noceat, neque exinde praeiudicium aliquod pati debeat, ita ut appellare etiam possit a lata sententia, neque executioni ea mandari possit, donec etiam illius tertii causa, qui ob suum interesse, postquam cognovit sententiam hanc latam fuisse, legitime appellavit, cognita fuerit, nec possessio rei, vel iuris ipsi auferri, cum nemini sine causae cognitione sua possessio auferri debeat. Ex quibus facile patet, posse tertium pro suo interesse intervenientem impedire executionem sententiae inter alios latae, ita ut contra reum quidem condemnatum in iudicio sententia confirmari possit, contra tertium vero, si rationabiliter appellavit, infirmari, vel saltem executio illius suspendi: quamvis ante appellationem interpositam summarie probare debeat hic tertius appellans, suo interesse, latam contra alium sententiam, vel certe praestita prius cautione indemnitatis ille cavere deberet, si executio videretur urgere.

§. VI. *An is, contra quem in aliqua causa tres sententiae conformes sunt latae, admitti debeat ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicuius ex illis, vel ad excipiendum, antequam huiusmodi sententiae plene fuerint executioni mandatae.*

Respondetur ad hanc quaestionem, in *Clem. Ut calumniis*, 1. *h. t.* negative, sive deinde sententiae hae fuerint interlocutoriae tantum, sive definitivae, sive immediate ad se invicem, sive mediate latae, ut occurratur scilicet calumniis litigantium, prout dicit pontifex. Quae constitutio locum etiam habet in causa criminali, ita ut executio illius fieri debeat, antequam agatur de nullitate sententiarum, si scilicet de tali causa criminali agatur, cuius executio postea retractari potest. Quod si tamen plene sit facta executio contra talem, tribus conformibus sententiis super eodem articulo condemnatum, non prohibetur hic agere, aut excipere, ac admitti debet contra nullitatem harum sententiarum, vel alicuius ex illis, ne innocens nimium gravetur.

§. VII. *Quae sic poena iudicis male iudicantis?*

De iure civili iudex, qui male iudicavit, litem suam facit, sive se periculo litis obstringit, ad omne damnum parti laesae, vel ad litis saltem aestimationem resarciendam, etc. de iure canonico vero, si contra suam conscientiam, et contra iustitiam male iudicavit iudex ecclesiasticus, ita ut pars litigans in iudicio tali committendo, et non negligendo tantum gravetur, motus ad sic iudicandum favore alterius partis, vel odio, timore, aut per avaritiam, etc. incurrit suspensionem insuper per annum ab officii executione, uti habetur in *c. Cum aeterni*, 1. *h. t. in* 6. dignum est enim, ut ait pontifex, ut, qui in tot offendit, poena multiplici castigetur.

TITULUS XXVIII.

DE APPELLATIONIBUS, RECUSATIONIBUS, ET RELATIONIBUS.

SECTIO I.

De appellationibus in genere.

§. I. *Quid, et quotuplex sit appellatio, et cur sit inducta?*

Appellatio communiter definitur, quod sit a minore, seu inferiore ratione gravaminis illati, vel inferendi, ad maiorem, seu superiorem, tanquam iudicem, facta provocatio. Duplex autem est appellatio, iudicialis, et extraiudicialis. Illa fit ab actibus iudicialibus, et interponitur, vel ante litis contestationem, ratione gravaminis scilicet, in iudicio ante litis contestationem evenientis; vel post litis contestationem ante sententiam definitivam, circa interlocutoria; vel denique fit ab ipsa sententia definitiva, aut eius executione. Extraiudicialis est, quae fit ab actibus extraiudicialibus gravantibus, vel quod iudex extraiudicialiter procedens gravet, vel quod alii per electionem v. gr. factam, aut futuram gravamen aliquod inferant. Et quamvis haec extraiudicialis appellatio proprie dicta appellatio non sit, nec in odiosis statuentibus aliquid de appellatione, appellationis nomine veniat, et non requirat iudicem *a quo*, et *ad quem*, potest tamen in latiore aliquo sensu appellatio dici, quia ad iudicem superiorem causam v. gr. defert. Causae autem, ob quas appellationis remedium introductum est, sunt plures. Prima est, ut gravamen inique illatum removeatur. Secunda, ut iniquitas, seu imperitia iudicum corrigatur. Tertia est, ut laesus per propriam ignorantiam, vel negligentiam ius suum consequi possit, et hinc appellatio proprie dicta, quoad substantiam, est iuris naturalis, quia est praesidium innocentiae, quoad formalitates vero, seu solemnitates appellationis, est iuris positivi.

§. II. *Quid sit supplicatio, et quomodo ab appellatione differat?*

Supplicatio proprie, et stricte dicta, prout in hoc titulo accipitur, aliud non est, quam humilis petitio, per quam allegata laesione, sive gravamine, a principe v. gr. petitur, ut sententia lata contra supplicantem, ex mera gratia, et benignitate principis retractetur; cum enim ordinarium appellationis remedium huic fortasse non competat, aequum videbatur, ut extraordinario remedio supplicationis ei succurratur. Differt autem ab appellatione primo, quod appellatio suspendat executionem sententiae, non autem supplicatio stricte dicta, (quae, cum meram gratiam quaerat, executionem impedire non debet) sed cautio ab eo, pro quo lata est sententia, praestari debet de restitutione facienda, si supplicans causam obtinebit. Secundo differunt inter se appellatio, et supplicatio haec, quod appellatio fieri debeat intra decem dies a lata sententia, supplicatio autem institui potest usque ad biennium, ita tamen ut, si non fiat intra decem dies, sed intra duos annos, executio sententiae fieri possit, etiam nulla praestita satisdatione. Tertio differunt, quod appellatio fiat ad superiorem iudicem, supplicatio vero plerum-

que ad eundem iudicem, principem v. gr. qui sententiam tulit. Quarto differunt, quod appellatio sit remedium ordinarium in iustitia fundatum; supplicatio vero sit remedium extraordinarium in gratia principis, cui supplicatur, fundatum etc., posterioribus tamen his temporibus beneficium revisionis ad exemplum supplicationis introductum est, ita tamen, ut etiam revisio haec a vera supplicatione differat, quae non suspendit executionem sententiae, ut dictum, cum tamen revisionis beneficium suspendat executionem sententiae, donec causa cognita constare possit, rescindenda num sententia sit, an confirmanda, vel reformanda.

SECTIO II.

De iis, qui appellare possunt?

§. I. *Quibusnam in genere appellare permissum sit?*

Appellare potest non tantum ille, contra quem sententia lata est, sed quilibet alius, cuius interest ex aliqua causa, non ita fuisse iudicatum, etiamsi iudicio non intervenerit, ut ex dictis iam patet, ita ut non tantum suo nomine, sed alieno etiam nomine appellare possit procurator v. gr. pater pro filio, aut alius ratione commissionis etc. modo ratam habeat talem appellationem, cuius nomine appellatum est; quin etiam fieri nonnunquam potest, ut utraque pars litigantium a sententia lata appellare possit, quatenus ea ipsis in diversis articulis contraria est, si tamen a iudice etiam talis articuli decisio petita fuit: spectanda tamen est consuetudo tribunalium.

§. II. *An in causa pluribus communi unus tantum appellare possit sine caeteris?*

Fieri hoc posse, ita ut huius in causa appellationis victoria, etiam aliis prosit, si communi iure inventur, et idem negotium, eademque defensionis causa existat, ex *c. Una*, 72. *h. t.* patet, si tamen correi fuerint, in eadem causa, et per eandem sententiam condemnati, neque unus illorum sententiam primae instantiae expresse, vel tacite approbaverit, cui socii appellatio nihil prodesset, cum sponte sua ei renuntiaverit, aut tacite saltem ea se abdicaverit. Neque tamen sententia in casu appellationis contra unum ex correis lata, semper alteri correo nocet quoad condemnationem, prout sumitur ex *c. Significasti, de adulter.* cum alteri non debeat auferri necessaria defensio, neque praeiudicium generari ex condemnatione alterius.

§. III. *De aliis nonnullis in specie, de quibus dubium esse poterat, an appellare possint?*

Dubitari potest primo, utrum ille, qui iuravit pariturum se mandatis ecclesiae, possit non obstante hoc iuramento a sententia, et praecepto, quo se iniuste gravari putat, appellare? *Resp.* quod sic, prout sumitur ex *cap. Ad hoc*, 20. *h. t.* quia iuramentum generaliter praestitum explicari debet iuxta limites iuris, et iustitiae, neque extendendum ad obligationem iniustam, et iniuste gravantem: et hinc quamvis iuraverit aliquis staturum se

sententiae iudicis, qualiscunque illa fuerit, adhuc tamen, si per sententiam inique opprimatur, appellare potest, eo quod verba haec generalia non extendant se ad sententiam inique gravantem. Si tamen in tali casu frivole tantum sine iusta causa, et solius subterfugii gratia appelletur, nulla est appellatio, prout etiam patet ex *c. Quaestioni*, 21. *h. t.* quod capitulum ne priori contradicat, in hunc sensum accipi debet.

Dubitari potest secundo, an licite appellet reus, si contra procuratorem actoris excipiat in iudicio, quod non habeat mandatum, vel si excipiat, quod coram alio iudice prius iam conventus fuerit ex delegatione papae, cuius posteriores literae nullam mentionem faciunt, et in neutro casu audiatur. *Resp.* affirmative, quod in utroque casu scilicet licite appellet, prout statutum habetur in *c. Significavit*, 48. *h. t.* cum utrobique iniustum ipsi gravamen imponatur.

Dubitari potest tertio, an licite appellet reus, conventus in iudicio actione reali, si petat rem in libello petitam declarari, seu obsignari, et non audiatur. *Resp.* quod licite appellet, cum etiam hic iniuste a iudice gravetur, qui negat illi, quod a iure petendum conceditur, *c.* 2. *De libell. oblat.*

Dubitari potest quarto, utrum tutor, an mater tutrix filiorum, si nomine pupilli, aut pupillorum inviti conveniantur in iudicio, de causis post positam tutelam ortis, aut de novo incohandis, licite possint appellare? Respondetur ex *c. Ex parte*, 67. *h. t.* quod licite appellare possint contra tale gravamen, cum non possint de talibus litibus conveniri amplius pupillorum nomine, posita tutela; si tamen iis aliqua cum tutore, pupilli nomine, tempore tutelae coepta fuisset, deberet hic eam, posita etiam tutela, prosequi, nisi omnis administratio in curatorem translata fuisset, ut ne indefensus destituatur pupillus in causa, quam ipse incipere non potuit.

§. IV. *De iis, quibus non est permissum appellare.*

Primo appellare non possunt, qui tribus edictis, vel uno peremptorio citati, dixerunt se nolle venire, in poenam scilicet verae contumaciae, ob quam condemnatus fuit. Secundo non possunt appellare, qui sententiam contra se latam expresse, vel tacite approbaverunt, ut dictum. Tertio appellare non possunt, qui legitimae appellationi adversarii sui non detulerunt, si postea in eadem causa appellare vellent; ut scilicet in eo puniantur, in quo ipsi deliquerunt, *c. Constitutis*, 23. *et c. An sit*, 42. *h. t.* Quarto appellare non possunt, qui propria voce, ac sponte in iudicio confessi fuerunt, et clara ac plena probatione convicti, quia talis appellatio praesumitur interposita subterfugii tantum causa etc. si vero tantum confessus aliquis fuit in iudicio, non tamen debito modo convictus fuit, potest quidem appellare, appellatio tamen talis, si confessionem non revocavit, et nullam rationabilem causam appellationis expressit, non habebit effectum suspensivum, qui executionem iudicis *a quo* impediret, sed tantum devolutivum, vi cuius inhibere potest executionem iudex *ad quem*; iuxta *cap. Romana*, 3. §. *Si autem*, *h. t. in* 6.

—

SECTIO III.

De sententiis, vel actibus, a quibus appellari potest, vel non potest.

§. I. *A quibus sententiis, et in quibus causis sit licitum appellare?*

In genere loquendo appellari potest a quacunque sententia valida, nisi expresse in iure sit prohibitum, quia appellatio est defensio, quae nemini facile negari debet. Spectato tamen iure civili non nisi a sententia definitiva, non autem interlocutoria appellari potest (ad cavendam scilicet litium prorogationem, quae de hoc iure, nisi intra triennium expediantur, exspirant) nisi interlocutoria gravamen imponeret, quod per sententiam definitivam, vel appellationem ab ea reparari non potest, aut vim habeat definitivae, vel post eam non speretur definitiva. De iure canonico autem appellare licet ab omni sententia interlocutoria, et quovis gravamine tam ante, quam post sententiam definitivam, uti patet *ex c. Super eo,* 12. *h. t.* cum cursu temporis non exspiret litis coeptae instantia, Tridentinum tamen *sess.* 13. *c.* 1. *et sess.* 24. *c.* 22. *De reformat.* videtur iuris civilis observationem urgere, dum statuit, non licere appellare ab ordinariis locorum ante sententiam definitivam ratione gravaminis per interlocutoriam impositi, nisi interlocutoria talis esset, a qua etiam de iure civili appellari potest, servetur consuetudo, et praxis cuiusvis tribunalis.

Potest autem appellari, vi utriusque iuris, non tantum in causis civilibus, sed etiam criminalibus, ut patet ex *l. Et in maioribus,* 20. *iuncta glossa v. Negotiis cod. h. t. can. Liceat,* 20. *causa* 2. *q.* 6. *et c. Cum sit,* 5. *h. t.* §. *Praeterea,* et ex ratione gravaminis amovendi (ex communi tamen romani imperii consuetudine in criminalibus, praecipue capitalibus, non admittitur appellatio, ut dictum, ne multum differantur criminum puniendo executiones, per frivolas appellationes, contra probationes luce meridiana clariores) et quidem admittitur appellatio non tantum in causis gravioribus, sed in minoribus etiam, immo levibus ac minimis causis, prout statuitur in *c. De appellationibus,* 11. *h. t.* ad removendam quamcunque iniustitiam, et quodcuuque gravamen, quod in modica etiam causa contingere potest, et quia appellationis remedium ordinarium remedium est, quae ordinaria remedia etiam in modicis rebus conceduntur, quamvis speciali statuto loci alicuius decerni possit, ne in minima re admittatur appellatio, ad parcendum sumptibus in temerariis quibuscunque appellationibus, et ne nimium multiplicentur lites, prout nec in curia romana appellatio admittitur pro summa, quae non excedit 10. ducatos, et quamvis ab omnibus etiam extraiudicialibus gravaminibus appellari possit, etiam futuris, et inferendis, in iudicio tamen appellari non potest, nisi a gravamine iam inflicto, aut gravaminis inferendi facta comminatione iniuste a iudice, prout docet *glossa in Clement. Sicut,* 3. *v. A futuro h. t.*

§. II. *In quibus causis appellare non liceat, et in specie de appellatione a correctione praelati seu superioris regularis, vel saecularis?*

Non admittitur appellatio a legitima correctione praelati seu superioris,

quae fit regularis disciplinae causa *c. Ad nostram*, 3. *h. t.* remedium enim appellationis, non ad iniquitatis defensionem, sed ad praesidium innocentiae institutum est, *c. Cum speciali*, 61. §. *Porro h. t.* ob quam causam nec saecularibus clericis appellare conceditur contra disciplinam ecclesiasticam, prout statuitur *in c. Reprehensibilis*, 26. *h. t.* et hinc in *concil. Trident. sess.* 13. *c.* 1. *De reforma.* prohibetur appellatio in causis visitationis, et correctionis; et in *c. De reform. sess.* 22. statuitur, ne appellatio executionem, quae ad morum correctionem pertinet, suspendat: quae tamen intelligi debent, casu quo praelatus aut superior, sive saecularis ille sit, sive regularis, modum in corrigendo non excedat, conceditur enim in *c. Irrefragabili*, 13. *de offic. iud. ordinar.* contra tales, modum notabiliter in correctione excedentes, aut formam praescriptam non observantes, appellatio, ita ut talem appellationem nec privilegia concessa impedire possint, quia tunc praelatus, seu superior potestate sua abutitur; quae tamen ipsa appellatio, sicuti ordinarie non impedit, aut suspendit executionem, sed tantum effectum devolutivum parit, ita etiam excessus ille, ob quem fuit facta appellatio, non tantum exprimi debet in libello appellationis, sed etiam probari debet, cum non praesumatur.

§. III. *De appellatione ab excommunicatione, interdicto, et suspensione.*

Potest quidem a sententia excommunicationis, et interdicti appellari, neutra tamen censura per appellationem, quae latam excommunicationis, aut interdicti sententiam subsequitur, suspenditur, prout sumitur ex *cap. Ad haec*, 37. *iunct. gloss. v. Interdictum, h. t.* sed parit tantum effectum devolutivum, quod idem etiam dicendum est de suspensione ab officio divino, et de suspensione ab ingressu ecclesiae *iuxta c. Is cui*, 20. *De sentent. excommun. in* 6. cum enim censura secum trahat executionem sententiae, quo magis scilicet timeatur, et ne per appellationes tales vilescat auctoritas ecclesiae, et censura contemnatur, consequenter non habebit effectum suspensivum postposita appellatio, sed tantum devolutivum, ut iudex *ad quem* examinare possit, utrum iuste lata sit, et absolvere ab ea, si videatur, aut remittere pro absolutione ab excommunicatione v. gr. quin immo non obstante appellatione tali non impeditur iudex, qui excommunicavit v. gr. aliquem, quominus talem excommunicatum esse, denuntiet publice, prout statutum habetur *c. Pastoralis*, 53. §. *Verum, h. t.* vix tamen hodie fieri hoc posse videtur post *concil. Constant. Extravag. Ad evitanda*, ubi de vitandis, et non vitandis excommunicatis statuitur. Certius est, cum ea, quae a communi iure exorbitant, extendenda non sint, in cit. autem *c. Is cui*, illius tantum suspensionis, per postpositam appellationem, executionem non impedire dicitur, quae fit ab officiis divinis, aut ingressu in ecclesiam, consequenter de aliis suspensionibus, ab ingressu v. gr. in rei alicuius possessionem, a percipiendis fructibus beneficii, etc. intelligi hoc non debet; et probabiliter etiam intelligi hoc non debet de suspensione, quae fit ob delictum mere praeteritum, et non tam medicina contumaciae, quam poena delicti est.

§. IV. *Utrum appellari possit in causis, seu factis notoriis?*

Respondetur, in talibus causis non admitti appellationem, quae effectum habeat suspensivum, *c. Pervenit*, 13. *et c. Consuluit*, 14. *h. t.* cum appellationes contra talia notoria sint frivolae, interim tamen non tantum effectus devolutivus huic tali appellanti conceditur, sed a declaratione etiam notorii admittit etiam appellatio suspensiva, cum iudex in declaratione notorii errare possit. Potest autem variis modis dici notorium aliquid. Primo per facti evidentiam, quod nulla tergiversatione celari potest, *c. Cum olim*, 24. *de V. S.* Secundo per confessionem rei in iudicio, *c. Romana*, 3. §. *Si autem*, *h. t. in* 6. Tertio per sententiam condemnatoriam, si ab illa appellatum non sit, *c. fin. de cohabit. cleric. et glossa hic, v. Confessione.* Quarto per testes idoneos, si nihil illis oppositum sit, si quidem ex probationibus in iudicio factis exurgit notorium, postquam in causa conclusum, et probationibus renuntiatum fuit, *iuxta glossam in c. Significaverunt*, 35. *v. Liquere, de testibus.*

§. V. *An, et qua ratione appellari possit, vel non, contra electionem, et confirmationem praelati?*

Contra praelatum electum, et a legitimo superiore iam confirmatum non admittitur appellatio, aut exceptio ad executionem illius, et possessionis immissionem impediendam, nisi rationabilis causa allegetur. Licet accusatio contra eum, et denuntiatio admittatur, *c. Constitutus*, 46. *h. t.* nisi excipiatur contra electores, aut confirmatorem, quod eligendi, aut confirmandi potestatem non habuerint, et hoc in continenti probari possit, aut contra electum excipiatur, quod crimen commiserit, cui infamia iuncta sit, aut quod commiserit crimen falsi in confirmatione obtinenda, etc. sicuti enim in his casibus admittitur exceptio, ut consulatur bono ecclesiae, ita in aliis casibus non admittitur ob praesumptionem, quam pro se habet post electionem, et confirmationem, et ob praesumptionem, quod malitiose alii velint illum impedire.

§. VI. *De aliis nonnullis casibus, in quibus appellatio non admittitur.*

Primo contra ius, aut iuris executionem non admittitur appellatio, *c. Consuluit*, 29. *h. t.* quia ius neminem iniuste gravat, nisi causa aliqua rationabilis allegetur, et probetur, propter quam in speciali tali casu ius commune locum non habet.

Secundo ob hanc ipsam causam non admittitur appellatio a religiosis facta contra constitutiones suas regulares, *c. Quia nos*, 32. *h. t.* Tertio non admittitur appellatio a poena per legem definita, et a sententia iudicis ad hanc poenam condemnantis *iuxta cit. cap. Quia nos*, ne videatur talis conqueri potius de legis iniquitate, quam iudicantis. Quarto a mera executione appellari non potest, *c. Novit*, 43. *h. t.* nisi modum, formam praescriptam, et limites positos excedat, in alio enim casu non censetur gravare merus executor, qui nullam cognitionem, sed nudum ministerium habet,

sed iudex potius executionem talem mandans. Quinto, qui iuramentum detulit ad causam decidendam, non potest a sententia Iudicis appellare, quamvis possit ille, cui iuramentum delatum est, si ex causa rationabili noluit illud admittere, et propterea condemnatus est, uti deciditur in *l. Generaliter*, 12. §. *Sin autem, cod. de Re. credi. iuncta gloss. v. Detulit.* Cum enim ille, qui iuramentum detulit, sponte hanc viam ad causam decidendam elegerit, consequenter merito illi negatur appellatio, quae tamen alteri iurare iusta de causa recusanti, non negatur. Sexto appellari non potest de iure civili contra sententiam in iudicio possessorio latam, quia non affert magnum et perpetuum praeiudicium, cum talis in petitorio omne gravamen amovere possit, vel si non possit, conceditur ipsi etiam a sententia in possessorio lata appellatio, velut a gravamine aliter irreparabili. De iure canonico autem, ubi etiam de minimis conceditur appellatio, etiam a sententia in possessorio lata appellari potest, uti sumitur *ex c. Ad sedem*, 15. *de restitut. spoliat.* et ex *c. Significaverunt*, 36. *De testibus*, et ex *Clement. unic. de sequest. possess.* Septimo admitti non debet appellatio manifeste frivola, quae scilicet sine legitima causa interponitur, *c. Cum appellationibus*, 5. *h. t.* neque excusatur subditus, quo minus teneatur obedire superiori suo ob frivolam talem appellationem interpositam, sed potius puniendus est, prout sumitur ex *c. Cum parati*, 19. *h. t. etc.*

§. VII. *De causis commissis adiecta clausula:* appellatione remota.

Ex *c. Pastoralis*, 53. *h. t.* habetur, quod per huiusmodi clausulam non tantum prohibeatur, et revocetur appellatio frivola, sed etiam iusta, ac legitima, si ea non sit specialiter in iure expressa, et concessa; si enim tantum frivolae appellationes per hanc clausulam removerentur, nihil vel certe parum illa clausula operaretur, cum ea etiam non apposita frivolae appellationes de iure communi admittendae non sint. Clausula autem quaelibet in rescripto apposita, quamvis strictam interpretationem mereatur, si a iure communi exorbitet, ita tamen intelligi debet, ut operetur aliquid. Dicitur autem appellatio in iure expresse concessa, et indulta in omni illo casu, in quo a iure factum aliquod pro gravamine agnoscitur, contra quam appellationem nihil operatur clausula adiecto rescripto v. gr. *Appellatione remota.* Cuius rei exempla habentur in *c. Postremo*, 36. *h. t. et cap. Ex parte, eodem.* Et plura referuntur *a glossa in cit. c. Pastoralis, v. Expresse*, uti etiam *in c. Significanti*, 34. *c. Rodulphus*, 35. *cap. Significavit*, 36. *De rescript. c. Exhibita*, 19. *De iudiciis, c. Dilecti*, 8. *c. Dictae*, 10. *cap. Significaverunt*, 11. *De except. etc.* et quamvis cum *citata glossa* aliqui *ex c. Ut debitus*, 59. *h. t.* probari posse putent, quod hodie deferri semper debeat appellationi ex causa iusta, et probabili interpositae, quamvis cum clausula *appellatione remota* concessum rescriptum v. gr. sit; contraria tamen sententia uti communior ita verior est, tum quod *c. Ut debitus*, non loquatur de iudice dato cum clausula, *appellatione remota*, tum quod verisimile non sit ius *c. Pastoralis*, pro bono communi ad lites devitandas loquentis, tam liberaliter, et facile correctum fuisse: et hinc melius dicitur effectum esse clausulae illius, *appellatione remota*, quod tollat om-

nem appellationem legitimam, quae non reperitur expresse a iure concessa, non quidem quoad effectum suspensivum (nisi iudex, *ad quem* ex speciali causa inferiori iudici, *a quo* appellatum fuit, executionem inhibeat) ita ut iudex *a quo*, non deferens tali appellationi, quantumvis probabili, non puniatur, nec attentata post talem appellationem revocentur a iudice *ad quem* per viam nnllitatis, licet possint revocari per viam querelae.

Potest autem causas cum hac clausula, *appellatione remota*, committere solus pontifex, tanquam iudex supremus in causis ecclesiasticis: in causis vero profanis, et inter laicos, solus imperator, aut alius iudex, qui superiorem in temporalibus non agnoscit, *c. Super quaestionem*, 27. §. *Si vero, de offic. iud. deleg.* (neque enim inferior ius superioris, ad quem appellari potest, tollere potest) et clausula haec in rescripto, plures articulos continens, qui a se invicem dependent, si ab uno eorum removeatur appellatio, etiam in aliis eiusdem rescripti articulis non concessa censetur, cum ad causam principalem, quae committitur, *appellatione remota*, omnes eodem modo se habeant, *c. Secundo requiris*, 41. *h. t.*; qnod si vero plura diversa negotia, seu causae non connexae in eodem rescripto ponantur, attendi debet, ubi ponatur clausnla, *appellatione remota*, ita ut ad omnia antecedentia extendi quidem possit, non autem ad consequentia, odiosae enim restrictiones ad sequentia se ordinarie non extendunt, nisi connexa sint haec consequentia cum accedentibus, *c. Inquisitioni*, 71. *h. t.*

SECTIO IV.

De iudicibus, a quibus, et ad quos appellari potest, vel non potest.

§. I. *A quibus iudicibus appellari potest, vel non?*

Appellari regulariter potest per se ab omni iudice, qui sententiam tulit, sive ordinarius, sive delegatus fuerit, etiamsi communi consensu partium iudex talis impetratus fuerit, prout sumitur *ex c. Causam*, 14. *de sentent. et re iudi.* aut prorogaverint in se iudicis alias non sui iurisdictionem, cum in tali casu iudicem quidem approbasse censendae sint, non tamen sententiam, contra quam iustum defensionis remedium sibi licitum voluerunt. Intelligi tamen hoc debet, quod de appellatione a quovis iudice per se licita dictnm, quod appellari scilicet a quolibet possit, nisi nullum ille superiorem in ordine ad sibi competentem iurisdictionem habeat, *can. Ipsi sunt*, 16. *et can. Cuncta*, 17. *causa* 9. *q.* 3. (de essentia enim appellationis est, ut fiat ad superiorem, ergo ubi non est superior, locum habere non potest appellatio) vel nisi iudex non sit, sed merus executor tantum, ut arbiter compromissarius, cum respectu horum nullam iurisdictionem habentium nulla possit fieri iurisdictionis suspensio, sicuti tamen fieri solet per appellationem proprie dictam.

§. II. *Coram quo iudice sit appellandum.*

Appellatio, ut valida sit, et effectum tam suspensivum, quam devolutivum habeat, ordinarie interponi debet coram iudice, qui sententiam tu-

lit, et a quo appellatur, *glossa in c. Appellatio*, 9. *v. Iudici*, *h. t. in* 6. ita ut, si plures iudices simul sententiam protulerunt, coram omnibus simul congregatis appellatio fieri debeat; vel si non omnes, aut nullus iudex, a quo haberi possit, coram quo appellatio fieret, tum fieri ea debet coram iudice *ad quem*, et iudici *a quo* intimari, aut si neque huius copia haberi possit, coram viris honestis, vel etiam uno bonesto, adhibitis testibus, vel coram notario, qui testibus adhibitis instrumentum hac super re, quo appellatio scilicet fuerit interposita, cooficiat. Sufficit etiam nonnunquam, si gravi metu quis impediatur ab appellatione, protestari coram iudice, vel si coram hoc non possit, coram viris honestis, quod ob gravamen tale appellare vellet, nisi prohiberetur, expressis etiam causis appellationis, (saltem in genere) tum enim perinde haberi debet, ac si appellasset, si intra decem dies a lata sententia protestationem talem interposuit, prout deciditur *in c. Iustus*, 73. *h. t.*

§. III. *Ad quem iudicem sit appellandum ?*

Gradatim regulariter fieri debet appellatio ad proximum semper et immediatum illius, a qoo appellatur, soperiorem, non autem, omisso medio, ad remotum et mediatum, *c. Dilecti*, 66. *h. t.* ne iudex intermedius contemptus esse videatur cum confusione iurisdictiooum; non est tamen de iure canonico nulla appellatio, quae omisso medio seu proximo, ad mediatum, et remotum superiorem facta est, sed valet, si pars adversa nihil opponat, quia ut sic censetur pars nihil opponens consentire in mediatum, et huius in se iurisdictionem prorogare. Immo sunt plures casus, in quibus ob speciales rationes licite ad mediatum soperiorem, omisso proximo, appellari possit. Sic primo licet de iure canonico a quolibet inferiore iudice in causis ecclesiasticis immediate appellare ad summum pontificem, ob praerogativam sedis apostolicae, cum omnibus inferioribus iudicibus concurrentem, nisi appelletur a subdelegato delegati pontificii, com enim in tali casu delegatus papae repraesentet papam, consequenter ab huius subdelegato non immediate ad papam, sed ad delegatum papae subdelegantem, si iurisdictionem aliquam subdelegando sibi reservarit, appellari debet. Secundo ad legatum papae immediate appellari potest, omissis intermediis iudicibus, episcopis, archiepiscopis, etc. *argu. c.* 2. *De offic. legat.* Tertio si consuetudo praescripta habeat ad remotum immediate appellari, *c. Romana*, 3. *h. t. in* 6. Quarto si proximus deneget palam iostitiam, aut alias sit inhabilis, vel si iudex inferior et medius sponte ad mediatum causam remittat. Quinto si episcopus litiget cum suo subdito in casu electorum arbitrorum, a quibus non ad alium, quam ad papam fit appellatio, etc. et quamvis in *c. Referente*, 7. *De praebendis*, ubi presbyter qoidam ab archidiacono ad archiepiscopum appellavit, omisso medio, episcopo scilicet, appellatio fuerit admissa, fuit tamen hoc factum in casu, ubi archidiaconus privative excluso episcopo iurisdictionem habuit, ita ut ad hunc casum non episcopus, sed archiepiscopus immediatus huius archidiaconi superior fuerit; prout etiam a geoerali episcopi vicario, non ad episcopum, cuius una cum suo vicario idem tribunal est, sed ad archiepiscopum appellari debet, et a sententia iudicis delegati, ad dele-

gantem vel eius successorem, si aliquid iurisdictionis hic sibi reservavit, appellari debet, prout *ex tit. l. 1. De officio iud. deleg.* iam patet.

§. IV. *Proponuntur aliae quaedam quaestiones circa iudices, ad quos est appellandum.*

Primo quaeritur, quid iuris sit, si uterque litigantium appellet ad diversos iudices. ℟. Teneri quidem, si super eodem negotio pars utraque litigans ad diversos iudices appellavit, comparere coram iudice appellationis inferiore immediate, qui ad superiorem mediatum appellavit, si citetur ab inferiore, et suam appellationem allegare, *c. Si duobus, 7. h. t.* (ne ordinariam immediati iudicis potestatem contemnere videatur) non posse tamen hunc contra eum, qui ad superiorem appellavit, procedere, quia iurisdictio superioris absorbet iurisdictionem inferioris. Sunt tamen, qui putent, capituli illius decisionem tantum procedere in illo casu, in quo licet, omisso medio inferiore, ad iudicem superiorem mediatum appellare.

Secundo quaeritur, an a iudice saeculari appellari possit ad ecclesiasticum, saltem ad papam? ℟. Valere appellationem a iudice seculari, ad papam, si ille sit subiectus temporali iurisdictioni ecclesiae romanae, non autem valere (spectato iure communi, quidquid sit de consuetudine) si iurisdictioni temporali papae talis iudex *a quo*, subiectus non sit, *iuxta cit. c. Si duobus*, §. *Denique.* Neque enim in causis laicorum temporalibus iurisdictionem habet papa, nisi temporali huius iurisdictioni illi subiecti sint. Quod si autem non valeat in relatis casibus appellatio ad papam, multo minus valebit ad alium iudicem ecclesiasticum.

Tertio quaeritur, ad quem appellandum sit a collatione beneficii facta communiter ab episcopo, et capitulo. ℟. Non posse quidem fieri appellationem ad episcopum, si collationi tali concurrebat ut episcopus, posse tamen fieri ad eum appellationem, si collationi tali interveniebat ut canonicus, *iuxta c. A collatione,* 11. in 6. *h. t.* illud quidem fieri non potest, ne ad eundem, qui actum gessit, appellari videatur, cum tamen appellatio debeat esse ad superiorem: hoc fieri potest, cum ut sic non dicatur episcopus actum hunc gessisse, sed capitulum; ergo ad superiorem fit appellatio, si in tali casu a capitulo ad episcopum appelletur. Praesumitur autem plerumque, ut episcopus, tali collationi concurrisse, nisi probari possit contrarium, ex probabilibus circumstantiis, aut notorium sit contrarium.

SECTIO V.

De forma, seu modo appellandi, et quoties appellare liceat?

§. I. *Quomodo interponenda sit appellatio?*

Appellatio fit vel statim, iudice adhuc pro tribunali sedente, aut saltem ad extraneos actus nondum divertente, vel ex intervallo. Si statim fiat, sufficit eam facere viva voce, dicendo v. gr. *appello*, et hoc in actis per notarium scribatur; si fiat ex intervallo, in scriptis per libellum appellatorium fieri debet, in quo exprimatur nomen illius, qui appellat, nomen iudicis, contra quem, et contra cuius sententiam appellatur, et nomen iudi-

eis, ad quem appellatur (quamvis absolute necessarium non sit, ut vel nomen iudicis *a quo*, vel nomen iudicis *ad quem* exprimatur) neque tamen requiritur, ut, si in scripto appelletur, legatur haec appellatio coram iudice, *c. Appellatio*, 9. *h. t. in* 6. cum ad intentionem iuris sufficiat, porrectam eam appellationem iudici *a quo* fuisse, ne appellans postmodum variare possit. Potest autem appellari, sive voce, sive scripto fiat appellatio, non tantum per verba expressa, *appello*, *provoco*, *etc.* sed etiam per aequipollentia, *c. Ad audientiam*, 34. *h. t.* (ubi enim certa verborum forma non requiritur, sufficit suam intentionem expressisse) quin ipso etiam facto, suscipiendo v. gr. iter Romam ad causae alicuius decisionem, appellari potest, ut patet ex *c. Dilecti*, 52. *h. t. et ex c. Cum olim*, *De dolo, et contumaci*, modo serventur ea, quae in appellatione verbis expressa servari debent, et si extraiudicialis sit appellatio per susceptum iter, ad eum superiorem fiat, qui per viam querelae adiri potest citra omnem appellationem. Neque tamen valet appellatio generalis, facta super omni causa, quae contra appellantem posset aliquando moveri, *c. Inter caetera*, 2. *h. t.* (cum talis non appellet a gravamine aliquo, cum nullum, nec alicuius comminatio illud urgeat) neque valet generaliter facta appellatio ab omni gravamine, quod sibi inferri posset, nisi fiat super certa causa ab eo, qui in uno v. gr. articulo a iudice *a quo* gravatur, cui licet per viam appellationis totam causam hanc ad superiorem iudicem deferre, *c. Consuluit*, 18. *h. t.*

§. II. *De forma, seu modo appellandi a sententia interlocutoria, vel gravamine extraiudiciali.*

Talis appellatio, ut valeat, debet fieri in scriptis, et expressa causa appellationis (nisi ex arduis una sit, quae sedi apostolicae specialiter reservatur) ut constat *ex c. Cordi*, 1. *h. t. in* 6. *et c. Ut indebitus*, 59. *h. t.* ad minuendas litium molestias, ut ait pontifex, et debent apostoli, sive literae dimissoriales a iudice *a quo* peti, et dari, quibus instruatur superior iudex, quare appellationi sit delatum, vel non. Neque potest in iudicio talis appellationis alias postmodum causas prosequi, quam nominatim in libello appellationis expressas. *Clement. Appellanti*, 5. *h. t. c. Cum causam*, 62. *eodem*, (neque enim a solo gravamine fit haec appellatio, sed a gravamine propter hanc causam, quam appellans coram iudice appellationis proponere de novo vult, aut ex actis de novo producendis processus primi iudicis iustificari vel impugnari, sed tantum ex illis, quae coram ipso acta vel exhibita fuerunt, iuxta *cit. Clement.* cum ex aliis actis videri non possit, utrum iudex *a quo* iniuste gravaverit) qui etiam docere debet taliter ab interlocutoria, aut gravamine appellans, quod legitimam exceptionem opposuerit, auditus tamen non fuerit, et ideo appellaverit, prout sumitur ex *c. Dilecto*, 63. *h. t.* ut fiat scilicet appellatio non a gravamine praecise futuro, si non admittatur exceptio, sed a gravamine praesente, in casu scilicet non admissae exceptionis.

§. III. *De forma, seu modo appellandi a sententia definitiva.*

Quod viva voce fieri possit talis appellatio, si statim iudice adhuc pro

tribunali sedente fiat, per verbum *appello,* vel aeqnivalens, aut factum ipsnm; et si fiat ex intervallo, intra decem tamen dies ad appellandum concessos, quod fleri debeat in scripto, nisi causae tantum levioris momenti essent; et quod in tali appellatione necessarium non sit, causam appellandi in specie allegare, sed sufficiat in genere dicere, gravatum se esse, et ideo appellare, etc. ex dictis iam patet: ex quibus etiam habetur, quod in aliquibus, et in quibus casibns causa in specie exprimi debeat, nt valida sit appellatio; et etiamsi appellans in aliis etiam casibus causam aliquam appellandi exprimat, possit tamen in hac a definitiva sententia appellatione coram iudice appellationis alias etiam causas prosequi, et non allegata allegare, non probata probare, etc. dummodo sint ad causae decisionem inservientia, nti babetur etiam in *c. Cum Joannes*, 10. *de fid. instrum.* Neque enim appellans a sententia definitiva ideo semper appellat, quia iniustum gravamen illi illatum fuit, et consequenter, ut hoc appareat, ex antiquis tantum probationibus, et actis procedere potest, sicuti de appellatione ab interlocutoria dictum, sed quod contra ipsum pronuntiatum sit, et speret meliorem sententiam obtinere apud iudicem appellationis; qnae dici etiam possnnt de appellatione ab interlocutoria, quae vim definitivae habet.

§. IV. *Quoties licitum sit appellare ?*

In eadem causa a sententia definitiva bis a qualibet litigantium parte appellari potest, (ne per multas scilicet appellationes lites fiant perpetuae) nisi super diversis articulis in eadem causa saepius graveretur aliquis, quo in casu (saltem de iure canonico) saepius appellare potest super diversis gravaminibus *can. Quoties,* 16. *causa* 2. *q.* 6. Tertius autem, cuius interest, appellare potest, etiamsi a partibns bis iam appellatnm fuerit, cum defensionis hoc remedium negari ipsis non possit: ab interlocutoria vero sententia, si appellavit pars litigans, et postmodum deserta appellatione ad iudicem *a quo* redeat, absqne alia contumacia, si iterum hic per interlocutoriam sententiam gravare videatur, iterum appellari potest, *c. Directe*, 39. *h. t.* Neque enim hic talis ob contumaciam aliquam, quam nullam posuit, vel quae per reditum ad iudicem *a quo*, purgata fuit, ab iterata appellatione, si iterum gravetur, repelli debet.

SECTIO VI.

De temporalibus non utilibus, seu fatalibus appellationum.

Fatalia dicuntur illa tempora, quibus elapsis, facnltas, quae appellandi causa concessa est, intercidit, et extinguitur: Talia fatalia sunt quatuor. Primum est tempus interponendae appellationis. Secundum est tempus petendi, et concedendi apostolos. Tertium est tempus praesentandi, seu offerendi praedictos apostolos iudici *ad quem.* Quartum est tempus ad prosequendam, et finiendam appellationem concessum. De primo sit

§. I. *De tempore interponendae appellationis ?*

De iure antiquo appellandum fuerat in causa propria intra biduum; in causa aliena, seu procuratorio nomine intra triduum, a prolatione sen-

tentiae numerandum: hodie tamen iure novo intra decem dies a die gravaminis illati etiam extraiudicialis, vel latae sententiae etiam interlocutoriae utiliter appellabitur, utroque iure tempus hoc approbante, ad cavendam scilicet litium prolongationem, et litigantium damna *authen. Hodie. iunct. gloss. Cod. h. t. c. Quod ad consultationem*, 15. *de sentent. et re iudicat. c. Significaverunt*, 36. *iunct. gloss. v. Inter* 10. *dies, de testibus.* Est autem hoc tempus decennii, intra quod fieri debet appellatio, in principio utile, in progressu tamen continuum, ita ut non incipiat currere, nisi a tempore scientiae, postquam scilicet pars litigans scit sententiam contra se latam esse; vel postquam scivit, si extraiudicialis sit appellatio, gravamen in sui praeiudicium illatum esse aut inferri: si vero caepit currere, continuum erit usque ad idem punctum temporis, post 10. dies elapsos, a quo incepit, solemnes etiam ferias includendo, iure scilicet tempus interponendae appellationis sic disponente, ut appellans deliberandi quidem tempus habeat, quod tamen nec nimis breve sit, nec nimis longum, cum etiam feriatis diebus appellare liceat, ut supra dictum.

§. II. *De apostolis, et tempore illos petendi, ac praesentandi.*

Apostoli hoc loco dicuntur literae dimissoriae, quas iudex a quo fuit appellatum, transmittit ad iudicem, ad quem est appellatum, quibus testetur Titium v. gr. a sententia a se lata appellasse. Sunt autem variae apostolorum, seu literarum dimissoriarum species: alii dicuntur dimissorii ad iudicem *ad quem* directi, quibus appellatum ad illum, et admissa appellatio ei significatur; alii dicuntur reverentiales apostoli, quibus significat iudex *a quo*, admissam a se appellationem, non ex iustitiae causa, sed ob reverentiam illius, ad quem appellatum est; alii dicuntur refutatorii, quibus significat iudex *a quo*, iudici *ad quem*, quod a se admissa non fuerit appellatio, exprimendo causam etiam huius non admissionis; alii dicuntur conventionales, quos pars adversa admittens appellationem dat parti appellanti appellationem, sive in iudicio, quamvis iudex eam non admittat, sive extra iudicium; alii denique vocantur testimoniales, quando scilicet absente iudice coram notario fit appellatio, ita ut de tali appellatione per hos apostolos testetur notarius etc.

Tenetur autem iudex *a quo* appellanti, et apostolos petenti tradere, adeo quidem, ut si cum debita instantia, loco, et tempore congruo requisitus non tradat, sed in causa procedat, non valeat processus, et retractandus sit per iudicem appellationis, prout sumitur ex *cap. Ut super*, 4. *h. t. in* 6. praesumitur enim malo animo processisse iudex *a quo*, si apostolos negavit, nisi ultro appellationi renuntiasset, qui appellavit. Peti autem debent, et possunt ab appellante (sive a definitiva, sive ab interlocutoria, sive iudicialiter, sive extraiudicialiter appellatum fuerit) et exhiberi a iudice, *a quo* hi apostoli hodie intra 30. dies (quos inter a die sententiae latae, et scientiae habitae connumerandos, si non petiverit appellans, censetur appellationi factae renuntiare, quae est praesumptio iuris, et de iure) et peti debent, ac dari expensis appellantis, prout communis praxis habet; et quidem instanter, et saepius (instantius, et instantissime) vel uno contextu, vel in-

terposito etiam actu extraneo successive peti debent, uti habetur in *Clem. Quamvis*, 2. *h. t. iuncta glossa v. Uno contextu*, ita tamen ut ad accipiendos petitos apostolos iudex *a quo* certum tempus praefigere possit, cum illius sit ex causa prorogare, aut arctare tempus a iure concessum, prout habetur *in l.* 2. *ff. De re iudic.* et si appellans illo tempore non compareat, censeatur appellationi suae renuntiasse.

Praesentari vero debent hi apostoli iudici *ad quem* (nisi certum tempus ad introducendam suam appellationem praefixerit iudex *a quo*, quod facere potest) intra tempus sex mensium, a tempore interpositae appellationis numerandum (iure scilicet temporis hoc spatium ad introducendam appellationem praescribente, aut iudicis arbitrio, ut certum tempus praefigat, relinquente, tum ut appellanti deliberandi relinquatur libertas, utrum interpositam appellationem prosequi velit, tum ut ne nimium prolongentur lites (ita ut si intra hoc a iure concessum, vel a iudice cum licentia iuris praefixum tempus, suos apostolos non praesentaverit, et appellationem suam non introduxerit apud iudicem *ad quem*, deserta censeatur appellatio.

§. III. *Intra quod tempus appellans prosequi debeat appellationem, et finire?*

Annus appellanti datur ad prosequendam, et finiendam appellationem, et ex iusta causa, necessaria et evidenti biennium, ita tamen ut iudici *a quo*, tam ordinario, quam delegato liceat brevius etiam tempus praefigi ad prosequendam appellationem suam, *c. Cum sit*, 9. *et c. Ad aures*, 33. *h. t.* quod tempus si non observaverit appellans ad prosequendam suam appellationem, censeatur appellationem suam deseruisse, sive iudicialis illa appellatio fuerit sive extraiudicialis; uti patet ex *Clement. Sicut*, 3. *h. t.* cum sit eadem utrobique ratio, ne nimium scilicet ad prosequendam appellationem tempus prolongetur, et ne nimium etiam restringatur. Interim tamen, impedito agere, et appellationem prosequi, nec annale, nec biennale tempus currit, cum hoc tempus ad prosequendam appellationem, remedium sui iuris defendendi, utile appellanti esse debeat.

§. IV. *An iudex* a quo *possit statuere terminum ad finiendam appellationem: et quinam praeterea possint terminum praefigere ad prosequendam appellationem, vel iure statutum abbreviare: et an etiam possint eundem prorogare?*

Iudex *a quo* non potest terminum statuere intra quem causa appellationis finiri debeat, cum non possit legem, aut terminum praescribere superiori, ad quem appellatum fuit, ad expediendam appellationem *c. Ex insinuatione*, 50. *h. t.* et hinc si iudex *a quo* terminum praefixit ad expediendam appellationem, aliud non voluisse censeri debet, quam ut intra praefixum ab ipso terminum in tribunali iudicis *ad quem* appellatio insinuetur, et appellans coram eo appellationem suam prosequatur, quod facere posse ex dictis iam patet. Non tamen iudex *ad quem* terminum a iure statutum, ad prosequendam appellationem moderari, seu abbreviare potest, sicuti potest *a quo*, nisi ex nimia dilatione sequeretur reipublicae damnum, aut animae; cum enim per appellationem interpositam iudici *a quo* praeiudicium aliquod

generetur, in quantum illius executio suspenditur, nullum autem praeiudicium patiatur iudex *ad quem*, consequenter pius conceditur iudici *a quo*, ad statuendam appellationis introductionem, et prosecutionem, ne nimium illi praeiudicetur quam iudici *ad quem:* et quamvis ipsi etiam appellanti terminum sibi statuere concedatur, *in cap. Personas*, 4. *h. t.* ad prosequendam appellationem, restringi tamen hunc posse, si nimis prolixus sit a iudice *a quo*, ex eodem capitulo patet. Prorogare, aut extendere terminum a iure statutum ad prosequendam, et finiendam appellationem, neque iudex alteruter potest, neque pars appellans, prout expresse deciditur *in cap. Oblatae*, 57. *h. t. et gloss. Magna etiam in notat.* advertit, ne lites nimium protrahantur.

§. V. *Quaenam praeterea iure canonico statuta sunt circa prosecutionem appellationis ?*

Primo statuitur *in c. Saepe*, 44. *h. t.* quod si appellatio a iudice *a quo* recepta sit, et a parte adversa approbata, in termino tamen a iudice *a quo* ad prosequendam appellationem praefixo, non compareat appellans, aut appellatus, contra absentem tanquam contumacem procedi possit, eo quod terminus praefixus vim peremptorii termini habeat, qui malitiose neglectus contumacem constituit.

Secundo statuitur *in c. Oblatae*, 57. *h. t.* quod si a iudice *a quo*, vel ab appellante terminus praefixus sit, ad prosequendam appellationem, neutra pars praevenire possit talem terminum, impetrando literas, ut causa appellationis committatur, nisi fiat mentio de ipso termino, cum merito malitiose videatur terminum praefixum tacuisse, ad supplantandam alteram partem litigantem: valent tamen tales literae, si impetratae sint intra tempus a iure (non tamen ab homine) ad appellationem prosequendam praefixum, etiamsi nulla termini a iure positi fiat mentio, cum per se iudici, qui committit hanc causam appellationis, terminus a iure praefixus notus esse censeatur, modo, si appellatus tales literas impetrare contendat, non nimium praeveniat tempus a iure concessum, in favorem praesertim appellantis, sed circa finem, aut anni, aut biennii talis impetratio fiat.

Tertio statuitur *in c. Nicolao*, 64. *h. t.* quod contumax habeatur illa pars, quae post interpositam appellationem ad curiam romanam, aut superiorem a iudice receptam, ac a parte approbatam, per procuratorem quidem Romae, aut apud superiorem appellationis intra tempus competens comparet, absque eo tamen, ut possit causam appellationis agere, sed praecise ad impetrandam delegationem ac partis alterius impetrationi contradicendum, quia in tali casu procurator videtur tantum missus ad prolongandam litem, et frustra vexandam alteram partem, cui etiam in expensas condemnandum voluit taliter mittentem procuratorem.

Quarto statuitur *in c. Interposita*, 70. §. *Eidem quoque h. t.* contumacem illum non fore, qui post appellationem quidem, quae tamen nec a iudice recepta est, nec a parte approbata, procuratorem dicto modo ad impetrandum literas commissionis, et contradicendum impetrationi alterius partis misit, quamvis pars adversa sit parata per se, vel per legitime submissum

procuratorem apud iudicem appellationis iudicium suscipere, cum in tali casu sibi imputare debeat appellatus v. gr. quod non satis sibi caverit appellationem approbando, ut ad curiam iudicis appellationis, causa appellationis devolveretur.

§. VI. *An, et ob quas causas seu impedimenta admittatur quis etiam post annum, vel post biennium ad prosequendam appellationem?*

Quod impedito legitime intra anni, aut biennii tempus appellationem interpositam prosequi tempus hoc non currat, sed post annum, aut biennium elapsum ad appellationis prosecutionem hic admittatur, ex dictis patet, et ex *c. Ex ratione*, 8. *h. t.* ne praeiudicium grave tali generetur, et a iure suo impetrando sine sua culpa excidat. In specie vero sex communiter impedimenta afferuntur, ob quae appellans etiam post elapsum anni, aut biennii tempus admitti debet ad prosequendam appellationem. Primum est impotentia propter infirmitatem v. g., paupertatem, etc. ut prosequi non possit appellationem intra tempus conveniens. Secundum est, si appellatus, vel contra quem appellatum est, impediat per se vel per alium appellantem a prosecutione appellationis per suas cavillationes, v. gr. frustratorias dilationes petendo, prorogando iudicium, etc. Tertium est, si uterque appellans, et appellatus pendente appellatione compromiserunt in arbitros, vel expresso consensu convenerunt, ut suspendatur appellationis prosecutio, nisi iudex videns periculum, aut praeiudicium tertio imminere, ex officio praecipiat, ut procedatur in causa appellationis, non obstante compromisso, aut expresso partium consensu. Quartum est, si iudex *ad quem* noluerit, vel non potuerit causam appellationis audire, et cognoscere. Quintum est, si appellans a prosequenda appellatione impediatur facto tertii, vel propter negligentiam procuratoris, qui non fuit prosecutus appellationem intra tempus debitum, quo in casu habet actionem contra impedientem appellans ad interesse; vel si impediens solvendo non fit, potest petere restitutionem in integrum appellans, sicuti petere potest in prioribus casibus, si non ipso iure restituatur. Sextum denique provenit ex casu fortuito, ut si v. g. viae sunt hostibus infestae, missus procurator fuerit captus, etc. (neque enim quod per me non stat, mihi imputari debet) ita tamen, ut per testes v. gr. probare debeat impeditus impedimentum, et adhibitam a se diligentiam ad impedimentum removendum.

SECTIO VII.

De officio utriusque iudicis, *a quo*, et *ad quem* appellatur.

§. I. *Quando, et quomodo procedere possit, ac debeat iudex* a quo *sive sit ordinarius, sive delegatus?*

Regulariter quidem iudex *a quo* debet deferre cuilibet appellationi, et gesta coram se intra 30. dies cum apostolis ad iudicem appellationis transmittere (propter reverentiam scilicet superioris puniendus vi utriusque iuris, si interpositae ex iusta causa appellationi non detulerit) nisi de iure prohibita sit appellatio, aut in rescripto remota: quod si tamen per fraudem,

ant malitiam interposita fuisset appellatio, non debet illi deferre, aut illam admittere iudex *a quo*, sed potest in causa procedere, *c. Suggestum*, 15. *h. t.* Neque enim quod a iure concessum est ad innocentiam vel ius suum defendendum, malitiose in alium finem detorquendum est; si vero super interlocutoria sententia, seu quaestione incidente appellatum fuerit, a cuius cognitione causae principalis decisio dependet, non potest iudex *a quo* super causa principali prius pronuntiare, quam quaestio interlocutoria in iudicio appellationis decisa fuerit, ut habetur in *c. Super eo*, 10. *h. t.* ad cavendum scilicet praeiudicium: speciale illud est de iure canonico, quod ille, qui residere tenetur in suo beneficio, et tamen huic suae obligationi non satisfacit, si ab episcopo ad residentiam faciendam monitus ad pontificem appellet, possit per episcopum cogi ad residendum, vel ut intra certum tempus praefixum ab episcopo, ad curiam romanam appellationis prosequendae causa accedat, uti habetur in *c. Pervenit*, 28. *h. t.* ita ut episcopus praebenda eum privare possit, nisi alterutrum fecerit, si nullam iustam causam habeat, cum de futili tantum appellatione in tali casu sit praesumptio.

§. II. *Quod sit officium iudicis* ad quem, *et quomodo procedere possit*, *ac debeat.*

Iudex ad quem appellatum fuit, debet appellationem ad se delatam admittere, de eius iustitia cognoscere, et si viderit, illam legitime interpositam, debet pronuntiare, appellationem esse iustam, sive male iudicatum, bene appellatum esse. Si vero viderit, illam esse illegitime factam, debet illam pronuntiare iniustam, sive bene iudicatum, male appellatum esse. Et quamvis per se, vel per alium non suspectum de causa, et iustitia appellationis cognoscere possit, non potest tamen causam appellationis examinandam ad iudicem, a quo est appellatum, remittere (nisi pars, quae appellavit, consentiat, *c. Accepta*, 35. *h. t.* quia praesumptio est, et periculum, ne iterum gravet) etiam casu quo iudex, a quo fuit appellatum, in locum iudicis, ad quem fuit appellatum, modo autem defuncto, aut deposito successit, (ob rationem etiam in hoc casu urgentem) sed debet in tali casu appellatio examinanda alteri personae non suspectae delegari, quae vel remittet appellantem ad iudicem *a quo*, si advertat male appellatum, et in expensas temerarium hunc appellantem condemnabit (nisi iudex *a quo* appellationi detulerit *c. Cum appellationibus*, 5. *h. t. in* 6.) vel si bene appellatum advertat, priorem sententiam a iudice *a quo* male latam cassabit, aut pro parte reformabit, et sic de causa principali pronuntiabit, modo de meritis causae per probationes competentes ei constet, etiamsi in hac secunda appellationis instantia lis coram iudice appellationis contestata non fuerit, vel pars conventa in hac secunda instantia fuerit contumaciter absens, *c. Per tuos*, 58. *h. t.* cum litis contestatio in prima instantia facta, nec per appellationem tollatur, sed extendere etiam se possit ad causam appellationis. Vide plura de his apud auctor Method.

§. III. *Cui incumbat, seu imponi debeat a iudice onus probandi in causa appellationis ?*

Ad initium processus appellationis appellatus coram iudice *ad quem* pro-

bare debet tria; appellasse se scilicet, et quidem legitimo tempore a sententia, vel gravamine illato; et secundo appellasse se ex causa rationabili, tali scilicet, quae si probata fuerit, iusta declaretur appellatio; et tertio denique debet appellans producere appellationem, et ipsam sententiam v. g. a qua appellavit. Procurator autem, si per hunc appellationem prosequatur appellans, debet insuper probare mandatum, et cavere de rato. His probatis procedi v. g. ulterius, et quaelibet pars excipiens suam exceptionem probare debet, ac merita causae principalis, qui eadem probare debuit in prima instantia directe iudici *a quo*, sive ex prioribus actis probationes has depromendo, sive novas producendo. Quod si vero pars litigans exceptionem suam opponens, ob quam respondere non teneretur, a iudice audita non est, et propterea appellavit coram iudice appellationis, probare non tantum debet, appellasse se ex causa probabili, sed debet insuper probare causam illam veram esse, vel saltem probare debebit, allegasse se coram iudice *a quo* causam, quare respondere non teneretur, et voluisse etiam in continenti hanc probare, auditum tamen non fuisse, (quia in illo casu pugnat contra appellantem praesumptio, quod vexandi tantum adversarii causa noluerit respondere, et appellaverit, quae in altero casu nihil probat) nisi extraiudicialiter tantum appellet, aut absit iudex, aut offeratur eo tempore probatio, quo non tenetur eam recipere iudex, cum in talibus casibus, vel non adsit iudex, cui ex officio incumbat recipere probationes, vel non offeratur probatio tempore conveniente.

§. IV. *An, et quando iudex appellationis procedere possit ad citandas partes, vel delegare causam alteri, vel inhibere iudici* a quo, *ne procedat in causa, et ne sententiam exequatur?*

Iudex, ad quem fuit appellatum, non debet in causa interpositae appellationis ab interlocutoria citare partes ante sententiam definitivam; neque causam alteri committere potest, nisi causa probabilis, seu legitima interpositae appellationis sit expressa, prout statuitur in *c. Romana*, 3. §. *Cum autem h. t. in* 6. cum in omni appellatione ab interlocutoria exprimi, et probari debeat causa interpositae appellationis, ut dictum: neque inhibere potest iudici *a quo*, ne in causa illa procedat, aut sententiam exequatur, si contra appellationem ob defectum aliquem excipiatur, aut appellatus opponat, causam appellationis veram non esse, priusquam de legitima appellatione constet, quia prius constare debet de potestate iurisdictionis, quam ad illius exercitium procedatur. *Glossa in citat. c. Romana*, §. *Si vero, v. Non praesumant.* Quod ipsum etiam dici debet, si post sententiam quidem definitivam appellatum fuit, in casu tamen de iure prohibito; vel si de hoc dubitatur, ante omnia de causae veritate iudex appellationis cognoscere debet, ne frivolae appellationi deferatur: admittenda tamen est appellatio etiam in casu a iure prohibitio, si iusta, seu rationabilis causa in appellatione fuerit expressa, ut quod metu tormentorum v. gr. vel per errorem confessus fuerit in prima instantia appellans. Plura ad hoc appellationis negotium spectantia ex relato *cap. Romana*, *et glossa illius cap.* colligi possunt.

§. V. *An si litigans coram suo iudice non oppellavit ab interlocutoria, postea vero appellavit a definitiva, iudex appellationis possit revocare interlocutoriam, et gravamen per illam illatum reparare?*

De hac quaestione agitur *in cap. Licet*, 12. *h. t. in* 6. quod consule, quia casus rarus est.

SECTIO VIII.

De effectu appellationis, et attentatis post illam.

Effectus appellationis duplex est, suspensivus, et devolutivus. De priore sit.

§. I. *De effectu appellationis suspensivo.*

Per appellationem, a sententia definitiva ordinarie suspenditur iudicis, a quo iurisdictio, circa causam illam, in qua est appellatum, ita ut pendente appellatione eam executioni mandare non possit; non autem per appellationem ab interlocutoria, iudicis a quo iurisdictio, suspenditur, quin possit in causa procedere, donec inhibeatur a iudice, ad quem appellatum fuit, ut ex dictis patet, et ex *c. Venientes*, 19. *de iureiurand. et ex c. Dilectis*, 55. *h. t.* Quamvis circa alias causas diversas a causa appellationis respondere teneatur, qui appellavit, coram iudice *a quo*, si coram eo conveniatur, recusari tamen potest hic in talibus causis, tanquam iudex suspectus, ut habetur *in c. Praeposuit*, 24. *h. t.* Sicuti enim per appellationem non eximitur a iurisdictione sui ordinarii iudicis, nisi in ea tantum causa, circa quam appellavit, ita in aliis causis ob periculum gravaminis recusare eum potest (saltem de iure canonico) contra quem appellavit, et sic merito minus benevolum timere potest. Allegare tamen, et probare hic recusans debet coram arbitris communi consensu electis, non tantum, quod contra talem iudicem in alia causa iam appellaverit, sed quod ab eo iniuste fuerit gravatus.

§. II. *Quibus casibus per appellationem non suspendatur iurisdictio iudicis* a quo, *sed ea adhuc pendente nihilominus is procedere possit?*

Primo potest iudex *a quo*, non obstante appellatione, et hac adhuc pendente, procedere in causa, citra vitium attentati, faciendo omnia illa, quae ad faciliorem finem, seu exitum causae appellationis conducunt, modo se non immisceat causae appellationis, de hac v. g. cognoscendo, etc. prout sumi potest ex *c. Cum teneatur*, 17. *h. t.* quia per appellationem iurisdictio iudicis *a quo* non est extincta, sed suspensa tantum, quoad causam, in qua est appellatum, ita ut de iustitia illius cognoscere non possit: adeoque cum dicitur, pendente appellatione nihil immutandum, aut innovandum, etc. intelligi tantum debet prohiberi, ne quidquam immutetur, aut innovetur in praeiudicium appellationis, non autem, quod prohibeantur ea, quae in favorem appellationis, et faciliorem eius exitum a iudice *a quo* fiunt.

Secundo potest iudex ordinarius eum, qui appellavit, non obstante appellatione, et hac pendente, punire ob crimina, quae fortasse post appellationem positam, aut ante eam commisit *c. Praeterea*, 22. *h. t.* quia eos,

ut ait pontifex, appellatio in sua iniquitate tueri non debet, quominus per canonicam censuram puniri debeant.

Tertio potest iudex *a quo*, sive ordinarius, sive delegatus ille sit, a cuius interlocutoria, aut gravamine ante definitivam appellavit aliquis, si citet ad terminum certum appellantem ad audiendam revocationem gravaminis, si quidem eam faciendam existimet, quod fieri posse ex dictis iam patet, et ille qui appellavit in termino praefixo non compareat, iudex tamen gravamen reipsa, et actu revocet, libere in causa, non obstante appellatione facta, procedere contra absentem etiam tanquam contra contumacem *cap. Si a iudice*, 10. *h. t. in* 6. quia cessante gravamine, propter quod appellatum, et per revocationem iam cessat, cessat etiam effectus, appellatio scilicet, et consequenter totam suam iurisdictionem habet iudex *a quo*.

Quarto potest iudex *a quo* eum, quem ob contumaciam v. gr. suam excommunicavit, non obstante quod ad papam, aut alium superiorem hic appellaverit, ab excommunicatione absolvere, (si absolutionem hanc ab ipso petat, qui appellavit, et sufficientem cautionem adversae parti praestet) quamvis adversarius contradicat, et appellet etiam *c. Qua fronte*, 25. *h. t.* tum quod per hanc absolutionem non impeditur cursus appellationis, tum quod sic animae excommunicati consulatur, et simul per cautionem praestitam parti adversae. Vide plura de his apud *auct. Meth.*

§. III. *An, et quando suspendatur per appellationem censura sub conditione lata?*

Si appellet, qui sub conditione censura affectus est, ante eventum conditionis, suspenditur in tali casu per appellationem interpositam sententia censurae, ita ut non contrahatur, etiamsi conditio non servetur, *cap. Praeterea*, 8. *h. t.* neque enim censuram quis incurrere potest, nisi obligetur ad id, quod sub censura illi praeceptum est exequendum, sed post appellationem legitime interpositam non obligatur quis praecepto, aut sententia iudicis, ergo etiamsi conditio non servetur, cuius nulla est post appellationem legitimam obligatio, non incurrit censuram: potest autem a sententia censurae sub conditione latae appellari, etiam post elapsos decem dies, dummodo conditio adhuc pendens sit, et nondum impleta; quia qui talia sub conditione censurae incurrendae praecipit, continuo censetur gravare, dum conditio eveniat, ergo continuo contra talem appellari potest: incurrit tamen hic censuram, cui sub conditione censurae incurrendae praeceptum, aut prohibitum est aliquid, etiamsi pendente conditione mutaverit forum, et domicilium, si non appellaverit *iuxta gloss. in cit. c. Praeterea*, etsi censura talis feratur per modum sententiae iudicialis ob factum praeteritum, et commissum tempore prioris domicilii v. gr. subiectionis, etc. quia per talem sententiam a iudice prioris domicilii in ea causa praeventus fuit.

§. IV. *De effectu appellationis devoluto.*

Quod per appellationem causa principalis, super qua appellatum est, devolvatur ad iudicem *ad quem*, ita ut hic iudex non tantum de iustitia appellationis cognoscere possit, sed causam etiam principalem iudicare, et decidere

possit, ac debeat ex *cap. Ut debitus*, 59. *h. t.* patet, *iunct. gloss. v. Alioq.* Et consequenter appellatio etiam parit effectum devolutivum, et in illis saepe casibus, ubi suspensivus effectus locum non habet, ut ex dictis patet. Immo non tantum causa principalis per appellationem devolvitur ad iudicem *ad quem*, sed etiam eius accessoria, sive quae illam consequuntur, *cap. Dilectis*, 55. *h. t.* ob causae scilicet connexionem.

§. V. *De attentatis, appellatione pendente, eorumque revocatione.*

Quod pendente appellatione nihil sit innovandum, supra dictum, ita ut tales innovationes attentatorum nomine veniant, quae revocanda in hoc §. dicuntur, et hinc si appellatum in casibus licitis fuit a sententia definitiva, debet iudex appellationis ante omnia revocare non tantum, quae post appellationem innovata fuerunt, sed ea etiam omnia, quae medio tempore inter sententiam latam, et appellationem interpositam innovata fuerunt, modo debito tempore appellatum postmodum fuerit (quia haec talia in casu appellationis a iudice *a quo* facta, censentur facta a iudice incompetente, *glossa in c. Venientes*, 19. *v. Possessionem ipsam, de iureiurand.*) nisi casus esset, in quo non admittitur appellatio de iure, aut probari non posset, definitive pronuntiatum fuisse, fuisse appellatum, et aliquid fuisse innovatum. Si tamen ab interlocutoria tantum appellatum sit, non potest post eam appellationis, nisi prius constiterit, causam appellandi, et legitimam, everam esse, nisi canonice a iudice *ad quem* inhibitum fuerit iudici *a quo*, ne procedat ulterius *c. Non solum*, §. *Illa vero*, *h. t. in* 6. quia in appellatione ab interlocutoria non suspenditur iurisdictio iudicis *a quo*, nisi causa rationabilis appellandi allegata, et probata fuerit, et sic appellatio iustificata, quod in appellatione a definitiva locum non habet.

§. VI. *Alia quaedam observanda circa revocationem attentatorum post appellationem proponuntur.*

Primo habet locum hoc remedium revocandi attentata non tantum in appellatione iudiciali (sive a iudice *a quo*, sive a partibus innovatum aliquid fuerit) si causa appellationis iusta, ac probabilis fuerat, et parte citata causa revocandi attentata cognita fuerit, quia non tantum appellatione pendente nihil innovandum, sed in genere etiam lite pendente *c.* 1. *et* 2. *Ut lite pendente etc.* et hinc cum appellatio extraiudicialis sit saltem provocatio ad causam *c. Cum sit*, 5. §. *Si vero h. t.* etiam litis pendentiam inducit, si tamen talia attentata post appellationem extraiudicialem facta sint in gravamen, seu impedimentum appellationis *c. Cum nobis*, 19. *de elect.* sic collatio beneficii post legitimam appellatione facta ab eo, a quo appellatum est, est ipso iure nulla, et revocari debet tanquam facta post, et contra appellationem *c. Dilecti*, 1. *h. t.*

Secundo sicuti licite appellatur contra iudicem ante litem contestatam innovantem aliquid, vel si sine iusta causa diem ab ipso ex consensu partium ad litigandum assignatum praeveniat, ita etiam quae post appellationem attentata sunt, revocari debent *c. Significante*, 69. *h. t.* Non censetur tamen pars litigans, quae certo est in possessione rei litigiosae, innovare

aliquid, si re tali, dum appellatio, et lis pendet, utatur, neque usus talis inter attentata numerandus est.

§. VII. *Qua ratione attentata, seu innovata post appellationem extraiudicialem sint revocanda? et de privilegiis, quae competunt remedio revocandi attentata?*

Qui appellavit extra iudicium ex verisimilibus, et probabilibus causis, ne in possessione sua molestetur, aut turbetur, potest postea spoliatus non tantum, ut in pristinum statum restituatur, agere, sed per viam etiam attentati non tantum contra spoliantem, sed quemvis alium, sive malae, sive bonae fidei possessorem agere potest, ut fructus etiam percepti post interpositam appellationem eidem restituantur, *c. Bonae*, 51. *h. t.* qui enim rem spoliatam detinet, in praeiudicium spoliati appellantis detinet, et consequenter non tantum ratione huius, sed etiam ratione fructuum conveniri potest per viam attentati. Et hinc apparet, quod remedium revocandi attentata, pendente appellatione, longe uberius, et pinguius sit, quam interdictum *unde vi*, seu recuperandae possessionis, cum illi plura privilegia competant, quae huic non conceduntur: primo enim per viam attentati agi potest contra bonae etiam fidei possessorem, si post appellationem res, ratione cuius appellatum fuerat, in eum delata fuit, ut ex modo dictis patet. Secundo non debet servari ordo iudiciarius, si remedium revocandi attentata intentatur, sed sufficit implorato iudicis officio de plano, et summarie procedere. Tertio competit etiam hoc attentati remedium pro rebus mobilibus. Quarto non potest opponi agenti per viam attentatorum notorius defectus proprietatis, aut exceptio alterius spoliationis, vel excommunicationis, (saltem in appellatione iudiciali, quae se potius habet, ut defensio licita etiam excommunicatis, quam ut actio illis prohibita). Quinto non requiritur allegare, et probare titulum, si per viam attentati revocandi in causa beneficiali agatur etc. quae tamen, vel requiruntur, vel saltem non requiruntur in interdicto *unde vi*.

§. VIII. *Quis iudex cognoscere possit de revocatione attentatorum post appellationem?*

Cognoscere, num attentata post appellationem sint revocanda, ad iudicem appellationis pertinet, qui enim de principali cognoscit, de appellatione scilicet, cognoscit etiam de accessoriis, seu connexis, uti est attentatorum revocatio, *c. Sollicitudinem*, 54. *h. t.*

SECTIO IX.

De cessatione, aut revocatione, renuntiatione, et defensione appellationis.

§. I. *An, et quomodo per revocationem iudicis, et per renuntiationem cesset, et tollatur appellatio?*

Si iudex (sive ordinarius ille sit, sive delegatus) qui partem litigantem gravavit, et a quo ratione huius gravaminis appellatum fuit, postea ab huiusmodi gravamine desistat, illudque revocet, cessat appellatio, *c. Cum cessante*, 60. *h. t.* quia cessante causa (finali scilicet et principali, et quidem adaequata, non

autem tantum impulsiva), gravamine scilicet, cessat etiam effectus, appellatio scilicet, prout supra etiam insinuatum, et de interlocutoria intelligendum, quam revocare potest iudex *a quo*, intra decennium ad petitionem partis adversae, vel ex officio etiam postea, (cum respectu iudicis non transeat in rem iudicatam) etiam invitis partibus, et pendente appellatione. Cessat etiam, et tollitur appellatio per renuntiationem, sive haec expressa sit, sive tacita, expresse scilicet desistendo ab appellatione, quod potest facere, qui appellavit, si res adhuc sit integra, tacite vero actum contrarium appellatione exercendo intra debitum tempus non petendo apostolos, aut non introducendo appellationem etc. quibus in casibus sumptus, si quos fecit, ratione appellationis talis adversarius, restituere debet, qui appellavit, et ab appellatione iam cessat.

§. II. *Quomodo procedendum sit, si appellatio sit deserta? et an prosecutio appellationis desertae impediat, ne sententia transeat in rem iudicatam?*

In causis quibusdam, electionum v. gr. aut aliis beneficialibus, in quibus superior non tantum partis, sed ex officio procedere potest, potest iudex appellationis proprio motu, et ex officio procedere, de meritis causae, aut impedimentis oppositis cognoscere etc. super quibus appellatum fuit, etiamsi appellans appellationem deseruerit, neque enim talis desertio officio iudicis praeiudicat, cum sint diversi modi procedendi, per viam actionis ad instantiam partis, et ex officio iudicis, ita ut quamvis unus tollatur, non tollatur tamen alter modus, prout sumitur ex *c. Constitutus*, 45. *h. t.*

Neque prosecutio appellationis impedit, quominus sententia, a qua appellatum fuit, transeat in rem iudicatam, ac si ab ea appellatum non fuisset, si prius deserta fuit talis appellatio, *iuxta Clem. Si appellatio*, 6. *h. t.* Sicuti enim per lapsum temporis ad appellandum constituti, si intra illud tempus non appelletur, ratificatur prior sententia, et in rem iudicatam transit ita manet illi sententiae suum robur, etiamsi intra tempus debitum ab ea appellatum fuerit, si tamen postea deserta fuit appellatio, quamvis iterum suae desertionis poenitens eam prosequatur, ac si ab ea appelletum non fuisset, et consequenter transit in rem iudicatam, ita ut sententia a iudice *ad quem* lata, contra priorem sententiam a iudice *a quo* latam, nulla sit, velut lata a non legitimo iudice, et contra rem iudicatam.

SECTIO X.

De recusationibus, et relationibus.

§. I. *Quid sit recusatio, et quomodo cum appellatione conveniat, vel ab illa differat?*

Recusatio est iudicis, et iurisdictionis ipsius, proposita causa suspicionis declinatio, eo quod iudex v. gr. ex causa verosimili suspectus sit, ut scilicet maiore sinceritate lites procedant, *can. Quod suspecti*, 15. *causa* 3. *quaest.* 5. *c. Causam*, 17. *et c. Suspicionis*, 39. *De officio deleg.* Convenit in aliquibus cum appellatione, in multis tamen etiam differt. Conveniunt inter se primo, quod sicuti per appellationem receditur ab audientia iudicis, eiusque

iurisdictio suspenditur, ita etiam fiat per recusationem, qua pendente non potest actum aliquem iudicialem iudex recusatus exercere. Secundo aequiparantur, quoad modum proponendi, ut sicut sine iusta, et rationabili causa expressa non admittitur appellatio ab interlocutoria, ita nec recusatio iudicis. Tertio in eo etiam conveniunt, quod sicuti regulares possunt appellare a correctione superioris, si modus in ea excedatur, ita possit etiam superior recusari, si valde suspectus esset, et ob passionem excessurus putaretur in corrigendo, dummodo manifesta sit causa suspicionis. Differt autem appellatio a recusatione. Primo quod recusari possit iudex, etiam si non gravet, cum tamen appellari non possit a iudice, nisi gravet. Secundo quod recusari aliquis non possit iudicem, in quem consensit, cum tamen ab hoc appellare possit. Tertio quod a vicario generali, aut officiali non possit appellari ad episcopum, possit tamen coram hoc vicarius v. gr. recusari. Quarto quod in eadem causa non liceat fieri tertia appellatio, possit autem post secundam appellationem iudex recusari etc.

§. II. *Quando, et quomodo fieri possit recusatio iudicis, et quis sit illius effectus?*

Proponi debet recusatio iudicis intra 20. dies post libellum ante contestationem litis; quia recusatio haec ad dilatorias exceptiones pertinet, ante litis contestationem proponendas, ne agendo, aut respondendo coram illo videatur eum ut iudicem approbare. Sicuti autem 20. dies de utroque iure conceduntur parti ad deliberandum, utrum litigare velit, ita hi etiam subservient ad recusandum iudicem, nisi notorium sit eum carere iurisdictione; vel iudicium subeat de excommunicatione v. g. actoris, cum protestatione, ut salva sibi maneat recusationis exceptio, vel post litem primum contestatam suspectus iudex fiat, aut innotescat etc.

Posito tamen, quod contra iudicem recusans exceptionem recusationis opponat, et causam suspicionis allegaverit, quae nec manifeste frivola, nec notoria sit, cogi possunt partes litigantes, ut in arbitros (ultra unam diaetam a dioecesi non distantes) compromittant, qui de causa suspicionis cognoscant; quae si probata non fuerit (ut vult ius canonicum) intra terminum praefixum, poterit iudex non obstante frivola recusatione, in causa procedere, sicuti enim ratio naturalis dictat, quod suspecti iudices ad causam decidendam admitti non debeant, sed vel alii a se delegando, si ordinarii sint, committant, vel ad delegantem, aut superiorem remittant, ita nec debet illis partis recusatio obesse, si nulla sit recusandi causa, *c. Secundo requiris*, 41. §. *tertio postulat h. t. iuncta gloss. v. Allegare, et cap. Cum speciale*, 61. *eodem*. Effectus autem recusationis est, quod suspendat iudicis recusati iurisdictionem, ita ut pendente cognitione de iustitia recusationis, in causa procedere non possit, non quidem quasi ipso iure, quae post recusationem gesta sunt, nulla sint (nisi notoria sit recusationis causa, aut arbitri iam electi essent, qui de iustitia recusationis cognoscant, quia ut sic res iam non est integra, et iam est iurisdictio translata in arbitros) sed quod interponi possit appellatio, si post recusationem iudicare velit recusatus *c. Super quaestionum*, 27. *de offic. deleg.* quia ut sic gravare incipit.

§. III. *Quid sit relatio, quomodo, et quando fieri debeat, et quis sit illius effectus ?*

Relatio est consultatio iudicis de iure dubitantis in causa ad principem missa; eo ipso enim, quod in casu nonnunquam nullum ius expressum videatur, ut certe dubium illud sit, et diversas patiatur interpretum opiniones, merito nonnunquam ad principem fieri videtur relatio, ut ab eo intelligatur, quid in iudicando fieri velit; et quamvis ex allata definitione videatur inferri posse, relationem non esse, nisi causa tota ad principem remissa sit, ita ut huius iam sit, sententiam ferre, in usu tamen hodierno non esse, in negotiis privatorum, strictam adeo relationem, fatentur plerique.

Quod si tamen ad principem referendam causam, vel articulum causae putet iudex, debet relationem, vel copiam illius prius partibus exhibere, ut fides consultationi tali, aut relationi adhibeatur; *cap. Intimasti*, 68. *h. t.* et partibus, si vera non sit in omnibus relatio, detur occasio eam corrigendi, vel appellandi.

Debet autem fieri relatio, si facienda videatur, non post sed ante sententiam definitivam, exceptis causis criminalibus, in quibus prius fertur sententia; ut demum princeps iudicet, an eam sequi oporteat, prout ex civilibus textibus probatur.

Effectus denique relationis est, quod per eam suspendatur iurisdictio iudicis inferioris, quae statim quiescit, et suspenditur, postquam causam referendam decrevit, ita ut ea pendente nihil innovari, aut attentari debeat, nec de causae meritis inquiri, donec superior consultus, aut eius successor responsum dederit, et irrita futura sint, quae post eam decretam innovata, seu attentata fuerint, si tamen partes in eam consenserint, ex quarum etiam consensu causam reassumere potest, si nondum ea relata principi fuerit, *arg. c. Bonae*, 4. *de postul. praelat.*

TITULUS XXIX.

DE CLERICIS PEREGRINANTIBUS.

Peregrinantium nomine in hoc titulo intelliguntur illi, qui Romam proficiscuntur ad limina Apostolorum visitanda; vel ex alia causa necessaria, et probabili ad sedem apostolicam; et quamvis rubrica tantum de clericis loquatur, fatentur tamen Auctores etiam de laicis taliter Romam proficiscentibus, seu peregrinantibus intelligenda esse, quae hic statuuntur. Statuitur autem *in cap. unico h. t.* ut qui proficiscuntur ad sedem apostolicam, ipsi cum suis rebus sint sub eiusdem sedis protectione constituti, et quod si quid durante itinere illis ablatum sit, restituendum illis sit, (quia contra peregrinantes ad sedem apostolicam nihil est innovandum, et talis peregrinatio ad sedem apostolicam habet vim appellationis) sive deinde ipso facto extra iudicium illis auferantur aliqua, sive in iudicio per sententiam iudicis, cuius processus ipso iure nullus est, nisi accedens ad papam citatione fuerit praeventus, antequam iter instituerit, iuxta *c. penult. De foro competente.*

TITULUS XXX.

DE CONFIRMATIONE UTILI, VEL INUTILI.

§. I. *Quid, et quotuplex sit confirmatio.*

Confirmatio, prout hoc titulo de ea sermo est, communiter sic definitur, quod iuris prius habiti, seu quaesiti, sit per legitimum superiorem facta corroboratio. Potest autem duplici modo fieri actus alicuius confirmatio. Primo tanquam necessaria per se ad complendum actum prius inchoatum, et non perfectum quoad substantiam suam, qualis est confirmatio electi ad praelaturam v. gr. quae si valida sit electio, valida etiam ipsa erit, et electo tribuat ius perfectum; nulla tamen erit, si nulla sit electio. Secundo fieri potest confirmatio, non tanquam per se ad substantiam actus necessaria, sed ut ei maius robur, firmitas, et auctoritas tribuatur, quae fieri debet per legitimum superiorem (quae enim a paribus in iurisdictione fiunt, non tam confirmationes, quam approbationes dici debent, cum par in parem non habeat imperium, et quae ex voluntate talis superioris actum de se invalidum, validum faciunt, innovationes rectius dicuntur, quam confirmationes) et duplex esse dicitur. Prima dicitur simplex confirmatio, et in forma communi ordinaria facta, quando scilicet princeps v. gr. non plene, sed confuse tantum de negotio instructus, actum v. gr. ab inferiore gestum confirmat in eo statu, in quo ante fuit: altera fit cum perfecta talis negotii, et omnium circumstantiarum cognitione, quam saepius etiam indicat clausula, *ex certa scientia.* Differunt autem inter se hae duae confirmationum species, quod illa, quae fit in forma communi, nullum novum ius tribuat, aut valorem actui cui accedit, sed relinquit invalidum, si invalidus per se est: altera vero species, quae fit in forma speciali, et cum plena causae cognitione, novum ius tribuit actui, et hunc, si invalidus ex se est, defectum supplendo, validum facit, si tamen a confirmante defectus ille suppleri possit, uti habetur *in c.* 1. *De transact. iunc. gloss. fin.*

§. II. *Ex quibus signis cognosci possit, quod confirmatio alicuius dispositionis, vel actus facta sit in forma communi, vel speciali?*

Omnis confirmatio censetur facta in forma communi, et ordinaria, nisi aliquod signum apponatur, ex quo constet eam in forma speciali factam, cum specialia non praesumantur, sed exprimantur. Sunt autem signa, quae probant in forma speciali factam confirmationem, varia.

Primo, si in rescripto confirmationis totus tenor dispositionis, vel actus, qui confirmatur, specifice inseritur; in tali enim casu constat ex certa scientia operatum fuisse principem v. gr. et sufficientem rei, quam confirmat, notitiam habuisse, ac voluisse omnem defectum, si quis fortasse in dispositione illa reperiri posset, supplere, prout colligitur etiam ex *c. Venerabilis,* 8. *h. t.*

Secundo quando expresse adiecta est clausula, *ex certa scientia;* (recte enim in tali casu, licet tenor dispositionis in rescripto confirmationis expressus non sit, supponitur sufficiens rei notitia penes principem v. gr. fuisse) vel alia aequipollens, *ex plenitudine potestatis v. g.* aut *non obstante quacum-*

que lege, aut consuetudine in contrarium etc. aut ex aliis verbis rescripti confirmatoriis talis certa scientia colligatur, qnibus in casibus censetur princeps defectum, si quem fortassis patitur dispositio, supplere; nisi defectus talis non esset iuris positivi, qui a confirmante snppleri potest; aut si ex illis aliquis, quem princeps non solet supplere, aut supplere non potest sine praeiudicio alterius, quo in casu praeiudicii etiam mentio fieri deberet, non obstare scilicet hoc, si validum actum reddere deberet confirmatio.

§. III. *Quando confirmatio sit utilis, seu valida, vel inutilis, sive invalida?*

Confirmatio super re litigiosa, de qna lis iam est mota in iudicio, non impedit iudicem inferiorem, quo minus causam cognoscere, et decidere possit, si in rescripto confirmatorio nulla litis motae facta est mentio: impeditur tamen iudex a cognitione, et decisione causae talis, si in rescripto confirmatorio litis motae facta est mentio; sicuti impeditnr etiam, si prius ante litem motam, dum pacifice rem possidebat, confirmationem impetravit, quamvis nulla litis, quae tum nondum erat, facta sit mentio, cum in his casibus rescriptum confirmatorium (caeteris paribus) validum, et utile sit, non autem in primo casu, ubi rescriptum nullam de lite iam mota mentionem faciens subreptitinm esse ex dictis iam patet, et consequenter invalidum etiam, et inutile.

Non possunt quidem contra confirmationes, quae a sede apostolica ex certa scientia emanarunt, iudicare, et cognoscere iudices inferiores, nisi speciale mandatum a papa accipiant, aut manifestum sit, quod tales literae cofirmatoriae sint subreptitiae; possunt tamen contra confirmationes in forma communi factas, de re in iudicium adducta saltem per accidens cognoscere, et iudicare, cum per tales confirmationes non fiat nova concessio, sed fundentur in valore rei confirmatae: nnde si rem confirmatam taliter validam non esse censeat iudex, iudicat etiam confirmationem illam invalidam, et inutilem esse, quia accessorium sequitur naturam principalis, iuxta *reg.* 42. *in* 6. Nihil valent, et inutiles sunt literae, quae latam sententiam confirmant, si post interpositam a parte contraria appellationem impetratae sunt ab appellato, nulla facta mentione appellationis post sententiam interpositae: valent tamen, et ntiles suut, donec de iniquitate sententiae plenius fuerit cognitum, si impetratae sint post appellationem quidem a parte contraria interpositam, ita tamen, ut huius appellationis mentionem fecerint, quamvis in posteroribus fortasse literis ab appellante impetratis clausula generalis, *non obstantibus prioribus literis, si veritati, aut iustitiae praeiudicent*, adiecta fuerit, nisi in posterioribus his literis specialis mentio fiat de literis confirmatoriis prius impetratis: quo in casu priores confirmatoriae omnino non valent *c. Bonae*, 3. *h. t.* tum quod litarae confirmatoriae in primo casu impetratae sint subreptitiae, cnm nulla de appellatione interposita mentionem faciant; tum quod per clausulam tantum generalem non revocentur priores literae in forma communi concessae, et confirmantes seutentiam, *Sicuti iuste lata fuit.*

Confirmatio, quam pro sua persona obtinet a papa religiosus pro

prioratu, vel alia temporali administratione confirmanda, est irrita, et nulla, si religiosum se tacuit *cap. Ad nostram*, 5. *et c. Porrecta*, 6. *h. t.* ne praetendere possint contra suos regulares superiores exemptionem aliquam, et quod ab his amoveri non possint: si tamen religiosum se esse expressit, et papa hoc in suo rescripto asserat, quod religioso huic ex certa scientia administrationem talem ad dies vitae confirmet, valida, et utilis est confirmatio (sive motu proprio concessa fuerit, sive ad instantiam religiosi fuerit impetrata) ita ut amoveri ab hac administratione ab inferiore suo praelato non possit (nisi a papa specialem licentiam, aut mandatum habeat, vel nisi crimen commiserit hic confirmatus, quod de iure communi depositionem mereatur) cum per talem confirmationem specialem quoad hanc administrationem regularis talis subiiciatur summo pontifici, quamvis quoad alia suo praelato subiectus maneat.

Neque valet etiam, aut utilis est confirmatio in forma communi concessa, qua confirmatur laudum contra formam iuris, vel compromissi per arbitros factum, et communi consensu utriusque partis receptum, *cap. Examinata*, 7. *h. t.* neque enim tale laudum contra formam iuris, aut compromissi latum validum est, aut a partibus valorem accipere potest (nisi ut in vim pacti valeat) ergo si in forma communi a papa tantum confirmatum sit, nulla, et inutilis erit talis confirmatio.

Denique nunquam utilis est confirmatio in forma communi facta, si iuri alterius praeiudicet, *c. Sua nobis h. t.* quamvis enim papa per plenitudinem potestatis ius uni quaesitum, in materia beneficiali praesertim, et ecclesiarum, auferre possit, et alteri dare, per confirmationem tamen in forma communi concessum hoc non facit, prout passim iura, et regulae cancellariae docent.

§. IV. *An innovatio privilegiorum habeat vim confirmationis, ita ut novum ius tribuat?*

Possunt quidem privilegia, sicuti alia etiam instrumenta, ne propter vetustatem omnino pereant, et corrumpantur renovari, haec tamen innovatio ordinarie (nisi fiat ex certa scientia, et in forma speciali) nullum novum ius tribuit, sed antiquum si quod competebat, conservat, et consequenter innovatio talis maius robur non habet quam confirmatio in forma communi concessa, *cap. Ex parte*, 13. *de privileg. cap. Cum dilecta*, 4. *h. t.* Cum talis innovatio tantum fiat, ut facilior, et diuturnior sit eius probatio, et quasi conservetur privilegium cuius facilis esset consumpto instrumento iam vetusto perditio. Potest tamen etiam ille, cuius interest privilegium non innovari, contradicendo impedire illius renovationem, ne novis litibus detur occasio.

—

LIBER TERTIUS

DECRETALIUM.

TITULUS I.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

Nomine clericorum absolute prolato non intelliguntur quidem in materia odiosa episcopi, aliique in dignitate ecclesiastica constituti, aut canonici cathedralium ecclesiarum, vel regulares; quia tamen huius tituli materia etiam, et potissimum his in dignitate ecclesiastica constitutis, uti et regularibus convenit, ideo etiam rubrica haec ad eos extendenda est, si tamen, quod de vita, ac honestate clericorum statuitur, non videatur potius materia favorabilis, quam odiosa.

§. I. *Qualis vitae probitas, et conservatio requiratur in clericis?*

Statuit concilium generale Lateranense, sub Innocentio III. celebratum, prout refertur *in c. Ut clericorum*, **13.** *h. t.* ut omnes clerici, praesertim in sacris ordinibus constituti in latina ecclesia continenter, et caste vivant, (iuxta delicti gravitatem puniendi, si contra hanc constitutionem deliquerint) neque monasteria monialium sine manifesta, et rationabili causa frequentare praesumant, prout prohibetur *c. Monasteria*, **8.** *h. t.* ad omnem scilicet intemperantis animi suspicionem praecavendam, sanctitati clericorum maxime contrariam.

Secundo in eodem Concil. prout refertur *in cap. A crapula*, **14.** *h. t.* etiam statuitur, ut omnes clerici a crapula, et ebrietate diligenter abstineant, neque alios ad bibendum incitent, aut se mutuo ad aequales haustus provocent, sub poena suspensionis ab officio, vel beneficio.

Tertio vult pontifex ab omni avaritia eos esse quam maxime alienos; et hinc *in c. Cum ab omni*, **10.** *h. t.* non vult, ut iudices, delegati a papa, salarium accipiant a partibus pro labore iudicandi (cum ex suis beneficiis hi tales sufficientes sustentationi redditus habeant) praeter esculenta quaedam, et poculenta, liberaliter oblata, et modica, quae inter paucos dies absumi possint, *c. Statutum*, **11.** §. *Insuper, de rescriptis in* **6.** et nisi, necessitate cogente, extra domicilium suum ad causam sibi commissam cognoscendam exire debeant, quo in casu expensas itineris, moderatas tamen petere possunt a partibus (cum eorum beneficia non conferantur talibus cum annexa iurisdictione ordinaria ad taliter iudicandum) vel si congruam sustentationem non habeant ex aliis redditibus ecclesiasticis, quia *c. Cum ab omni* de iudicibus delegatis, qui sufficiens sustentationi beneficium habent, loquitur.

Neque tamen haec constitutio de iudicibus tantum a papa delegatis intelligi debet, sed etiam de ordinariis, tam ecclesiasticis, quam saecularibus, quibus ex beneficio suo, vel ex publico, sufficiens salarium numeratur, cum

sententiae venales utroque iure prohibitae sint; quin etiam iudices ab inferioribus ordinariis, episcopis v. g. delegati, spectato iure communi, a partibus pro ferenda sententia nullum salarium, munus, sportulas, aut xenia, etc. accipere possunt, cum ab ordinario delegante, cuius est ratione officii causas expedire, victualia, et expensae his delegatis solvendae sint. Consulenda tamen in his, et observanda recepta consuetudo, iuxta quam moderatum quid a partibus nonnunquam exigitur, quae saepissime fundatur in defectu sufficientis salarii aliunde assignati.

Quarto, plura alia ad mores, et honestatem vitae clericalis conducentia in variis huius tituli capitulis statuta sunt, quae utiliter legi possunt, et utilius observantur.

§. II. *De habitu, et vestitu clericorum.*

Quod clerici in sacris ordinibus constituti, et beneficiati, etiamsi minoribus tantum initiati sint, praeter coronam, sive tonsuram congruam in capite, vestem ordini clericali convenientem deferre debeant, ob status decentiam, ex *c. Clerici*, 11. *h. t.* ex *Clement.* 2. *eodem*, *et Trident. sess.* 14. *c.* 6. *de reformat.* patet; ex quibus iuribus etiam patet, non tantum varia genera vestimentorum, rubra v. g., viridia, striata, auro multo illusa, intertexta, aut ornata, etc. probibita illis esse, nisi specialia privilegia, qualia cardinales babent, aliud permittant, aut necessitas exigat, sub poena suspensionis a perceptione fructuum ecclesiasticorum, aut inhabilitatis ad ecclesiasticum beneficium, aut amissionis privilegii fori etc., sed annulorum etiam gestationem (nisi ex officio dignitatis ecclesiasticae boc illis competat,) et armorum delationem, nisi ex iusta causa pro sui defensione, in itinere talia licita faciat saecularibus clericis recepta consuetudo, quae multa de iure prohibita, hodie licita facit.

§. III. *De negotiis, et exercitiis, quae clericis sunt prohibita.*

Prohibetur quidem clericis in genere, ut ne officia, commercia, et negotia saecularia, maxime inhonesta exerceant, in specie tamen *in cap. Clerici*, 15. *h. t.* prohibetur illis, ne mimis, et histrionibus intendant, ne tabernas publicas adeant, nisi ob necessitatem in itinere constituti; ne aleis ludant, vel eiusmodi ludis intersint, qui magis fortuna, quam arte, et industria ludentium reguntur; ita ut gravem poenam incurrant de iure, si in magna quantitate, aut cum publico scandalo ludos tales frequentent, et *in c. Cum decore*, 14. *h. t.* prohibetur illis, ne in templis exbibeant ludos theatrales minus bonestos, et scurriles, nulla consuetudine suffragante; praesertim etiam, si personae religiosae, ludibrii causa, sub ficto schemate introducantur (pia tamen spectacula in templis exhibere, ad praesepium, aut sepulchrum Christi etc. non probibetur), et *in c. Ex literis*, 16. *h. t.* negotiationes si exerceant illis illicitas, et probibitas, de quibus infra, praetermissis divinis officiis, ac ter moniti ab episcopo suo non desistant, amittunt privilegium clericale, quoad bona patrimonialia, et facultates tales illis competentes, ita ut non minus quam laici ad omnia onera, et tributa ex hisce facultatibus suis obligentur, quia talia agendo reddunt se indignos privilegio cleri-

cali; et denique iuxta *cap. Clerici eodem in* 6. omni privilegio clericali privantur, si ioculatores, mimos, et histriones etc., se praebeant, ac ignominiosam hanc artem per annum publice exerceant, vel etiam breviore tempore, postquam ter ab episcopo, aut superiore suo moniti, non reliquerint; eo quod scilicet talia faciendo multum detrahant dignitati ordinis clericalis, et ipso iure sint infames, *l. secunda*, §. *ultim. iunct. glossa v. Definit. ff. De his, qui notant. infam.* Vide plura in *Clement. Dioecesanis* 1. *h. t.*

TITULUS II.

DE COHABITATIONE CLERICORUM, ET MULIERUM.

§. I. *An, et quatenus clericis cum mulieribus cohabitare liceat, vel non?*

Prohiberi hanc cohabitationem, nisi ob sanguinis coniunctionem in primo, vel secundo gradu, nihil saevi, seu incestuosi criminis suspicari liceat, ex *c. A nobis*, 9. *h. t.* patet, ita ut illorum cum extraneis iunioribus foeminis cohabitatio prohibita omnino sit; cum consanguineis vero in primo, et secundo gradu permittatur quidem, si nulla criminis suspicio sit, prohibita tamen et ipsa sit, si inter has etiam personas, vel pedissequas earum suspicio esse possit, et hinc magis consultum videtur dignitati ecclesiasticae, si personae tales, quamvis coniunctae sint, in aliis aedibus separatis habitent, et alantur, nisi ad oeconomiam ducendam necessaria sint. Videantur, et observentur hac in re statuta cuiuslibet dioecesis.

§. II. *De poenis, quae iure canonico sunt statutae in clericos conversantes cum foeminis suspectis, vel concubinarios.*

Excommunicari iubetur *in cap. Si quisquam*, 2. *h. t.* clericus in sacris constitutus, si de crimine fornicationis cum foemina suspectus, post tertiam admonitionem inveniatur cum ea conversari, et foemina canonice punienda statuitur, et in *c. Sicut*, 4. *h. t.* si concubinas suas, quas in sacris ordinibus constituti habent, ab episcopo moniti, ut eas dimittant, dimittere tamen neglexerint, a beneficiis ecclesiasticis suspendi iubentur, donec congrue satisfecerint; vel etiam in perpetuum privari debent, si suspensi retineri eas praesumpserint, cum contumacia crescente, crescere etiam poena debeat: non volunt tamen sacri canones *in c. Clericos*, 3. *h. t.* ut iurare cogantur tales concubinarii clerici, quod dimittere velint concubinas suas, ne si forte in idem fornicationis vitium reincidant, periurii etiam reatum contrahant. Quia tamen de poenis talibus varie loquuntur iura antiqua, et aliter etiam statuit Tridentinum *sess.* 25. *c.* 4. *De reform.* et aliter etiam statuta saepe dioecesana puniunt, videantur haec ab illis, qui poenas dictare debent.

§. III. *Quomodo procedendum sit contra clericos, qui publice concubinas habere dicuntur, sed citati, et examinati negant se concubinarios esse.*

In *c. Tua nos*, 8. *h. t.* ad hanc quaestionem respondet pontifex, quod si crimen (concubinatus scilicet) illorum ita publicum sit (propter vehementia indicia) ut merito notorium habeatur ex facti evidentia, tunc ad condemnandum talem clericum, nulla alia probatio, aut accusatio necessaria

est, sunt tamen etiam in hoc casu testes producendi, ad probandum notorium, si crimen neget concubinarius, pront etiam probatio per testes est necessaria de crimine, in eo casu, qno fama quidem publica concubinatus talis clerici spargitur, non tamen evidentia facti per vehementia indicia notorius est, nisi putet iudex publice tali infamato purgationem canonicam indicendam.

§. IV. *An, et qualiter sacerdos, aut clericus concubinarius, aut fornicarius vitandus sit in missis, et aliis divinis officiis.*

Contra concubinarios, aut fornicarios sacerdotes adeo severi fuerunt antiqui canones, ut prohibuerint etiam missam talis sacerdotis audire, si notorium de eo sit, (vel facti evidentia, vel per sententiam iudicis, vel per confessionem rei in iure factam) quod concubinam habeat: ut huius etiam terrore poenae, alii a peccato tali retraherentur; quam poenam dicunt aliqui suspensionem aliquam esse: quia tamen Tridentinum huius poenae non meminit, et Constantiense concilium alios devitandos non putavit, quam publice denuntiatos, et clericorum percussores, ideo nulla hodie poenae huius contra concubinarios notorios statuta praxis.

§. V. *Proponuntur quaestiones reliquae circa notorium, quid, et quotuplex sit, et an probari debeat?*

Notorinm in genere definiri potest, quod sit *ius vel factum aliquod transiens in notionem, seu notitiam omnium, vel maioris partis eorum.* Est autem notorium triplex, iuris, facti, et praesumptionis. Iuris notorium dicitur illud, quod oritur ex iilis, quae in iudicio aguntur, ita ut iuris notorietate notorium aliquid esse possit, vel quod sponte rem eam in iudicio confessus fuerit reus, et ante sententiam latam confessionem eam non revocet, ostendendo per errorem, aut metum, etc. eam factam, vel quod per anthenticas probationes, a notario in protocollum relata, coram iudice, ant coram iudicio factas, probatio probata efficiatnr, postquam in causa conclusum est: vel qnod lata sit sententia definitiva, quae transivit in rem indicatam. Facti notorinm in genere dicitur illud, quod ita se exhibet conspectui populi tam qnoad factum, quam quoad circumstantias, aut maioris partis iilins, ut nulla tergiversatione, aut negatione celari possit, vel si neget reus, notorie constare, quod crimen tale commiserit, et probare hoc velit, audiri qnidem debet, si tamen per testes contra eum productos convincatur, declarare potest iuridice iudex, factum hoc esse notorium, et contra eum tanquam notorium delinquentem procedere. Est autem triplex notorium facti. Primo scilicet ex facto permanente, quod continuo se exhibet notitiae hominum, quale notorium est, si clericus v. gr. palam, et scientibus omnibus concubinam domi detinet, etc. Secundo ex facto transeunte, quod in conspectu quidem populi commissum, aut factum est, mox tamen praeteriti, qualiter notorinm esse potest, a Caio v. gr. occisum Titinm. Tertio ex facto interpolato, quod fit publice quidem, non tamen continuo; neque semel tantum, et transeunter factum est, sed saepius per intervalla repetitur, qualiter dici solet usurarius notorius, qui palam, et saepius sub

usuris concedit mutuum, etc. Praesumptionis denique notorium est, cum ex publicis circumstantiis ius praesumit aliquid pro veritate, ita ut ex tali praesumptione non minus ferri possit sententia definitiva, quam ex aliis legitimis probationibus, sicuti praesumitur filiatio, ex eo quod quis publice pro filio alicuius habetur, legitimatio, ex eo quod natus sit ex matrimonio inucta, etc. addunt tamen aliqui, ad inducendum hoc notorium praesumptionis, praeter violentam praesumptionem, requiri insuper, ut factum, ex quo oritur praesumptio, sit notorium, facti aut iuris notorietati: ad probandum autem notorium, si tamen probare illud, iuxta dicta necessarium est, in facti scilicet notorietate, duo vel tres testes sufficiunt, prout non quidem ad infamandum, sed ad probandam infamiam sufficiunt.

TITULUS III.

DE CLERICIS CONIUGATIS.

§. I. *An clerici coniugati ad ordines, vel beneficia ecclesiastica promoveri possint?*

Resp. dari quidem clericos coniugatos, qui in minoribus constituti duxerunt uxores; ad ordines tamen, et ad ecclesiastica beneficia, vel administrationes, admitti non debent coniugati, nisi continentiam voverint perpetuam (cum consensu uxoris), et unicam, eamque virginem (ab alio non corruptam) duxerint, prout habetur *in c.* 2. *h. t. iuncta glossa v. Virginem.* Neque enim est conveniens, ut idem divinis ministeriis, quae summam requirunt puritatem, et rei uxoriae serviat, et cum in omnibus habeatur talis ut laicus, laicus autem ad beneficia ecclesiastica promoveri non possit, consequenter neque hic promoveri poterit, ita ut nec regula de triennali pacifica possessione iuvetur, tanquam omnino inhabilis.

§. II. *An clerici matrimonium contrahere, eoque contracto beneficia retinere possint?*

Ordines sacros impedimentum dirimens matrimonii esse ex *lib.* 4. patebit, et consequenter clerici in sacris constituti, nec valide, nec licite matrimonium contrahere possunt, prout etiam asseritur *in c. Si qui*, 1. *h. t.* ubi per suspensionis, et excommunicationis sententiam compellendi dicuntur ad illas dimittendas, quas de facto ducere in uxores post sacrum ordinem susceptum praesumpserunt. Qui vero clerici in minoribus tantum constituti sunt, valide quidem, et licite contrahere possunt matrimonium, ad beneficia tamen ecclesiastica, si quae habeant, dimittenda, compellendos tales, ex pluribus iuris textibus patet, *c. Quod a te*, 3. *et c. Diversis*, 5. *h. t.* cum usus coniugii, ut asserit pontifex, non bene conveniat cum mundissimo altaris ministerio. Et quamvis orientalibus, sive graecae ecclesiae sacerdotibus concessum sit, prout patet ex *c. Cum olim*, 6. *h. t.* uti matrimonio ante sacerdotium contracto, contrahere tamen matrimonium post susceptum sacerdotium nec illis licebat. Debent tamen his, qui in minoribus constituti uxores duxerunt, et beneficiis propterea privati sunt, restitui bona, si quae ecclesiis, in quibus beneficiati fuerunt, accessorie una secum obtulerunt *c. Quod a te*, 3. *h. t.* tum quod ca-

dente principali, cadat etiam accessorium, *argu. reg.* 43. *in* 6. tum quod benignitas ecclesiae non patiatur talem egere ad vitam necessariis.

§. III. *Utrum clericus matrimonium contrahendo amittat beneficia obtenta ipso iure, an vero solum per sententiam iudicis?*

Respondetur ipso iure ante sententiam iudicis vacare beneficia, quae clericus valide matrimonium contrahens, etiamsi nondum illud consummaverit, obtinet; ut tradit *glossa in c.* 1. *h. t. v. Relinquenda* (tum quod matrimonium validum, est de iure incompatibile cum beneficio ecclesiastico, et consequenter qui sciens hoc, valide contrahit illud, ipso facto beneficiis suis renuntiare videtur, tum quod sub hac conditione clerico conferatur beneficium, ut non assumat statum incompatibilem de iure cum beneficio; ergo non subsistente conditione, amittit ipso facto beneficium) non quidem quasi amitteret beneficium in poenam delicti, quod nullum committit, si in minoribus adhuc constitutus valide contrahat, sed ob renuntiationem tacitam, aut deficientem conditionem, sub qua beneficium collatum est; et quamvis in iure dicatur, compellendos hos tales ad relinquenda beneficia, et his privandos esse, intelligenda tamen haec verba non sunt, quasi ipso iure non vacarent beneficia, sed quod compellendi sint, ut possessionem etiam cedant beneficiorum de iure vacantium. Extenditur autem haec responsio, quod per contractum valide matrimonium talis clericus omnia etiam iura ad beneficium obtinendum, vel acquirendum amittat, quae fortassis per rescriptum gratiae obtinuit, *argum. Clement. Gratiae*, 4. *De rescriptis*, et omnes etiam pensiones ecclesiasticas, quae titulo clericali alicui collatae sunt, cum etiam haec talia sub dicta conditione conferantur, et ipso facto his renuntiet, qui valide matrimonium contrahit: eae tamen pensiones, quamvis ex redditibus ecclesiae sumptae sint, quae in stipendium laboris alicuius temporalis, cantori v. gr. sacristae etc. assignantur, sicuti ab uxoratis obtineri possunt, ita etiam obtentae ante matrimonium retineri possunt, etiam matrimonio contracto, cum nec incompatibiles sint cum statu illo, nec sub conditione allata, sed in laboris mercedem assignantur.

Quod si tamen clericus talis beneficiatus invalide contrahat matrimonium, sive in minoribus, sive in maioribus constitutus sit, ob impedimentum aliquod dirimens, secundum probabiliorem sententiam non vacat ipso iure beneficium, taliter invalide contrahentium, cum rationes allatae, prae hoc casu nulliter contracti matrimonii, nihil probent, et quod irritum est, nullum possit producere effectum, sed si culpam aliquam contrahendo commiserunt, eo quod v. gr. in sacris constituti matrimonium invalide contraxerint, privari possunt suis beneficiis in poenam delicti commissi, et attentati, cum infamia status clericalis, matrimonii: poenales enim constitutiones, quae nonnunquam attentationi eandem poenam statuunt, quae statuitur pro re consummata, extendendae non sunt ad casus non expressos in iure, qualiter casus hic, de quo agitur, non est expressus.

—

§. IV. *An episcopus possit dispensare cum clericis coniugatis in minoribus, ut possint obtinere beneficium, vel cum clericis in sacris constitutis, qui uxores de facto duxerunt, ut officia sacra ordinum iterum exercere possint?*

Respondetur quoad primam quaestionem negative, cum solius pontificis sit, cum talibus uxoratis ad beneficia obtinenda, vel retinenda dispensare, (neque enim inferior, qualis est episcopus in lege superioris, qualis est lex privans uxoratos beneficiis, et ad haec obtinenda inhabiles reddens, dispensare potest, nisi expresse hoc ipsi concessum sit) prout etiam sumitur ex *c. Diversis*, 5. *h. t.* et quamvis in aliis quibusdam casibus, maioribus etiam, contra ius commune dispensare possit episcopus, iuxta concessam illi licentiam, in rebus tamen a iure communi exorbitantibus, qualis est dispensatio in lege superioris, non potest a pari, aut a maiore, etc. dici argumentum.

Quoad secundam quaestionem in titulo §. huius propositam. Resp. posse episcopum dispensare cum clericis, qui in sacris constituti de facto, invalide tamen, cum unica, eaque virgine matrimonium contrahere praesumpserunt, post longam poenitentiam actam, et vitam laudabiliter in continentia ductam, ut suis officiis restituantur, et in iliis ministrare possint, et ad altiores etiam ordines promoveri, *c. Sane*, 4. *h. t. et c.* 1. *iuncta gloss. v. Dispensative. Qui clerici, vel voventes, etc.* tum quod bigamiam (rigide dictam) hi tales non contrahant, tum quod statum incompatibilem cum clericali absolute non elegerint, tum quod dispensandi cum his licentia a iure concessa sit episcopis.

§. V. *An, et qua ratione clerici in minoribus constituti, et coniugati gaudeant privilegiis clericalibus, vel contrahendo matrimonium illa perdant?*

De iure communi antiquo clericus, qui in minoribus constitutus matrimonium valide contraxit, habetur ut laicus, neque potest ab episcopo compelli ad habitum, et tonsuram deferendam, cum privilegio clericali non gaudeat, etiamsi habitum, et tonsuram deferat, ut ait pontifex *in c. Ioannes*, 7. *h. t.* et ad tributa, et vectigalia aliasque exactiones saeculari magistratui solvendas obligetur, cum bona illius ab his exactionibus immunia non sint, *c. Ex parte*, 9. *h. t. et cap. unico eodem in* 6. si vero cum una, et virgine contraxerunt, ac habitum, et tonsuram deferant, et ut addit *Tridentinum sess.* 23. *c.* 6. *De reform.* alicuius ecclesiae servitio adscripti ab episcopo, eidem ecclesiae inserviant, privilegio canonis, et fori gaudent. Et fori quidem ex probabiliore sententia, tantum in criminalibus iuxta *cit. c. unicum h. t. in* 6. ubi dicitur pro excessibus suis, (id est criminibus suis) conveniri coram iudice laico non posse, sive criminaliter (ad vindictam scilicet publicam (sive civiliter pro suis excessibus (ad privatum scilicet alterius interesse) agatur. Neque tamen, si has conditiones, qui cum una, et virgine contraxerunt, non observant, omnino amittunt canonis, et fori privilegium, ut haec, si postmodum conditiones a iure, et Tridentino conscriptas observare incipiant, non recuperentur, cum eo tempore, quo condi-

tiones hi tales non observabant, privilegia illa suspensa tantum fuerint, et nullius fuerint usus.

TITULUS IV.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS IN ECCLESIA, VEL PRAEBENDA.

SECTIO I.

De beneficiis residentiam postulantibus, et causis ab illa excusantibus, ac poena non residentium?

§. I. *An omnia beneficia personalem residentiam, sive assiduum beneficiarii praesentiam requirant?*

Residere in loco beneficii, hoc loco aliud non est, quam commorari continuo fere, et assidue in loco beneficii, servitii seu obsequii ecclesiastici, personaliter praestandi causa: Ad hanc personalem residentiam non tantum omnes illi obligantur, qui beneficia obtinent, quibus cura animarum annexa est, *c. Quia nonnulli,* 3. *h. t.* sive deinde in titulum, sive in commendam perpetuam obtineant, neque enim gregi suo satis invigilare censetur, qui personaliter ab illo absens, alii, ceu mercenario, id committit, ut ait Tridentinum *Sess.* 6. *c.* 1. *De reform. et sess.* 23. *c.* 1. *De reform.* praesertim cum sit electa industria personae in talibus beneficiis, sed canonici etiam, aut aliter praebendati in suis ecclesiis cathedralibus, aut collegiatis, *c. Cum ad hoc,* 19. *h. t. et Trident. sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* (Si enim beneficium datur propter officium, ut certissimum iuris axioma est *c. ultim. de rescript. in* 6. consequenter, qui nullum officium ecclesiae praestat, non est dignus beneficio in illa ecclesia obtinendo) quin immo, spectato iure communi canonico, probabilior sententia est, quod omnia beneficia ecclesiastica, quamvis simplicia sint, et modica ac tenua, ad residentiam personalem obligent, prout colligitur *ex cit. c.* 3. *h. t. et ex c. Conquerente,* 6. *eodem.* Si enim propter stipendium mere temporale, personale servitium saepe exigatur, cur hoc ipsum non asseratur pro beneficiis spiritualibus, in cultum Dei, et sanctorum omnium institutis?

§. II. *Utrum iure divino, an humano solum, episcopi, aliique inferiores curati teneantur ad residentiam personalem?*

Verior, et communior sententia est tam theologorum, quam canonistarum, quod hi tales non solum praecepto ecclesiastico, sed etiam divino, per se obligentur ad residentiam personalem, in suis ecclesiis, prout probari potest *ex Trident. sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* et ex allata priore §. ratione, ita ut non possit curatus per se gregem suum deserere, propter aliquod commodum tantum temporale, aut devitandum periculum, nisi per alium aeque, et fortassis magis idoneum vicarium saluti spirituali ovium sufficienter provideri posset, quo in casu consideratis variis circumstantiis divini praecepti obligatio cessat, et sola manet iuris positivi humani obligatio, in qua papa dispensare potest, et saepius solet.

§. III. *Utrum per consuetudinem induci possit, ut praelati, aliique clerici non teneantur personaliter residere in ecclesiis, sive beneficiis curatis, vel non curatis, aut simplicibus?*

Ut rector ecclesiae curatae, nec per seipsum, nec per idoneum vicarium resideat in sua ecclesia, nulla consuetudine, nec quidem immemoriali induci potest: quia talis consuetudo est irrationabilis, divino praecepto contraria. Et quamvis plures doceant, quod nulla etiam consuetudo valeat, qua eximatur parochus a personali residentia, et ut possit per vicarium deservire suae ecclesiae, probabilis tamen est contraria etiam sententia, si per vicarium (sive perpetuus hic sit, sive temporalis, et ad nutum amovibilis) pastorale officium ita exerceatur, ut nullum damnum patiantur oves commissae. In dignitatibus vero non curatis, et canonicatibus ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum per consuetudinem introduci potest, ut nec per vicarium resideatur, et fructus tamen percipiantur, dummodo ob talem absentiam cultus divinus propter paucitatem praesentium non imminuatur; prout sumitur *ex c. Cum omnes*, 6. *iuncta gloss. final. de Constit.* Quamvis Tridentinum huiusmodi consuetudinem inserviendi per substitutum, et tamen fructus percipiendi videatur sustulisse *in Sess.* 24. *c.* 12. §. *Praeterea. De reform.* Exclusa tamen non est per hanc prohibitionem consuetudo immemorialis, et praxis docet in multis praesertim Germaniae nostrae partibus, hoc Tridentini decretum receptum non esse. Certius est, et communi doctrinae conformius, quod consuetudo valeat, qua simplices alii inferiores beneficiati ad residendum per se in suis beneficiis non teneantur, etiamsi in titulum beneficia illa concessa sint, et fructus eorum beneficiorum obtineantur. Cum enim ad residendum hi obligentur tantum ex praecepto humano positivo, huic autem per consuetudinem legitimam derogari possit, consequenter possunt per consuetudinem contrariam deobligari ad residendum personaliter, modo aliae illorum obligationes, et cultus divinus per talem absentiam nihil patiatur.

§. IV. *An ad breve, et modicum tempus episcopi, vel parochi ab ecclesiis suis licite abesse possint?*

Resp. affirmative, ita ut episcopi ad duos, vel tres menses continue, vel interrupte, quotannis abesse possint, absque alia petita licentia, modo ex aequa causa (etiam recreationis gratia) id fiat, et absque gravi periculo commissarum ovium. Parochi vero, aliique curam animarum habentes, bimestri quidem tempore singulis annis abesse possunt, non tamen ultra duos menses, nisi causa huius diuturnioris absentiae ab episcopo prius cognita, et approbata fuerit, ac data in scriptis, gratisque concessa licentia, ac substituto vicario idoneo, ut nihil patiantur oves; prout statutum habetur *in Trident. Sess.* 23. *c.* 2. *de reformat.* Et quamvis probabile sit, quod pro absentia per duos menses a suis ecclesiis non indigeant parochi licentia speciali ab episcopo impetrata, cum illi, qui tam brevi tempore tantum absunt, non abesse de iure videantur; et sicuti episcoporum conscientiis relinquitur brevis haec absentia, ita etiam parochorum conscientiis haec

absentia relicta videatur: Contraria tamen sententia, quod ad hanc etiam duorum mensium absentiam indigeant parochi licentia episcopi, verior videtur, et conformior Tridentino, quod ad longiorem quidem absentiam, in scriptis obtentam episcopi licentiam requirere videtur, ad brevem tamen duorum mensium absentiam sufficere putat licentiam episcopi, viva tantum voce, sive scriptis obtentam; ad brevioris tamen temporis absentiam, cum mox rediturus sit ad ecclesiam suam parochus, episcopi licentiam non requiri, certum videtur; consulantur tamen hac in re, et observentur statuta particularia dioecesium, vel recepta earum praxis.

§. V. *De causis a continua residentia excusantibus.*

Quatuor enumerantur *a Trident. sess.* 23. *c.* 1. *De reform.* christiana videlicet charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiae, vel reipublicae utilitas. Ad primam causam revocatur absentia, quae fit ad succurrendum causae spirituali, saluti proximiorum, etc. Ad secundam causam revocatur absentia quae fit ob incursiones hostium, ob bellum, ob aeris intemperiem, grassantem pestem, corporis infirmitatem, si in loco parochiae curari non possit, etc. Ad tertiam revocatur absentia, quae fit, ut mandato pontificis, alio vocantis, aut mittentis, vel in servitio suo aut sua curia occupantis pareatur, quae fit, ut mandato proprii episcopi obediatur, in auxilium aut necessarium servitium evocantis (quae postrema causa potissimum locum habet circa canonicos cathedralis ecclesiae, quorum duos aut plures, cum capituli tamen consensu, si episcopus in suis obsequiis occupatos habeat, ob publicum bonum, pro praesentibus haberi debere, in ordine ad fructus sui beneficii obtinendos, decidit pontifex *in c. De caetero, et c. Ad audientiam,* 16. *h. t.*) Ad quartam denique causam revocatur absentia, quae fit a curato v. gr. pro magno commodo ecclesiae suae super iuribus ecclesiae suae componendis, studiorum causa, etc. de quo ultimo tamen sit.

§. VI. *An, et qua ratione clerici possint abesse a suis ecclesiis, vel beneficiis, ob causam studiorum?*

Quod beneficiati, etiam curati, possint quinque annis in universitate aliqua theologiae, vel iuri canonico studere, et quamdiu voluerint docere, et tamen redditus suorum beneficiorum in absentia percipere, habetur *in c. final. de magistris*, intimando quidem hoc, ut vicarius idoneus substituatur episcopo, non tamen ab eo petendo licentiam, cum de iure communi haec absentia concedatur; verum *in c. Cum ex eo,* 34. *de elect. in* 6. conceditur episcopis, ut dispensare possit cum obtinentibus ecclesias parochiales, ad septennium, studiorum causa abesse in quacunque facultate conveniente: et quamvis multi putent, hodie post Tridentinum *Sess.* 23. *c.* 1. *de reformat.* licentiam hanc ab episcopis non posse concedi illis, qui parochiales ecclesias obtinent, certum tamen est, quod canonicis concedi debeat, si minores sint 30. annis, et status ecclesiae per eorum absentiam non patiatur, prout declaravit congregatio Concilii apud Garziam. Hoc tamen privilegio non gaudent, qui in privatis tantum villis aut castellis, aliisque similibus locis, ubi congruum studiorum exercitium non est, morantur, uti habetur in

c. Tuae, 12. *h. t.* cum videatur in fraudem hi agere, praetexentes quidem studia, alia tamen quaerentes.

§. VII. *De aliis quibusdam causis, de quibus dubitatur an excusent a residentia ?*

Dubitatur primo an iusta causa sit non residendi, si versetur episcopus in curia romana ? Resp. posse quidem pontificem episcopo tali, cuius in curia romana necessaria est opera, absentiae dare licentiam, cum bonum universalis ecclesiae praeferri debeat particulari ecclesiae; solus tamen titulus cardinalatus v. gr., episcopatus, etc. si alii non desint, qui summum pontificem consilio, et ope, etc. pro totius ecclesiae bono iuvare possint, non excusat tales a personali residentia in suis ecclesiis, et suis titulis, prout passim ss. canones, quam Tridentini iura docent, quia hoc modo universalis ecclesiae bono consulitur, ut non negligatur particularis ecclesiae necessitas.

Dubitatur secundo, an sufficiens causa sit, ut possit ultra duos menses ab ecclesia sua parochiali abesse parochus, si visitatoris, aut vicarii generalis, vel aliud simile, in curia suae dioecesis v. gr. ab episcopo sit illi demandatum officium ? Resp. affirmative (cum ius antiquum ubi gravis causa ad permittendam hanc ab episcopo absentiam requiritur, correctum a Tridentino non sit) ita ut cum licentia ordinarii, si alii idonei facile haberi non possint (si enim idonei haberi facile possint, non debent parochi a suis ecclesiis in ordine ad talia officia abstrahi) in alia etiam dioecesi ob tales causas abesse possit porochus a sua ecclesia parochiali, modo per substitutum curae provideatur.

Dubitatur tertio de aliis quibusdam causis, an non pro concedenda absentia sufficientes sint. Resp. determinari in specie omnes non posse, sed in casu contingente, iudicio Ordinarii determinandum esse, quorum iudicio causarum talium cognitio, spectatis variis circumstantiis, permittitur.

§. VIII. *Quis possit dare facultatem non residendi, sive ab ecclesia, aut loco beneficii discedendi ?*

In genere ad hanc quaestionem responderi potest, eum posse dare non residendi licentiam, qui residendi necessitatem imponit (eiusdem enim est solvere, cuius est ligare), et hinc, quantum a iure canonico obligantur aliqui ad residendum, a solo papa, qui potestatem habet supra ius canonicum, ab obligatione residendi, etiam sine alia causa, valide absolvi possunt, et ab episcopis, aut aliis similibus praelatis ordinariam iurisdictionem habentibus, in quantum a pontifice ex iusta causa dispensandi facultatem cum clericis sibi subiectis habent; si vero a synodali statuto obligentur aliqui ad personalem residentiam, cum illis ex causa iusta dispensare poterit ad non residendum episcopus, cui talium statutorum synodalium obligatio, aut solutio subest, vel capitulum cathedrale, vacante sede. Immo si residendi necessitatem imposuit capitulum, potest hoc ipsum etiam in tali obligatione dispensare, vivente etiam episcopo.

§. IX. *Quomodo intelligendum sit iuramentum praestitum de continua, aut perpetua residentia?*

Deciditur haec quaestio in *c. Ex parte*, 13. *h. t.* ubi dicitur licite eum abesse ab ecclesia sua posse, qui iuravit residere se semper in ecclesia sua velle, si non in fraudem, sed ad iura ecclesiae suae defendenda v. gr. postmodum abesse debet, cum hic talis pro residente haberi debeat, ut ait pontifex *in relat. c.* et iuramentum secundum limites materiae subiectae, et iuris communis intelligi debeat, (nisi speciali statuto iuri communi addatur aliquid) cum ergo ius ob plures causas absentiam permittat illis, qui residere tenentur, consequenter in ordine ad talem absentiam iuramentum non obstabit.

§. X. *Quae poenae iure antiquo canonico decretae sint in beneficiarios non residentes?*

Plures diversas poenas statuit antiquum ius canonicum in diversis capitulis huius tituli; quia tamen hodie circa poenas tales plerumque Tridentinum observatur; si tamen quoad poenas in aliquo loco Tridentinum receptum sit, hinc apud *Auctorem method.* tam hoc §. de poenis iuris antiqui, quam sequenti §. 11. de poenis a Tridentino statutis, plurima legi possunt. Uti, et quae §. 10. ait de transitu episcopi ad alium episcopatum, aut clerici ad aliam dioecesim, de quibus materiis alibi agitur.

SECTIO II.

De distributionibus quotidianis.

§. I. *Quae sint, et dicantur distributiones quotidianae, et quotuplices, et ex quibus bonis deduci debeant?*

Distributiones quotidianae, proprie loquendo, *sunt illae portiones redituum ecclesiasticorum, quae distinctae a praebendis, sive fructibus grossis beneficii, quotidie distribui solent illis, qui divinis officiis intersunt, et ab aliquibus beneficia manualia, victualia, aut praesentiae dicuntur, sive deinde in certis mensuris frumenti, vini, pecuniae solvantur etc.* quamvis enim in quibusdam ecclesiis nullae praebendae, seu fructus grossi habeantur, sed fructus omnes in communi reponantur, et ex illis, singulis diebus, certa portio canonico cuilibet, qui divinis interest, detur, proprie tamen loquendo de his portionibus intelligi non debent, quae de distributionibus quotidianis statuuntur, cum in talibus ecclesiis tales in singulos dies distributae portiones, praebendae potius rationem habeant (ne canonica sint sine praebenda) quam distributionum quotidianarum, a praebenda distinctarum: et hinc etiam, quia, quae de distributionibus his quotidianis statuuntur, intelligi non debent de fructibus grossis, seu praebenda, potest alicui per privilegium competere, ut absens etiam fructibus (grossis) sui beneficii frui possit, non tamen distributiones quotidianae huic etiam absenti debentur; et potest quis privari fructibus sui beneficii, vel certe illis non gaudere, cui tamen conceduntur distributiones quotidianae, etc. deduci autem

debent distributiones hae quotidianae iuxta novum decretum Tridentini (quod tamen non ubique receptum videtur) si vel nullae sint in ecclesia aliqua cathedrali, aut collegiata, vel ita tenues, ut facile negligantur, ex quibuscunque proventibus, et obventibus, tam dignitatum, quam canonicatuum, personatuum, et officiorum (ita ut tertia pars talium fructuum separetur, et in distributiones quotidianas convertatur) si residentiam talia beneficia requirant, et in illis ecclesiis existant, de quarum distributionibus agitur.

§. II. *Quibus distributiones quotidianae dari debeant, et ex quibus causis etiam absentes illas percipere possint?*

Quod de iure communi illius tantum ecclesiae canonicis, ac beneficiatis hae quotidianae distributiones dari debeant, qui in loco talis ecclesiae non tantum morantur, sed divinis etiam statis horis intersunt officiis, propter quae dantur distributiones, nisi a praesentia in divinis officiis necessitas illos corporalis, iusta, et rationabilis, vel infirmitas, vel ecclesiae illius evidens utilitas excuset, *ex cap. unico h. t. in* 6. patet; et quamvis huius capituli constitutio approbetur etiam a Tridentino, et in usum revocari iubeatur *sess.* 24. *c.* 12. *De reformat.* non obstantibus quibuscunque consuetudinibus, et statutis; quia tamen praxis multarum ecclesiarum cathedralium plane est contraria, potest merito dubitari, utrum constitutio haec in isto rigore recepta sit, ut consuetudines, et statuta aliter circa distributiones has disponentia uti, et circa portiones funerales, quae in anniversariis defunctorum, septimo, et trigesimo, et ipso etiam depositionis die dantur, et distributionibus quotidianis a iure aequiparantur, valida non sint; et hinc tuta conscientia etiam hae distributiones retineri possunt, si ex consuetudine alicuius ecclesiae absentibus etiam dentur.

§. III. *Aliae quaedam quaestiones circa distributiones quotidianas proponuntur, et resolvuntur.*

Pleraeque huius §. quaestiones a consuetudine magis in ecclesia qualibet recepta, quam ex iure decidi debent, quae proinde consuetudo attendi semper debet, et observari; independenter tamen ab hac.

Quaeritur primo, pro quibus horis assignari debeant hae distributiones? *Resp.* nihil quidem specifice de hac quaestione decidere iura, conformius tamen illi videtur, si glossam attendas, ut pro singulis horis, et missa conventuali eae assignentur, inter praesentes, aequaliter, quantum conditio personarum patitur, dividendae. *Glossa in Clement.* 2. *v. Certis horis, de aetate, et qualitate, etc. gloss. in cit. c. uni. v. Ordinationem h. t. in* 6. *etc.*

Quaeritur secundo, utrum ad lucrandas has distributiones non sola praesentia canonicorum v. gr. in divinis illis officiis requiratur, sed ut ipsimet etiam in choro cantent, et psallant etc. *Resp.* requiri hoc quidem spectato iure communi, et Tridentino (saltem ut integras distributiones lucrentur) quia dantur distributiones non ratione solius praesentiae, sed ob laborem, et officium psallendi, aut quod in choro exercent, aliud tamen videtur consuetudo in pluribus ecclesiis induxisse.

Quaeritur tertio, an duplices distributiones recipere possit, qui in ea-

dem ecclesia v. gr. duo beneficia habet, quibus distributiones dantur, archidiaconatum v. gr. simul, et canonicatum. *Resp.* affirmative, modo exercitium unius non repugnet cum altero, cum enim duplici munere fungatur talis, et intersit divinis officiis, propter quae distributiones dantur, ut archidiaconus v. gr. et canonicus, duplices distributiones recipere potest, prout colligitur etiam *ex c. Cum olim*, 12. *De sent. et re iudic.*

Quaeritur quarto, utrum aliis praesentibus accrescant illae distributiones, quas alii ob absentiam amittunt. *Resp.* affirmative *cum gloss. in Clement.* 2. *v. Pars dimidia, de aetate, et qualitate, etc. et glossa in Clement.* 2. *v. Suspensus, de vita, et honest. clericor.* si tamen de distributionibus communibus sermo sit; quae enim distributiones ex specialibus quarundam dignitatum, aut officiorum fructibus detractae fuerunt, fabricae ecclesiae, vel alii pio loco applicandae erunt, iuxta Trident. *sess.* 22. *c.* 3. *De reformat.*

Quaeritur quinto, utrum absentes distributiones has retinere possint quas ob absentiam non lucrantur, si alii praesentes has eis remittant, et donent. *Resp.* negative, non tantum ob *cit. c. unicum, h. t. in* 6. sed ob Trident. maxime, quod *sess.* 24. *c.* 12. *De reform.* expresse statuit, distributiones a talibus non recipiendas, quavis collusione, aut remissione exclusa: nisi vellent praesentes, distributiones tales, quas iam acceperunt, et acquisiverunt, redonare quasi illis, qui abfuerunt, cum in tali casu nulla collusio, aut remissio interveniat.

TITULUS V.

DE PRAEBENDIS, ET DIGNITATIBUS.

SECTIO I.

De beneficiis, seu praebendis in communi, et de necessaria sustentatione vitae clericorum.

§. I. *Quid sit praebenda, seu beneficium ecclesiasticum?*

Praebenda spiritualis, in genere loquendo, *est ius quoddam percipiendi redditus, seu proventus ecclesiasticos, ratione canoniae, aut alterius spiritualis officii;* et hinc dupliciter accipi potest; specifice, et stricte pro praebenda canonicatui annexa, prout accipitur *in c. Cum M.* 9. *de constit.* vel generice, et late pro omni beneficio ecclesiastico, saltem inferiore, prout accipitur *c. pen. de V. S.* quae est etiam acceptio huius rubricae, de praebenda; ergo hoc modo accepta, sive de beneficio ecclesiastico quaeritur in hoc §. quid sit ? et

Resp. Beneficium ecclesiasticum esse *ius perpetuum, percipiendi redditus ex bonis ecclesiasticis, propter aliquod servitium spirituale, auctoritate ecclesiae constitutum.* Tria enim in beneficio ecclesiastico distinguenda sunt; primo ipsum officium, seu obligatio ad praestandam spiritualem functionem aliquam, ad horas v. gr. canonicas dicendas, ad administranda sacramenta, ad concionandum etc. et hoc non tam beneficium, quam fundamentum beneficii est; et hinc dicitur dari beneficium propter officium. Secundo ius percipiendi redditus ex bonis ecclesiasticis propter officium spirituale,

in quo proprie consistit beneficii ratio, non quidem quasi ius illud ad temporales redditus in se, et formaliter quid spirituale sit, sed quia spirituale est in suo fundamento, et radicaliter, ex quo oritur ius hoc, inseparabiliter illi officio spirituali annexum. Tertio sunt ipsi fructus, qui ex bonis ecclesiasticis proveniunt, in se tantum temporales, et qui instar aliarum rerum temporalium distrahi possunt. Dicitur autem etiam beneficium esse, ius perpetuum, quod non tantum ad tempus, sed in titulum perpetuum datur beneficiato, apud eum manens, quamdiu vivit, nisi propter delictum illo privetur, aut per renuntiationem spontaneam eo se abdicet; et quamvis haec actualis perpetuitas de natura beneficii fortasse non sit, cum non tantum pontifex conferre possit beneficia ad tempus tantum, sed de facto, regularia praesertim beneficia, talia plerumque sint, ut regulares beneficiati a suis praelatis amoveri ab his possint, ratione personae, adaequate praelatorum suorum obedientiae subiectae, et consequenter ad beneficii rationem sufficiat, perpetuum illud esse in se, sive aptum ex natura sua, ut in perpetuum titulum conferatur, et mortuo beneficiato non exspiret, sed vacet, ad successorem legitima auctoritate transferendum; negari tamen non potest, quod haec talia ad tempus concessa tantum beneficia nomine stricte dicti beneficii non veniant, nec in regulis cancellariae sub nomine beneficii comprehendantur, ut docet Bernardi. Diaz. *in practica Canoni. criminal. c.* 18. *n.* 1. et alii communiter. Et hinc proprie beneficium non dicuntur commenda temporalis, et capellania non collativa, ac pensio ecclesiastica etc. quia autem ad potestatem solius praelati ecclesiastici spectat, officia spiritualia in ecclesia instituere, eisque proventus ecclesiasticos annectere, ideo dicitur beneficium auctoritate ecclesiae institui debere.

§. II. *De divisione, seu distinctione beneficiorum.*

Varias, et plures divisiones beneficiorum referunt Auctores; potissimas refero, primo quo dividuntur beneficia in saecularia, quae clericis saecularibus, nullam religionis regulam professis, conferri solent, et debent, (qualia in dubio omnia beneficia censentur); et regularia, quae regularibus, ordinem religiosum professis, conferri debent, ita ut ordinarie neque haec illis, neque illa his conferantur. Subdividi possunt utraque in duplicia, et simplicia. Duplicia dicuntur, quae aliquam eminentiam, iurisdictionem, aut administrationem adiunctam habent; et horum alia sunt maiora, qualia sunt papatus, cardinalatus, patriarchatus, archiepiscopatus, episcopatus, quae maiora beneficia in materia poenali, nomine beneficii absolute prolati ordinarie non veniunt, et culmina beneficiorum, sive dignitatem dicuntur; alia vero sunt media, qualia sunt reliquae dignitates praeter sublimes illas enumeratas, personatus, et officia. Est autem dignitas proprie loquendo, praeeminentia adiunctam habens administrationem, et iurisdictionem, qualem habent abbates, et alii praelati, tam regulares, quam saeculares, archidiaconus, vicarius generalis, episcopi etc. Personatus est honor, et praeeminentia in ecclesia sine iurisdictione, qualem habent in quibusdam ecclesiis cathedralibus Germaniae praepositi. Officium denique est quaedam administratio rerum ecclesiasticarum sine praeeminentia, et iurisdictione etc. quale censetur ha-

bere primicerius, custos, sacrista, sive thesaurarius, etc. Alia denique duplicia dicuntur, et sunt infima, qualia sunt beneficia proprie, et stricte dicta curata, quae curam animarum habent annexam, uti sunt parochialia beneficia, vicariae perpetuae etc. simplicia vero dicuntur, quae beneficia quidem sunt, nihil tamen harum annexum habent, ut sunt canonicatus tam cathedralium, quam collegiatarum ecclesiarum (quae etiam maiora simplicia dici possunt), beneficia assisiorum, qui quidem non sunt canonici, portiones tamen canonicales integras, vel dimidiam in ecclesiis cathedralibus habent; capellaniae, quae in perpetuum auctoritate episcopi conferuntur.

Secunda beneficiorum divisio est (si nomen beneficii latius sumitur) qua dividuntur in manualia, et non manualia. Manualia sunt, quae in titulum quidem conferuntur, non tamen irrevocabiliter, sed ad nutum revocabilia sunt, qualia sunt pleraque beneficia regularia, quae nec curata sunt (cum ad nutum superioris revocari possint, et beneficiato auferri, prout auferri potest prioratus claustralis, officium procuratoris, custodis) et aliqua etiam beneficia saecularia, quae vel ex fundatione sua, vel ex privilegio pontificio, vel ex praescriptione legitima, etc. auferri possunt ad nutum conferentis, etc. non manualia sunt, quae proprie dicuntur beneficia, et iuxta dicta conferuntur in perpetuum, dum vivit beneficiatus, ita ut a tali beneficio amoveri non possit, nisi in poenam delicti, cui a iure privatio beneficii imposita est; de quibus supra allata definitio intelligi debet; qualia sunt per se pleraque beneficia saecularia, et in dubio talia esse praesumuntur.

Tertia divisio est, quod sint alia beneficia collativa, quae libera scilicet voluntate eorum, ad quos collatio pertinet, conferuntur; (pro quo modo etiam praesumitur, si de qualitate beneficii, num collativum, aut patronatum v. gr. sit, dubitatur) alia sint electiva, quae per electionem, accedente legitima confirmatione, conferuntur; alia sint patronata, sive mixta, in quibus ad praesentationem patroni a legitimo praelato, cui praesentatio facienda est, praesentatus institui debet; alia sint patrimonialia, quae certae patriae, certi loci, certae familiae hominibus conferri debent.

§. III. *De sustentatione necessaria assignanda clericis, et in primis, an, et qualis titulus sustentationis requiratur ad suscipiendos ordines?*

Non licere clericum saecularem ad sacros ordines promovere, aut ordinare sine congruo suae sustentationis titulo, absque speciali privilegio *ex pluribus huius tituli capitulis, et ex tit.* 11. 1. *decretal. De temporibus ordin. etc.* §. 8. patet, (ex quo §. etiam habetur, quinam tituli sufficiant, ad quos ordinari quis possit) ut ne scilicet in dedecus ordinis clericalis, mendicare sordide cogatur clericus sine titulo ordinatus. Et hinc etiam episcopus, ac successor illius ad alimenta praestanda tali clerico, quem sine titulo congruae sustentationis ordinavit in sacris obligatur, donec alium sustentationis titulum habeat, *c. Episcopus*, 4. *h. t. et Tridentin. sess.* 21. *De reformat.* Si tamen talem nemine praesentante ordinavit *c. Cum secundum*, 16. *h. t.* (quod si enim ab alio hic praesentatus fuisset, ab hoc de necessariis illi alimentis provideri deberet, prout etiam *glossa in cit. c. Cum*

secundum, colligit v. Successores), et non decepit ordinantem, dicendo se habere titulum, aut privilegium, cum tamen tale non haberet, hoc enim in casu non tenetur ordinans ad illius sustentationem, sed manet ille ab executione suscepti ordinis suspensus, et si exerceat, fit irregularis iuxta antiquos canones, ita ut haec poena in tali casu per Trident. sublata non sit.

§. IV. *An canonicis debeatur praebenda, seu beneficium, tanquam congrua sustentatio?*

Respondetur, posse quidem aliquem in canonicum recipi, absque eo, ut praebendam statim habeat, sive ius actuale ad fructus beneficii percipiendos; debere tamen ei praebendam canonicalem de iure tribui quamprimum potest *c. Relatum*, 9. *h. t. et c. Dilectus*, 19. *eodem* (quia non est conveniens, ut ait pontifex, eum, qui in canonicum receptus est, praebenda carere, ex cuius scilicet redditibus alatur) ita ut si praebenda canonicalis vacaverit, possit eam, implorato iudicis officio petere, ut sibi conferatur, nisi in canonicam mere supernumerarium, in ecclesia definitum numerum canonicorum habente, receptus esset (quo in casu, sicuti non habet ius integrum canoniae, sed praeparatorium tantum, et gratiam extraordinariam ad plenum ius canoniae obtinendum, si numerus determinatus per mortem unius imminuatur, sic nec praebenda ipsi, qua tali deberetur) vel certe in canonicum quidem absolute receptus esset, ultra numerum tamen praebendatorum, (cum plures in tali ecclesia sint canonici, quam praebendae, et praebenda vacans non conferatur ultimo in canonicum recepto, sed ei, qui antiquior inter non praebendatos canonicus est) vel in canonicum quidem absolute receptus, ea tamen non praestet, quae ad acquirendam, et obtinendam praebendam praestari debent.

§. V. *Qualis sustentatio necessaria assignari debeat parochis, aliisque beneficiatis curatis?*

Resp. debere rectoribus ecclesiarum, sive parochis, eam ex redditibus ecclesiae assignari portionem, unde honestam, et decentem vitae sustentationem habeant, *c. Extirpandae*, 30. *h. t.* nomine congruae sustentationis, ea etiam intelligenda, quae ad illius familiam convenientem personae, et statui, ac dignitati, etc. alendam sunt necessaria, etc. quod ipsum etiam *in cit. c.* §. *Qui vero* statuitur de vicario perpetuo in ecclesiis, quae dignitatibus, canonicatibus, monasteriis, etc. unitae sunt, ita ut non possint redditus capellarum incorporatarum dividi, aut imminui, qui vicariis talibus ex antiquo ad necessariam sustentationem assignati fuerunt (*c. Avaritiae*, 10. *h. t.*) a monasteriis, vel ecclesiis, quibus unitae sunt, sine consensu episcopi; vel propria auctoritate agentis, si tales ecclesiae, aut monasteria subiecta episcopo sint; vel agentis auctoritate apostolica, si exempta sint, *iuxta Clement. unicam*, §. *Eadem quoque, de suppl. neglig. praelator.* et debeant, qui praesentant tales in ecclesiis sibi unitis instituendos episcopo, ab hoc non institui in talibus beneficiis, nisi tanta eis assignata fuerit ex ecclesiae proventibus portio, ut iura episcopalia solvere possint, hospitalitatem (erga pauperes praesertim) exercere, et congruam sustenta-

tionem habeant *c. De monachis*, 12. *h. t.* ita tamen, ut sua semper utilitas etiam maneat unioni de talis ecclesiae proventibus, prout natura unionis exigit, et constitutio Pii V. statuit.

SECTIO II.

De modis acquirendi beneficia ecclesiastica, et modo observando in eorum collatione.

§. I. *Quot, et quibus modis acquirantur beneficia, tum in genere, tum in specie?*

Beneficia vel iuste, et legitime acquiruntur, vel iniuste, et illegitime: iuste, et legitime acquiruntur per canonicam institutionem *iuxta Reg.* 1. *in* 6. intelligendo institutionis nomine, quamlibet legitimam provisionem, et nomine canonicae institutionis, modum providendi a ss. canonibus approbatum. Iniuste vero, illegitime, et non canonice acquiruntur beneficia, quae obtinentur, iure consanguineitatis verb. gr. praetendendo successionem quasi haereditariam, aut ex testamento debitam, aut alio modo a iure reprobato, qui modi plurimi sunt, cum amor reddituum ecclesiasticorum varios eorum acquirendorum modos excogitet; approbati tamen a iure modi beneficia acquirendi sunt electio, postulatio, praesentatio, institutio, collatio, etc. de prioribus modis alibi, de collatione in hoc titulo.

§. II. *An, et quale ius per collationem alicui factam acquiratur in beneficio, sive post, sive etiam ante acceptationem illius?*

Collatio proprie loquendo est *concessio libera, seu assignatio beneficii vacantis, ab habente potestatem facta*, quae si absenti, et ignoranti fiat, ius quidem in beneficio, ante huius acceptationem non tribuit, collator tamen alteri illud conferre valide non potest, nisi tu prius acceptare recusaveris, ut dicitur *in c. Si tibi*, 17. *h. t. in* 6. aut tempus ad acceptandum tibi notificatum, et praefixum iam transierit, absque tua acceptatione. Et hinc per solam collationem alicui factam, ante acceptationem quidem, acquiritur ius ad rem, post acceptationem tamen acquiritur ius in re, sive quasi dominium in beneficio, etiam ante possessionis apprehensionem, ut illud vendicare sibi possit a possessore, aut detentore, et pro iuribus illius agere, si tamen ad eum, qui contulit beneficium, potestas etiam dandi investituram, sive corporalem possessionem pertineat. Et quamvis collatio beneficii nonnunquam in iure dicatur donatio, quae nullum ius tribuit ante acceptationem, neque tamen in omnibus habet se, ut donatio, cum ex parte conferentis collatio beneficiorum vacantium, non ex mera liberalitate procedat, sicuti proprie dicta donatio, sed ex obligatione officii, ratione cuius debet beneficiis vacantibus provideri.

§. III. *Ad quid teneatur, qui scienter contulit praebendam alicui ignoranti, quam conferre non poterat?*

Si sciat collator, conferre se tale beneficium non posse, conferat tamen alicui, ignoranti hunc defectum, et bonam fidem habenti, tunc hoc evicto

tenetur, cum primum potest aliud illud beneficium vacans, aut proxime vacaturum, cum vacaverit, conferre, *c. Inter caetera*, 17. *h. t.* ne videatur in fraudem, et ad deludendum alterum agere tantum voluisse episcopum; vel certe statuente hoc iure in odium episcopi dolose agentis, in hac collationis materia. Unde si episcopus conferens, vel alius collator non scivit, quod beneficium tale conferre non possit, ad nihil tenetur conferens bona fide beneficium, quod conferre non potest; cum omnis fraudis suspicio in tali casu absit.

§. IV. *Quomodo beneficia conferri debeant, et an etiam possint sub conditione, vel modo?*

Beneficia ecclesiastica primo debent conferri gratis, nullo interveniente praetio, praemio, aut mercede etc. ad cavendam simoniam. Secundo debet libere fieri, non per metum iniustum, aut vim etc. tanquam liberalis quaedam donatio. Tertio non debet esse sub, aut obreptitie collatio fuisse obtenta, cum talis sub, aut obreptio tollat liberum consensum conferentis. Quarto debet fieri (saltem ut licite fiat) collatio beneficii palam coram aliis, et non clandestine, et secreto, cum tales actus clandestini sint suspecti de periculo fraudis, aut simoniae etc. Quinto beneficium, quod confertur, debet esse vacans, ne fiat contra *c.* 1. *De concess. praebend.* Sexto debet conferri sine diminutione, ut vult *cap. v. Cum ut beneficia sine diminut. etc.* Septimo debet conferri in perpetuum, iuxta definitionem beneficii proprie dicti. Octavo non debet conferri alternative, sive disiunctive, *confero hoc, vel illud beneficium; confero huic, vel illi beneficium*, ne collatio beneficii incerta, et dubia videatur. Nono non debet unum, idemque beneficium simul, et coniunctim duobus conferri, cum hoc sit contra *c. Tuae*, 20. *h. t.* Decimo quamvis scriptura ad validam collationem necessaria non sit, nisi fortasse in beneficiis a sacra sede, vel eius legato obtentis, plurimum tamen conducit scriptura ad probationem factae collationis, si in iudicio de ea dubium oriatur. Undecimo sub conditione proprie dicta, quae suspendit actum in futurum, nulla est collatio, (quia collationes tales inter eos actus legitimos numerantur, qui secundum iuris dispositionem, nec conditionem, nec diem recipiunt) et quamvis collatio sub conditione extrinseca de praesenti, aut praeterito facta, non suspendat actum, quia tamen adiunctam incertitudinem habet, ideo reiicitur *argum. cap.* 1. *De elect. in* 6. *iuncta gloss. v. Incerta*, nisi conditio talis de iure ipsi collationi inesset, quae etiamsi exprimatur, non facit collationem invalidam, sicuti nec modus, qui de iure inest collationi; hinc valida est collatio, quae fit his verbis; *confero tibi hoc beneficium, si iam vacat; confero tibi hoc beneficium parochiale, ita tamen, ut obligatus sis intra annum sacerdotium suscipere etc.* cum enim tam illa conditio, quam hic modus ipsi collationi de iure insit, nihil vitiabit collationem, etiamsi exprimatur, cum tales collationes absolutae sint, conditionem, et modum, qui de iure inest, continentes; aliter tamen de summo Pontifice, conferente beneficia loquendum est, qui ratione supremae suae, et absolutae potestatis, neque ab his conditionibus dependet, et conferre potest beneficia, tam absolute, quam conditionate etc.

§. V. *An possit beneficio novum onus imponi in collatione eiusdem?*

Spirituale onus, ex causa rationabili, potest imponere episcopus cum consensu sui capituli beneficio, dum vacat (ita ut quicunque beneficium obtinebit, ad onus hoc teneatur, *c. Significatum*, 11. *h. t.* ad docendum sacram scripturam v. gr. ad catechizandum, ad certa sacra dicenda etc. cum sit honestum onus, quod legitima auctoritate impositum, detractare non potest beneficiatus) non tamen potest novum hoc onus imponere personae beneficiati, per modum pacti, conditionis, modi etc. cum beneficia conferenda sint pure, et absolute, nisi consuetudo, aut statutum talis ecclesiae certis quibusdam pactibus v. gr. personam etiam obligare permittat. Potest tamen in casu, quo duo electi fuerunt ad eandem dignitatem v. gr. qui ad concordiam, et pacem tenendam in eundem iudicem compromiserunt, ut litem componeret, compromissarius talis uni adiudicare beneficium, cum hoc tamen onere beneficiati, ut ex proventibus illius beneficii, certam pensionem, annumerandam alteri parti solvat, imponendo hoc onus non beneficio, ita ut ad successorem in beneficio transeat, sed personae beneficiati, ita ut morte beneficiati extinguatur, ut ne videatur circa beneficium aliqua diminutio fuisse facta.

§. VI. *An ad collationem beneficiariorum, quorum provisio ad capitulum spectat, vocandi sint etiam capitulares absentes?*

Vocandi quidem sunt, si commode fieri potest, eo quod non sint multum remoti, ac commode accedere possint, nisi consuetudo aliud habeat, *argu. c. Cum in ecclesiis*, 33. *h. t. in* 6. cum ius conferendi spectet ad collegium, et consequenter singuli de collegio ius habeant; quod si tamen collatio talis non sit libera collegio, sed necessaria, ad mandatum superioris v. gr. facienda, non est necesse, ut vocentur absentes, cum necessario parendum sit illi mandato, quod a maiore parte congregati capituli fieri potest.

SECTIO III.

Quibus ius et potestas conferendi beneficia ecclesiastica competat?

§. I. *Quam potestatem habeat summus pontifex in conferendis beneficiis, et quibus modis ea conferre possit?*

Quod summus pontifex omnia beneficia ecclesiastica, sive electiva illa sint, sive collativa, sive libera, sive non libera, sive vacent, sive non vacent; in perpetuum, vel ad tempus, conditionate, vel absolute etc. in toto mundo conferre possit, patet *ex c. Licet*, 2. *h. t. in* 6. cum enim beneficiorum provisio ad ecclesiae praelatos per se pertineat, summus pontifex autem sit supremus praelatus, et omnium ordinariorum ordinarius, ac generalis omnium ecclesiarum episcopus, quibus providere debet in rebus, spiritualem curam, et dispositionem concernentibus, ideo de omnibus beneficiis disponere potest, conferendo ea pro suo arbitratu; et quamvis ob bonam ecclesiae gubernationem, et propter privilegia variis concessa, ac concordata cum variis nationibus inita, hac sua absoluta potestate non utatur, sua sponte episcoporum, et inferiorum saepius praelatorum arbitrio col-

lationem beneficiorum, vel ad maiora beneficia electionem, capitalis concedens, absolute tamen haec potestas illi negari non potest, ita ut non tantum iure concursus (concurrendo scilicet cum inferioribus ordinariis in collatione beneficii) neqae iure devolutionis tantum, casu quo negligentes in iis conferendis fuerunt ordinarii, sed etiam iure praevcationis conferre, vel saltem mandare possit, ut certe personae de beneficio proxime vacaturo quod putaverit acceptandum, provideatur etc. *iuxta cap. Dudum*, 14. *h. t. in* 6. neque enim, ut ait in relato capit. Pontifex, *per hoc, quod alii potestatem concesserit conferendi beneficii, seipsum eadem patestate, excellentiore modo in se residente, privavit;* quae ratio locum habet tam pro iure praeventionis, quam pro iare concursus, et probat etiam in casu, quo cam ordinario in coaferendo beneficio concurrit pontifex, neque possit de prioritate collationis ab alteratro prius factae aliquid colligi, aut ex possessione pro uno contra alterum decidi aliquid, praeferendus sit ille, cui a pontifice collatum fuit beneficium, ut qui a digniore beneficium obtinuit: quin immo in assecutione praebendae, praefertur talis, auctoritate apostolica in canonicum v. gr. promotus, aliis, qui ab inferioribus etiam legatis promoti fuerunt, quamvis tempore prius promoti fuerint, cum in tali casu praerogativa tituli, quem a digniore talis accepit, praeferatur prioritati temporis: *iuxta c. Hi qui*, 12. *h. t. in* 6. et axioma illud, *quod iure potior sit, qui prior tempore est*, locum quidem babeat, ubi par est causa, seu aequale utriusque in beneficium v. gr. ius, non vero in illo casu, ubi causa dispar, aut ius est tantum ad beneficium, aut praebendam.

§. II. *An et qualem potestatem habeant conferendi beneficia episcopi, aliique inferiores collatores?*

Episcopis de iure communi competit petestas conferendi dignitates, canonicatus, parochiales ecclesias, aliaque beneficia suae dioecesis (nisi per privilegia specialia, statuta, et consuetudines receptas, aat per ius patronatus etc. aliter provisum sit) saltem cum consilio sui capituli, si ecclesiae cathedralis maiora beneficia conferenda sint; sicuti enim cura ecclesiarum, et ecclesiasticorum beneficiorum episcopo demandata est, tanquam suae dioecesis pastori ordinario, ita ut fundatam in iure intentionem habeat, super collatione beneficiorum suae dioecesis, et qui alius sibi hanc potestatem arrogat, probare eam debeat, ita interest capituli, quales concanonicos, et fratres habeat, ut merito huius saltem consilium, si non coasensus, quod multi putant, requiratur. Satis tamen de his videtur providisse consuetudo, uti et circa canonicatus, et praebendas ecclesiarum collegiatarum, quarum collatio de iure communi ad immediatum illius ecclesiae praelatum, et collegiatae ecclesiae capitulum spectat. Servanda tamen sunt etiam in his, consuetudo recepta, aat specialia statuta.

Extenditur autem merito hoc, quod de episcopo dictum est, ad alios etiam praelatos, qui similem episcopali iurisdictionem obtineut, et pleno iure exempti sunt ab episcopo, etiam quoad populum, quod scilicet etiam his independenter ab ordinariis locorum, conferendi beneficia, in sua quasi dioecesi, ius competat, ob rationem similem cum illa, quae pro episcopis

pugnat: et hinc cardinales in ecclesiis suorum titulorum ius habent conferendi beneficia.

§. III. *Quinam praeterea beneficia conferre possint, vel non possint?*

Resp. primo qui est in possessione iuris conferendi beneficia, licite, et valide ea conferre potest, licet penes eum non sit proprietas, modo sit bonae fidei possessor (cum collatio sit quasi fructus iuris conferendi, fructus autem ad bonae fidei possessorem pertineant) ita ut removeri non possit ille, cui a bonae fidei possessore collatum est beneficium, quamvis postea constet, ad alium proprietatem pertinere.

Resp. secundo probabilius esse, quod possit etiam sequester rei litigiosae, cui annexa potestas conferendi beneficia, lite pendente, conferre beneficia, quorum ius penes ipsum a iudice sequestratum est, modo clericus sit: ad rectam enim administrationem, quam sequester talis nomine iudicis, seu superioris circa rem sequestratam habet, tam quoad temporalia, quam quoad spiritualia, requiritur, ut iura illius exequatur, inter quae est etiam ius conferendi beneficia.

Resp. tertio, laicum non posse conferre beneficia de iure communi, non tantum in perpetuum, sed neque ad tempus, cum potestas conferendi beneficia sit potestas spiritualis, cuius laicus per se incapax est, ita ut nec consuetudine, nec praescriptione immemoriali acquirere eam possit, cum non possit eam quasi possidere, *c. Causam*, 7. *de praescript.* et qui ab ipsis beneficia accipiant, sint excommunicati, *can. Si quis*, 16. *causa* 16. *quaest.* 7. et collatio irrita, *c. Quod autem*, 5. *De iure patronat.* Putant quidem aliqui, ex speciali privilegio pontificis concessam eam fuisse aliquibus imperatoribus v. gr. regibus etc. fortassis tamen rectius eam dixeris praesentationem, sive ius praesentandi, quod admitti debeat a superiore instituente.

SECTIO IV.

De iis, quibus beneficia conferri possunt, vel debent.

§. I. *An et qua ratione beneficia ecclesiastica non nisi dignis, et idoneis sint conferenda, et de poenis illa conferentium indignis?*

Indignos ad beneficia ecclesiastica eos iudicat pontifex in *c. Grave*, 29. *h. t.* quos nec morum honestas, nec literarum scientia (quae tamen iuxta varia beneficia, varia est) commendat. Et his non vult in *cit. cap.* conferri beneficia, sub poena suspensionis, incurrenda ab inferiore praelato, si post unam, aut alteram correctionem se non emendaverit, vel sub poena iuxta arbitrium pontificis dictanda, si ipse metropolitanus in hoc delinquat, prout confirmavit etiam *Trindentinum sess.* 7. *c.* 3. *De reformat.* possunt quidem, si necessitas urgeat, et idonei reperiri non possint ad beneficia curata, indoneis etiam, et qui requisitam scientiam non habent, beneficia talia conferri, nisi tanta alicuius esset inscitia, aut morum perversitas, ut sine gravi scandalo assumi non possit, debet tamen talis, quantum commode potest, dignum se, et idoneum reddere, si promotus sit, alias ad fructus restituendos obligatus manebit: quin immo consultius est, ut in penuria idoneorum, uni

plures parochiae committantur, quibus per se vel per capellanum v. g. provideat, quam ut inidonei assumantur.

§. II. *An licitum sit beneficia conferre dignis, et idoneis, praetermissis dignioribus, vel dignissimis?*

Episcopatus, et alia beneficia curata, quae ecclesiasticam iurisdictionem fori externi, vel non modici momenti administrationem annexam babent, non licet conferre minus digno, praetermisso notabiliter dignore, et aptiore, prout decidit *Tridentin. sess.* 24. *cap.* 1. *et* 18. *De reformat.* ita ut graviter videatur peccare, qui contra agit: ageret enim talis in relatis magni momenti contra fidelitatem, qua ex officio, ob bonum ecclesiae, de dignissimo providere obligatur: et quamvis illicitum etiam sit simplicia, et non curata beneficia minus dignis conferre, praetermissis dignioribus, praesertim si passim, et frequenter id fiat, vix videtur tamen talis graviter peccare, secluso speciali statuto, et si vere dignus ille sit, qui promovetur, cum ex tali collatione nemini grave damnum inferatur: quin etiam valde probabile est, quod non sit (caeteris paribus) gravis obligatio ad beneficia curata inferiora, parochialia v. gr. promovendi digniores, aut dignissimos, sed nihil peccaturum conferentem, neque ad ullam restitutionem ecclesiae faciendam obligandum, si vere dignum ad tale beneficium promovet, quamvis digniorem praetermiserit (nisi specialis obligatio, aut tacitum saltem pactum in casu collationis in concursu faciendae, ad digniorem praeferendum eum obliget) cum contraria sententia, neque semper utilior sit ecclesiae, neque expediendis collationibus prosit, cum scrupulosi collatores multum de digniore essent inquisituri: certe si patronus dignum praesentet, quamvis digniorem praetermittat, debet is ab episcopo institui. Censetur autem in hac materia dignior, non qui absolute doctior, sanctior, aut maiore virtute praeditus est, sed qui ad officium, cui praeficiendus est, est aptior propter potentiam, nobilitatem, agendi industriam etc.

§. III. *Quaenam qualitates, seu conditiones in particulari requirantur in iis, quibus beneficia ecclesiastica conferuntur?*

Multa de huius §. materia dicta fuerunt in *l.* 1. *decretal. tit.* 14. *De aetate, et qualitate, et ordine praeficiendorum*, quae videri possunt.

§. IV. *De aliis duabus conditionibus, an eae necessario requirantur, vel requiri possint ad obtinenda beneficia?*

Dubitatur primo an praesentia illius, cui confertur beneficium, sit conditio necessaria ad obtinendum beneficium, eiusque possessionem? *Resp.* negative, quia absenti etiam clerico conferri potest beneficium, etiam per intermediam personam, (si haec habeat speciale mandatum ad acceptandum) et in eo investiri, ut ex dictis patet, et ex *c. Accedens*, 24. *h. t.* Et quamvis tutius sit, clericum esse eum, qui in tali causa beneficii loco alterius, acceptandi, procurator constituitur, absolute tamen necessarium hoc non est; cum etiam laicus procurator esse possit, et ius spirituale beneficii in principalem transmittere, veluti qui nudum ministerium in hoc negotio exercet.

Dubitatur secundo, an per statutum, vel consuetudinem induci possit, ut soli nobiles, et illustres, exclusis ignobilibus, caetero quin idoneis, admittantur ad dignitates, et canonicatus in ecclesiis cathedralibus? *Resp.* reprobari hanc consnetudinem in *c. Venerabilis*, 37. *h. t.* ita ut nec per ullam quamvis diuturnam consuetudinem haec praxis induci possit, multo minus per statutum, cum, ut dicit pontifex, ecclesiae argentinensi in Germania rescribens, quae contra aliqnem a papâ promotum in canonicum excepit, quod pro ecclesia illa nobilitatus sufficienter non sit, et eminentem scientiam non habeat; *non generis, sed virtutum nobilitas gratum faciat Deo, et idoneum ministrum, et eminentis scientiae homines vix ad culmina dignitatum* (praesertim inter magnae nobilitatis homines) *reperiantur*. Interim tamen negari non potest, in mnitis ecclesiis, praesertim nostrae Germaniae hano consuetudinem tolerari ob graves scilicet causas, ipso etiam pontifice, si beneficia in suis v. g. mensibns vacantia in tali ecclesia conferat, ad consnetudinem talem attendente, et exceptionem contrariam non reprobante, eo quod fortassis consuetudo talis a prima fundatione viguerit, si non ipsi etiam fundationi talis conditio inserta fuit; vel quod putent pontifices, ad studia literarum, et clericis convenientes mores inducendos multum, pro honore ecclesiae, meliorem nobilium indolem excitari, si in cathedralium ecclesiarum dignitates, aut canonicatus solis illis aditus pateant.

§. V. *An, et quando beneficia saecularia conferri possint regularibus, et regularia saecularibus?*

Ex dictis iam patet, quod saecularia beneficia ordinarie saecularibus clericis, regularia vero regularibus conferri debeant, neque enim convenit, ut ait pontifex in *Clement.* 1. *de elect.* homines disparis professionis, vel habitus simnl in eisdem ecclesiis sociari, posse tamen non tantum per plenitudinem potestatis suae pontificem saecularia conferre regularibus, et de facto saepe episcopatus conferri regularibus, et saecularibus, sed fieri etiam posse, ut quae ex institnto sno regularia fuerunt, per continuam, et pacificam 40. annorum ab uno, vel pluribus saecularibus, beneficii talis habitam possessionem tanquam rectoribns in eo institutis, vi praescriptionis saecularizentur, ex *c. Cum de beneficio*, 5. *h. t.* colligitur, si eo animo, ac intentione collatum fuerit tale beneficium, nt possideatur a suo saeculari beneficiato, ut seculare: probabile tamen etiam est, quod si de anteriore statu beneficii nihil certi sciatur, ntrum regulare scilicet ex sua institutione fuerit, quia nonnunqnam per regulares, nonnunquam per saeculares administratum fuit, ultimus beneficii status attendi debeat, ad discernendum saeculare num sit, an regulare, et iuxta hunc conferri debeat.

SECTIO V.

De pluralitate beneficiorum compatibilium, et incompatibilium, saecularium, et regularium.

§. I. *An licitum sit plura beneficia simul obtinere, et retinere, ac qualia?*

Certum est, alia beneficia esse compatibilia, quae simul retineri possunt, alia esse incompatibilia, non quidem, quasi talium beneficiorum

retentio esset intrinsece mala, quod dici non potest; cum in certis quibusdam circumstantiis, et legitima dispensatione supposita, talis retentio licita nonnunquam esse possit, sed quod vel ex iure naturali, et divino, vel ex iure communi ecclesiastico, vel ex consuetudine, statuto, fundatione etc. continuam residentiam personalem requirant, qualiter incompatibilia beneficia sunt duo episcopatus, duae abbatiae, duae parochiae, et similia curata beneficia, duae dignitates sive personatus, duo canonicatus residentiam personalem, et continuam requirentes, beneficia uniformia sub eodem tecto, sive in eadem ecclesia, quae scilicet erecta sunt in eadem ecclesia, ad eundem finem, et idem prorsus onus, ac officium eodem tempore explendum etc. Quaenam autem in specie incompatibilia non compatibilia sint, ut simul retineri vel possint, vel non possint, quamvis hac in re multum possint consuetudo; de iure tamen si decisio petatur:

Primo ex *c. Ad haec*, 13. *h. t.* habetur, quod nullus clericus possit simul habere duas dignitates, vel personatus, sive in eadem, sive in diversis ecclesiis, tum quod, ut ait pontifex, hoc omni rationi contrarium sit, tum quod quaelibet dignitas, aut personatus requirat continuam, et personalem residentiam. Et hinc, qui duas tales dignitates (sine dispensatione pontificia) obtinet, una retenta, alteram de iure antiquo dimittere compellendus est, iuxta c. *Praeterea*, 14. *h. t.* de iure novo et hodierno *c. De multa*, 28. *h. t.* prior de iure vacat, obtenta altera.

Secundo habetur ex *cit. c. De multa*, quod retineri simul non possint duae ecclesiae parochiales, duae vicariae perpetuae, et similia duo beneficia curata, quae personalem continuam residentiam requirunt, (ob huius scilicet residentiae incompatibilitatem) nisi unum beneficium in titulum, alterum in commendam tantum temporalem conferretur, vel accessorie unita esset altera ecclesia curata dignitati, personatui, canonicatui, etc. per se in titulum conferri solitis; quibus in casibus nulla inter taliter unita, aut temporaliter commendata beneficia, incompatibilitas reperitur, cum ille, qui taliter commendatam, aut accessorie suo titulo unitam parochiam obtinet, non teneatur in ecclesia sibi commendata, aut accessorie unita residere, sed in suo principali titulo, et in casu talis unionis dici non possit, duo curata beneficia quis possidere, cum titulus ecclesiae accessorie unitae dicatur extinctus; et canonicus v. gr., qui accessorie unitam suo canonicatui ecclesiam obtinet, simplex beneficium dicatur obtinere, cum ecclesia taliter accessorie unita illius beneficii naturam, et qualitates sortiatur, quas habet principale beneficium, cui accessorie ecclesia talis unita est, prout colligitur etiam ex *c. Super eo*, 6. *h. t. in* 6.

Tertio habetur ex eodem *c. De multa*, §. *Hoc idem*, quod non possit quis simul obtinere, et retinere duo beneficia uniformia, quamvis simplicia sint, sub eodem tecto, sive in eadem ecclesia, non quidem ob impossibilem residentiam, quae in tali casu locum non habet, sed quod per talem plurium in unum confusionem cultus divinus minuatur; et hinc nec iure accessionis permittitur talis retentio, si alterum scilicet uniforme in ecclesia beneficium accessorie priori uniretur, quod fieri non potest, uti colligitur ex *Clement. Si iuxta*, 6. *h. t.*

Quarto ex diversis iuris antiqui textibus habetur, et ex *iure novo Tri-*

dentini sess. 24. *c.* 17. *De refor.* ordinarie clericum non posse retinere plura beneficia, qualiacunque illa sint, etiamsi personaliter continuam residentiam non requirant, quando unum illorum beneficiorum ad congruam, et honestam sustentationem clerici sufficit, tum quod pluralitas talis ex radice ambitionis, et avaritiae procedat, ac pluribus dissolutionibus occasionem praebeat, tum quod unus sibi, non secundum Deum, vindicet, quae pluribus clericis pauperibus sufficerent, et tribui deberent. Et hinc putant aliqui, non tantum per nullam consuetudinem induci posse, sed nec per dispensationem pontificis fieri posse, nisi iusta et rationabilis causa ad dispensandum adsit, ut uni eidemque, qui sustentationem sufficientem pro qualitate personae, et circumstantias plures attendendo ex uno beneficio habet, alterum etiam concedi possit, cum consuetudo talis sit contra ius naturale, et dispensatio talis, dissipatio potius dicenda sit, quam dispensatio, ut ait s. Bernardus.

Quinto denique infertur ex his, plura beneficia licite aliquem obtinere et retinere posse, si ratione residentiae necessariae non sunt incompatibilia, nec sunt uniformia sub eodem tecto, nec unum eorum ad congruam, et competentem sustentationem clerici sufficiat; cum enim ex uno horum trium capitum beneficia incompatibilia reddantur, ut ex dictis patet, consequenter, si nullum horum capitum interveniat, compatibilia etiam plura beneficia erunt. Et hinc fit, quod in nostris partibus, ubi residentia continua per annum, aut personalis, non requiritur, duobus et pluribus etiam canonicatibus frui quis possit in diversis ecclesiis, si omnibus satisfacere possit.

§. II. *An, et qua ratione per consuetudinem induci possit, ut quis simul plura beneficia obtineat, et retineat in eadem, vel diversis ecclesiis.*

Nulla consuetudine, etiam immemoriali, introduci potest, ut praebendatus canonicus simul duas dignitates, vel personatus, vel duo officia, vel duos simplices canonicatus, aut unam dignitatem, et officium simul, in eadem ecclesia obtineat, absque dispensatione pontificis *c.* 1. *De consuet. in* 6. non tantum quia ex radice ambitionis consuetudo haec procederet, prout iam dictum, et ad imminutionem cultus divini, sed quia corruptela potius *iuxta glossam in c. Literas, De concess. praebend.* censenda est; (potest tamen consuetudine introduci, ut in eadem ecclesia unus idemque canonicatum praebendatum obtineat, et simul dignitatem, vel personatum, vel officium etc., prout ex *cit. c.* 1. *De consuet. in* 6. colligunt Auctores, et constat ex *c. Eam te,* 7. *de rescript.*) neque valet consuetudo, ut simul quis obtineat plura curata in diversis etiam ecclesiis beneficia, nisi per consuetudinem saltem immemorialem, aut privilegium pontificis, nulla esset in una earum ecclesiarum personalis residentiae obligatio, sed per vicarium perpetuum illi deserviri posset; neque enim in hoc casu ex incompatibili residendi obligatione, si per vicarium possit sufficienter ecclesiae illi provideri, contra consuetudinem talem probari posset aliquid.

§. III. *An si is, qui iam obtinet beneficium residentiam postulans, electus fuerit a canonicis, vel aliis clericis ad aliud beneficium, quod similiter residentiam requirit, posset utrumque simul retinere ?*

Respondetur negative, ut constat ex *c. Cum non ignores*, 15. *h. t.* et ex allatis iam rationibus, ita ut, si illi, qui ad aliam ecclesiam elegerunt talem, ignorarunt, quod beneficium iam aliud habeat, possint resilire ab electione, nisi electus prius beneficium dimittere, vel resignare, vel in eo non residendi dispensationem impetrare velit, cum non possit in duabus ecclesiis talibus intitulatus esse.

§. IV. *De incompatibilitate beneficiorum, et vacatione unius per assecutionem alterius.*

Ex dictis iam patet, incompatibilia illa beneficia esse, quae simul retineri non possunt, ita ut unum vel ipso iure excludat alterum, et obtento secundo vacet primum, quae primi generis incompatibilia communiter dicuntur, vel saltem per superiorem privari quis possit priore, obtento altero, quae secundi generis, et secundum quid incompatibilia dicuntur; quia tamen ad varia iura, quae variis modis circa hanc incompatibilitatem plurium beneficiorum, et vacationem alterius, obtento altero, loquuntur, varia etiam tempora distinguenda sunt, semper magis, et magis hanc incompatibilitatem, et vacationem restringentia, satis fuse vero res ista ab auctore Method. hoc §. examinatur, ideo videre eum poteris *l. c.* si ad scientiam tuam necessaria tibi sit: potissima hodie est *capituli De multa*, 28. *h. t.* observatio, ubi quidem de curatis beneficiis (curam animarum in foro interno actu habentibus) dignitatibus, et aliis quibusdam, vacatio prioris ipso iure post obtentum secundum statuitur, Trident. tamen *sess.* 7. *c.* 4. *De reform.* ad alia quaecunque beneficia incompatibilia hanc *c. De multa*, decisionem, et vacationem extendit; observetur proinde Tridentinum, et tanta beneficiorum confusio, ecclesiarum destructio, animarum negligentia etc. non erit, vel certe in usum deducatur *Extravang. Ioan. XXII. Execrabilis*, *h. t.* ubi ipso iure etiam privatur secundo beneficio, qui cum primo illud retinere contendit.

§. V. *Quaenam requirantur, ut primum beneficium vacet per adoptionem secundi incompatibilis ?*

Primo requiritur, ut secundum beneficium non tantum collatum sit, et acceptatum, sed etiam pacificam illius possessionem sit adeptus beneficiatus, vel per eum steterit, quominus eam adipisceretur; ne in casu scilicet unius litigiosi, vel nondum possessi, utroque, sine sua singulari culpa, carere debeat. Censetur autem pacificam secundi acquisiti possessionem habere, si non fuerit intra annum, ut volunt aliqui, vel ut alii volunt, intra duos menses, a tempore acquisitae possessionis numerandos, in ea turbatus, aut lis illi de possessione mota.

Secundo requiritur, ut non tantum tituli, et exercitii, aut officii pacificam possessionem habeat, sed etiam bonorum, et fructuum illius beneficii, sive maioris saltem portionis fructuum, prout deciditur in *c. Si tibi*, 26. *h. t.*

in 6. Neque enim talis plene, et perfecte censetur beneficium hoc possidere, cuius nullos fere fructus accipit, et consequenter huius imperfecta possessio non inducit odiosam vacationem prioris beneficii, nisi per eum steterit, quominus fructuum etiam possessionem habeat.

Tertio requiritur ad inducendam prioris vacationem per acquisitionem secundi, ut utrumque fuerit collatum in perpetuum, sive in titulum, sive in commendam, ut indicat *Trident. sess. 7. c. 4. De reform.* et hinc per acceptationem vicariatus episcopalis, non vacat dignitas v. g. quam prius possederat vicarius talis, cum vicariatus iste non conferatur in perpetuum, sed ad nutum sit amovibilis vicarius talis.

Quarto, si ille, qui alterum beneficium curatum v. gr. obtinuit, expensas fecit in primo ex bonis suis patrimonialibus, cogi non potest, ut primum illud dimittat, nisi prius restituantur illi expensae, *argum. can.* 2. 12. *q.* 3. nisi ex coniecturis appareat, quod eas fecerit in favorem ecclesiae, absque animo repetendi.

§. VI. *Quaenam praeterea beneficia vacent per adeptionem alterius?*

Dubitatur primo, utrum per promotionem alicuius ad episcopatum amittantur, et vacent beneficia promoti? *Resp.* ipso iure vacare omnia promoti beneficia (etiam simplicia, et pensiones etc., nisi papa ob paupertatem v. g. episcopatus, vel ob aliam rationabilem causam, ad haec retinenda cum illo dispensaverit) postquam electionem de se factam, et sui confirmationem acceptavit, pacificam bonorum ecclesiasticorum possessionem acquisivit, ac consecutus fuit, vel saltem tempus ad consecrationem accipiendam a iure praescriptum sua negligentia elabi permisit, non accepta consecratione, *arg. c. Cum in cunctis*, 7. §. *Cum vero*, *de elect. iuncta glossa v. Tempore*, *et v. Ad quem spectat.* Sicuti enim absque his non censetur plenam, et perfectam episcopatus possessionem habere, ita si negligens fuit, sua illi negligentia nihil prodesse debet.

Dubitatur secundo, utrum prius curatum beneficium ipso iure amittat, qui alterum beneficium curatum per vim iniuste, aut si ius ad illud habeat, propria tamen auctoritate occupat? *Resp.* ad primum casum affirmative, neque enim decet, melioris conditionis esse eum, qui deliquit, occupando alterum beneficium, ut ait pontifex *in c. Eum qui*, 18. *h. t. in* 6. quam sit ille, qui admittendo alterum beneficium curatum nihil deliquit. Ad secundum casum *Resp.* ex *eodem c.* perdere illum omne ius, si quod habet, vel in talibus beneficiis, vel ad ea, ut in eo puniatur, in quo delinquit per sui intrusionem.

Dubitatur tertio, an ipso iure vacet beneficium simplex personalem residentiam requirens per adeptionem alterius similis beneficii, etiam personalem residentiam requirentis? *Resp.* probabilius videri, quod non ipso iure vacet prius, cum enim iuxta iura antiqua, in tali casu non vacaret ipso iure beneficium prius, sed penes beneficiatum esset, alterutrum, quod vellet, dimittere, cum utrique deservire non posset, hoc antem ius antiquum per nullum ius recentius quoad simplicia talia beneficia, quae non sunt dignitates, aut personatus, correctum fuerit, consequenter manet illud in suo vi-

gore, iuxta communissimam iuris regulam, ab antiquo iure recedendum non esse, nisi in quantum illud a iure recentiore correctum est.

Dubitatur quarto an qui tertium vel quartum beneficium incompatibile obtinet, ipso iure amittat duo, vel tria priora. *Resp.* pari modo de his pluribus loqui nos debere, quo de duobus tantum incompatibilibus iura statuunt. Videatur *Clement. Si plures*, 3. *h. t.*

§. VII. *De pluralitate, et incompatibilitate beneficiorum regularium.*

Respondetur prohiberi in *c. Cum singula*, 32. *h. t. in* 6. ad cavendam scilicet dissolutionis, et evagationis materiam, ne uni eidemque regulari plures prioratus, aut ecclesiae curam animarum habentes, quamvis per vicarios administrare liceat, absque pontificia dispensatione, conferantur; vel si habent talem dignitatem, aut ecclesiam talem, alia similis conferatur, ipso iure vacet prima, et statim dimitti debeat a tali religioso, nisi intelligibilis effici velit, ex quo ipso *capit.* etiam patet §. *prohibemus*, quod nec in diversis monasteriis duo beneficia regularia in titulum obtinere possit monachus, aut professus esse in duobus monasteriis, et sic ius beneficii, aut collegii habere etc. ne per diversas obedientias distrahatur; et quod carnale matrimonium non patitur, ut duas quis uxores simul habeat, nec in spirituali matrimonio religiosae professionis conceditur, ut qui per suam possessionem uni monasterio se totum tradidit, alteri etiam monasterio per religiosam professionem se tradat: si autem duplex hoc spirituale matrimonium in duobus monasteriis subsistere non potest, non potest etiam subsistere in hoc, et illo monasterio beneficium obtinere, quod tantum professis cuiuscumque monasterii competit.

§. VIII. *Quis possit dispensare in pluralitate beneficiorum, et quae sint iustae causae in ea dispensandi?*

Ad beneficia plura simul fructuose habenda, si illa sint de iure communi incompatibilia, nemo dispensare potest, nisi solus papa, ob iustam causam: huius enim solius est in iure communi ob potestatis plenitudinem dispensare, praesertim in materia beneficiorum ecclesiasticorum, quorum plenam ac liberam dispensationem habet; debet tamen iustam causam dispensandi habere, tum ut ne dissipare potius, quam dispensare videatur, ut dictum, in materia bonis moribus periculosa, et abuti potius in damnum ecclesiae suae potestatis plenitudine, quam uti in illius bonum; tum quod iuri naturali videatur contradicere pluralitas beneficiorum, sine iusta causa, uni concessa. Et quamvis olim de iure communi etiam episcopi dispensare potuerint, ut quis simul in diversis ecclesiis obtineret duos canonicatus, vel alia duo beneficia simplicia, vel in eadem etiam ecclesia duo beneficia difformia, canonicatum v. gr. et capellaniam; hodie tamen post Tridentinum dispensare neque in his potest (multo minus, ut plura possit quis accipere vel retinere) si enim primum sit insufficiens ad debitam sustentationem, potest alterum admittere, et retinere, si et ipsum secundum se insufficiens sit, sine ulla dispensatione beneficiatus; si vero primum sufficiens sit, alterum admittere, et retinere non potest, iuxta Tridentini sanctionem, in qua episcopus dispensare

non potest; iuxta cuius Tridentini mentem, ut declaravit sacra Congreg. nulli sine pontificis dispensatione plura quam duo conferri possunt.

Instae autem causae, propter quas ad plura beneficia incompatibilia de se retinenda a pontifice dispensari potest, tres communiter numerantur, necessitas scilicet ecclesiae, (si desint v. g. in aliquo loco, ubi haeretici se intrudere volunt, ministri necessarii, et idonei), magna ecclesiae utilitas (si magis unus talis profuturus indicetur ecclesiis, ob auctoritatem, potentiam, nobilitatem, doctrinam, et alias eiuscemodi dotes etc., quam plures alii) et denique meritorum praerogativa, ob quam uni optime v. gr. de ecclesia merito, plura nonnunquam beneficia conferuntur, ut constat etiam ex *c.* saepius citat. *De multa.*

§. IX. *Quomodo intelligi debeat, et explicari dispensatio facta super pluralitate beneficiorum.*

Primo, dispensatio alicui facta, ut possit duo beneficia, curam animarum habentia, canonice ipsi collata recipere, et simul retinere, de duobus primis beneficiis curatis, quae proxime post dictam dispensationem ipsi collata fuerant, intelligi debet, ita ut si unum ex obtentis postmodum dimiserit, vi illius dispensationis, aliud recipere non possit, iuxta *c. Non potest*, 21. *h. t. in* 6. cum per prima duo obtenta gratia dispensationis impleta iam fuerit.

Secundo, si dispensatum cum aliquo sit ad duo beneficia retinenda, quae ratione residentiae personalis, et perpetuae, alias incompatibilia sunt, hoc ipso censetur cum tali in residentia dispensatum, ut sufficiat in uno eorum, quod placuerit, (si tamen aequalis dignitatis sint) residere, constituto in altero, in quo non residet, vicario; quamvis enim strictae interpretationis sint dispensationes, ad necessario tamen connexa se extendere debent, ne videantur inutiles esse, *iuxta gloss. in c. Quia in tantum,* 5. *v. Plures h. t.*

Tertio, si ad duo curata beneficia dispensatum fuit, cum addita clausula, *dummodo per vicarium deserviat in altero, in quo non residet beneficiatus,* valet talis dispensatio, quamvis addita clausula non observetur, cum addita haec clausula non videatur, tanquam conditio substantialis, sed tantum per modum admonitionis, aut modi, quo non observato, puniri possit beneficiatus.

Quarto, si cum aliquo ad beneficium aliquod dispensetur, cum clausula, *non obstante quod iam aliud antea beneficium habeat,* non ideo dispensatum cum tali est, ad plura beneficia simul retinenda, cum clausula adiecta hoc tantum operetur, ut impetratio beneficii secundi subreptitia censeri non debeat, uti patet ex *cit. c. Non potest,* §. *Cum vero h. t. in* 6. in dubio enim gratia principis ita intelligi debet, ut odiosam contra ius dispensationem non inducat, si possit in alium sensum explicari.

SECTIO VI.

De unione, et divisione, seu sectione beneficiorum ecclesiasticorum.

§. I. *Quid, et quotuplex sit unio beneficiorum, et quot modis fieri possit?*

Unio est *duorum vel plurium beneficiorum, aut ecclesiarum ab episcopo, vel alio legitimo superiore facta annexio.* Duplex autem illa esse

potest. Primo ut sit unio perpetua, si in perpetuum scilicet, sive ut perpetuo duret, auctoritate legitimi praelati haec connexio fiat, in bonum potissimum ecclesiarum. Secundo ut sit temporalis, si fiat scilicet ad certum tantum tempus in gratiam potissimum beneficiati, ad cuius fortassis vitae tempus durabit. Utraque unio tribus modis fieri potest. Primo, ut duo beneficia, vel plura, in unum quasi corpus distinctum coalescant, ut si ex duabus ecclesiis parochialibus, quarum tenues valde sunt redditus, una fit ecclesia parochialis tertia, ab utraque priore distincta, quae tamen utriusque ecclesiae iura et privilegia, vel saltem favorabiliora, si sint contraria, retinet. Hic tamen modus unionis non est in frequenti usu. Secundo fieri potest unio, si una ecclesia, aut beneficium, alteri tanquam superiori, et velut accessorium principali annectatur, ita ut beneficium inferius, et accessorie unitum, quasi extinguatur, et omnes qualitates, ac privilegia principalis assumat, cui per vicarium deserviatur, ita ut non vacet per se, principali v. g. rectore mortuo, vel amoto, neque per se permutari, aut resignari possit (quod enim extinctum est, quoad nomen, et titulum, illi nihil relatorum convenire potest) sed facta collatione principalis, etiam hoc accessorie unitum collatum habeatur. Tertio fieri potest unio, si duo beneficia, vel duae ecclesiae cathedrales, duae ecclesiae parochiales etc., aeque principaliter uniantur, ita ut ambae propriam naturam, qualitates, et privilegia retineant, et neutra alteri subiiciatur, sed utraque suum titulum, suos redditus etc., retineat, sub eodem tamen rectore, prout habetur *in c. Ne sede vacante etc.*

§. II. *Quis potestatem habeat uniendi beneficia; et ob quas causas ea fieri possit, ac debeat?*

Potestas uniendi beneficia tam maiora quam minora, et ecclesias quascunque, in primis ad papam spectat, cui plena beneficiorum dispositio convenit. Secundo potest unire episcopus ex iusta causa ecclesias, et beneficia suae dioecesis (*c. Sicut*, 8. *de excess. praelat.*) modo sit unio talis perpetua (nam ad tempus tantum episcopus unire non potest beneficia, cum hae uniones non tam sint uniones, quam iuris relaxationes) et non sint exempta beneficia, vel collationi pontificiae specialiter, et perpetuo reservata, uti sunt dignitates maiores in ecclesiis cathedralibus etc. Tertio potest unire beneficia capitulum cathedrale, vacante sede, quae alioquin episcopus unire poterat (dummodo per eam unionem iuri episcopali nihil derogetur) cum ad capitulum, vacante sede, devolvatur iurisdictio dioecesis. Quarto potest etiam legatus a latere unire beneficia suae provinciae, quae episcopus potest, etiam sine consensu huius, cum quo in potestate convenit. Quinto vicarius generalis, et alii praelati episcopo inferiores, de iure communi, etiamsi ius conferendi beneficia habeant, unire tamen ea non possunt (cum plus sit unire quam conferre tantum beneficia) nisi speciale ad hoc habeant privilegium, aut specialem commissionem, aut praelati tales potestatem habeant quasi episcopalem, in ecclesias plene sibi subiectas.

Causae autem, ob quas fieri possunt, et interdum debent tales uniones, sunt potissimum duae; evidens necessitas scilicet, vel utilitas ecclesiae, uti habetur *in c. Exposuisti*, 33. *h. t.* Necessitas urgere censetur ad uniones fa-

ciendas, si ob tenuitatem praebendarum, aut redditunm vix reperiantur, qni velint ecclesias, vel beneficia, aut canonicatus acceptare, ita nt ecclesia debito suo servitio, et necessariis ministris destituatur. Utilitas urgere censetur, ut magis utiles et idonei beneficiati v. g. habeantur, et cultus divinus splendescat magis et illustretur.

§. III. *Quae forma et solemnitates, sive quae conditiones requirantur iure communi ad unionem beneficiorum instituendam, et quo pacto iure novo concilii Tridentini beneficia uniri possint?*

De iure antiquo communi ad unionem faciendam requiritur primo causae cognitio, sive nt de iustitia causae, propter quam unio fit, inquiratur et indicetur. Secundo requiritur, ut vocentur illi, in quorum praeiudicium cedere potest unio, ad hanc scilicet approbandam, vel ut audiantur saltem, si quid opponere velint. Tertio requiritur ad unionem ab episcopo faciendam consensus capituli (cum non tantum inter maiores causas sit unio, sed speciem etiam alienationis habeat) ad quem, si causa sit evidens, consentire tamen nolit, a papa cogi potest. Quarto requiritur consensus illius, ad quem administratio, aut collatio beneficii unicuidi pertinet. Qninto requiritur consensus patroni (saltem subsequens), si beneficium uniendum sit patronatum, (ad cavendnm scilicet horum et talium praeiudicium) beneficiati tamen, qui beneficinm uniendum possidet, consensus non requiritur, eum effectum unio non sortiatur, nisi post mortem beneficiati, aut aliam de iure licitam amotionem. Et sexto denique si a papa petatur unio, explicari debet, iuxta regulas cancellariae annuus valor beneficii uniendi iuxta communem aestimationem, ut melius de causa faciendae unionis iudicari possit.

De iure novo vero Tridentini *sess.* 7. *c.* 6. *De refor.* conceditur primo licentia ordinariis, tanquam sedis apostolicae delegatis, ut uniones perpetuas post quadraginta annos, a die promulgati concilii, computandos, factas examinare possit ad declarandum eas irritas esse, quae sub, aut obreptitie obtentae fuerunt. Secundo statuitur *hac sess. c.* 7. *De refor.* ut beneficia curata unita monasteriis, beneficiis, aut aliis ecclesiis, piisve locis etc., singulis annis ab ordinariis locorum visitentur, et iuxta huius arbitrium certa portio vicario in tali curata ecclesia constituto assignetur. Tertio statuitur in *sess.* 14. *c.* 9. *De refor.* ut ne uniantur unius dioecesis beneficia cum beneficiis alterius dioecesis, ad multas scilicet confusiones evitandas. Quarto conceditur in *sess.* 21. *c.* 5. *De reform.* episcopis licentia, in causis a iure permissis, unionem beneficiorum etiam curatorum, etiam specialiter reservatorum, aut aliter affectorum etc., facere, etiam ut sedis apostolicae delegatis, et in *sess.* 23. *c.* 18. *De reform.* conceditur, quod possint collegiis, seu seminariis applicare, et incorporare beneficia simplicia, etiam antequam vacent, modo hoc fiat sine cultus divini, et illa beneficia obtinentium praeiudicio: et quamvis *sess.* 24. *cap.* 13. *De refor. iuncta declaratione v. Dummodo curata non sint,* prohibeat, ne ecclesiae parochiales monasteriis, dignitatibus, praebendis ecclesiae cathedralis, aut collegiatae, vel aliis beneficiis simplicibus etc., uniantur, factas tamen antea uniones non infirmat, sed praecipit tantum, ut ab ordinariis revideantur. Quinto denique prohibet in

sess. 25. *c.* 9. §. *Insuper, de reform.* ut ne beneficia libera cum patronatis uniantur, ad cavendum scilicet tam liberae huic ecclesiae circa libertatem, quam patronatae circa ius patronatus.

§. IV. *Quid iuris, seu potestatis habeat praelatus, vel eius monasterium, ecclesia cathedralis, aut collegiata, cui ecclesia parochialis, vel aliud beneficium est incorporatum, seu unitum?*

Duplici modo potest fieri talis incorporatio, primo, quoad temporalia tantum, ut relicta scilicet congrua portione vicario, qui in beneficio unito ministrat, reliqui redditus ad monasterium, capitulum etc., pertineant. Secundo, quoad temporalia, et spiritualia simul; et quidem, si incorporatio haec facta est, ut etiam populus in spiritualibus exemptus sit a iurisdictione episcopi dioecesani, ac subiectus sit etiam in temporalibus praelato v. gr. monasterii etc., dicitur plenissimo iure incorporatum tale beneficium; si vero quoad spiritualia quidem incorporata sit, ut liceat praelato v. gr. cui incorporatio facta fuit, administrare spiritualia in ecclesia incorporata, populus tamen episcopo adhuc subiectus maneat, non quidem plenissimo iure, sed pleno iure facta fuisse incorporatio dicitur. His notatis:

Sciendum primo, si quoad temporalia tantum monasterio, vel capitulo etc., incorporatio parochialis ecclesiae, vel alterius beneficii facta fuit, nihil ferme iuris habet, vel circa personam presbyteri, qui in tali parochia v. gr. positus est, vel circa curam populi, abbas, aut monasterium, vel capitulum etc., cui taliter ecclesia talis incorporata est. Neque si tantum redditus talis beneficii monasterio tali, vel capitulo donati fuerunt, et incorporati, semper ius praesentandi in ecclesia taliter unita habet monasterium illud, aut capitulum etc., (cum separari possit ius praesentandi ab ecclesiae redditibus) vel si etiam ius praesentandi tali monasterio, vel capitulo etc. convenit, praesentari tamen debet vicarius ad ecclesiam taliter unitam episcopo, cui iura talis ecclesiae per talem unionem non adimitur, prout constat ex *c. In lateranensi*, 31. *h. t.* ita ut ad episcopum in tali ecclesia pertineant institutio, et destitutio talium vicariorum. Si vero ecclesia parochialis v. gr. plenissimo iure monasterio, vel capitulo etc., incorporata sit, (quam unionem solus pontifex facere potest) ita ut in tali ecclesia taliter unita respectu populi subiecti episcopalem quasi iurisdictionem habeat praelatus v. g. tunc in illa ecclesia taliter unita, non tantum instituere, et destituere vicarium potest, independenter ab episcopo loci, sed visitare etiam, rationem administrationis exigere, et omnia facere, quae ad ius episcopi pertinent, *c. Quoniam*, 21. *De privilegiis.* Si tamen denique pleno iure monasterio, capitulo etc., ecclesia quoad temporalia, et spiritualia sit unita, non tamen plenissimo iure, quoad populum etiam exempta, praesentare quidem debet monasterium tale v. gr. idoneum vicarium episcopo examinandum, et instituendum in ecclesia taliter unita, quamvis exemptum monasterium sit, cum exemptio talis ad ecclesiam unitam in praeiudicium episcopi extendenda non sit.

Sciendum secundo alia adhuc plura esse, quae circa has uniones notari possunt. 1. Quod monasterium v. gr. cui ecclesia unita est pleno iure, de-

beat conservare eius sartatecta, paramenta altaris reparare etc. In defectum reddituum fabricae deputatorum *c.* 1. *et* 4. *De eccles. aedif.* (qui enim commoda habet, reddituum scilicet ecclesiae, debet etiam onera sentire ecclesiae proficua) nisi tenues valde redditus essent, qui principali rectori obveniunt, et proprio, aut vicario instituto, qui redditus abundantes habet, vel populo, qui in tali ecclesia divina percipit, onus hoc relinquendum videretur.

2. Quod vicarius in tali ecclesia parochiali unita constitutus, sive perpetuus, sive temporalis sit, visitari possit ab episcopo loci, cui populus subiectus est, quoad curam, et sacramentorum administrationem, quamvis ordinis exempti religiosus sit, (cum ratione rei non exemptae, curae scilicet in tali loco exercendae, subiectus sit iurisdictioni ordinarii) et ab ipso etiam immediato rectore principali, si saecularis sit.

3. Quod vicarius in tali parochia constitutus, si temporalis sit, nullum ius, aut titulum in tali parochia unita habeat, sed omne ius sit penes rectorem principalem; si vero sit vicarius perpetuus, tum ius ac titulum in parochia obtinet, cum cura animarum actuali, ita ut penes rectorem principalem cura talis tantum sit in habitu etc., quae omnia, uti et plura alia de perpetuis, et temporalibus vicariis, *ex lib.* 1. *Decretal*, 28. iam patent.

§. V. *De dismembratione beneficiorum ecclesiasticorum, et requisitis ad illam.*

Dismembratio, sive quod idem est, diminutio beneficii, tum censetur fieri, *quando pars bonorum v. g. diviti valde beneficio aufertur, et alteri v. g. tenues redditus habenti, vel fabricae ecclesiae applicantur*; hanc ex iusta causa posse facere episcopum ex *cap. Avaritiae*, 10. *h. t.* a contrario sensu colligitur: et si dismembratio talis fiat, beneficio non vacante, ad petitionem sive instantiam ipsius rectoris adhuc superstitis, neque ecclesia talis sit collegiata, aut incorporata conventuali, aut collegiatae ecclesiae, sola auctoritas episcopi, velut ordinarii, requiritur, ad eam faciendam, si tamen collegiata sit, aut tali incorporata, debet etiam haberi consensus collegii, et si episcopus eam faciat ex motu proprio, praeter iustam causam, requiritur etiam consensus capituli cathedralis, tanquam solemnitas aliqua necessaria, ad hanc quasi alienationem faciendam. Rectoris vero ecclesiae dismembrandae in tali casu consensus non requiritur, ut necessaria solemnitas, sed praecise tanquam eius, cuius interest, ita ut invito etiam hoc, si necessaria videatur, dismembratio fieri possit.

§. VI. *An, et quo pacto beneficium ecclesiasticum dividi possit, seu secari in duo, vel plura?*

Dividi, sive secari beneficium dicitur, quando ex uno fiunt duo, vel plura etiam beneficia, ita ut iam sint duo canonicatus, duae ecclesiae parochiales, duae capellaniae etc., ubi prius tantum una fuerat. Et quamvis haec beneficiorum divisio in concilio Turonensi relato in *c. Maioribus*, 8. *h. t.* prohibita fuerit, fatentur tamen omnes, prohibitam hanc tantum fuisse, ne fieret sine iusta, ac rationabili causa (ad cavendam scilicet odiosam

ecclesiae status mutationem) et hinc in *c. Vacante*, 26. *h. t.* conceditur episcopis, quod ex iusta, et rationabili causa possint unam praebendam dividere in duas, modo quaelibet sit sufficiens ad congruam sustentationem praebendati: quod si tamen post factam divisionem redditus non sufficerent, ad honestam utriusque beneficiati de novo instituti sustentationem, obligatus est episcopus ad integrandas praebendas, ita ut portio aliqua ex beneficiis abundantibus, cum vacaverint, detracta tenuioribus illis adiiciatur; vel si hoc, aut alio simili modo iuvare beneficiatos illos non possit, tenebitur ex mensa sua, de sustentatione sufficiente illis providere, si illegitime divisionem faciendo, in culpa fuit. Neque tamen in eo sensu dividi beneficia possunt, ut ad unum idemque beneficium, quod unum manet, duo beneficiati simul recipiantur, quod prohibetur in *c. Dilectos*, 25. *h. t.* cum unitas non recipiat divisionem, ut maneat unitas, teste glossa in relato *c. v. Dividi.*

SECTIO VII.

De mandatis apostolicis, sive literis beneficialibus, quae emanant a sede apostolica.

§. I. *Quodnam sit, et dicatur mandatum apostolicum, et quot sint genera, seu species huiusmodi mandatorum, seu literarum beneficialium?*

Mandatum apostolicum dicitur illud rescriptum hoc loco, *quo pontifex concedit alicui facultatem conferendi beneficia, vel mandat alicui conferri beneficium in aliqua ecclesia, c. Mandatum*, 38. *de rescript.* quae literae solent etiam mandata apostolica de providendo, vel etiam gratiae expectativae dici, et olim triplicis generis erant, monitoriae, praeceptoriae, et executoriae, quarum tamen vix hodie usus est. Quae tamen mandata hodie adhuc in usu sunt, et pro beneficiis vacantibus impetrantur, sunt in multiplici differentia ita ut alia, in forma *pauperum*, seu in forma communi; alia in forma *dignum* obtineantur, de quibus *in primo lib. Decretal. tit.* 3.; alia mandata dicantur, *si neutri;* alia, *si alteri;* alia, *si nulli;* alia, *si rationi congruit* etc., quia tale initium habent; vel a diverso litigantium iure, quod neutri litigantium, vel absolute nulli, vel alteri saltem litigantium etc., acquisitum est. Nomine autem beneficiorum in his mandatis omnia intelliguntur, quae specialiter a iure non excepta sunt, prout exceptae sunt dignitates, personatus, beneficia curata, post literas a papa datas erecta beneficia, beneficia patronata, electiva, unita, suppressa, et extincta, affecta seu pontifici reservata, beneficia monocularia etc.

§. II. *De quibusdam conditionibus, seu qualitatibus beneficiorum, quae necessario exprimi debent in mandatis apostolicis, seu literis beneficialibus obtinendis.*

Multa ex *lib.* 1. *Decret. tit.* 3. ubi de rescriptis gratiae egimus, iam patent, et hinc breviter hic insinuari aliqua hoc, et seq. §§. sufficiet.

Primo ergo certum est, quod in mandato apostolico de providendo, necessario fieri debeat mentio de beneficio, si quod prius ab impetrante mandatum tale obtentum est, *c. Cum teneamur*, 6. *h. t. et c. Cum adeo*, 17. *de*

rescript. (ad cavendam odiosam beneficiorum uni collatorum multiplicitatem) etiamsi tenue, ac modicum illud beneficium sit, *c. penult. De rescript. et c. Si motu*, 23. *h. t. in* 6. nisi mandatum tale motu proprio concessum esset, cum motus proprius hanc subreptionem tollat, ut dictum in *relat. tit.* 3. *lib. primi Decret.*

Secundo cum mandatum tale, sive rescriptum adaptetur petitioni, consequenter in petitione, vel supplicatione, ea beneficii qualitas explicari debet, cuius specialis explicatio de iure requiritur: quorum aliqua ad finem §. 1. huius sect. enumeravimus, quibus addi potest, quod exprimi etiam debeat modus vacationis, an per obitum scilicet beneficiati, vel per resignationem etc. vacaverit, utrum regulare, an saeculare sit beneficium, de quo sibi conferendo mandari vult etc. ut sciat mandans pontifex, de quo mandet.

§. III. *Quomodo interpretari debeat, late an stricte mandatum apostolicum, in quo conceditur alicui facultas conferendi beneficia, vel in quo mandatur alicui conferri beneficium, aut actu confertur.*

Respondetur primo, quod stricta interpretatio facienda sit mandati apostolici, in quo conceditur alicui a summo pontifice facultas conferendi beneficia, quia talis concessio praeiudicat ordinariis collatoribus, et dispensat in iure communi, quod utrumque strictam interpretationem requirit, prout colligitur etiam ex *c. Is cui*, 19. *h. t. in* 6. et quamvis gratia principis liberalis, et latissimae interpretationis sit, si fieri debeat contra concedentem interpretatio; hanc tamen latam interpretationem non patitur in praeiudicium grave aliorum, prout etiam ex *regul. cancellar.* et ex *glossa in c. Tuorum*, 5. *v. Permittat. de auct. et usu palii, et ex l.* 2. §. *Merito ff. Ne quid in loco publico*, colligitur.

Respondetur secundo strictam etiam interpretationem faciendam mandatorum apostolicorum, quibus conferri alicui beneficium mandatur, *c. Quamvis*, 4. *h. t. in* 6. quia tales literae, ut ait pontifex, sunt ambitiosae, de genere scilicet illorum, quae honestius dantur, et accipiuntur, quam petuntur; et hinc si pontifex mandavit, ut alicui de beneficio provideatur, non potest vi huius mandati beneficium curatum, dignitas, aut canonicatus etc., conferri, cum in stricto sensu beneficii nomine haec talia non veniant, ut ex dictis patet; et si mandetur, ut provideatur illi de beneficio in dioecesi Frisingana v. gr. non potest illi conferri beneficium in ecclesia cathedrali Frisingana, quia nomine dioecesis non venit in stricta acceptione ecclesia cathedralis, uti patet ex *c. Quamvis*, §. *Quamquam;* nisi aliunde colligatur, quod ampliorem gratiam huic voluerit facere pontifex, uti colligitur, si motu proprio mandatum de providendo concessit, aut si ipse contulit beneficium, cuius executionem alteri tantum demandavit, aut si mandaverit conferri usque ad certam summam, quo in casu, si unum beneficium summam illam non attingat, plura etiam conferri possunt, dum summa illa obtineatur?

§. IV. *Quomodo praeterea alia quaedam mandata apostolica de providendo, sive rescripta beneficialia sint intelligenda.*

Primo quamvis nomine beneficii simpliciter prolati, non veniat benefi-

cium curatum, aut dignitas etc. ut dictum, et ex *cap. ult. h. t.* patet, potest tamen nonnunquam qualitas personae facere, ut si mandetur de beneficio competente provideri, intelligatur in tali mandato nomine beneficii etiam dignitas *arg. c. Pro illorum*, 22. *h. t.*

Secundo, si mandet pontifex, ut alicui de dignitate, vel personatu etc. provideatur, non potest illi provideri vi talis mandati de dignitate, aut personatu, cui cura animarum annexa est, aut electivis dignitatibus, aut quae ad patronum laicum pertinent, *c. Cum in illis*, 16. §. *Illis vero, h. t. in* 6. eo quod sub stricta acceptione beneficii non veniat cura, aut laicalis patronatus.

Tertio, si mandetur a papa alicui provideri de non sacerdotali praebenda, de praebenda dimidia, de praebenda certi valoris etc. non potest vi talis mandati illi conferri praebenda sacerdotalis, aut praebenda integra, aut praebenda minoris valoris etc. quamvis tali praebenda contentus esset providendus, *cap. Cui de non*, 27. *h. t. in* 6. quia mandatum in forma specifica ob strictam sui interpretationem impleri debet.

Quarto, si in mandatis talibus apostolicis unus modus providendi exprimatur, alii modi censentur exclusi, *c. Susceptum*, *c. De rescript. in* 6. cum ab uno expresso non debeat fieri extensio, in materia strictae interpretationis, ad alium casum non expressum.

Quinto, si mandet papa provideri alicui de beneficio ad plurium collationem pertinente, non potest illi conferri beneficium ad unius tantum collationem, vel praesentationem pertinens, et vice versa etc. quia stricta interpretatio, si plures velit gravari, non vult, ut unus totum onus ferat, aut si velit unum gravari, non praeiudicat pluribus.

Sexto, si papa mandet alicui provideri de beneficio proxime vacaturo, ad collationem capituli spectante, quamvis in tali mandato ea etiam beneficia comprehendantur, quae ex peculiari consuetudine, aut statuto illius capituli, ab uno quidem eorum, nomine capituli tamen, conferuntur, non tamen ad ea beneficia tale mandatum se extendit, quorum collatio dignitatibus, aut personatibus, vel etiam certis praebendis illius capituli etc. annexa est, *c. Mandatum*, 41. *h. t. in* 6. plura de his mandatis, uti et quae sect. 8. sequenti dicuntur, de effectu, et usu, seu executione, ac revocatione, seu extinctione talium mandatorum etc. quia vix aliquis eorum hodie apud germanos usus est, saltem quatenus concedunt gratias expectativas, seu quatenus mandata sunt de providendo alicui, circa beneficium proxime vacaturum etc. non tantum per concordata Germaniae, sed etiam per Tridentinum sublata, videri possunt ab illis, qui eorum scientiam habere volunt, apud auctorem Methodi. Sit ergo omissa SECTIONE VIII.

SECTIO IX.

De conservationibus beneficiorum.

§. I. *De reservatione beneficiorum in communi, eiusque causis, et effectu.*

Reservatio beneficiorum ex genere definiri potest, *quod sit alicuius beneficii ecclesiastici vacaturi, per habentem ad id potestatem* (per romanum pontificem scilicet, cui omnis circa beneficia etiam nondum vacantia, potestas

disponendi per se competit) *ad se facta*, *verbis expressis*, *avocatio*. Duplex autem est talis reservatio, generalis alia, quia plura beneficia eiusdem nominis in communi sibi reservat pontifex, ut cum sibi reservat collationem omnium ecclesiarum episcopalium, omnium primarum dignitatum in ecclesiis cathedralibus post episcopalem etc.; alia specialis, qua reservantur certa v. gr. certae ecclesiae beneficia etc. utroque modo beneficia reservare potest pontifex.

Causae autem, propter quas beneficia reservari possunt, et solent, sunt plures. Prima ut ne videatur summus pontifex, dum inferioribus contulit conferendi beneficia potestatem, *contra c. Dudum*, 14. §. *Non igitur*, *h. t. in* 6. ea se penitus privavisse. Secunda est, ut erga eos, qui de ecclesia bene meriti sunt, aut virtutis, vel doctrinae praemium, ex merito expectant, liberalem se ostendere possit, beneficia ecclesiastica illis conferendo. Tertia est, ut ecclesiarum, et personarum ecclesiasticarum maior sit cum romana sede communicatio, in quantum ab ea saepius dependent in beneficiis talibus, et eorum proventibus etc.

Effectus autem reservationis, cui appositum est decretum irritans, non tantum est ligare manus inferiorum collatorum, quominus conferre possint sic reservata beneficia, sed collatio talis, etiamsi ab ignorante reservationem fiat, nulla est, prout sumitur ex *c. Si beneficia*, 20. *h. t. in* 6. cum talem nullitatem inducat decretum irritans, ita ut nec titulum coloratum praebeat proviso; et si illo spolietur, agere non possit de spolio, cum decretum irritans non modo titulum, sed etiam possessionem vitiet, ut probat *Cochier in reg. cancell.* 1. *n.* 19. *et* 20.

§. II. *Quaenam beneficia sint reservata romano pontifici, spectato iure communi canonico?*

Agit hic §. de reservatis beneficiis ex iure communi canonico, et sequenti §. 3. de reservatis per Extravagantes, ac tandem §. 4. de beneficiis reservatis papae per regulas, ordinationes, et constitutiones cancellariae apostolicae, quia tamen in nostra Germania harum reservationum nulla praxis est, propter concordata cum germanis inita, quae observari debent, ideo melius apud auctorem Methodi scientia harum reservationum legi potest, quam ut hic describatur. Sit ergo, omissis aliis:

§. III. *De provisionibus, et reservationibus factis per concordata Germaniae.*

Inter papam Nicolaum V. ex una parte, et inter imperatorem Fridericum III., ac principes Germaniae, tam ecclesiasticos, quam saeculares ex altera parte, inita sunt concordata quaedam, utrinque observanda, circa ecclesias, praelaturas, dignitates, ac plura alia beneficia ecclesiastica; et primo quidem concessit germanis pontifex liberam electionem in metropolitanis, et cathedralibus ecclesiis viduatis, quamvis immediate sedi apostolicae subiectae non essent, et in monasteriis immediate sedi apostolicae subiectis, quae intra praescriptum tempus *cap. Cupientes*, 16. *de elect. in* 6. Romam submittantur, a summo pontifice confirmandae, si canonicae fuerint, et pro dicta confirmatione ad summam sedem recurri soleat, nisi ex rationabili, et

evidente causa, de persona utiliore, et digniore, de consilio cardinalium, providendum putaverit.

Secundo concessit, ut de aliis beneficiis inferioribus (nisi in his etiam concordatis reservata sint, ut videbitur paulo post) sive regularia illa sint, sive saecularia, sive cum, sive sine cura, modo non sint patronata, ordinarii collatores disponere possint, ea conferendo, si in mensibus februario, aprili, iunio, augusto, octobri, et decembri vacaverint, nunquam per ullam aliam reservationem, aut gratiam expectativam, aut aliam dispositionem, auctoritate apostolica factam, vel faciendam, impediendi. Tertio tamen sibi etiam reservat, ob allatas supra causas, iuxta modificationem tamen concordatorum, beneficia reservata *in Extravag. Ad regimen*, 13. *inter communes h. t.* beneficia scilicet officialium sedis apostolicae vacantia per illorum obitum, si tamen illa beneficia actualiter, cum morerentur, tenebant, et inter illos officiales fuerunt, qui in dictis concordatis numerantur; beneficia vacantia per obitum cardinalium, si episcopatus, aut praelaturae tales vacent per mortem episcopi, vel alterius praelati in curia romana demortui; episcopatus, praelaturae, et omnia beneficia, quae vacant per depositionem, privationem, vel translationem, auctoritate sedis apostolicae factam; si electio, aut postulatio cassata, aut repulsa fuerit per eandem auctoritatem apostolicae sedis; beneficia, quae vacant per promotionem in episcopum a papa factam; beneficia vacantia per assecutionem alterius beneficii incompatibilis, auctoritate sedis apostolicae factam, prout etiam habetur *in Extravag. Execrabilis Ioann. XXII.* cuius Extravagantis reservationes vult omnino observari pontifex in concordatis, in quibus praeter has utriusque Extravagant. reservationes, reservat etiam suae dispositioni pontifex maiores dignitates post episcopales in ecclesiis cathedralibus, et principales in ecclesiis collegiatis, (quales sunt in quibusdam Germaniae ecclesiis praepositurae, in aliis vero decanatus) sicut etiam alia beneficia, quae vacant in ianuario, martio, maio, iulio, septembri, et novembri, si non sint patronata: circa haec ipsa tamen in mensibus pontificiis vacantia beneficia, specialem adhuc gratiam facit germanis in his ipsis concordatis pontifex, concedens scilicet ordinariis collatoribus potestatem conferendi haec etiam in mensibus pontificiis vacantia beneficia, si intra tres menses a die, in quo vacatio cognita est in loco beneficii, numerandos, nulli a pontifice de tali beneficio provisum fuerit, ita tamen, ut etiam post tres menses hos elapsos, cumulativa cum ordinariis collatoribus potestas conferendi talia beneficia pontifici conveniat, et locus detur praeventioni, illi scilicet beneficium tale adiudicando, cui prius illud post tres menses hoc collatum fuit, sive deinde ab ordinario collatore, sive a pontifice prius collatum fuerit.

§. IV. *De beneficiis reservatis ex indulto pontificio romanorum imperatori per preces primarias.*

Ex apostolicae sedis privilegio, et antiquissima consuetudine concessum est romanorum imperatori recens electo, ut in quavis ecclesia cathedrali, etiam metropolitana, collegiata, aut quacunque alia, sive saeculari, sive regulari intra romanum imperium (prout nunc est) personam aliquam idoneam

per preces (quae primariae vocantur, culvis Inri conferendi, praesentandi, nominandi etc. praeferuntur, et primae etiam preces dicuntur, quia sunt veluti prima Caesaris petitio in tali ecclesia) offerre, et nominare possit collatoribus, seu collatricibus, quacumque dignitate fulgeant, cui beneficinm quodcumqne vacans, aut proxime vacaturum (In quibuscumque mensibus vacent) etiamsi beneficia huiusmodi canonicatus, praebendae, dignitates, personatus, administrationes, vel officia, etiam maiora, et electiva, cum, vel sine cura fueriut, conferatur, ita ut de beneficio tali provisus recipi, et admitti debeat, et possit ipse imperator huius suae nominationis, aut harum snarum primariarum precum executores eligere, qui sint in ecclesiastica dignitate, vel personatu constituti, aut ecclesiarum cathedralium canonici (cum sint summi pontificis delegati, ita ut subdelegare possint, et subexecutores constituere) et si mortui hi fuerint prius, quam suum sortitae fuerint preces effectum, alios eligere possit, ad finem precum suarum obtinendum, qui ordinarios compellere possint ad conferendum, iuxta precum tenorem. Sicuti autem pontifex huic indulto caesareo non vult obstare concordata Germaniae, cum in recentioribus indultis expresse his derogetnr, neque *Tridentinum sess. 24. cap. 19. de reformat.* gratias expectativas tollere, prout declaravit sanct. Congregat. ita nec vult, ut extendat se ad ea beneficia, quae reservantur per Extravag.; ad regimen (de quibus supra) aut ad beneficia patronatus laici; ad beneficia, quae vacant ex causa resignationis in favorem tertii; ad beneficia ad sedem apostolicam legitime devoluta; ad beneficia litigiosa; ad maiores post episcopalem, ant principales dignitates; ad officia, quae cadunt in laicos; ad hospitalia etiam religiosa, quae non in titulum perpetuum conferuntur; ad beneficia manualia; ad beneficia servitoria, quibus onus v. gr. canendi in choro annexnm est; ad beneficia, quae dantur scholaribus in studiorum subsidium; ad beneficia post obtentas caesareas preces primum erecta; ad vicarias temporales; ad beneficia mensae episcopali, capitulari, vel abbatiali incorporata; ad beneficia exempta; ad beneficia commendata etc.: et non vult, ut vi huius indulti, eadem ecclesia gravetur saepius, si vi precum illarum iam nnam personam accipere debuit. Vide plura de bis precibns apud auctorem Methodi hoc, et sequenti §. vel apud *Ioan. Cochier in peculiari tractatu De precibus his primariis.*

TITULUS VI.

DE CLERICO AEGROTANTE, VEL DEBILITATO.

§. I. *An clericus propter aegritudinem, aut mutilationem amittat beneficium suum, vel saltem fructus illius, et quando ei dari possit, vel debeat coadiutor?*

In *cap. Cum percussio, 1. et in capit. Presbyterum, 2. h. t.* statuit pontifex, quod clericus beneficiatus, si infirmitate, aut mutilatione impediatur, quominus ecclesiae serviat personaliter, et officium suum praestet, non tantum non amittat beneficinm suum, sed ad omnes fructus integre percipiendos pro serviente haberi debeat, ne idonei ministri non reperiantur, qui ecclesiae servire vellut, si fructibus beneficii carere debeant, ex tali mi-

seria impediti, quominus servitia sua actu praestent; et ut ne afflicto addatur afflictio cum praeiudicio ecclesiae: ob quas rationes taliter etiam impeditus infirmus, aut mutilatus, gaudere potest distributionibus quotidianis (*iuxta capit. unic. De clericis non restid. in 6. de quo etiam supra tit. 4. sect. 1.*) et a sui beneficii administratione removendus non est, quamvis altari deservire, aut in ecclesia comparere, sine magno scandalo (eo quod lepra v. g. aut alio morbo contagioso, et horrido infectus sit) non possit: quo in casu tamen per coadiutorem ipsi datum, cui ex redditibus beneficii congrua portio assignetur, iuvari debet, qui curam animarum actu habeat, et alia spiritualia officia exerceat; nisi propter suae infirmitatis gravitatem inhabilis etiam videretur ad beneficii sui administrationem temporalem, quo in casu alius illi in administrationis etiam officio substitui potest; congrua sustentationis portione ex redditibus ecclesiae infirmo beneficiato assignata, quod solum vult *c. Tua nos, 4. h. t.* Quod si tamen redditus beneficii pro utriusque, rectoris scilicet infirmi et coadiutoris, sustentatione non sufficiant, probabilius est iuxta *c. De rectoribus, 3. h. t.* quod ex redditibus ecclesiae talis, sive beneficii, providendum sit rectori, seu beneficiato infirmo; coadiutori vero ab episcopo per parochianos, vel aliunde subveniendum.

Eodem modo, et eisdem ex causis, nec episcopus a suo episcopatu, aut inferior praelatus a suo beneficio amoveri potest, propter infirmitatem, sed coadiutor eis, si suo officio, aut administrationi satisfacere non possint, iuxta dicta dandus est, (*cap. Ex parte, 5. et cap. Consultationibus, 6. h. t.*) qui et ipse sustentationem suam congruam ex redditibus talis ecclesiae, cui coadiutor datus est, habeat, et non minus ad residentiam personalem obligatus sit, quam ipse principalis. De quo tamen coadiutore sit:

§. II. *Qui assignare, seu dare possit coadiutorem, et quomodo, ac qualis dari debeat?*

Quamvis solius papae sit coadiutorem dare episcopis, et his superioribus praelatis, cum inter causas maiores numeretur coadiutoris datio, concedit tamen etiam papa in *c. Pastoralis, h. t. in 6.* ne ecclesiae, ab urbe praesertim remotae, detrimentum patiantur, ut episcopus, senio vel perpetuo impedimento impeditus, qui pastorale officium exercere non potest, cum consensu sui capituli, unum vel duos coadiutores, auctoritate apostolica, assumere possit, vel si amens sit episcopus, capitulum, aut duae illius partes, unum, aut duos, auctoritate apostolica, designare possit, qui officium episcopi, tam quoad temporalia, quam quoad spiritualia, si ad utrumque inutilis est, exerceant; vel certe si noluit in priore casu coadiutorem assumere episcopus, cum quidem, invito, capitulum non obtruderet, de toto tamen negotio moneat pontificem, et quod ab ea sede ordinatum fuerit, humiliter, et efficaciter impleat: aliis vero praelatis, aut rectoribus ecclesiarum, episcopo inferioribus, sicut et parochis, si officio suo praeesse nequeant, episcopus dare potest coadiutores, cum penes illum sit beneficiati etiam destitutio.

Debet autem coadiutor dandus clericus esse, (cum laici non sint habiles ad spiritualem administrationem) idoneus, tam ratione prudentiae ad rerum

ecclesiasticarum administrationem, si pro bonorum administratione coadiutor detur, quam ratione scientiae, et mornm, si ad spiritualem curam coadiutor detur; et eius aetatis, quae requiritur in tali beneficiato.

§. III. *Quae sit potestas, sive officium coadiutoris, et quando exspiret?*

Officium autem dati coadiutoris est, curam gerere episcopi, vel rectoris, cui datur coadiutor ob infirmitatem, aut senium, et simul ecclesiae, seu populi *cap. Ex parte*, 5. *h. t.* si datus sit simpliciter coadiutor; vel saltem curam habere rerum temporalium, si ad haec curauda datus sit coadiutor, ita tamen, ut alienare aliquid de bonis immobilibus ecclesiae, aut mobilibus pretiosis, quac servando servari possunt, non possit; neque possit beneficia conferre, qnorum collatio ad praelatum, cui datus est coadintor, pertinet, sine consilio huius, nisi sanae mentis hic non fuerit, et ad confereuda beneficia inutilis.

Exspirat antem illius officium, non quidem morte dantis coadiutorem, sed morte illius, vel depositione, ant renuntiatione, cui datus est coadintor: cessat enim officinm administratoris dativi, si legitimus administrator, (successor scilicet illius, cui datus est coadiutor) snperveniat, nisi fuerit ipse coadiutor datus cum futura successione, sive iure succedendi illi in praelatura, cui datus est coadiutor. Quae coadiutoriae, quamvis sint iuxta stylnm curiae romanae a summo pontifice impetrandae, a *Tridentino* tamen *sess.* 25. *c.* 7. *De reform.* non in omni casn probantur.

TITULUS VII.

DE INSTITUTIONIBUS.

Institutio est modus canonicus acquirendi beneficii; et quamvis late accepta collationem beneficii etiam includat, stricte tamen dicta, prout hic accipitur, differt a collatione beneficii, eo quod collatio sit libera translatio beneficii in aliquem; institntio vero sit necessaria: episcopus enim, vel qni ius conferendi beneficium habet, libere potest huic, vel illi beneficium conferre; qui vero ius instituendi in beneficio habet episcopus, necessario debet enm instituere in beneficio, quem patronus praesentat, dummodo sit idoneus, *cap. Significasti*, 18. *De iure patr.* et hinc institutio proprie dicta definitur, quod sit *iuris beneficii ad praecedentem praesentationem, vel nominationem alicuius, legitima auctoritate facta translatio,* per quam scilicet ins, ac titulus beneficii acquiritur instituto.

§. I. *Ad quos spectat ius instituendi clericos in beneficiis ecclesiasticis?*

De iure communi spectat ius, sive potestas instituendi clericos, a patronis praesentatos, ad episcopnm, vel eius vicarium generalem in spiritualibus, aut vacante sede ad capitulum cathedrale, *cap. Ex frequentibus*, 3. *h. t. et Trident. sess.* 7. *cap.* 13. *De reformat.* ubi praecipitur, ut praesentati a patronis non instituantur, nec admittantur, sub practextu cniuscunque privilegii, nisi fuerint prius a locorum ordinariis examinati, et idonei reperti. De quo examiue agit *Trident. sess.* 24. *capit.* 18. *De reformat.* Et

quamvis nec vicarius generalis sine speciali mandato conferre beneficia possit, nec capitulum cathedrale, vacante sede; instituere tamen tam ille sine speciali mandato, quam hoc, vacante sede, praesentatos a patronis potest, cum institntio non sit donatio gratuita, circa quam praeiudicium fieri possit episcopo, sed necessario expedienda sit, *c. His quae*, 11. *et c. Cum olim*, 14. *De maiorit. et obed. et c. Etsi*, 1. *h. t. in* 6.

De iure speciali, sive ex privilegio, praescriptione, vel consuetudine potest ius instituendi inferioribns etiam episcopo praelatis competere, *c. Super eo*, 15. *De off. deleg. c. Auditis*, 15. *et cap. Cum olim*, 18. *De praescript.* quod merito de praelatis regularibus, qnibus plenissimo iure subiectae sunt aliquae ecclesiae, dici potest, cum isti habeant in talibus ecclesiis iurisdictionem quasi episcopalem.

§. II. *De instituendis in ecclesiis, vel beneficiis ecclesiasticis.*

Instituendi in beneficiis ecclesiasticis debent primo esse clerici, cum laicis non conveniant beneficia ecclesiastica, *c. In ecclesia*, 2. *h. t.* Secundo non debent institui in ecclesiis, et beneficiis unius originis, seu nationis tantum, sed viri literati, et idonei, undecunque originem ducant, *c. Decorem*, 5. *h. t.* nisi beneficium fundatum primitus sit, pro certae tantum nationis, certae familiae, etc. hominibus; neque tamen etiam prohibetur consuetudo, qua indigenae extraneis praeferuntur, quia facilius illi ad perpetuo residendum inducuntur. Neque tertio repelli debet a patrono ad ecclesiam vacantem parochialem praesentatus, qui in minoribus quidem est, sacris tamen ordinibns nondum initiatus est, modo alias sit idoneus, aetatem requisitam habeat, et intra annum ad sacerdotium promoveri possit, *c. Licet*, 14. *De elect. in* 6. *cap. Praeterea*, 5. *De aetate, et qualitat. etc. c. Si is*, 2. *h. t. in* 6. Quarto tot snnt instituendi in ecclesiis collegiorum, aut capitulum habentibus, quot commode, et absque penuria ex redditibns ali possunt, *c. Non amplius*, 1. *et c. Auctoritate*, 4. *h. t. Trident. sess.* 25. *capit.* 3. *De regular.* Quod si tamen in prima fundatione certus numerus determinatus sit, augeri ille non debet, ob modicum tantum reddituum augmentum, minui tamen ille potest, si notabiliter, et in perpetuum decrescant redditus, quamvis auctoritate papae, aut iuramento numerus determinatus firmatus sit, cum talis confirmatio, aut iuramentum intelligi debeat, si res in eodem statu permaneant. Quinto tamen nemo seipsum in beneficio instituere potest, neque ab alio accipere, qui a se auctoritatem habeat, uti probatur ex *c. Cum ad nostram*, 7. *h. t.* eo quod, ut dicit pontifex, inter dantem, et accipientem debeat esse personarum distinctio.

TITULUS VIII.

DE CONCESSIONE PRAEBENDAE, ET ECCLESIAE NON VACANTIS.

§. I. *Utrum beneficium non vacans possit conferri, vel promitti?*

Beneficium non vacans non tantum conferri non potest (ita ut collatio talis sit ipso iure irrita, et qui scienter permisit in tali, non vacante beneficio, se institui, poenam excommunicationis incurrat *cap.* 1. *h. t.* et non

possit postmodnm hoc beneficium, ubi vacaverit, obtinere *argum. c. final. De eo, qui duxit in matri. etc.*) sed nec promitti potest, ut constat ex *c. Nulla*, 2. *et ex c. Ex tenore*, 13. *h. t.* cum etiam legibus civilibus pactum de futura successione, vivente eo, cui succedendnm promittitur, prohibitum sit, tanquam occasionem praebens captandae mortis alterius. Et hinc uou obstante tali non vacantis beneficii promissione, potest beneficium tale alteri cuicumque conferri, ut constat ex *c. Relatum*, 3. *h. t.* iuncta glossa *in casu*, cum enim promissio talis ab initio sit irrita, per vacationem beneficii non fit valida *iuxta reg.* 29. *ff. de reg. iuris*. Neque potest episcopus alicui concedere facultatem conferendi hoc determinate beneficium, cum vacaverit *c. Constitutus*, 11. *h t.* ne per fraudem tali facnltate ad necem alterius alter abutetur. Et qnamvis de iure antiquo prohibitum non fnerit, promittere alteri beneficinm nondnm vacans, cum conferri poterit, aut occasio se obtulerit, *c. Accedens*, 14. *h. t.* cum aliud sit promittere beneficium me collaturum, cum potero; et aliud promittere me collatnrum, cum vacaverit (haec enim promissio occasionem captandae mortis ingerit, non autem illa) novo tamen iure, omnis promissio beneficii nondum vacantis, quacumque clausula adlecta, prohibita est, et invalida, *c. Detestanda*, 2. *h. t. in* 6. ita ut ob easdem rationes, nec patronus promittere possit (promissione obligante, et efficaci) praesentaturum se ad beneficinm, quod hic, et nunc nondnm vacat, si vacaverit; et quamvis possit generalem procnratorem snorum negotiorum, etiam in ordine ad praesentationes, patronns constituere, praesertim si causa aliqua, absentiae v. gr. urgeat, specialem tamen commissionem nulli dare potest, ut ad tale beneficium, hic et nunc nondum vacans, praesentet aliquem, ubi illud vacaverit *c. Cum dilecta*, 16. *h. t.* cum in hoc casu rationes allatae urgeant, non autem in illo.

§. II. *Quinam sint generales modi, quibus beneficia vacant, et qualis vacatio requiratur, ut impetrari, aut conferri aliis possint?*

Triplici modo, in genere loquendo, beneficia vacare dicuntur; vel enim vacant de facto tantum, vel de iure tantum, vel de facto simul, et de iure. De facto tantum vacare censetur beneficium, quando quis possessionem beneficii amittit, non autem titnlnm, ut si vi delectus sit de possessione beneficii, aut iniusto metu gravi coactus fnit beneficio renuntiare, etc. De iure tantum vacare censetur, cum quis titulum beneficii amisit (ex iuris scilicet dispositione privatns) possessionem tamen adhuc retinet. De iure autem, et de facto simul vacare censetur, quando nec titulns, nec possessio beneficii apud aliquem est, qualiter per mortem beneficiati vacare beneficia censentur. Hoc ultimo modo, si vacent, de iure scilicet, et de facto, beneficia, impetrari, et conferri ea posse, non est dubium, cum verissime vacent, prout etiam colligitur a contrario sensu ex *c.* 2. *h. t.* si de facto tantum vacent, et non de iure, nec conferri possunt aliis, nec impetrari, cum nondum vere vacent, prout etiam colligitur ex *c.* 2, 3, 4. *De his quae vi, etc.* si vero de iure tantum vacent, et non de facto, cum alius adhuc in illius (saltem colorata) possessione sit, possnnt qnidem impetrari, et conferri, si in rescripto impetrationis fiat mentio, possideri beneficium impetratum adhuc ab

altero, (saltem colorata possessione) *cap. Cum nostris*, 6. *h. t.* quia taliter vacantia beneficia, sicuti vere non vacant, ita ut rescriptum de beneficio tali conferendo, si in eo nulla fiat possessionis coloratae, quam alter adhuc habet, mentio, subreptitium habeatur.

§. III. *Quibus modis in specie vacent beneficia?*

Primo vacant per mortem naturalem beneficiati, *c. Susceptum*, 6. *De rescript. in* 6. mors enim omnia solvit, nisi ab habente potestatem omnino fuerit suppressum tale beneficium, vel accessorie unitum alteri, aut ad mensam praelati, aut capituli pertineat, aut situm sit beneficium tale, canonicatus v. gr. in ecclesia non numerata; quibus in casibus, cum extinctum omnino sit tale beneficium, vel rector illius principalis sit praelatus, aut capitulum, non censetur vacare per mortem deservientis illi, sicuti in ecclesia tali non numerata non vacat canonicatus per mortem canonici, cum penes episcopum, vel capitulum sit, utrum velint novum canonicum assumere.

Secundo vacant beneficia ex dispositione iuris, per professionem scilicet in religione approbata, tacite, vel expresse factam; per matrimonium valide contractum; per beneficii incompatibilis pacificam, et utilem assecutionem; per non susceptum sacerdotium, intra annum accepti beneficii parochialis, requirentis eum ordinem; per non petitam suo tempore confirmationem, aut consecrationem, et pluribus aliis modis, de quibus hinc inde in iure canonico.

Tertio vacant beneficia per depositionem, seu privationem ipso iure, vel per sententiam iudicis factam, ob crimen admissum, cui a iure depositionis, aut privationis poena decreta est: qualia crimina sunt homicidium, periurium, sacrilegium, sodomia, adulterium, etc. quos inter modos ea etiam est distinctio, ut si ipso iure privetur quis beneficio, a tempore commissi criminis vacet illud, et privatus sit illis fructibus, quamvis sententia declaratoria criminis postea primum feratur, ita ut ad restitutionem fructuum, si quos post admissum crimen perceperit, obligatus sit: si vero per sententiam iudicis beneficio privandus sit, non vacet illud a tempore commissi criminis, sed a tempore latae contra eum privationis sententiae, et fructus ante sententiam latam perceptos non teneatur restituere; neque vacet per mortem illius, qui delictum admiserat, cum iam ante vacaverit ex causa delicti, si ipso iure ob tale delictum beneficio privatus sit; vacet autem per mortem illius, qui deliquerat, si per sententiam beneficio suo privari debeat delinquens, sententia tamen contra eum lata nondum fuerit, etc.

Quarto, vacant beneficia per liberam resignationem coram legitimo superiore, uti patet ex *tit.* 9. *lib.* 1. *Decretal.* et per translationem praelati ad aliam ecclesiam, uti patet ex *tit.* 7. *eiusdem libri.*

§. IV. *Intra quod tempus conferri debeant beneficia vacantia?*

Intra sex menses conferri debent ab eo, ad quem spectat provisio *cap. Nulla*, 2. §. *Cum autem h. t.* ut ne diuturna beneficii vacatio damnosa sit, et nociva ecclesiae. Et ideo etiam excipiuntur maiores praelaturae, ex quarum vacatione viduata dicitur ecclesia, et malus periculum imminere potest,

quorum provisio ultra tres menses differri non potest, ut in 1. *Decretal. lib.* iam dictum. Neque tamen hoc a iure praefixum tempus conferendi beneficii, currit etiam impedito aut ignoranti vacationem, et consequenter non a tempore vacationis, sed a tempore, quo notitiam habuit collator, computandum est, *c. Quia diversitatem*, 5. *h. t.* et si iuris, aut facti impedimentum intervenerit, quominus beneficium vacans conferre potuerit, non imputabitur illi non facta collatio ad negligentiam, quae per devolutionem corrigi debeat, ut ex *cit. c.* habetur.

§. V. *Ad quem devolvatur ius conferendi beneficia vacantia propter negligentiam, seu moram culpabilem ordinarii collatoris?*

Responsio ad huius §. quaestionem satis patet ex illis, quae *lib.* 1. *Decretal. tit.* 10. *De supplenda negligentia praelatorum* §. 1. *et* 2. diximus, quae videri possunt; quia tamen illa intelligi non debent de episcopatibus propter negligentiam, suo tempore non collatis, videnda etiam erunt, quid concordata Germaniae velint, circa commissas tales negligentias in electionibus episcoporum, vel archiepiscoporum in nostra Germania. De quibus supra *in tit.* 5. *huius libri sect.* 9. §. 5. Illud tamen etiam notandum, quod in illis ecclesiis cathedralibus, et collegiatis, ubi non est numerus canonicatuum, aut praebendarum determinatus, sed omnes redditus ad communem capituli mensam pertinent, sicuti per mortem canonici illius ecclesiae non dicitur proprie, ut supra dictum, vacare canonicatus, ita nec locum habet devolutio ad superiorem, propter negligentiam inferioris in conferendo, *c. Ex parte*, 10. *h. t.* quia ubi non est vacatio, ibi devolutio locum non habet, cum in beneficio vacante conferendo, nulla ab inferiore in tali casu comittatur negligentia.

§. VI. *De variis gratiis expectativis, sive mandatis de providendo beneficia vacatura.*

Gratiae expectativae in materia beneficiorum prohibitae sunt, et sublatae, non tantum per *concil. Tridentin. sess.* 24. *cap.* 19. *De reformat.* sed etiam per concordata nostrae Germaniae. Et quamvis non omnino potestas summo pontifici adempta sit gratiarum harum expectativarum concedendarum, quia tamen rarissimi usus sunt, sine scrupulo omnis haec materia omitti potest. Legat, qui scire eam vult, *auctorem Methodi hoc* §. *vel cap. Proposuit*, *h. t. et quae habentur de h. t. in* 6. *et in Clement. unica eodem, etc.*

TITULUS IX.

NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR.

§. I. *An, et qua ratione nihil sit innovandum, sede vacante?*

Nomine sedis in hoc titul. intelligitur, sedis episcopalis, aut alia praelatura, in cuius praeiudicium innovare aliquid, vacante sede tali, prohibitum est in *h. t.* quamvis enim iurisdictio, et administratio rerum episcopalium

ad capitulum, vacante sede, transeat, ut ex *lib.* 1. *Decretal. tit.* 31. *De maior. et obed.* patet; ea tamen facere prohibetur, per quae status ecclesiarum mutarentur, aut bona praelaturae, vel ecclesiarum, per alienationem v. gr. bonorum immobilium, aut mobilium pretiosorum, quae servando servari possunt, minuerentur, etc. nisi hoc fieret cum licentia summi pontificis, aut cum licentia episcopi, vacante praelatura inferiore, episcopo subiecta, circa bona talis ecclesiae inferioris.

Mutari autem status ecclesiae, quod prohibitum est in hoc titulo, vacante sede, censeretur, si unio v. gr. ecclesiae alicuius alteri unitae dissolveretur, *c. Novit,* 1. *h. t.* et quamvis, vacante sede, possit fieri unio ecclesiarum, non potest tamen fieri dissolutio unionis prius factae, cum per illum casum nulli ecclesiae fiat praeiudicium aliquod, sicuti fit per dissolutionem unionis, ecclesiae illi, cui altera ad meliorem rectoris, vel episcopi sustentationem, unita fuit, eo quod scilicet dissoluta unione ad eam paupertatem ecclesia relaberetur, cui facta fuit ad hanc sublevandam unio, in qua prius fuerat.

Insuper etiam ad cavendam omnem innovationis speciem, vacante sede, prohibitam, non vult pontifex *in c. Constitutis*, 3. *h. t.* ut iudicium aliquod de bonis, aut iuribus ecclesiae, vacante sede, inchoetur, aut inchoatum continuetur, sive agendo, sive defendendo (extra casum magnae necessitatis, et nisi defensor ecclesiae sit constitutus) si enim iudicium contra minores indefensos non teneat, multo minus tenebit hoc contra ecclesiam, si suo pastore, et defensore destituta sit.

§. II. *An, sede vacante, capitulum possit conferre beneficia ?*

Quod non possit, sede vacante, capitulum conferre ea beneficia, quae liberae sunt collationis, aut iure devolutionis ab episcopo conferenda essent, possit autem praesentatos instituere, et electos confirmare, si institutio, aut confirmatio iure proprio ad episcopum pertinet, ex *tit.* 33. *De maior.*, *et obed. lib.* 1. *Decret. sect.* 2. §. 3. iam patet, uti etiam *ex cap. Illa*, 2. *h. t.* quod si tamen collatio beneficiorum simul ad episcopum, et capitulum communiter pertineat, potest capitulum, vacante sede, aut suspenso episcopo a beneficiorum collatione, ea conferre, et vicissim episcopus, etiam solus, potest ea conferre, si a collatione beneficiorum suspensum sit capitulum, quia quoad illa, quae episcopo, et capitulo communiter sunt facienda, uno illorum naturaliter, aut civiliter mortuo, totum ius remanet in altero, eo quod unum corpus constituunt, *c. Si ad episcopum*, *h. t. in* 6. neque tamen hoc intelligi debet de eo etiam casu, quo episcopus conferre debet beneficia, cum consilio, aut consensu sui capituli; in hoc enim casu, mortuo, aut suspenso, a beneficiorum collatione episcopo, nihil potest circa beneficia conferenda capitulum, quod nullum ius ad conferenda beneficia habet, sed consensus illius tantum requiritur ut conditio, iuxta *cit. c.* §. *Cum vero h. t. in* 6.

—

TITULUS X.

DE IIS, QUAE FIUNT A PRAELATIS, SINE CONSENSU CAPITULI.

§. I. *Ad quos actus episcopi, aut alterius praelati, requiratur consensus capituli, et qualis?*

Primo requiritur consensus capituli legitime congregati, aut conventus, praeter consensum episcopi, aut praelati, ad alienationem rei ecclesiasticae immobilis (quae loco moveri non potest, uti sunt agri, praedia, etc.) aut rei mobilis pretiosae, quae servando servari potest, *c. Irrita*, 1. *h. t. et can. Sine exceptione* 52. *causa* 12. *quaest.* 2. (ad cavendnm melius grave praeiudicium ecclesiae) ita ut alienatio talium rerum nihil requisito capitulo, aut hoc contradicente facta, nulla sit, et a successore teneri non debeat, nisi postea consensum suum praestando capitulum, factam alienationem approbet, *cap. Cum nos*, 3. *h. t. iuncta glossa v. Ratam*, quo in casu ratihabitio subsequens retrotrahitur ad tempus praecedentis alienationis, modo per hanc utilitas ecclesiae procuretur. Sufficit tamen etiam in casu rei ecclesiasticae ad breve tantum tempns infra decenninm v. gr. elocatae, consensus praesumptus, qui habetur ex scientia, et patientia capituli, non contradicentis, cum posset.

Secundo si ius praesentandi ad beneficium, simul ad praelatum, et capitulum pertinet, non potest praelatus praesentare sine consensu sui capituli, vel maioris, et sanioris partis, *c. Ea noscitur*, 6. *h. t.* nisi aliud iubeat aut privilegium, aut consuetudo, quae observari debent.

Tertio non potest episcopus sine consensu sui capituli concedere, seu unire in perpetuum ecclesias ecclesiis, etiamsi habeat ius patronatus in ecclesiis concessis, sive unitis, *c. Tuae nuper*, 8. *h. t.* cum enim talis concessio speciem alienationis habeat, prohibitum autem sit episcopis alienare res ecclesiae (immobiles, aut mobiles pretiosas, quae servando servari possunt) sine consensu sui capituli, consequenter ecclesias taliter unire non poterit: immo nec fructus ecclesiarum parochialium poterit unire in perpetuum monasterio v. gr. aut alteri ecclesiae, sine consensu capituli, aut papae auctoritate, quamvis patronus illius ecclesiae in hanc unionem consentiret, *cap. Pastoralis*, 9. *h. t.* ob allatam scilicet rationem, quamvis ad alienationem talem infra decennium, de iure antiquo, sufficiat consensus tacitus, prout ex dictis iam patet.

§. II. *Proponitur, et declaratur unus casus specialis, in quo alienatio rei ecclesiasticae fieri potest a praelato absque consensu capituli.*

Quamvis hic casus ad *tit.* 13. *De rebus ecclesiae non alienand.* infra pertineret, uti multa alia, quae in hoc titulo aguntur, quia tamen in *c. Cum apostolica sedes*, 7. *h. t.* casus hic specialis refertur, breviter eum indicare placuit, pluribus legendnm apud auctorem Methodi.

Est autem casus iste, quod scilicet si laicus decimas a praelato ecclesiastico ante Lateranense in feudum acceperat, et nolit eas suae ecclesiae, a qua in feudum eas recognoscit, restituere, velit autem alteri ecclesiae, vel

monasterio eas donare, donatio talis, si flat cum consensu dioecesani, non requisito consensu capituli, subsistat, cum talis donatio in hoc casu, non tam sit alienatio, quam renovatio rei ecclesiasticae a manu laica, ad ecclesiam, saltem universalem, ut ait pontifex, et de re ecclesiastica non tam laicus disponat, quod fieri non potest, quam episcopus.

§. III. *Quinam actus fieri debeant cum consilio capituli?*

Primo non potest episcopus, vel alius similis praelatus, personas ecclesiasticas instituere, aut destituere sine consilio capituli, *c. Novit*, 4. *h. t.* (cum indecens sit, ut caput sua membra negligat in rebus, quae bonum totius concernunt) nisi consuetudo legitime praescripta aliud permittat, aut agat in his, potestate, et iure ad se devoluto, propter negligentiam inferiorum, quo in casu non tenetur petere sui capituli consilium.

Secundo non potest episcopus, vel alius similis praelatus suae ecclesiae negotia, sine consilio sui capituli, expedire, prout statuitur (ob rationem scilicet allatam) *in c. Quanto*, 5. *h. t.* nisi recepta consuetudo disponat aliter, aut negotia exigua, et minoris momenti sint: neque tamen in illis casibus, ubi consilium sui capituli adhibere debet, tenetur etiam illud sequi (nisi consilium idem dicat, quod consensus, aut consensus expresse requiratur) quia per solam consilii exquisitionem, iuri taliter praecipienti satis sit, et utilitas consilii haberi potest, etiamsi episcopus illud non sequatur.

Tertio debent etiam invitari (neque enim cogi possunt) capitula ecclesiarum cathedralium, ad concilia provincialia; et si compareant per se, vel per suos procuratores, etiam ad tractatus admitti, maxime in illis negotiis, quae ad ipsa capitula pertinent (ut quod omnes, et singulos tangit, ab omnibus etiam approbetur) vocem tamen decisivam non habent *c. Etiamsi membra*, 10. *h. t.* cum solis episcopis conveniat, decidere, quae in capitulo provinciali statuenda videbuntur.

TITULUS XI.

DE HIS, QUAE FIUNT A MAIORE PARTE CAPITULI.

§. I. *An, et qua ratione gesta a maiore parte capituli valeant?*

Ad actus a capitulo gerendos non requiritur, ut totum capitulum, sive collegium, consensum praestet, sed sufficere ordinarie, ut pars maior congregatorum, vocem decisivam habentium, consentiat (quod enim a maiore parte capituli decretum est, hoc a capitulo decretum fuisse censetur. *L. quod maior*, 19. *ff. ad municip.* modo duae partes eorum, qui adesse debent, volunt, et possunt, sint congregatae) ex *c. Cum in cunctis*, 1. *h. t.* colligitur, et quamvis ex hoc capitulo etiam colligatur, quod non tantum maior pars capituli sufficiat, sed debeat etiam esse sanior (ab auctoritate, dignitate etc.) ordinarie tamen praesumitur, saniorem partem esse, ubi maior pars capituli est; possunt tamen alii pauciores, et minor pars se opponere, ex rationabili causa, ad impediendum capitulare decretum, si videat maiorem partem irrationabiliter, et in damnum ecclesiae procedere.

§. II. *An maior pars capituli possit aliquid decernere, cum praeiudicio minoris partis, de bonis, aut iuribus spectantibus ad singulos de collegio?*

Respondetur affirmative, quod nempe possit maior, et sanior pars capituli, una cum episcopo, seu praelato, quamvis minor pars contradicat, ob necessitatem, seu utilitatem ecclesiae disponere, ac decernere, non solum de bonis, ac iuribus ad singulos de collegio spectantibus, cum diminutione iuris singulorum, si singuli iure illo gaudeant, ut membra illius collegii, et hinc pontifex *in c. Ex parte*, 4. *h. t.* dicit, quod possit episcopus cum maiore parte capituli, etiam contradicente minore, cum diminutione redditunm ecclesiasticorum, ad singulos illius collegii spectantium, portionem deputare ad fabricam ecclesiae, si necessitas hoc exigat, vel utilitas ecclesiae. Neque tamen extendi haec pontificis constitutio debet ad quodvis opus pium, et extraneum, quasi vero episcopus cum maiore parte capituli statuere aliquid posset, in praeiudicium, et diminutionem redditunm ad singulos, qua tales, iure collegii spectantium, in subsidium cuiusvis operis pii, extranei; sicuti enim in illo casu, suae ecclesiae, cuius fructibus gaudent, omnes succurrere tenentur, etiam cum aliqua suorum redditunm, quos ab ecclesia percipiunt, diminutione, ita in hoc casu, ad extraneam talem pietatem concurrere non tenentur, sed iuxta *reg.* 29. *in* 6. quod omnes tangit, ab omnibus approbandum est.

§. III. *An possit ferri interdictum locale ab episcopo, sine consensu sui capituli; et an ad negotia a capitulo tractanda debeant vocari canonici absentes?*

De iure quidem ferri interdictum locale non posse ab episcopo, sine consensu sui capituli, *ex c. Quaesivit*, 2. *h. t.* probatur, et tradit etiam glossa hic in notatis, (plurium scilicet iudicium audiendo ad censurae talis ferendae, quae innocentes nonnunquam involvit, cautelam) nisi consuetudo legitima contra hunc capituli consensum requirendum iam praescripserit, prout factum plures putant.

Neque etiam spectato iure communi, ordinarie, et generatim necessarium esse, ut ad tractatus quoslibet, aut alios similes collegii actus, vocentur, aut expectentur absentes, *ex glossa communiter recepta in c.* 2. *v. Ipsorum. De testibus in* 6. habetur. Nisi aut electio praelati fieri debeat, aut negotium valde arduum sit, vel magni momenti; aut agendum aliquid sit, quod in singulare praeiudicium absentium tendat, vel in praeiudicium singulorum, propria illorum bona concernens; aut talium ad certos actus etiam vocandorum sit consuetudo.

TITULUS XII.

UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR.

§. I. *Quomodo beneficia sine diminutione sint conferenda?*

Quod non possit collator beneficii, ius commune attendendo, redditus beneficii, aut partem eorum sibi retinere, neque de his retinendis cum eo,

cui confert beneficium, sine simoniae vitio pacisci, tum ex *huius tit. rubrica, et unico illius capit.* patet, tum ex ipsa simoniae natura, quae tum committitur, cum pro spirituali (uti est collatio beneficii) temporale quid (quales sunt redditus) in pactum deducitur, beneficii autem vacantis redditus, vel partem illorum potest cum consensu capituli pro sua auctoritate episcopus, ob iustam, et necessariam causam, ad dissolvenda v. gr. episcopatus debita, pro fabrica ecclesiae cathedralis, etc. ad tempus reservare, modo non reservet haec talia directe in utilitatem suae, aut capituli mensae, ne videatur in proprio facto auctoritatem praestare, quod ad cavendas multas fraudes prohibitum est: quod si tamen consuetudo alicubi vigeat, ut ex primi anni fructibus beneficiorum, in dioecesi existentium, ad augendos episcopi redditus, reservetur aliquid, observandum hoc est, cum nullibi clara huius rei prohibitio sit, neque ulla simoniae sit species, et multam etiam probabilitatem ex annatis pontifici solvendis trahere possit.

§. II. *De pensionibus, per quas diminuuntur redditus beneficiorum.*

Pensio aliud non est, quam ius percipiendi fructus certos, ex alieno beneficio, auctoritate legitima, ad tempus, iusta de causa concessum. Ex qua descriptione satis patet, quod pensio proprie loquendo beneficium ecclesiasticum non sit, cum hoc perpetuum sit, et conferatur in titulum, etc. pensio vero ad certum tantum tempus, ad vitam v. gr. pensionarii durat, et per eius mortem ordinarie non vacat, sed omnino extinguitur, neque in titulum confertur, uti patet *ex c. Quamvis, 4. De praebend. in 6. et ex Trident. sess. 21. cap. 2. De reform.* ubi conceditur, ad titulum posse aliquem ordinari, non autem ad pensionem, ergo ex mente Tridentin. pensio non est titulus, nec in titulum confertur. Duplex est autem pensio, laica seu temporalis, quae confertur laico ob ministerium aliquod temporale, uti cantori, aeditui, etc. vel ob aliam temporalem causam, in gratitudinem v. gr. praestiti ecclesiae officii, defensionis, patrocinii etc. clericalis, quae solis clericis competere potest; et si datur, aut conceditur ob ministerium mere spirituale, coadiutori v. gr. parochi, aut alterius rectoris spiritualis, concionatori, etc. vocatur simpliciter spiritualis: mixta vero vocatur, si clerico quidem, qua tali, conceditur, non tamen ob spirituale ministerium, sed ob aliam causam, paupertatis v. gr. senii, in necessariam sustentationem, etc. ita tamen, ut saepius annexam habeat obligationem certarum precum, vel officii B. Virginis, etc. De hac clericali potissimum mixta pensione aliqua dubitantur.

Primo quidem, quis possit pensionem imponere beneficio? Resp. potestatem hanc absolute quidem competere summo pontifici, cui plenissima de beneficiis disponendi potestas competit, ita tamen, ut non possit sine iusta causa, licite saltem, pensionem talem imponere, ne dissipare potius videatur bona spiritualia, quam administrare. Et quamvis valde probabiliter multi doceant, posse etiam episcopum, in causis quibusdam specialibus, ex iusta, et necessaria causa, vel ob evidentem utilitatem ecclesiae pensionem imponere, non quidem in perpetuum, nec cum facultate transferendi ad alterum, sed ad vitam beneficiarii gravati, cum quo extinguatur, prout probari pu-

tant ex *c. Nisi*, 21. *de praebend.* et supra etiam concessum, ita tamen, ut in tali casu non tam beneficio, quam beneficiato pensio imposita censeatur; non tamen tam facile conceditur, quod ad vitam pensionarii imponi possit ab episcopo pensio, quae moriente priore beneficiato transeat ad successorem in beneficio, et usque ad mortem pensionarii duret; quia tamen etiam huic sententiae favere videntur iura aliqua *c. De caetero*, 5. *de transact. iuncta gloss. final. c.* 3. *De collusi. deteg.* et usus etiam ac praxis probabilitatem huius sententiae ostendere videtur, ideo improbabilis esse dici non debet, non quidem praecise in favorem alterius pensionem talem imponendo, ad cavenda multa incommoda, nec conferendo beneficium cum pacto solvendae pensionis, quod simoniam saperet, sed ob ecclesiae utilitatem, aut necessitatem.

Secundo dubitatur, quinam pensiones obtinere possint. Resp. temporales etiam a laico obtineri posse, non tamen ecclesiasticas (sive pure ecclesiasticae illae sint, sive mixtae) quae solis clericis, saltem prima tonsura initiatis conferri possunt, ita ut si pensio sexaginta ducatorum auri de camera summam excedat, habitum etiam, et tonsuram clericalem deferre debeat pensionarius, et iure novo concilii Trident. non possit haec ecclesiastica pensio conferri alicui ante 14. aetatis annum, cum iuxta stylum curiae etiam, qui non est capax beneficii, neque capax sit pensionis ecclesiasticae.

Tertio dubitatur, in quibus beneficiis pensiones constitui possint, et in qua quantitate. Resp. primo de iure quidem communi omnibus beneficiis etiam curatis imponi potest (a summo pontifice saltem) pensio, concilium tamen Tridentinum voluit *sess.* 24. *c.* 13. *De reformat.* ut ecclesiis cathedralibus nulla imponatur pensio, nisi summam mille ducatorum excedant redditus; et ecclesiis parochialibus etiam nulla imponatur, nisi centum ducatorum summam excedant redditus, ne ultra aequum scilicet onerentur beneficiati; et hinc etiam canonicatibus non potest imponi pensio, nisi 24. ducatorum summam excedant, quam summam cum iuxta camerae apostolicae computum non excedant nostrae Germaniae canonicatus, ut supra iam notatum, ideo nulla illis imponitur pensio. Resp. secundo moderatam debere esse pensionem, quae imponitur habenti beneficium, ne congrua sustentatio, et quae ad hanc spectant misericordiae iura, etc. subtrahatur beneficiato. Neque tamen censetur illa imponi super redditibus incertis, stolae, ut vocant, aut distributionibus quotidianis, nisi vel fiat horum etiam redditnum mentio, vel aliud ex subiecta materia, aut stylo curiae colligatur.

Quarto dubitatur, an consensus beneficiati, aut patroni requiratur, si patronato beneficio pensio imponatur? Resp. primo requiri consensum beneficiarii, ita ut sine eo nulla sit constitutio pensionis *iuxta reg.* 43. *Cancellar. apost.* qua manus quasi ligare sibi voluit pontifex, ut non possit, vacante etiam beneficio, imponere pensionem, nisi defensor aliquis in beneficio constitutus sit, qui loco beneficiarii consentiat. Resp. secundo patroni consensum non necessario requiri, si patronato beneficio imponatur pensio (de iure communi saltem) tum quod nullo iure consensus hic necessario probetur (quamvis de honestate possit requiri) tum quod nullum praeiudicium patrono fiat, per impositam patronato beneficio pensionem.

Quinto dubitatur, quando fieri possit designatio, seu reservatio pensionis? Resp. fieri posse tam antequam collatum est beneficium, quam postquam collatum est, frequentius tamen fieri solet, cum confertur beneficium, quo in casu tamen bene attendendum est, ut caveatur periculum simoniae.

Sexto dubitatur, an obligatus sit pensionarius, ad solvendum onera annexa beneficio? Resp. per se, et spectato iure communi, pro rata tamen pensionis, obligatum etiam esse pensionarium ecclesiasticum, ad onera talia ferenda, qui enim sentit ex beneficio commodum, debet etiam onus ei annexum perferre, *regul.* 77. *in* 6.

Septimo dubitatur, an obligatio solvendi pensionem transeat, vivente pensionario, ad successorem in beneficio? Resp. transire, si beneficio imposita sit pensio, cum onus reale sit; et hinc etiam non tantum vacante beneficio, ex redditibus beneficii, ab administratore beneficii, solvenda est pensio, sed extantes etiam pensiones, si ab haerede beneficiarii defuncti, qui in privatos usus consumpsit has pensiones, quas solvere debuisset, obtineri nihil possit, eo quod nihil ex fructibus ad ipsum pervenerit, vel ob paupertatem nihil solvere possit, a successore in beneficio peti possunt, cum res, sive beneficium ipsum sit obligatum.

Octavo dubitatur, quibus modis extinguantur pensiones. Resp. variis modis, primo obitu pensionarii, cum communiter haec servitus beneficio imposita sit, ad pensionarii vitam. Secundo per matrimonium de praesenti contractum, si pensio sit ecclesiastica, vel per promotionem ad episcopatum, professionem religiosam, per assumptam militiam, cum pensio talis aequiparetur beneficio. Tertio si pensionarius in perpetuum pensionem remiserit, potest enim hic commodo pro se introducto cedere. Quarto si obtineat iure beneficium, in quo fuit illi pensio reservata, cum ut sic, non iam ex alieno beneficio fructus percipiantur, in quo natura pensionis sita est.

TITULUS XIII.

DE REBUS ECCLESIAE ALIENANDIS, VEL NON.

SECTIO I.

De rerum ecclesiasticarum alienatione, et rebus, quae alienari possunt.

§. I. *Quaenam alienatio rerum ecclesiasticarum iure canonico sit prohibita, et quae hic intelligantur nomine ecclesiae.*

Duplici quidem modo alienationis nomen accipi potest, stricte scilicet, prout transfertur dominium directum rei, quae alienatur, qualis alienatio fit, cum res venditur, donatur, permutatur, etc. et late, prout dicit translationem dominii, sive directi tantum sive utilis, sive iuris alicuius in rem, ita ut dominium v. gr. directum penes alienantem maneat, utile tamen, aut simile ius in re, in alterum transferatur, prout fit in rebus in feudum, in emphyteusim, in pignus, etc. datis, vel ius in re ad longum tempus elocatis.

In hac ergo materia prohibitae rerum ecclesiasticarum alienationis, cum prohibitio haec sit favorabilis ecclesiae, nomen alienationis latissime accipitur, ita ut prohibita sit quaevis alienatio, qua dominium aliquod sive di-

rectum, sive utile, aut ius in re, rei ecclesiasticae in alium transferatur, sive laicum sive clericum, uti colligitur ex *c. Nulli*, 5. *h. t.* ita ut, non tantum donari, vendi, permutari, in feudum, aut emphyteusim concedi, non possit res ecclesiastica (nisi in casibus a iure permissis, et adhibitis solemnitatibus, de quibus infra) sed nec servitus in re ecclesiastica constitui possit, nec specialis hypotheca.

Quamvis enim non prohibeatur praelatus ecclesiae generalem hypothecam in rebus ecclesiae constituere, et ad firmandum contractum bona illius obligare, sub hypotheca generali, aliis ad alienandum solemnitatibus, et superioris consensu non requisitis, nullam tamen rem ecclesiae specialem (alienari prohibitam) sub hypotheca, vel in pignus obligare potest, cum res talis specialiter hypothecata, probabili periculo alienationis exponatur, non tamen, si in genere tantum bona ecclesiae hypothecentur. Quin etiam per hanc prohibitam alienationem, prohibetur etiam praelatis ecclesiae translatio bonorum, aut reddituum unius ecclesiae particularis, in aliam ecclesiam, ita ut pro suo arbitratu, talem translationem facere non possint, *c.* 1. *h. t.* et quamvis episcopis talis translatio, casu quo aliqua ecclesia redditibus abundet, et altera egeat, ex tali iusta causa concessa sit, *argum. c.* 3. *De ecclesiis aedif. et iuxta glossam in cit. c.* 1. *h. t. v. Ad alium;* debet tamen illam facere cum consensu sui capituli *argum. c. Tua*, 8. *de his, quae fiunt a praelat.* et clericorum utriusque ecclesiae, ac patroni, si patronata sit ecclesia, de cuius bonis transferendis agitur: sicuti enim omnes ecclesiae particulares, quasi membra sunt unius ecclesiae universalis, membrum autem unum, alterum in necessitate iuvare debet, modo nulla fiat confusio, aut praeiudicium, quae sufficienter caventur, dum matura deliberatio, et auctoritas intervenit, consequenter fieri poterit talis translatio taliter ab una ecclesia in aliam.

Sicuti autem alienationis nomen in hac ecclesiae favorabili materia latissime accipitur, ita etiam nomen ecclesiae extenditur ad omnem locum pium, auctoritate episcopi constitutum, ita ut res eius alienari non possint, sine causis a iure approbatis, et requisita iuris solemnitate, prout etiam a pari probatur ex restitutione in integrum ecclesiis concessa, et ad omnem locum pium, auctoritate episcopi erectum, extensa: *argu. c. Requisisti*, 15. §. *Secus autem*, *de testam.*

§. II. *Quaenam res ecclesiasticae alienari non possunt, nisi ex causis iure permissis, et servata iuris forma, et solemnitate?*

Primo alienari prohibentur res ecclesiae immobiles, quae solo adhaerent, uti sunt agri, praedia, fundi, etc. *cap. Nulli*, 5. *h. t.* quin etiam arbores multum frugiferae, et praedio v. gr. utiles succidi prohibentur, si ex eorum caesione notabiliter deterius redderetur praedium, etc. Secundo prohibentur alienari res mobiles, quae hinc inde transferuntur, et pretiosae sunt, ac servando servari possunt, uti sunt vasa aurea, argentea, gemmae, et vestes pretiosae etc. *Extravag. unica inter communes*, *h. t.* vel ex quibus magna ecclesiae utilitas, et fructus diuturnus percipi potest, uti sunt grex ovium, caprorum, iumenta ad colendum fundum deputata, etc. quamvis

enim concessum sit singulas oves v. gr. in particulari alienare, praesertim, si superfluae videantur, aut minus frugiferae, etc. totum tamen gregem simul alienare concessum non est, uti nec alia, quae triennio durant, et sunm singulis annis fructum ferunt. Tertio probibentur alienari iura, ac census, seu redditus annui, si ex re immobili proveniant, cum haec talia immobilibus annumerentur. *Clement. primo, de V. S.* pecunia ex re immobili vendita comparata, aut ad rem immobilem comparandam destinata, quia subrogatur in locum rei venditae, aut comparandae, et hanc repraesentat. Quarto prohibentur alienari iura, ac nomina debitorum, actiones, et instrumenta debitorum, quamvis enim haec talia, cum incorporalia sint, nec mobilium, nec immobilium nomine proprie veniant, revocari tamen debent, ad alterutram speciem in hac prohibitae alienationis materia, ut mobilium nomine veniant, si sint ad res mobiles, immobilium vero, si sint ad res immobiles.

§. III. *Quae res ecclesiae alienari possunt licite, et sine iuris solemnitate, et quibus casibus prohibitae sunt alienationes rerum ecclesiasticarum, etiam servata forma, ac solemnitate iuris?*

Primo res mobiles ecclesiae, quae servando servari non possunt (uti sunt, quae usu absumuntur, vel atteruntur, quae longius servatae facile negliguntur, aut inveterascunt, quae ad quotidianos usus destinatae sunt, etc.) libere, et sine iuris solemnitate alias requisita, alienari possunt, tum quod servatae nihil sint utiles ecclesiae, tum quod talium alienatio libera, nullibi prohibeatur; et hinc potest episcopus pecuniam ex rebus ecclesiae taliter divenditis acquisitam, ad coëmenda aurea, et argentea, aliaque pretiosa, etiam immobilia, etc. impendere, non ut suae mensae, aut ecclesiae incorporentur, sed ut bene de ecclesiae meritis donentur, etc. quia subrogatum sapit naturam illius, cui subrogatur.

Secundo, potest alienare praelatus ecclesiae etiam res illius immobiles, exiguas, et quae ecclesiae minus sunt utiles, pro utilioribus comparandis, cum consilio saltem, et consensu sui capituli *c. Ut supra*, 8. §. *Possessiones, h. t.* et sine illius consilio, res evidenter inutiles, vel etiam nocivas ecclesiae; uti et fundum sterilem, quem donavit colono, ut fertilem redderet, fertilem iam redditum, in emphyteusim illi relinquere potest, aut haeredibus illius, cuius opera, et labore fertilis factus est, in signum scilicet gratitudinis, *c. Ad aures*, 7. *h. t.* et quamvis mancipia ecclesiae inter res mobiles ecclesiae pretiosas censeantur, et ideo alienari non possint, nisi sint servi fugitivi, conceditur tamen etiam episcopo, vel praelato ob allatam rationem, si sua industria, aut liberalitate ecclesiae aliquid contulit, aut acquisivit, ut manumittere ea possit, iuxta rei collatae, vel acquisitae modum, *c. Consensu*, 3. *h. t.*

Sunt tamen etiam plures casus, in quibus nullo modo res ecclesiasticae alienari possunt, nec adhibitis quidem solemnitatibus; quae scilicet res immobiles ad ecclesiam pervenerint ex imperatoris donatione, vel fundatione, sine consensu scilicet ipsius imperatoris; quae sub ea conditione, ut non alienentur, ecclesiae donata sunt; si ecclesiae v. gr. per talem translationem, in usum profanum verterentur; si episcopus sibi res ecclesiae emere vellet,

ita ut iam propria bona episcopi forent, etc. videatur *glossa in authent. Hoc ius porrectum, v. Et hoc perpetuo, c. de ss. Eccles. quae glossa canonizata est, in can. Ea enim §. Hoc iure, causa* 10. *q.* 2.

SECTIO II.

De causis, et forma, seu solemnitate requisita ad rerum ecclesiasticarum alienationem

§. I. *Ob quas causas alienari licite possint res ecclesiasticae etiam mobiles pretiosae?*

Ad licitam alienationem rei ecclesiasticae, quae alias alienari prohibetur, duo requiruntur, iustae causae scilicet, et certae solemnitates. Ad causas quod attinet, communiter enumerantur quatuor, necessitas scilicet evidens, ut si ad debita ecclesiae dissolvenda alienatio necessaria foret: evidens utilitas ecclesiae, ad evidenter meliora, et utiliora ecclesiae comparanda: pietas in redemptionem captivorum, ad sublevandam gravem pauperum necessitatem: et incommoditas denique, ut si plus damni ex tali re retenta, quam utilitatis ecclesiae timeri deberet; reduci quidem haec postrema ad secundam causam posset, placuit tamen eam distinctam ponere, ut cum aliis loquamur, *can. Terrulas*, 53. *cau.* 12. *q.* 2.

§. II. *Quae forma servanda sit, sive quae iuris solemnitates requirantur, ad rei ecclesiasticae alienationem?*

Primo requiritur ad licitam talium, et perpetuam alienationem, si ecclesia illa capitulum habet, tractatus procedens cum capitulo collegialiter congregato, ut deliberetur, num iusta causa alienationis faciendae adsit. *can. Sine exceptione*, 52. *causa*, 12. *q.* 2. *et c. Dudum*, 1. *h. t. in* 6. Secundo requiritur consensus capituli, aut maioris saltem partis, iuxta *cit. Canon. Sine exceptione*, et quidem illius capituli, de cuius, quoad res suas ecclesiasticas, alienatione agitur (si tamen capitulum habeat, quod si enim nullum capitulum, aut nullos beneficiatos ecclesia illa habeat, solius rectoris alienantis, et episcopi auctoritatem praestantis, consensus sufficit) ita ut sine legitimo consensu facta alienatio non teneat, quamvis per constitutionem laicorum approbetur, *c. Cum laaicis ult. h. t.* Tertio requiritur, de iure communi subscriptio capituli, seu conventus, *can. cit. Sine exceptione*, saltem in illis casibus, ubi plenum dominium transfertur: hodie tamen iuxta receptam consuetudinem sufficit subscriptio notarii, qui in instrumento alienationis testetur de consensu capituli, vel ut defectum subscriptionis, si nec notarius fuerit adhibitus, sigillo capituli instrumentum alienationis roboretur; et constet, vel probatum sit, tractatum capituli, et consensum intervenisse, iuxta regulam communem, quae vult solemnitates extrinsecas requisitas non ex nuda narratione haberi, sed ex ea probata, aut manifesto, facto ut ne occasio praebeatur, eludendo tales leges, nisi diuturno tempore, quod iudicis arbitrio definiendum relinquitur, iuxta rei alienatae qualitatem, instrumentum tale impugnatum non fuerit, ut pro valore alienationis, et requisitis solemnitatibus sit praesumptio, quae in rebus antiquis multam aucto-

ritatem habet. Quarto denique requiritur, ut interveniat auctoritas, sive consensus legitimi superioris, ut paulo post videbitur.

§. III. *An alienatio rei ecclesiasticae prohibitae alienari, si facta sit sine legitima causa, et forma, seu solemnitate requisita, sit valida, etiamsi non sit licita?*

Alienatio rei ecclesiasticae prohibitae alienari, quamvis forma, et omnis solemnitas a iure praescripta, adhibita fuerit, si tamen iusta causa non adsit, ipso iure irrita, et nulla est, *c.* 1. *h. t.* in 6. *Clement.* 1. *et Extravag. unica*, *eodem*, quando enim duo requiruntur ad valorem actus, uti in nostro casu, iusta causa, et debita forma, alterutrum solum non sufficit. Et hinc etiam ipso iure nulla est alienatio rei talis prohibitae alienari, si iusta quidem causa interveniat, desit tamen requisita solemnitas, *c. Si quis*, 6. *iuncta glossa v. Ab initio, h. t.* non quidem quasi iure naturae, et in foro conscientiae nulla sit, ita ut, qui sine solemnitatibus a iure praescriptis, a legitimo tamen superiore, sine fraude, et dolo, ex iusta causa, rem ecclesiae acquisivit, retinere eam non possit, aut fructus illius, donec repetantur, sed quod in foro externo, contra repetentem tales res ecclesiae, sine solemnitatibus requisitis alienatas, non detur exceptio, et contractus initus omnino rescindendus sit: quamvis enim iura potuissent contractum talis alienationis nullum etiam in foro conscientiae facere, non est tamen facile in hoc praesumendum, nisi exprimatur, quod in nostro alienationis casu non fit; et hinc fatentur auctores, quod sola subsequens ratihabitio conventus (absolute etiam quoad forum externum) alienationem validam facere possit, *c. Cum nos*, 3. *De his, quae fiunt a praelat. etc.*

§. IV. *An praelatus sine consensu capituli, aliisque iuris solemnitatibus, valide renuntiare possit haereditati, vel legato rei immobilis, aut mobilis pretiosae, relicto ecclesiae?*

Respondetur probabilem quidem sententiam esse, quod non possit valide renuntiare, non adhibitis requisitis solemnitatibus, quia renuntiatio videtur in hac ecclesiae favorabili materia, speciem alienationis habere; probabiliorem tamen sententiam, et communiorem esse, quod possit sine requisitis a iure ad alienationem faciendam solemnitatibus, valide repudiare praelatus, tam haereditatem, quam legatum suae ecclesiae factum, quia talis repudiatio non est alienatio, quae in diminutione bonorum propriorum consistit, sed potius non acquisitio lucri, neque enim sunt paria non acquirere lucrum, et rem suam iam sibi quaesitam perdere; et quamvis legatae in specie rei dominium ante aditam haereditatem, ab ipsa die, qua legans moritur, legatario acquiratur, ut repudiatio talis postea subsequens acquisitae iam rei videatur alienatio, dominium tamen tale a die illa perfecte nondum est acquisitum, sed sub conditione, *si non repudiavero*, ita ut si postmodum legatum tale legatarius repudiaverit, iuris fictione nunquam censeatur acquisitum, *argu. l. Si sponsus*, 5. §. *Si maritus haeres ff. de donat. inter vir. et uxor.*, *et l. Quod autem* §. *Proinde, et* §. *Sed, et illud*, *ff. Quae in fraud. credit. et l. Pretia*, 63. §. *Sed nec haeredem. ff. ad legem Fal-*

cidiam. Licite talem repudiationem sine iusta causa fieri saepe non posse, facile conceditur, cum per talem renuntiationem, saepe noceat ecclesiae, et per dolosam, aut negligentem administrationem non acquisita, ex propriis bonis resarcire debeat praelatus.

SECTIO III.

De consensu, vel auctoritate praelati necessaria ad rerum ecclesiasticarum alienationem.

§. I. *An, et quando superioris praelati consensus, vel auctoritas requiratur ad alienationem rerum ecclesiasticarum?*

Si bona alienanda spectent ad ecclesiam inferiorem cathedrali, quae collegiata non est, subiecta tamen iurisdictioni episcopi, et hic sit auctor talis alienationis, necessarius etiam est consensus capituli cathedralis *argum. Clement. 2. h. t.* Si vero episcopus non sit auctor alienationis, sed praelatus, seu rector inferior ecclesiae, de cuius bonis alienandum aliquid est, requiritur ad alienationem talem faciendam, praeter consensum, et auctoritatem episcopi, non quidem consensus capituli cathedralis, cum hoc nullo iure statuatur, sed consensus capituli inferioris huius ecclesiae, si tamen ecclesia illa inferior collegiata sit, vel conventum habeat: vel si non habeat, solius episcopi auctoritas in alienationem ab inferiore praelato, vel rectore factam, consentientis sufficit, tum quod per capituli inferioris consensum satis caveatur temerariae alienationi, tum quod rector ecclesiae non collegiatae tantam potestatem habeat in alienando, cum auctoritate praelati sui superioris, quantam praelatus ecclesiae collegiatae una cum suo capitulo; tum quod auctoritatem praestare in alienationibus rerum ecclesiasticarum sit iurisdictionis episcopalis, *can. Abbatibus*, 41. *causa* 12. *q*. 2. *et can. In venditionibus*, 40. *causa*, 17. *q*. 4. ex quibus omnibus apparet, quod de iure communi in omni tali alienatione, consensus episcopi, sive illius auctoritas intervenire debeat, nisi plenissimo iure sibi subiectas tales ecclesias haberent praelati inferiores, aut specialia privilegia ecclesiae alicui competant, circa tales alienationes, prout saepe habent regulares.

§. II. *An in alienationibus rerum ecclesiasticarum etiam intervenire debeat consensus seu auctoritas romani pontificis?*

Respondetur, spectato iure novo, in *Extravag. Ambitiosae*, *unica h. t.* inter communes, statuto, ad omnem omnium bonorum, et rerum ecclesiasticarum alienationem, per quam ipsorum dominium (directum vel utile transfertur, requiri summi pontificis consensum, ita ut nullus sit talis contractus, si haec summi pontificis auctoritas non intervenerit (nisi in casibus a iure permissis, locando scilicet non ultra triennium, aut in emphyteusim, aut feudum concedendo res ab antiquo iam infeudari, vel in emphyteusim concedi solitas, aut fructus distrahendo, vel bona, quae servando servari non possunt, cum evidenti ecclesiarum utilitate, ac pro instantis temporis exigentia) et tam alienantes, quam res taliter alienatas recipientes, praeter poenam excommunicationis, alias plures incurrant; quia vero haec Extra-

vagans in multis partibus (saltem quoad poenas in ea statutas, et quoad locationem non ultra triennium) usu recepta non est, ideo aliis ea explicanda relinquitur. Plus urget pro romani pontificis assensu obtinendo in ordine ad alienationes bonorum ecclesiasticorum, iuramentum, quo iurant episcopi, et alii praelati a papa confirmati, de bonis ecclesiasticis nihil alienaturos se, inconsulto romano pontifice, quod iuramentum obligat, nisi alienatio tantum esset rerum modicarum, vel parum utilium ecclesiae; vel quae servando servari non possunt; vel in mora esset periculum; vel ageretur de rebus iam ante hac infeudari, aut in emphyteusim concedi solitis. Videatur etiam *c. Consultissimo*, 2. *h. t. in* 6. ubi prohibetur omnibus praelatis ecclesiae, ne iura, et bona sua ecclesiastica sine expressa pontificis licentia, ita laicis submittant, et subiiciant, ut ab ipsis de novo tanquam dominis, et advocatis recognoscant.

§. III. *An ad alienationem rerum ecclesiasticarum requiratur auctoritas, et consensus patroni, vel consensus principis saecularis loci, in quo eae sitae sunt?*

Respondetur primo, patroni consensum requiri quidem quandoque (ex honestate potius, quam ex iustitia) dissensum tamen illius, aut oppositionem impedire non posse, quominus valeat alienatio, si ex causa evidentis necessitatis, vel utilitatis ecclesiae, cum consensu legitimi superioris, et reliquis solemnitatibus iuris adhibitis fiat, *can.* 6. *In causis*, 10. *q.* 1. (cum laicis nulla competat circa res ecclesiasticas iurisdictio) nisi bona talia ecclesiae a seculari domino in feudum concessa fuissent ecclesiae, aut cum tali conditione donata, ut nunquam sine consensu patroni donantis alienentur, quae conditio ab ecclesia fuerit acceptata; putant tamen aliqui, neque hanc conditionem adiectam impedire alienationem talium rerum, si fiant ex causa evidenter necessaria, vel utili, et cum debitis solemnitatibus, quamvis non consentiat patronus; cum conditio talis in donatione addita, velut turpis, et nociva ecclesiae reiicienda sit, et pro non adiecta habenda.

Respondetur secundo, statui quidem non posse, ut principis, aut magistratus saecularis consensus intervenire debeat, ad licitam rei ecclesiasticae alienationem, si alia legitime requisita adhibeantur, sive directe prohibeat, ne alienent clerici res ecclesiae, sive indirecte, suis subditis prohibendo, ne emanat tales res a clericis, (cum talia statuendo circa res ecclesiasticas sibi iurisdictionem aliquam arrogare videantur laici) longa tamen, et immemoriali consuetudine, cum tacito saltem consensu superiorum ecclesiasticorum, introducta, consensus hic necessarius fieri potest, cum sciant hanc praxim esse ecclesiastici superiores, et non contradicant, cum tamen possint.

SECTIO IV.

De revocatione alienationis, et repetitione rerum alienatarum, ac poenis alienantium res ecclesiae contra canones?

§. I. *Quinam, et quomodo, revocare possint alienationes rerum ecclesiasticarum illegitime factas, et repetere res ecclesiae ita alienatas?*

Respondetur primo, quod a quocunque praelato, vel rectore ecclesiae, qui auctoritative cooperatus est, vel subscripsit alienationi illegitime factae,

revocari ea debeat, et possit, et res illegitime alienata repeti, etiam ab illo ipso praelato possit, qui rem talem illegitime alienavit (si tamen ab eo administratio rerum ecclesiae nondum ablata sit) vel ab eius successore, etiamsi iuraverit, se non repetiturum alienata, cum iuramentum hoc tendens contra utilitatem ecclesiae, nullum sit, et non possit esse vinculum iniquitatis *cap. Quanto*, 18. *De iureiu.* (quamvis consultius sit in tali casu, ut alius pro praelato, qui iuramentum tale fecit, hanc alienationem revocet) aut alio modo confirmaverit (cum confirmatio talis in forma communi nullum valorem de novo tribuat actui, de iure nulli) et si damnum passa fuerit ecclesia per talem illegitimam alienationem, damnum omne ex propriis suis bonis reparare debeat, qui illegitime alienavit; nisi convenire illum malit ecclesia, qui rem alienatam detinet, quod facere potest, cum in tali casu duae actiones ecclesiae competant, personalis una contra praelatum male alienantem, et realis alia, contra possessorem rei alienatae, ita ut penes ecclesiam sit electio, quam actionem instituere velit, et, si damnum omne per rei alienatae restitutionem reparetur, ultra agere actione civili non possit contra praelatum male alienantem: potest tamen is, qui emit rem taliter male alienatam, et possidet, compelli etiam ad restituendos fructus, exinde perceptos (deductis tamen melioritatibus, aut aliis necessariis expensis) ita tamen, ut illi postmodum actio contra praelatum male alienantem competat, ad pretium recuperandum, si bona fide, et sine dolo rem emit, non autem contra ecclesiam (nisi praelatus non sit solvendo ex propriis bonis) quo in casu tenebitur ecclesia, in quantum locupletior exinde facta est, cum aequitas non permittat fieri aliquem cum damno alterius locupletiorem. Quod si vero mala fide rem talem ecclesiae emisset, in poenam amittit pretium, quod exposuerat, et hoc ecclesiae accrescit, *iuxta l. Iubemus*, 14. *cod. de ss. ecclesiis.*

Respondetur secundo, in defectum eorum, qui ex officio res ecclesiae illegitime alienatas repetere debent, et ipsam alienationem revocare, sibi nolint, aut non possint revocare, et repetere, quilibet clericus illius ecclesiae, ad rei illegitime alienatae restitutionem, agere potest, *c. Si quis*, 6. *h. t. iuncta glossa v. Personis*, ubi etiam dicitur, quod laici parochiani admittendi sint ad restitutionem hanc urgendam, si clerici officium suum negligant; praeferendi tamen sunt eiusdem ecclesiae clerici parochianis laicis, et clericis extraneis, quibus ius agendi in defectum aliorum ad repetenda male alienata conceditur, cum de iure publico laeso quilibet admittatur.

§. II. *An, et quando ecclesiae laesae ob alienationem rei ecclesiasticae competat beneficium restitutionis in integrum, et quae sint poenae male alienantium res ecclesiasticas, aut male accipientium?*

Quod petere possit ecclesia ob rei ecclesiasticae licite etiam factam alienationem, si postmodum enormiter laesam se fuisse comperiat, restitutionem in integrum ex *c. Ad nostram*, 11. *h. t. iuncta glossa v. Enorme* patet. De qua restitutione in integrum ecclesiae concedenda, praesertim intra quod tempus, videri potest *tit.* 41. *I. libri Decretal.*

Ad poenas quod attinet, contra sacros canones rem ecclesiae alienantis,

et male alienatam recipientis, ex dictis priore §. patet, quod excommunicationem uterque incurrat, nisi statim, vel saltem intra praefixum a praelato ecclesiastico tempus, alienationem talem revocaverit, et res alienatas restituerit. Vide *cap. Si quis*, 6. *h. t.* et *can. Apostolicos*, 13. §. *Quisquis*, *caus.* 12. *q.* 2.

TITULUS XIV.

DE PRECARIIS.

§. I. *De contractibus in genere.*

Quae hoc §. dicuntur melius ex theologia, aut iure civili desumuntur.

§. II. *De contractu precarii.*

Precarium est species quaedam liberalis, et gratuiti contractus, quo precibus petentis conceditur utendum aliquid, quamdiu is, qui concessit, patitur, sive quamdiu non revocat *c.* 3. *h. t.* Differt a donatione, quod qui donat sic dat, ut non recipiat amplius, et traditione facta revocare nequeat, nisi in certis quibusdam casibus a iure expressis; precarium vero ita conceditur, ut per illud usus quidem rei transferatur in alterum, non autem dominium, et illud semper repeti possit; a commodato vero differt, quod ad specialem usum, vel certum, et definitum tempus expresse, vel tacite concedatur commodatum, ante quod tempus finitum, aut usum praestitum revocari non potest commendatum; precarium vero, nec ad usum determinatum, nec ad certum tempus ordinarie conceditur, et quocunque tempore revocari potest. Et hinc colligitur, quae ad substantiam precarii requirantur, primo quidem consensus tam dantis, quam recipientis, quia contractus est. Secundo, ut fiat traditione rei, quia est contractus, qui re perficitur. Tertio, ut qui dat precario rem, possit eam, quandocunque voluerit, revocare sine alia causa, cum pendeat semper ex libera voluntate concedentis: non quidem quasi statim sine urgente causa revocare possit, ne omni usu, et commodo precarii privetur, cui concessum est, et fraus potius, quam beneficium praesumatur, sed quod post aliquod tempus, nulla alia causa urgente, revocari possit.

Finitur autem precarium primo per revocationem illius, qui concessit, uti ex natura precarii patet. Secundo finitur per mortem illius, cui precarium concessum est, quia precarium est beneficium personale, quod cum persona, cui beneficium hoc factum est, extinguitur, nisi precarium, non tam personae, quam dignitati concessum sit, quo in casu, sicuti dignitas etiam in successore remanet, quamvis qui praecessit in dignitate mortuus sit, ita et precarium ad successorem transit, donec revocetur. Tertio finitur etiam per mortem concedentis, si precarium datum fuerit sub expressis clausulis, *usque ad meum beneplacitum*, *quamdiu voluero etc.*, cum enim precarium dependeat a voluntate concedentis, concedens autem non velit eam ultra, quam durat eius beneplacitum, aut eius voluntas etc., extendi; consequenter sicuti per mortem concedentis voluntas, et beneplacitum tollitur, ita etiam per mortem huius finitur precarium. Quod si tamen vel absolute

sine expressis talibus clausulis precarium factum sit, vel sub clausulis, *donec revocavero*, vel *usque ad placitum sedis episcopalis v. g.* non exspirat per mortem concedentis, cum in his casibus actus positivus revocans requiratur, *arg. cap. Si super, 9. de offic. deleg. in 6.* Quarto finitur per alienationem rei precario concessae, ab eo factam, qui precarium concessit, si emptor eam revocaverit; neque enim licet rem alienam, invito domino, qui hic et nunc in hoc casu speciali emptor est, possidere aut detinere; quod si tamen eam non revocet, censetur ab illius liberalitate iam precario teneri, et non amplius a priore domino.

§. III. *De contractu precariae, seu precariarum?*

Contractus hic iuri civili fere incognitus multum differt a contractu precarii, de quo priore §. actum fuit: precario enim dari possunt tam res mobiles, quam immobiles, item iura, et servitutes etc.; precariae vero locum tantum habent, in rebus immobilibus. Secundo precarium ad certum, et determinatum tempus non conceditur, sed pro arbitrio concedentis revocari potest; precariae vero ad certum tempus, de quo contrahentes convenerunt, concedi possunt, et revocari in tali casu non possunt, antequam tempus praefixum finiatur (uti colligitur ex *c. 3. h. t.* nisi in damnum ecclesiae cederent tales precariae *c. 2. h. t.*) et hinc recte definiuntur precariae, quod *sint contractus, in quo res immobilis alicui, ad preces eiusdem, conceditur ad certum, et determinatum tempus, ita ut antequam illud clapsum sit, revocari non possit, et singulis quinquenniis, si nulla in signum recognitionis pensio annua praestetur, sit renovanda c. 1. h. t.* servanda tamen loci consuetudo.

TITULUS XV.

DE COMMODATO.

§. I. *Quid sit commodatum, et quomodo ab aliis contractibus distinguatur; item quae res commodari possint; et quis commodare possit?*

Ad primum *Resp.* Commodatum recte definiri *ex glossa in c. unic. v. Commodatum h. t.* quod sit *alicuius rei ad aliquem specialem, seu certum usum gratuito facta concessio.*

Ad secundum *Resp.* per hoc quod ad certum usum concedatur, differt a precario, quod conceditur ad usum quidem, sed indeterminatum; per hoc quod ad usum concedi dicatur, differt ab omnibus illis contractibus, in quibus, vel usus non transfertur in accipientem, prout fit in pignore, et deposito; vel non tantum usus, sed proprietas etiam transfertur in accipientem, prout fit in mutuo; et per hoc denique, quod dicatur gratuito facta concessio differt a locatione, et contractibus innominatis, in quibus pro certa mercede elocatur aliquid, aut saltem pro alio aut facto, aut obsequio alteri datur aliquid: *Do ut des, do ut facias etc.*

Ad tertium *Resp.* quod commodari possint omnis generis res tam mobiles, quam immobiles, etiam res incorporeae, ut sunt iura, servitutes etc. (exceptis illis, quae usu ipso statim consumuntur uti vinum, frumentum etc.

in quibus commendatum locum non habet, ubi usus rei conceditur, salva eius substantia) etiam res sacrae, ad usus tamen sacros, non profanos etc.

Ad quartum *Resp.* commodare posse quemlibet, cui libera administratio saltem commissa est, cum in tali commodato, nulli fiat praeiudicium.

§. II. *Ex qua culpa teneatur commodatarius, si res commodata apud ipsum pereat, vel deterior fiat, et an teneatur praestare casum fortuitum?*

Certum est primo, quod in contractu possit aliquis obligari, vel ex dolo, vel ex culpa; dolum committere censetur, si ex formali proposito, et intentione nocendi alteri, aut tegat animo, quod est detegendum, aut verbis mentiatur in praeiudicium alterius, vel facto fraudem committat. Culpa pravam quidem, et formalem illam intentionem nocendi, non requirit, si theologica tamen est; peccatum dicit, contra mores, et legem, de quo hic non quaeritur; si civilis tantum culpa est, vel iuridica, est omissio diligentiae praestari debitae, unde damnum aliquod, aut incommodum sequitur; et quidem, si omittatur illa diligentia, quam communiter, et passim homines ius conditionis, professionis, aetatis etc. adhibere solent, dicitur culpa lata commissa; si vero omittatur illa diligentia, quam diligentiores eius conditionis etc. adhibent, culpa levis commissa dicitur. Et denique culpa levissima commissa dicitur, si ea diligentia omittatur, quam solent adhibere huius professionis, artis, et conditionis diligentissimi: quodsi vero damnum nullo consilio humano praevideri potuit, casu fortuito damnum contigisse censetur.

Certum est secundo, contractus alios esse in gratiam, et commodum unius tantum contrahentis, dantis v. g. uti est depositum proprie dictum; vel accipientis, uti est commodatum precarium etc. vel in gratiam utriusque, uti est locatio, conductio, emptio, venditio etc. pro horum autem diversitate mutari etiam obligationes putant aliqui, de commodato proinde quaerendo, ex qua culpa commodatarius teneatur, si damnum apud eum patiatur res commodata.

Respondent multi ex levissima etiam culpa obligari eum, ita ut si in re commodata conservanda, nullam quidem culpam theologicam, aut peccatum admisit, minimam tamen iuridicam negligentiam admisit, vel si eam diligentiam omisit, quam solent praestare diligentissimi, ad damnum resarciendum obligetur, in conscientia etiam, ante sententiam iudicis de iure positivo, iuxta *c. unicum*, *h. t.* quia, quo maius est beneficium, eo magis cavendum, ne pro beneficio iniuria, aut damnum rependatur, et qui cum altero contrahit, ad eam se diligentiam adhibendam obligare censetur, quam leges requirunt. Quodsi tamen commodati contractus in solius dantis utilitatem, et gratiam, non autem accipientis initus est, de dolo, et lata culpa tantum volunt obligari commodatarium, prout etiam *glossa habet in relatum cap. unic. h. t. v. De levissima*, cum in tali casu vix dici possit beneficium accipere commendatarius, sed totum fit soli commodanti: in casu autem commodati in utriusque tam dantis, quam accipientis gratiam facti, cum utrique fiat beneficium, putant de culpa quidem lata, et levi obligandum commodatarium, non autem de culpa levissima: quae sententiae uti probabiles sunt, ita negari etiam non potest, probabile etiam esse, quod in tanto

rigore iura haec positiva recepta fortassis non sint: et hinc multi etiam dicunt, quod in hoc etiam commodati contractu obligandus per se non sit commodatarius ante sententiam iudicis, nisi culpa theologica intervenerit.

De casu antem fortuito, si ex tali casu, incendio fortassis ex fulmine orto, incursu hostium etc. res commodata apud commodatarium pereat, ad nihil obligabitur commodatarius, cum res casu fortuito distructa domino suo pereat, nisi in pactum casus etiam fortuitus deductus fuisset, vel culpa commodatarii intervenisset, vel in mora ad rem in specie certam commodatam restituendam ille fuisset, quae similiter peritura non fuisset apud dominum suum commodantem, si in tempore restituta fuisset, prout etiam statuitur in *cit. cap. unic. h. t.*

TITULUS XVI.

DE DEPOSITO.

§. I. *Quid sit depositum, et an depositarius uti possit re deposita?*

Depositum nonnunquam idem dicit ac rem, quae alicui custodienda data fuit; prout vero dicit contractum, definiri potest, *quod sit contractus, quo aliquid alicui custodiendum traditur, sine mercede, ut integrum restituatur;* quae verba satis etiam indicant, quomodo depositum ab aliis contractibus differat, in quibus, vel dominium transfertur in accipientem, uti fit in mutuo v. gr. vel usus tantum transfertur, uti fit in commodato etc. vel non gratuito, sed pro mercede opera aliqua praestatur, uti fit in locatione etc. vel in cautionem, et securitatem res aliqua datur, uti fit in pignore etc.

Ordinarie autem, et regulariter uti non potest depositarius re deposita, absque expresso, vel tacito illius consensu, qui rem deposuit; quia in deposito proprie dicto non conceditur usus rei, sed custodia tantum requiritur, nisi bona fide existimet ille, qui depositum accepit, dominum rei non fore invitum, si re deposita nonnunquam utatur; vel si pecuniam numeratam, non tamen clausam, aut signatam deposuerit, quo in casu depositarius (si tamen non potius mutuatarius dici debeat) tenetur tantum pecuniae repetenti solvere, quantum accepit.

§. II. *An, et quando teneatur depositarius ad praestandum dolum, vel culpam, vel casum fortuitum, si res deposita apud ipsum periit, vel deterior facta est?*

In genere loquendo non tenetur depositarius, nisi de dolo, et lata culpa quae dolo aequiparatur in iure, et dolus praesumptus dicitur, *cap. 2. Bona fides h. t.* ita ut non valeat pactum in hoc contractu depositi, de dolo non praestando, quia tale pactum est contra bonos mores, et dat peccandi licentiam; et si asserat, depositum casu fortuito periisse, vel culpam etiam aliquam in eo perdendo intervenisse fateatur quidem, asserat tamen levem, vel levissimam eam fuisse, probare hoc tenetur, nisi notorie de his constet, ut ne patiatur scilicet bona fides, quae in deposito observari debet.

Sunt tamen casus, in quibus etiam, de culpa levi saltem, tenetur depositarius ex sententia multorum, primo quidem si seipsum ad recipiendum

depositum obtulit; hic enim ultro se offerens ad maiorem diligentiam obligari censetur, quam quibus alia deposita creduntur. Secundo si mercedem depositarius pro custodia accipiat, cum contractus hic in naturam locationis transire censetur, in utriusque, dantis, et accipientis commodum, ubi culpa levis praestanda est. Tertio si expresse conventum sit, ut culpa etiam levis praestetur, ad quod potest volens se obligare depositarius, sicuti etiam ad casum fortuitum praestandum, cum neutra obligatio sit contra naturam depositi.

§. III. *An dominus semper pro libitu possit repetere rem depositam; et an in deposito locum habere possit compensatio?*

Ad primum *Resp.* posse deponentem, rem depositam statim, quandocunque placuerit, repetere, et depositarium debere illam per se reddere, *c.* 2. §. *Sane h. t.* hoc enim natura depositi permittit, et exigit, etiamsi tempus certum constitutum esset, quod tamen depositarius (caeteris paribus) non tenetur observare, cum in deposito, in gratiam deponentis facto, semper praevaleat deponentis arbitrium, nisi ex restitutione prudenter timeretur secuturum alteri, aut repetenti damnum spirituale, aut temporale, ad quod advertendum, ex charitate saltem obligaretur aliquis; aut bona repetentis fisco addicta fuisseut, ut probabilis docet; aut cum domino repetente fur concurrat, quo in casu non furi, sed domino restituenda res deposita esset etc.

Ad secundum *Resp.* non posse depositarium compensare sibi per rem depositam aliud a deponente factum apud se debitum, sed debere depositum restituere; si repetat illud deponens, quamvis deponens ex alio capite tantum ipsi debeat, quantum apud eum deposuit, ita ut compensatio in deposito locum non habeat, iuxta *cit. cap.* 2. §. *Sane h. t.* ob abundantiam bonae fidei, quae in deposito observari debet, ita ut nec deductio locum habeat in deposito, aut si uterque depositum ab altero teneat, depositi, cum deposito compensatio, sed cuius repetenti integrum suum depositum reddi debeat; probabile tamen est in foro conscientiae etiam in deposito locum habere compensationem, si alia, quae ad compensationem faciendam necessaria sunt, interveniant.

§. IV. *An si res aliqua penes clericum, v. gr. canonicum, aut religiosum sit deposita, ex dolo, vel lata culpa illius sit perdita, ecclesia, vel monasterium obligetur ad resarciendum damnum?*

Respondetur non obligari in tali casu monasterium, aut ecclesiam, quamvis cum consensu praelati sui, aut sui superioris, depositum tale religiosus, aut canonicus acceperit, vel ipse praelatus etiam, absque consensu tamen sui capituli, nisi quatenus ad ecclesiam, vel monasterium pervenerit, aut in rem ipsius, ac utilitatem versum fuerit, prout rescribit pontifex *in c. Gravis*, 1. *h. t.* (sicuti enim delictum personae non debet in detrimentum redundare ecclesiae, *iuxta reg. iuris*, 76. *in* 6. ita nemo debet etiam locupletari cum alterius iactura *l. Nam hoc*, 14. *ff. de condict. indeb.*) Quod si tamen praelatus una cum capitulo rem talem depositam in custodiam receperit, aut eorum nomine ad hoc constitutus oeconomus, tenetur de dolo, et culpa lata, non minus, ac alius depositarius, cum in tali casu non tam persona mona-

steril v. gr. quam ipsum monasterium depositarii obligationes in se susceperit, et deponens probare non debeat, in utilitatem monasterii versum fuisse depositum hoc.

§. V. *An depositarius, commodatarius, vel conductor possit in periculo naufragii, v. gr. hostilis incursus, vel incendii, praeferre res suas, si utrasque periculo eripere non possit?*

Quod res alienae in tali casu, si pretiosiores sint, quam propriae, praeferri debeant propriis, et nullum periculum sit, aut damnum considerabile ex rerum propriarum viliorum iactura, eo quod facile ab eo, cuius res pretiosiores, cum iactura suarum viliorum conservavit, et sic negotium illius utiliter gessit, pretium rerum suarum perditarum acquisiturus sit, contractus natura, et aequitas docet, quae vult in talibus casibus eam diligentiam circa res depositas, aut commodatas etc. adhiberi, quam quisque prudens v. gr. cum propriis adhiberet, qui semper res pretiosiores vilioribus praeferret, nisi damnum notabile timeat ex tali praelatione, et viliorum iactura. Si vero sint aequalis pretii res propriae, et alienae, quamvis aliqui putent, attendendum in tali casu, ut sciatur quaenam praeferendae sint, in cuius utilitatem res illa deposita, aut commodata v. gr. sit, alii tamen universaliter loquuntur, in foro conscientiae, nullam prelationis rerum alienarum prae propriis obligationem esse, cum talis praelatio absque damno praeferentis vix fieri possit.

TITULUS XVII.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

§. I. *Quid sit emptio, et venditio, et quae ad substantiam illius requirantur?*

Definitur communiter, *quod sit contractus bonae fidei* (quia in eo multa ex aequitate praestantur, de quibus expresse conventum non est) *ultro, citroque obligatorius, qui consensu, re, et pretio perficitur*, sive in quo venditor cum emptore de re, sive merce, pro pretio paciscitur, ita ut in quantum merx pro pretio promittitur, sit venditio; quatenus vero pretium pro re, sive merce offertur, sit emptio; neque post consensum mutuo praestitum alterutra pars poenitere possit; quamvis enim quoad integritatem completam, traditionem rei ex parte venditoris, et solutionem pretii ex parte emptoris factam requirat, quoad substantiam tamen, vel essentiam, per solum consensum mutuum in mercem determinatam (sive mobilis illa sit, sive immobilis modo pecunia sit aestimabilis) et pretium certum determinatum (quod in hoc contractu est pecunia) signis externis expressum, perficitur in quo etiam a variis aliis contractibus, qui rei traditionem, literarum, aut verborum certam formulam ad sui substantiale complementum requirunt, distinguitur.

§. II. *De emptione, et venditione rerum sacrarum.*

Quod res sacrae, ad divinum cultum specialiter deputatae, et rite consecratae ad usum profanum vendi non possint, clare patet *ex* §. *Sacra res.*

instit. De rerum divis. et quia ad usus humanos, iuxta regulam 51. *in* 6. transferri non debent, quae semel Deo dicata sunt. Et si res sacrae ita constitutae sint, ut earum materia non possit separari, ac inter profanas haberi, nec ad usum sacrum vendi possunt, *iuxta can. Si quis abiecerit c.* 1. *q.* 3. ubi dicitur *neutrum invenditum relinquere, qui eorum aliquid vendit, sine quo nec alterum provenit;* ergo, qui vendit rem sacram, cuius materia a consecratione v. gr. separari non potest, etiam consecrationem vendit, et sic simoniam iuris divini committit, quamvis ad usum sacrum vendat: excipiuntur tamen sacra vasa, aurea, argentea, aut alia pretiosa, quae ob necessitatem redimendi captivos, aut aliud simile pium opus vendi possunt, uti ex pluribus iuribus patet *causa* 10. *q.* 2. et quidem integra, si vendantur ecclesiae, aut laico etiam, si absit periculum abusus ad profanos usus, casu quo v. gr. comparare talia velit, ut eis ad cultum sacrum in suo oratorio, aut sacello uti velit, ita ut nec dominium, nec possessionem eorum acquirat; confracta vero, conflata aut dissuta, si ad profanos usus, vel cum periculo profanandi vendantur.

§. III. *An, et quatenus aliae res, et iura ecclesiastica vendi possint, vel non possint?*

Res ecclesiae mere spirituales, cuiusmodi sunt omnes actus procedentes a potestate Ordinis, sacrificare v. g., absolvere a peccatis, consecrare ecclesias, solemniter benedicere etc. nullo modo vendi, et emi possunt, quia talium actuum venditio verissimam simoniam iuris divini, et naturalis continet, in quantum spiritualia pro pecunia aestimantur; si vero rei spirituali annexum sit quid temporale, attendi debet in ordine ad vendendum tale temporale, utrum temporale illud annexum sit spirituali consequenter, tanquam effectus suae causae, prout annexum est iuri spirituali beneficiati ius temporale perficiendi redditus, decimas etc. vel utrum annexum sit antecedenter, ita ut temporale tale subiectum v. gr. sit, cui spiritualis consecratio, aut benedictio supervenit, prout ecclesia, coemeterium, vasa alia ecclesiarum sacris usibus deputata, consecrata, aut benedicta etc. quibus ut subiectis consecratio, aut benedictio supervenit etc. Priore modo, si annexum sit temporale spirituali, vendi tale ius temporale sine simonia (saltem iuris positivi) non potest (nisi auctoritate legitima a iure spirituali separatum sit) cum ius tale percipiendi redditus temporales, decimas etc. fundetur, et radicetur in iure spirituali, et sit quasi unum ius, quod immediate ad spirituales functiones, mediate autem ad temporales fructus terminetur, et consequenter uno vendito, alterum non relinquatur invenditum, iuxta relatum *can. Si quis obiecerit;* si vero posteriore modo, antecedeter annexum sit temporale spirituali, aliqua eorum, quorum materia usibus profanis servire non potest, prout se habent ecclesiae, lapides, ligna etc. coemeterii ab episcopo benedicti fundus etc. vendi non possunt; alia vero, quae confracta, usibus profanis ratione materiae servire possunt, vendi possunt, ut ex superiore §. patet, ita tamen, ut in eorum venditione, si immobilia sint, aut mobilia pretiosa serventur, quae circa alienationem talium rerum servari debent.

§. IV. *An externis, et peregrinis carius liceat vendere merces, quam indigenis; et quae sit poenae falsantium iustas mensuras, ac pondera?*

Ad priorem quaestionem *Resp.* negative, *cap. Placuit*, 1. *h. t.* cum iustum pretium respectu cuiusvis semper observandum sit, quod circa res tales humano victui necessarias non cuiuslibet arbitrio liberum relinquitur, sed saepe a magistratu praescribitur, diversum quidem nonnunquam pro extraneis, ob iustam scilicet causam, et pro incolis, nunquam tamen excessivum.

Ad alteram quaestionem, si de iure antiquo canonico, quando adhuc usus erat canonum poenitentialium, sermo sit, responsio peti debet ex *c.* 2. *h. t.* cuius tamen hodie usus non est, si vero de iure civili quaestio moveatur, ex *l. penult. ff. Ad legem Cornel. de falsis*, responsio peti potest.

§. V. *An venditio, vel emptio ob laesionem ultra, vel infra dimidium iusti pretii sit invalida, vel saltem rescindi possit?*

Si venditor nec dimidiam partem eius, quod iustum mercis, et infimum pretium, tempore contractus fuit, acceperat, et sic infra dimidium iusti pretii laesus fuerat, valet quidem venditio, agere tamen potest venditor contra emptorem, et petere, ut vel rescissa venditione, res vendita sibi restituatur, vel iusti pretii defectum suppleat emptor, *c. Cum dilecti*, 3. *et c. Cum causa*, 6. *h. t.* ita tamen ut in arbitrio emptoris sit alterutrum eligere. Si vero emptor plus ultra dimidium iusti, et summi pretii solverat, et sic ultra dimidium iusti pretii laesus fuerat, valet quidem etiam in hoc casu talis emptio, in electione tamen emptoris est, vel petere rescissionem contractus talis, vel restitutionem pretii, in quo laesus fuit. Quod si tamen laesio nec excedat dimidium iusti pretii, nec ab hoc deficiat, nulla quidem in foro externo civili taliter laeso conceditur actio (ut ne ex quavis laesione nimium lites multiplicentur) in foro tamen conscientiae, etiam taliter laedens, si laesio fuit peccaminosa, ad restitutionem obligatur (cum emptio talis, et venditio sit contra iustitiam commodativam) nisi de condonatione ex coniecturis praesumi possit.

§. VI. *Quibus casibus cesset remedium rescindendae venditionis ob laesionem ultra, vel infra dimidium; et an locum habeat etiam in aliis contractibus?*

Ad primam quaestionem respondetur cessare hoc remedium (saltem quo ad forum externum) primo quando res empta, aut vendita ultra dimidium iusti pretii casu fortuito periit, cum in tali casu locum non habeat optio rescindendi contractus, et rei restituendae, quae casu fortuito periit, neque supplere pretium rei, quam non habet, teneatur determinate emptor, nisi in foro conscientiae, ratione iniustae acceptionis, cuius conscius fuit emptor, aut venditor rei, quae casu fortuito periit, teneatur. Secundo cessat hoc rescindendi beneficium, si quis, non generaliter tantum, sed specialiter, et expresse beneficio huic renuntiavit, praesertim accedente iuramento, cum ob renuntiationem saltem expressam, quam de beneficio in sui laesi favorem concesso, facere potest, excessum, et defectum videatur condonare, nisi laesio sit gravissima, et valde enormis, ad quam specialis etiam talis, et

iurata renuntiatio, non videtur se extendere. Tertio cessat hoc beneficium contra tertium possessorem, si titulo oneroso ac iusto pretio, et bona fide rem talem acquisivit, cum in tali casu hic tertius possessor, nec laeserit infra iustum prctium, nec de laesione facta scientiam habuerit.

Ad secundam quaestionem *Resp.* locum habere hoc remedium etiam in aliis contractibus onerosis reciprocis, in quibus utrinque datur aliquid, et accipitur, in quibus sicuti non conceditur actio ob quamlibet laesionem, sed tantum ob laesionem ultra dimidium, ita etiam remedium dari debet ob hanc ultra dimidium laesionem.

§. VII. *An emptioni, et venditioni licite addi possit pactum retrovendendi, vel redimendi.*

Resp. licitam esse venditionem cum pacto redimendi, sive ad certum tempus pactum hoc additum sit, sive quandocunque voluerit, sive in gratiam solius venditoris additum hoc pactum sit, ut hic scilicet, oblato pretio, rem venditam emptori rdddere teneatur; sive in gratiam utriusque sit additum, ut tam venditori scilicet rem venditam restituere teneatur emptor si pretium illi refundatur, quam emptori liceat rem emptam suo venditori reddere, et expensum pro ea pretiam repetere, ita tamen ut ob tale redimendi pactum, pretium etiam pro re taliter vendita, aut empta, maius, aut minus sit, pro diversitate contractuum in huius, vel illius favorem factorum; et iuxta pacti additi tenorem, vel idem pretium, quo res empta, aut vendita fuit, vel pretium currens pro tempore, quo retrovenditio, aut redemptio facienda esset, reddendum sit. Ratio horum omnium videtur esse, quod per tale pactum nulli fiat iniuria, neque contractus emptionis, venditionis patiatur aliquid, et *leg.* 2. *cod. De pactis inter emptorem, et venditorem*, haec pacta approbentur: neque enim contractus hic absolute reprobatus est *in capit. Ad nostrum*, 5. *h. t.* sed quando ad palliandas tantum usuras simulata fuit emptio, venditio, cum tamen in rei veritate contractus pignoratitius esset, uti pluribus videre est apud auctorem Method. *hoc* §. *et* §. 6. infra *de pignoribus etc.* ubi etiam advertit praesumi talem emptionem, et venditionem praetensam usurariam esse. Primo si mutetur titulus (si scilicet eum, qui a te mutuum petit, cogas ad rem aliquam suam tibi vendendam, cum redimendi pacto); secundo si pretium emptionis, et venditionis sit modicum, et minus iusto; et tertio si ad certum tempus pactum de redimendo strictum sit, ita ut ante illud elapsum non liceat rem taliter venditam redimere; si omnia concurrant, prudenter praesumitur usura palliata, sub praetextu emptionis, et venditionis talis, de quo etiam *in c. Illo vos*, 4. infra *de pignoribus.*

§. VIII. *De venditione rei donatae propter nuptias a viro uxori, eadem consentiente, alteri facta.*

Non potest maritus rem donatam uxori propter nuptias alienare, nec hypothecae nomine obligare, etiam cum consensu uxoris, nisi post exactum biennium uxor secunda vice consentiat, et quidem consensu in scriptis dato, ac in bonis mariti aliae res sint, ex quibus indemnitati mulieris sufficienter

cautum sit, et prospectum, prout habetur *in c. Pervenit*, 4. *h. t.* ex quo cap. etiam colligitur, quod secundus hic consensus, de iure requisitus, interveniens, recte praesumatur, si per 30. annos a re tali alienata nunquam contradixit mulier.

§. IX. *An, et quando venditor teneatur emptori de evictione, et in quibus casibus non obligetur.*

Evictio aliud non est, *quam rei suae, ab alio legitimo titulo acquisita, per iudicem recuperatio:* de hac autem praestanda teneri venditorem emptori, si res sibi bona fide vendita, et empta, ab alio, qui dominum huius rei se probat, repetatur, et evincatur, constat ex *l.* 1. §. 8. *et* 16. *ff. De evictionibus.* Sive de hac praestanda fuerit expresse conventum, sive non, cum naturaliter huius evictionis a venditore praestandae obligatio, contractui huic inesse videatur, si pro re, quae tradita quidem iam fuit, hic, et nunc tamen evicta fuit, pretium iam fuit solutum; quod si tamen emptor, post institutum contra se iudicium, non denuntiet venditori (saltem ante conclusionem in causa) litem sibi de re, a venditore sibi vendita, ac tradita, motam, ut causam defendere possit, cum huius vel maxime intersit, rem hanc non evinci, et sic merito scire praesumatur, quibus probationibus, contra evincere tentantem, agendum sit, non tenebitur de evictione praestanda venditor, cum culpam rei evictae in tali casu emptor sibi adscribere debeat, quod venditorem de periculo evictionis non monuerit, nisi per venditorem steterit, quo minus lis ei mota denuntietur; aut per pactum expresse remiserit emptori venditor denuntiandi obligationem, si tamen contra emptorem sententia condemnatoria lata fuerit, quia tempore sententiae contumaciter a iudicio se absentavit, aut per iniuriam iudicis, errorem, aut imperitiam, res evicta fuerit, non tenetur venditor de evictione, cum in his casibus rem emptam amiserit emptor, non propter evictionem, quam praestare tenetur venditor, sed propter suam contumaciam, aut iudicis imperitiam, prout habetur ex *c. Si venditori*, 7. *h. t.* Plures adhuc enumerant casus civilistae, in quibus de evictione non tenetur venditor, quos vide.

§. X. *Ad quem pertineat periculum rei venditae, ad venditorem, an ad emptorem?*

Si res vendita pereat, vel deterior fiat post traditionem, id fit damno emptoris, etiamsi nondum sit pretium solutum, modo de eo fides habita fuerit; res enim, cuius per traditionem dominus factus est emptor, domino suo perit; pari modo, si res, et quidem certa, ac determinata in individuo, absolute, et pure vendita, sine culpa, aut mora culpabili venditoris, casu fortuito pereat ante traditionem, damno emptoris perit, etiamsi dominium nondum fuerit in illud translatum, ita ut non obstante rei emptae interitu, totum tamen pretium venditori solvere teneatur emptor, si forte nondum solvit, ut constat ex §. *Cum autem, iuncta glossa instit. h. t.* et pluribus aliis iuribus. Quamvis enim emptor ante factam sibi rei emptae traditionem, verus illius dominus non sit, cum dominis traditionibus transferantur, sicuti tamen iurisdictione eiusdem rei dominus ad commoda, et fructus censetur,

ita etiam ad incommoda, et casus fortuitos *iuxta reg.* 15. *iuris ff. Is qui actionem*, et plura alia iura. Si vero res vendita sit, non pure, et absolute, sed sub conditione, pendente tamen conditione res talis periit, periit damno venditoris, etsi pretium pro ea re solutum iam fuisset, quod in tali casu emptori restituere teneretur venditor, quia ante impletam conditionem, non est perfecta venditio, et rei venditae interitu contractus dissolvitur: plures adhuc casus recensent civilistae, in quibus periculum rei venditae, ante traditionem, ad venditorem pertinet, quos vide.

TITULUS XVIII.

DE LOCATO, ET CONDUCTO.

SECTIO I.

De contractu locationis, et conductionis.

§. I. *Quid sit locatio, et conductio?*

Locatio, et conductio est *contractus, quo persona, vel res aliqua, alteri utenda, vel fruenda pro certo pretio, sive mercede conceditur;* ita ut locator dicatur, qui rem utendam tradit, et mercedem accipit; conductor vero, qui rem utendam accipit, et mercedem solvit, et ab aliis contractibus differat, quod per locationem stricte dictam non rei dominium, nec tantum rei custodia, aut res servanda tantum, sed usus rei licitus transferatur, et quidem pro pretio, aut mercede in pecunia solvenda, cum alii contractus aliqui gratis hoc praestent, vel pro re alia, prout faciunt contractus innominati, *do ut des* etc.

§. II. *An locator rei frugiferae teneatur remittere de pensione, seu mercede constituta ob sterilitatem, hostium incursum, vel alium casum fortuitum, sine culpa conductoris obvenientem?*

Si damnum casu fortuito illatum modicum tantum sit, nihil consono, vel conductori de pensione remittendum, ut constat ex *l. Si merces*, 25. §. *Vis maior ff. h. t.* Si vero damnum casu fortuito, sterilitate v. g. aut alia clade extrinsecus adveniente, datum, notabile et magnum sit, pro rata secundum proportionem damni illati, remittenda est pensio, ita ut nonnunquam tota remittenda sit, si nihil fructuum ex re conducta habuerit, nonnunquam pars illius remittenda sit, si damnum acceptum, dimidium v. gr. excedat, vel iuxta prudentum iudicium notabile videatur *c. Propter sterilitatem*, 3. *h. t.* quod si tamen unius anni damnum ex praecedentium, aut subsequentium annorum ubertate compensetur, nihil de pensione remittendum; aut repeti potest, quod remissum fuit, prout colligunt Auctores ex *cap. cit. Propter sterilitatem;* quae tamen intelligenda sunt, si damnum in talibus rebus patiatur colonus, quando nondum a solo separati, aut collecti sunt fructus; et nisi expresse in pactum deductum sit, quod ob damnum fortuitum nihil de pensione remittendum sit; vel ipsius coloni culpa damnum tale acciderit etc. In contrariis enim casibus, damnum totum coloni est paciscentis taliter, vel

culpam committentis, vel collectorum iam fructuum, quamvis in horreum invecti nondum fuerint iam domini.

§. III. *An locator possit ante, vel saltem post finitum locationis tempus conductorem expellere ex fundo?*

Resp. Sicuti non potest ante finitum locationis tempus, conductorem ex fundo locato, aut domo conducta expellere, quamvis alius maiorem pensionem offerat, *l. Si alii*, 21. *cod. h. t.* ita finito locationis tempore, propria auctoritate, vel intentata actione locati, eum expellere potest, etiamsi eandem ipse pensionem solvendam offerat, quam novus conductor solvere promittit *l. Ne cui*, 32. *cod. eodem* (nisi per pactum aliter fuerit conventum, aut consuetudo in illo loco recepta aliud habeat) ne cum suo incommodo a re sua fruenda, et utenda impediatur dominus.

§. IV. *In quibus casibus locator potest inquilinum invitum, etiam ante tempus locationis finitum, expellere (ex conducta domo) et vicissim conductor ex iusta causa recedere?*

Potest locator in aliquibus casibus invitum inquilinum, cui domum elocavit, ante finitum locationis tempus expellere, vel amovere. Primo scilicet, si probet locator propriis usibus domum a se locatam, esse necessariam, eo quod domus, quam modo inhabitat, vel ruinosa sit, vel corruerit, aut aliter perierit, vel familiam ipse habere incipiat, vel quod filio suo domum propriam cedere debeat etc. si horum nihil, dum domum elocavit extraneo, imminebat, aut praeviderat; utique enim in casu necessitatis praeferri debet dominus in usu suae rei cuivis extraneo, ita ut nec pactum de non eiiciendo inquilino ante tempus locationis finitum, ad hos extraordinarios casus, se extendat. Secundo si domus locata necessario reficienda sit, quae tamen tempore locationis non indigebat refectione, ita tamen ut pro rata portione temporis, quo domum talem habitare non potest conductor, mercedem locationis remittat locator, prout aequitas postulat, et interesse etiam, si tempore locationis scivit domum locatam indigere refectione, ne damnum ex bona fide sua patiatur conductor. Tertio, si conductor in aedibus conductis, male, et perverse versatus sit, deteriorando malitiose, et notabiliter, et diu duratura deterioratione, rem conductam, vel quod in eas aedes receperit fures, latrones, meretrices etc., ob damnum, quod hic et nunc locatori facit, vel ob infamiam etc. Quarto, si pensionem solvere intermittat conductor per biennium, ut vult *cit. cap. Propter* §. *Verum*, nisi moram celeri satisfactione purget, si ad longum tempus, decennium v. gr. fuit facta locatio.

Sicuti autem ex dictis causis invitum etiam conductorem expellere potest ex aedibus sibi locatis locator, ita potest etiam iustis de causis abire ex conductis aedibus, invito locatore, conductor, ante finitum locationis tempus, ut si ob impedimentum interveniens inhabitari aedes tales non possint, quod spectris infestae sint, quod sint obnoxiae incursui hostili, quod sint periculosae ob luem grassantem etc., ita ut de pensione remitti illi debeat iuxta proportionem temporis, quo re conducta uti non potuit.

§. V. *Ex qua culpa teneatur tum conductor, tum locator?*

Respondetur, neutrum teneri de culpa levissima, aut casu fortuito; teneri tamen utrumque de dolo, culpa lata, et levi (quia contractus hic in utriusque gratiam, conductoris scilicet et locatoris, sit (nisi expresso pacto aliter inter utrumque conventum fuerit.

§. VI. *De permissa, vel prohibita locatione, et conductione rerum ecclesiasticarum.*

Quod non possit ad vitam recipientis, aut concedentis, vel ad longum tempus, ultra decennium scilicet, res ecclesiastica, sine causis, et solemnitatibus a iure ad alienandas res tales requisitis, de iure antiquo elocari, *ex Clem. I. De rebus ecclesiae non alien. iuncta glossa v. Eius*, patet (quia per eam ius utilitatis, sive dominium utile rei, eiusque possessio translata censetur) ad modicum vero tempus (infra decennium scilicet de iure antiquo) sine his solemnitatibus a praelato ecclesiae locari posse, ex *cit. Clement. I. et capit. ult. Ne praelati vices suas, etc.* cum per talem locationem ad breve tempus nec dominium utile, nec ius aliquod ab ecclesia in conductorem, nomine ecclesiae elocantis fructus v. gr. colligentis, transferri censeatur. Iure tamen novo *in Extravag. Ambitiosa, unic. De rebus ecclesiae non alienandis, inter communes*, omnis rerum ecclesiasticarum elocatio sub censuris prohibita est, si fiat (sine solemnitatibus scilicet) ultra triennium (utile scilicet) quae constitutio sine dubio servari debet, in quantum in aliquo loco recepta est. Neque enim in tali loco res ultra triennium elocari prohibita, ad novennium v. gr. utiliter elocari potest, cum pacto scilicet, ut finito primo triennio, ad secundum triennium elocatio de novo facta censeatur (cum pactum tale sit in fraudem legis prohibentis elocationem ultra triennium factam) ita ut non valeat saltem quoad excessum, cum in tali casu utile per inutile, a quo separari potest, vitiari non debeat. Fructus tamen, decimarum v. g. aut aliorum redditnum ecclesiasticorum laicis etiam, quod elocare possint beneficiati, pro pensione annua, ultra triennii tempus, vel etiam ad vitam concedentis ex *cap. Vestra*, 2. *h. t.* patet, cum per talem locationem, neque ius aliquod in conductorem transferatur, neque ecclesiae praeiudicetur.

§. VII. *An locationi factae per praelatum ecclesiae, successor eius stare teneatur?*

Tenetur stare factae locationi successor in dignitate, vel officio, si fundi ecclesiastici locatio, cuius fructus ad ecclesiam pertinent, legitimo modo, et ad legitimum tempus ab antecessore, nomine ecclesiae facta fuit, cum talis praelatus, sive rector ecclesiae sit administrator, non ad decipiendum contrahentes, sed ad legitime administrandum constitutus. Si tamen nomine proprio locationem fecit rerum ad suam mensam pertinentium, quam personalem dicunt, et ad fructus colligendos se extendit, ac semper praesumitur, si aliud non constet, sicuti haec per mortem locatoris exspirat, ita stare illa non tenetur successor, in cuius praeiudicium, nihil agere potuit antecessor, *argum.*

cap. ult. De offic. iud. ordin. in 6. et hinc *Trident. sess.* 25. *c.* 11. *De reformat.* vult, ut omnes locationes bonorum ecclesiae, quae ad plures annos, anticipatis solutionibus, in praeiudicium successorum fiunt, pro invalidis habeantur, non obstante quocunque indulto, aut privilegio.

SECTIO II.

De contractu emphyteutico.

§. I. *Quid sit emphyteusis, et quotuplex, et an ad illam necessario requiratur scriptura?*

Emphyteusis est *contractus nominatus, quo res soli, sive immobilis, cum translatione dominii utilis, retento directo, seu proprietate, alicui colenda, et fruenda conceditur, vel in perpetuum, vel ad vitam eius, cui conceditur, vel ad unum, aut plures generationes, sub onere certae pensionis realis domino proprietatis solvendae.*

Duplex est emphyteusis: ecclesiastica alia, quae est constituta in re, cuius dominium directum, seu proprietas spectat ad ecclesiam, collegium canonicorum, monasterium, aut alium pium locum; et profana alia, sive saecularis, cuius dominium directum est penes laicum, quicunque tandem dominium utile habeat, cum in discernenda una ab altera, non attendatur, qui dominium utile habeat, sed quis habeat dominium directum, sive proprietatis.

Sunt qui velint ad substantiam huius contractus, praesertim emphyteusis ecclesiasticae, scripturam requiri, sive instrumentum scriptum; sunt tamen etiam alii, qui putant, scripturam non requiri ad substantiam huius contractus, sed tantum ad faciliorem probationem, et in hanc mentem iura, quae videntur scripturam requirere, volunt explicanda, omnes tamen fatentur, consuetudinem loci hac in re observandam.

§. II. *An ad substantiam, ac valorem contractus emphyteutici requiratur, ut canon, seu pensio annua solvatur domino, et quam poenam incurrat emphyteuta, si non solvat?*

Quod in recognitionem dominii directi, penes proprietarium remanentis, et in compensationem dominii utilis in emphyteutam translati, debeat hic annuum canonem, sive pensionem solvere, sive magna illa sit, sive modica, sive in pecunia, sive in fructibus constituta sit, iuxta conventionem scilicet factam, aut receptam loci consuetudinem, certum est, ex §. *Adeo, instit. de locat. et conduct.* quod autem emphyteuta, si integrum canonem, sive pensionem, tribus annis continuis, in emphyteusi laica, vel civili, aut duobus annis in ecclesiastica emphyteusi solvere negligit, ipso iure amittat rem in emphyteusim concessam, et haec ad dominum directum redeat, quamvis monitus antea non fuerit, et nulla alia iudicis sententia praecesserit, si de non soluta pensione constet, et illum hic expellere velit, ex *l.* 2. *cod. De iure emphyt. et cap. Potuit,* 4. *h. t.* patet, nisi nulla culpa emphyteutae intervenerit, aut celeri solutione moram purgaverit, (statim v. g. post triennium, intra decem scilicet dies, aut iuxta arbitrium iudicis, offerendo ca-

nonem non solutum) in emphyteusi ecclesiastica, prout ex *cap. Potuit*, *iuncta glossa v. Celeri*, patet: quam poenam caducitatis, sive commissi, incurrit etiam emphyteuta, si res in emphyteusim concessa, notabiliter illius culpa, quoad substantiam, deterioretur, ut patet ex illis, quae de locat. et conduct. dicta fuerunt.

§. III. *De alienatione rei emphyteuticae.*

Ius, quod obtinet in re emphyteutica emphyteuta, vendi ab hoc non posse, ex *c. cit. Potuit*, patet, nisi serventur ea, quae in illo *c. Potuit*, praescribuntur, ut prius scilicet domino directo, vendere se velle ius hoc significetur; et significetur simul quantum pro illo pretium offerat, cui vendere ius hoc cogitat (quo possit scilicet dominus directus deliberare, an non ipse velit, oblato eodem pretio, utile tale ius sibi comparare). Secundo, ut si nullum responsum det dominus (si enim responderet denuntiatione tali facta, utile rei huius dominium nolle se emere, statim emphyteuta illud vendere posset) per duos menses exspectetur, antequam venditio fiat. Et tertio denique, ut non vendatur iis, qui emere prohibentur; qualiter prohibentur curiales, milites, potentior, seu persona privilegiata, quae difficiliorem posset facere conditionem domini directi; haec enim, sicuti, si observentur, emphyteutae, ex necessitate fortassis ad vendendum compulso, satis consulitur, et simul nihil praeiudicatur domino directo; ita, si non observentur, et post venditionem factam secuta fuerit rei emphyteuticae traditio, vera vel ficta, cadit iure suo emphyteuta, ob praeiudicium domini directi, nisi geminata protestatione omne ius domini directi salvum velit. Potest tamen, non tantum talis venditio saepius fieri licita etiam sine bis conditionibus, ob varias conventiones, clausulas, vel pacta, uti patet per se, sed aliis saepe modis licite fieri potest rei in emphyteusim concessae sine bis conditionibus alienatio, per donationem v. gr. factam extraneae etiam personae, sine consensu domini, per legatum factum, permutationem, (commutando scilicet rem emphyteuticam cum alia re, quam praestare non potest dominus directus) per oppignorationem, per servitutis impositionem etc., modo salvum ius omne maneat domino directo, et conditio illius nec fiat difficilior, nec fraus alia interveniat etc., ob quas causas saltem ante traditionem rei taliter sine consensu domini directi, donatae, aut legatae etc., requirunt illius consensum in talem donatarium, legatarium, iura.

§. IV. *An, et qua ratione praelatus bona ecclesiae, cui praeest, possit in emphyteusim dare?*

Quod non possit praelatus ecclesiae, bona ecclesiae in emphyteusim perpetuam, aut ad plures generationes, vel ultra decennium de iure communi concedere, sine causis et solemnitatibus a iure ad alienandum talia requisitis, ex dictis, et natura emphyteusis, quae est vera alienatio, iam patet. Si tamen fundi v. gr. ecclesiae, qui antea in emphyteusim (saltem semel) dati sunt, per mortem emphyteutae v. gr. aut propter delictum aliquod huius, etc. ad ecclesiam redeant, possunt illi a praelato ecclesiae, sine aliis solemnitatibus simili modo iterum in emphyteusim concedi, non obstante iu-

ramento, quod praelatus talis fecit de non alienandis rebus ecclesiae; si tamen res talis ecclesiae nondum incorporata fuerit, et eadem causa, ac ecclesiae utilitas subsit, *argum. c. 2. De feudis, et iuxta cit. Extravag. Ambitiosae. De rebus ecclesiae non alienand.* (quia haec non censetur nova alienatio, sed antiquae alienationis legitime factae executio) quamvis, si rem talem, quae ad ecclesiam rediit, servare velit, et ecclesiae, aut suae mensae incorporare, cogi non possit, ut iterum in emphyteusim concedat. Immo si mutato rerum statu causa primae concessionis in emphyteusim cessavit, aut eadem utilitas haberi non potest, non potest sine solemnitatibus iuris in emphyteusim iterum concedi, cum re taliter mutata videatur novae alienationis esse species, haec in emphyteusim concessio. Censentur autem tales fundi, postquam ad ecclesiam reversi sunt, ecclesiae, aut praelati mensae incorporari, si praelatus v. gr. declaravit, quod imposterum velit de mensa sua, aut ecclesiae bonis esse fundos v. gr. illos, vel saltem descripti fuerunt fundi illi, per officiales ad hoc deputatos, inter possessiones ecclesiae, aut praelati, vel certe, si dubitetur de incorporatione hac, per annum praelatus, ut volunt aliqui, fundos illos retinuit, aut tale tempus iam elapsum sit, ut prudentis iudicis arbitrio, spectatis aliis etiam circumstantiis, censeatur facta incorporatio.

§. V. *Ad quem transeat, aut spectet emphyteusis, si emphyteuta religionem profiteatur?*

Si emphyteusis sit haereditaria, quae ad haeredes extraneos etiam transeat, religiosus autem ante professionem suam nihil de ea disposuerit, transit illa in monasterium, si hoc successionis haereditariae et bonorum stabilium capax sit, prout alia religiosi talis bona, cum onere tamen ea vendendi, aut aliter alienandi, (saltem post mortem professi) ne conditio domini directi ob interceptam spem laudemii v. gr. aut numquam futuram consolidationem utilis dominii cum directo, deterior fiat; si vero professus hic fuerit in religione incapaci bonorum stabilium, transit ad haeredes, vel proximum consanguineum, qui ab intestato succedere, vel si nullus talis adsit, exspirat emphyteusis. Si autem sit emphyteusis ex pacto et providentia, pertinet ad eos, qui secundum investituram vocantur, cum professus talis pro mortuo habeatur. Plura de hac re in materia de feudis feudistae disputant, cum quibus multam affinitatem habet emphyteusis.

TITULUS XIX.

DE RERUM PERMUTATIONE.

§. I. *Quid sit permutatio, et quomodo a venditione distinguatur?*

Permutatio latissime, et in genere sumpta, quamvis omnes contractus reciprocos, et non gratuitos, etiam innominatos, in quibus aliquid ultro citroque datur, complecti possit, specifice tamen, et stricte sumpta definitur esse *certa rei pro altera, vicaria, et mutua praestatio.* Sive ut dicunt alii: *est contractus innominatus iurisgentium, et bonaefidei, re, et consensu constans, in quo certa res in specie, seu individuo, cum alia re*

certae, et individuae speciei commutatur. Ex qua descriptione etiam patet, quod in eo potissimum a venditione differat permutatio, quod in illa pretium, sive pecunia pro re detur, in permutatione vero res pro re; venditio solo consensu contrahentium substantialiter perficiatur, permutatio vero rei traditione, seu mutua translatione, etc.

§. II. *An, et quatenus prohibita sit, vel promissa rerum ecclesiasticarum permutatio?*

Permutari res ecclesiasticas immobiles, aut mobiles pretiosas, quae servando servari possunt, sine causis, et solemnitatibus a iure requisitis non posse, ex dictis iam patet, *et ex cap. 2. h. t.* ita ut revocari illegitime factae commutationes possint, et certae poenae ab illegitime permutantibus, si traditione utrinque facta permutatio sit completa, incurrantur, cum talis permutatio speciem alienationis habeat. Si autem princeps, aut alius ecclesiae magnus patronus, potens, et de ecclesia multum meritus, ex rationabili causa permutationem talem rei ecclesiasticae immobilis petat, offerens aliam rem immobilem eiusdem valoris, et pretii, licite ea fieri potest absque alia causa, adhibitis tamen aliis solemnitatibus, et sanctione pragmatica, aut Imperatoria, vel a principe obtenta confirmatione, prout *ex cap. Si princeps, 1. h. t.* patet; cum honor, et merita talis principis, sine damno ecclesiae hoc exigant. Mancipia vero ecclesiae permutari non possunt, nisi ad libertatem, aliis laicorum mancipiis postmodum ecclesiae servituti subiectis, prout statuitur *in c. 3. et 4. h. t.* et quamvis ecclesiae, et beneficia, si iure proprietatis teneantur, vendi pro pretio non possint (ne spirituale pro pretio temporali aestimetur) possunt tamen ex iusta causa utilitatis, et aliis solemnitatibus adhibitis invicem permutari, tam quoad se quam quoad possessiones annexas, prout habetur *ex cap. Ad quaestiones, 6. h. t. et c. cum Venerabilis, 6. de except.* compensando etiam numerato pretio excessum redditum, quas copiosiores una ecclesia habeat, quam altera, inter quas facta est permutatio; fatentur tamen plerique Auctores tutius, et consultius esse, ut in tali casu duo distincti contractus celebrentur, quorum uno ecclesiae ipsae inter se permutentur sine interveniente pretio; altero vero permutentur possessiones, et redditus, talium ecclesiarum, excessum compensando per pretii solutionem, ut ne videatur pretium solvi pro re spirituali, pro ecclesia scilicet, quod videtur etiam innuere satis pontifex in relato *c. Ad quaest.*

§. III. *De permutatione beneficiorum, et conditionibus ad illam requisitis.*

Sermo hic est de beneficiis, quae in titulum possidentur, et obtinentur, quorum permutatio aliud non est, *quam reciproca duorum resignatio clericorum ex causa permutationis facta, per quam suum beneficium quilibet dimittit, ut alterius secum permutantis beneficium obtineat.* Licite autem, ac valide hanc permutationem fieri posse, si certae conditiones observentur, ex variis iuribus huius tituli patet: inter conditiones autem requisitas prima est, ut uterque permutans habeat ius in beneficio permutato, si enim unus eorum nullum ius, aut titulum in beneficio habet, nullum etiam potest transferre in alterum, et consequenter nulla est permutatio. Secunda est, ut uter-

que permutantium beneficium suum resignet in manus superioris ordinarii, cui beneficium est subiectum, sive unus, idemque ille sit, respectu utriusque permutantis, sive alius sit respectu unius, et alius respectu alterius, prout colligitur *ex c. unic. h. t. in* 6. Ita ut si unus permutantium beneficium suum resignavit, et alter permutantium nolit suum resignare, possit, qui prius resignavit ex causa permutationis, iterum suum beneficium repetere, et (per novam saltem collationem) obtinere debeat, cum resignatio huius sub conditione, non quidem suspensiva, sed resolutiva facta sit, uti colligitur etiam *ex c. Universorum*, 8. *h. t.* Tertia est ut beneficiorum, quorum resignatio a superiore admissa fuit, quae ex causa permutationis vacant, fiat a superiore collatio, et quidem ipsis permutantibus, (prout habetur *in Clement. Ne concessione, h. t. iuncta glossa v. Conferantur*, ita ut collatio aliter facta sit irrita, ne concessione iuris utentibus, ut ait pontifex, illudi videatur) non quidem simul, et eodem prorsus tempore, sed successive saltem, et ex intervallo. Quarta est, ut fiat permutatio talis interveniente legitima auctoritate superioris ecclesiastici, episcopi v. gr. illius, in cuius dioecesi beneficium permutandum, situm est, prout colligitur *ex cap. Quaesitum*, 5. *h. t.* et hinc quamvis illi, qui cogitant inter se beneficia sua permutare, inter se tractare, et convenire possint, de permutatione facienda, ac obligare se, quod velint stare conventione inita, absolute tamen concludere hoc privata auctoritate non possunt, sed conditionate tantum, si placuerit superiori; ita ut si privata tantum auctoritate permutationem faciant inter se, non tantum irrita sit talis permutatio, sed amittant etiam sua beneficia, et per iudicis sententiam illis privari debeant, prout decernitur *in c. Cum olim*, 7. *h. t.* Quinta conditio est, ut fiat ex iusta causa, quam episcopus cognoscere, et de ea iudicare debet, in utilitatem scilicet ecclesiae, aut ipsorum permutantium (ne detur nimia permutandi licentia) et ut permutatio fiat requisito consensu eorum, qui ius eligendi, vel conferendi, vel praesentandi ad beneficium permutatum habent (ad praecavendum horum praeiudicium) et ut denique fiat publicatio permutationis in ecclesiis permutatis, iuxta formam constitutionis Gregorii XIII. *Humano vix iudicio*: quae tamen Bulla in nostris partibus recepta non videtur.

§. IV. *Quaenam beneficia permutari possint cum aliis, vel non possint?*

Ordinarie omnia beneficia inter se libere permutari possunt, in manibus legitimi superioris (cum enim iura nihil distinguant, neque nos distinguere debemus; et quod non est prohibitum, permissum censeri debet) ita ut etiam plura (compatibilia tamen) cum uno, et vicissim permutari possint, et permutari etiam inter se possint beneficia inaequalia (sive inaequalia sint, quoad spiritualem qualitatem, sive inaequalia sint, quoad temporales redditus) etiamsi eorum possessionem nondum acquisiverint permutantes (modo ius in re habeant in tali beneficio, v. gr. praesentationis tantum) etiamsi manualia tantum sint (modo unum manuale cum altero manuali permutetur) aut commendata tantum, modo sint tradita in perpetuam commendam, quae vim tituli habeat; aut si sit commenda tantum temporalis, fiat coram eo permutatio, qui talia beneficia commendavit.

Sunt tamen aliqua etiam beneficia, quae permutari non possunt, qualia sunt beneficia unita (ne fiat praeiudicium illi, cui unio facta est), beneficia summo pontifici reservata (quae saltem coram ordinariis permutari non possunt, sicuti non possunt ab illis conferri, beneficia litigiosa cum aliis non litigiosis (quia pendente lite res relitigiosa alienari non potest), beneficia cum alio iure spirituali patronatus v. gr. decimarum etc. cum in hac materia odiosa ultra verba, quae de permutatione beneficiorum tantum loquitur, extensio non sit facienda.

§. V. *An permutatio fieri possit beneficiorum, non obstantibus gratiis expectativis?*

Breviter respondetur (cum ulterius examen vix usum habeat in nostris partibus, ubi gratiae expectativae per concordata sublata sunt) quod tales gratiae expectativae se non extendant ad beneficia ex causa permutationis vacantia, et consequenter, non obstantibus gratiis expectativis, permutatio beneficiorum valida sit, prout statuitur *in c. Licet, in* 6. *h. t.* cum aequitas non patiatur ad haec ex causa permutationis vacantia beneficia, gratias expectativas extendere.

§. VI. *An res sive ius spirituale possit permutari pro re temporali, et e converso: item an res spiritualis pro re spirituali?*

Resolutio primae quaestionis ex titulo *de simonia* haberi potest, et breviter hic ad eam quaestionem respondetur, negative, prout sumitur *ex c. Exhibitae*, 9. *h. t.* et natura prohibitae simoniae probat.

Ad secundam quaestionem respondetur, affirmative, ut ex dictis iam patet, *et ex glossa in can. Quam pio, v. Pactio, caus. prima, q.* 2. ubi sola pactio inhonesta, qua pretium temporale pro re spirituali offertur in permutatione rerum spiritualium excluditur.

TITULUS XX.

DE FEUDIS.

§. I. *Quid sit feudum, et quotuplex?*

Feudum recte describitur, *quod sit benevola, libera, ac perpetua rei concessio, immobilis, vel aequivalentis, cum translatione utilis dominii, retenta proprietate, sub onere fidelitatis, et obsequii personalis* exhibendi: ita ut ab emphyteusi in hoc potissimum distinguatur, quod emphyteusis fiat sub onere annui canonis, seu pensionis solvendae; feudum vero, si proprie, et stricte feudum dictum sit, fiat sub onere fidelitatis et obsequii personalis a vassallo, seu feudatario, domino directo feudi, qui et senior vocatur, praestandi.

Dividitur autem feudum primo in feudum antiquum, quod ab uno ex ascendentibus, qui caput, ac parens communis agnationis fuerat, est acquisitum, ac nonnunquam etiam feudum paternum dicitur; et in feudum novum, quod primo alicui acquisitum est. Secundo dividitur in feudum haereditarium, quod absolute alicui pro se, et haeredibus suis, etiam extraneis,

conceditur; in feudum ex pacto, et providentia, quod concessum est alicui pro se, et liberis tantum, nulla mentione facta haeredum; et in mixtum, quod de utroque participat, ut si alicui concessum sit feudum pro se, a filiis, ac haeredibus, ita ut successor in tali feudo debeat primi vassalli, et filius esse, et haeres. Tertio dividitur in feudum ecclesiasticum, quod ecclesia dat, vel accipit ab alio, aut clericus, ut clericus, concedit; et saeculare, quod a saecularibus datur, et recipitur (quamvis aliqui dicant, in discernendo ecclesiastico a fendo saeculari attendendam esse primam originem, sive a quo primum feudum tale concessum est, ita ut saeculare dicatur, quod primo concessum est a principe saeculari, etiamsi postmodum ab ecclesia feudataria in alium transferatur) quarto denique in masculinum, quod ad solos mares transit, et in foemininum, quod etiam in foeminas transit.

§. II. *Quaenam res ecclesiae in feudum dari possint, vel non possint?*

Res sacras et spirituales in feudum concedi non posse, cum non sint in commercio hominum, ex dictis iam patet, nisi accessorie tantum, rei alicui immobili saeculari in feudum concessae, unita sit, et cum universitate transeat, prout de iure patronatus, castro alicui, aut praedio annexo, concedunt auctores, alia vero bona ecclesiastica sine solemnitatibus, ad alienandum haec talia requisitis a iure, in feudum concedi non posse, cum talis infeudatio sit alienatio, ex dictis etiam patet, nisi fiat talis infeudatio de bonis iam ab antiquo infeudari solitis, hic et nunc tamen ad ecclesiam reversis, prout supra de emphyteusi dictum, et ex sequenti §. plus patebit.

§. III. *In quibus casibus feudum antiquum ad ecclesiam reversum denuo in feudum concedi potest, non obstante iuramento de non infeudando de novo res ecclesiae?*

Feudum antiquum ab ecclesia olim concessum, si ob delictum v. gr. vassalli ad ecclesiam reddeat, de novo iterum in feudum concedi posse, non obstante iuramento, de non infeudando, et quidem etiam filio vassalli, *ex cap. Ex parte, 2. h. t.* patet, modo illae conditiones observentur, quas observandas supra dictum, in concedenda emphyteusi rei emphyteuticari solitae. Immo ex hoc ipso cap. etiam patet, quod ecclesiae praelatus, si rem in feudum concessam, hic et nunc tamen ob delictum vassalli amissam, non facile recuperari possit a vassallo, aut alio tertio, in quem, inscia ecclesia, rem feudalem alienavit vassallus, possit nullis aliis adhibitis solemnitatibus, et nihil obstante iuramento suo, in feudum concedere potentiori alicui laico, qui feudum hoc a vassallo, qui deliquit v. gr. recuperet, et postmodum ab ecclesia tali recognoscat, in favorem scilicet ecclesiae, specialiter hoc constituente pontifice, ita tamen, ut ad alios casus favor hic, iuri communi contrarius, non extendatur.

§. IV. *An ob delictum praelati, vel alterius clerici beneficiarii, cui secundum leges feudorum poena privationis est decreta, feudum amittat ecclesia?*

Feudum patrimoniale clericum delinquentem contra feudorum leges non minus amittere, quam laicum, certi iuris est, cum in talibus feudis cleri-

cus aestimetur ut laicus: si vero feudum sit ecclesiasticum, quod clerico competit ratione sedis, aut dignitatis ecclesiasticae, et quod ad mensam v. gr. praelati pertinet, non amittit quidem absolute feudum tale, ecclesia, ob delictum praelati v. gr. quia delictum personae non debet in ecclesiae detrimentum redundare *iuxta reg.* 76. *in* 6. fructus tamen praelatus, qui deliquit, non percipit, sed ad dominium directum redeunt, dum vivit talis praelatus; mortuo vero illo, vel deposito, ad successorem in praelatura revertuntur, prout habetur in *lib.* 2. *Feudorum tit.* 40. *De capitulis Corradi*, §. *Item si clericus*, ut sic enim puniuntur competenter delinquentes, delictum tamen personae non est ecclesiae damnosum.

§. V. *De prohibita, et illicita, vel licita feudi alienatione.*

Ex generalibus feudorum principiis responsio ad hoc quaesitum desumi debet (quae intelligi debent tam de ecclesiastico, quam de saeculari feudo) iuxta quae in genere docetur, quod vassallus non possit valide feudum alienare, sive novum, sive antiquum illud sit, sine consensu domini directi, ne fiat contemptus, aut praeiudicium domino directo; cum consensu tamen domini directi, sive tacitus hic sit, sive expressus, quod licite, et valide feudum alienare possit vassallus, expresse habetur in pluribus feudorum iuribus, ex quibus etiam patet, quod vassallus in feudo, quod habet, alterum (similem sibi quoad conditionem) subinfeudare possit, etiam sine consensu domini directi (cum in tali casu nihil patiatur dominus directus, cui prior vassallus, qui hic, et nunc de feudo suo subinfeudavit alium, plene obligatus maneat) nisi aliunde prohibeatur.

§. VI. *An si dominus a vassallo accipiat feudum in pignus, teneatur fructus computare in sortem, nec ne?*

Respondetur dominum talem non teneri, qui a vassallo feudum a se concessum in pignus accipit, fructus illius pignoris computare in sortem, si vassallus interim liberetur a praestando servitio, ad quod vi feudi domino directo obligabatur *c. Ex insinuatione*, 1. *h. t.* cum enim fructus ex feudo percipiantur, si praestetur obsequium, in hoc autem casu servitium nullum praestetur a vassallo, consequenter nulli fructus illi competunt; quod si tamen feudum non sit gratis concessum, sed pro pecunia, aut meliorationes industria vassalli factae in tali feudo, aequitas exigit, et vitandae usurae necessitas, ut in primo casu fructus ex pignore tali percepti, in quantum superant iustum censum, in sortem computentur; in altero vero casu ut saltem integros fructus feudi talis non acquirat dominus directus.

§. VII. *An clerici, monachi, aliique regulares succedere possint in feudis, vel ea acquirere?*

Primo clericis universim ius succedendi in feudo negat ius commune feudale, ut *constat ex l.* 2. *feudorum, tit.* 30. *cap. unic. De feudo foeminae*, et pluribus aliis feudorum iuribus (neque enim, qui miles Christi est, debet esse miles saeculi, ut iura illa dicunt) nisi ex prima institutione feudum tale sit ecclesiasticum, aut statuto, vel consuetudine, contrarium

introductum sit, aut francum sit feudum tale, et ab omni obsequio praestando liberum; aut servitium personale quidem exigat, quod tamen a clerico honeste, vel per substitutum possit praestari; aut servitium tantum reale, pensio v. gr. pecuniaria, etc. praestandum sit; aut feuda talia sint haereditaria, ita ut ad quoscunque successores, etiam foeminas, etiam extraneos, etc. transeant; aut denique clerici tales sint tantum in minoribus constituti. Et haec quidem de iure feudorum, quia tamen talia iura specifice disponunt de personis ecclesiasticis, aut ecclesiis, ob defectum iurisdictionis, quae laicis competere non potest in personas, aut res ecclesiasticas, hinc a iure canonico correcta sunt, et de hoc sacrorum canonum iure, feudorum tam novorum, quam antiquorum, capaces sunt clerici, et religiosi, *cap.* 6. *et* 7. *De foro compet.* Ita ut monasterium etiam in sui professi feudum succedat, si capax illud sit successionis, et bonorum stabilium, prout supra de emphyteusi dictum (modo feudum, vel francum sit, vel tale onus annexum habeat, quod etiam a monasterio praestari potest, ut modo ante dictum, et nec expresse nec tacite prohibitum fuerit in prima investitura, ne ad monasterium transeat) utilitatem illius feudi habens, quamdiu vixerit talis professus, ad agnatos autem proximos vel alios, qui in investitura primo vocati fuerunt, redditurum, si moriatur talis professus, cum ut sic nec monasterio in bona sui professi succedenti, nec feudo, aut feudi domino praeiudicium fiat.

TITULUS XXI.

DE PIGNORIBUS, ET ALIIS CAUTIONIBUS.

§. I. *Quid sit pignus, et quomodo ab hypotheca differat, et quotuplex sit hypotheca ?*

Pignus pro ipso contractu pignoratitio acceptum recte describitur; *quod sit obligatio rei licitae pro debito, facta, ad securitatem scilicet creditoris.* Quia vero pignoris nomine etiam res ipsae, quae in securitatem pro debito obligantur, veniunt, ideo distinguunt aliqui inter pignus, et hypothecam, ut pignus dici velint ea, quae mobilia sunt; hypothecam vero dicant ea, quae immobilia sunt, et dicto modo obligantur: in effectu tamen, ut facile patet, nulla est differentia, et hinc pro synonimis passim accipiuntur. Dividitur autem pignus sive hypotheca, ut alia sit tacita, quae, licet inter contrahentes de ea nihil sit conventum, ex legis tamen dispositione intelligitur contracta, seu constituta; alia vero sit expressa, de qua expresso consensu inter contrahentes convenit; quae utraque hypotheca, seu pignus subdividi potest, in generalem seu universalem hypothecam, quae ad omnia bona tam praesentia, quam futura obliganda se extendit; et in specialem, per quam certae res in specie oppignorantur.

§. II. *De tacita hypotheca, quam habet uxor in bonis mariti, pro dote recuperanda; et ecclesia in bonis praelati male administrantis.*

Quod uxor pro securitate allatae dotis, et huius restitutione tacitam, sive ipsa lege constitutam, in omnibus bonis mariti hypothecam habeat, ex

utroque iure patet, *l. unic.* §. *Ut plenius. Cod. de rei uxor. act. cap. Ex lit.* 5. *h. t.* ita ut non tantum privilegiata sit haec hypotheca, et aliis omnibus creditoribus, quamvis anteriores sint, si tacitas tantum hypothecas in bonis mariti habeant, praeferri debeat, sed in optione etiam uxoris sit, si contra tertium bona mariti possidentem agat, pro dote, tacite obligata, alternative petere, vel bona sibi tradi, tanquam hypothecata tacite, vel possessorem cogi ad dissolvendum debitum, cuius causa talis hypotheca constituta est.

Quod autem omnia bona etiam praelati, vel alterius administratoris bonorum ecclesiasticorum tacite oppignorata sint ecclesiae, pro administratione mala, ratio paritatis probat, a tutoribus, vel curatoribus desumpta, quorum bona tacite hypothecata sunt pro mala administratione rerum ad pupillum, vel minorem spectantium, ut ex iure civili patet; cum ergo ecclesia gaudeat iure minorum *c.* 1. *et* 3. *De in integ. restit.* consequenter etiam bona praelati, seu administratoris illi tacite hypothecata erunt, pro mala administratione.

§. III. *Quaenam res oppignorari, seu in pignus dari non possunt?*

Earum rerum, quae vendi per se ipsas absolute non possunt, prohibetur etiam oppignoratio, tum quod oppignoratio sit species alienationis, tum quod sit via ad venditionem talis pignoris, si debitor sit in mora solvendi, uti constat *ex tit. ff. De distract. pign.* et hinc primo, quamvis in bonis ecclesiae generalis hypotheca constitui possit, ut ex dictis patet, in tali tamen etiam generali hypotheca non veniunt res sacrae, et suppellex sacra, quae ad divinum cultum pertinent, nisi gravis necessitas, haud etiam rerum venditionem permittat, aut accessoria ratio aliud iubeat, *c. Nullus*, 1. *h. t.* quo tamen in casu proprie ius pignoris in re sacra non habet laicus, cum per oppignorationem proprie dictam, ius aliquod in re acquiratur, cuius iuris in re sacra laicus est incapax; sed nuda detentio, donec pecunia debita ei solvatur: secundo oppignorari proprie non potest liber homo, *iuxta c. Lator*, 2. *h. t.* quamvis in casibus quibusdam capi, et incarcerari possit propter debita, dum eorum solutionem expediat, aut fideiussores constituat: tertio oppignorari non potest res penitus aliena, quamvis enim haec vendi possit *arg. c. Filius*, 5. *De testam.* pignori tamen dari non potest, cum per venditionem rei alienae persona vendens obligata maneat ad praestandam evictionem, iuxta superius dicta, non autem si creditor rem pignori datam vendat, in casu morantis solutionis, ad dissolvendum sibi debitum.

§. IV. *An praelatus vel rector ecclesiae res, seu bona eiusdem oppignorare possit?*

Quod non possit in rebus suae ecclesiae specialem hypothecam constituere, possit autem generalem, ex saepius dictis iam patet, cum per generalem hypothecam non sit tam propinquum periculum rei ecclesiasticae vendendae, quale est, si specialiter res aliqua certa obligetur. Quod autem pro proprii patrimonii necessitate, aut utilitate, res suae ecclesiae praelatus op-

pignorare non possit, etiam habetur *ex cap. Ex praesentium*, 3. *h. t.* cum pignus constitui non possit, nisi in propriis rebus, res antem ecclesiae in dominio, aut propriis bonis praelati non sint.

§. V. *An, et quinam fructus pignoris in sortem sint computandi; et in quibus casibus computare non debeant?*

Debere creditorem, cui res frugifera in pignus data est, fructus inde perceptos, aut quos percipere potuisset, nisi negligentia eius intervenisset, in sortem, seu solutionem compntare, ita ut si tantum ex fructibus percepit, quantnm ipsum debitum, et expensae factae in rem pignoris nomine obligatam aestimantur, omne debitum penitus dissolvatur, ex utroque iterum iure, et praesertim *ex cap. Cum contra*, 6. *h. t.* et ex natura usurae prohibitae constat, quia cum debitor maneat dominus pignoris, consequenter fructus ex illo percepti ad hunc spectant, vel certe aestimatio illarum ipsi debetur, nisi in compensationem expensarum, qnas in re pignori concessa conservanda fecit creditor, aut in locum pensionis, vel interesse iuste debiti, dum capitale restituatur, fructus relinquantur. Et hinc communiter tres casus assignantur, in quibus fructus pignoris in sortem computari non debent; si scilicet et fundus feudalis. in pignus domino directo datus sit, et interea, dum debitum dissolvatur, obseqnia a vassallo praestanda, illi remittantur, ut dictum; et si pro dote fructus pignoris marito percipiendi relinquantur, ad onera matrimonii ferenda; et denique si rei suae, iniuste ab altero possessae, nunc autem in pignus datae, fructus percipiat, quia in tali casu per viam occultae compensationis redimit, quod iuste ad se spectabat.

§. VI. *Utrum venditio rei cum pacto revenditionis, ad arbitrium emptoris, recipiendo aliquid ultra sortem, sit vera, et licita venditio; an vero potius contractus pignoris, sed illicitus, et usurarius?*

Videatur de hac quaestione §. 7. *tit.* 17. *h. libri et c. Illo vos*, 4. *h. t.* ubi certa etiam quaedam signa afferuntur, praesumendi nonnunquam in tali casu pro pignore, et contractu nsurario.

§. VII. *An pactum legis commissoriae adiectum contractui pignoris sit licitum?*

Pactum legis commissoriae in contractu pignoris v. gr. tum censetur fieri, quando partes inter se conveniunt, ut si debitum v. gr. ex mutuo intra certum tempus a debitore solutum non sit, pignns pro debito eo asservando datum, cadat in commissum, sive creditori cedat, cuiuscumque, excedentis etiam prctii sit: qnod pactum ab utroque inre in contractu pignoris reprobari, tanquam nsurarium etiam *c. Significante*, 7. *h. t.* patet, quamvis enim hoc pactum legis commissoriae in venditione, et emptione permissum sit, ita ut si pretinm pro re vendita intra certum tempns solutum non fuerit, res sit inempta; in contractu pignoris tamen pactum hoc reprobatur, quia in illo casu nulli fit iniuria, cum penes emptorem maneat pretium non solutum, et penes venditorem maneat res inempta; in contractu autem pi-

gnoris, si tale pactum concederetur, non tantum grave saepius damnum incurrere posset, qui pignus dedit, et rem plerumque pretiosiorem, quam sit ipsum debitum, oppignoravit, sed plurimae usurae palliarentur ultra sortem accipiendo aliquid in mutuo pro sola mora in solvendo saepius non culpabili; quod pactum in pignore adeo iuri odiosum est, ut nec iuramento addito firmetur (cum iuramentum non sit vinculum iniquitatis), nec beneficio legis, prohibentis hoc pactum, renuntiare possit debitor (cum publicae utilitatis causa hoc pactum reprobatum sit), nec ulla consuetudine, tanquam licitum, et validum introduci possit, cum adversetur iuri naturali. Sunt tamen aliqui casus, in quibus pactum legis commissoriae licitum videtur. Primo, si conventum sit inter partes, quod pro debito non soluto intra certum tempus, pignus insolutum cedat creditori, pro iusto tamen pretio, sive quanti aestimabitur a prudente arbitrio, et quod superat debiti valorem in pignore, reddatur debitori, quia in tali casu, nec creditor habet aliquid supra sortem, nec debitor damnum patitur, rem pretiosiorem pro minore debito amittendo. Secundo valere censetur hoc pactum in favorem dotis, nondum quidem solutae, per pignus tamen oblatum interim assecuratae (quod tamen non omnes concedunt); cum enim, qui dotem constituit, plus etiam dare possit, quam promiserit in dote, consequenter ex illius liberalitate, videtur excedens in pignore pretium provenire, nisi ex verbis illius, qui pignus tale dedit, aliud colligatur. Tertio putant aliqui licitum esse, et valere hoc pactum legis commissoriae, si non ab initio, vel immediate post, sed ex intervallo pignori adiiciatur, quasi tunc cesset suspicio fraudis, rectius tamen putant alii, neque hoc in casu adiectum hoc pactum licitum esse, cum usuram sapiat, quocunque tempore adiiciatur, nisi in primum casum permissum pactum hoc explicetur.

§. VIII. *De cautione usufructuarii.*

Quaeritur hic utrum, et qualem cautionem praestare debeat usufructuarius, quando ususfructus rei alicuius frugiferae concessus est. Et respondetur ad primam quaestionem affirmative; debet enim cavere, quod rebus immobilibus v. gr. in quibus usumfructum habet, salva rerum substantia, uti, frui velit, secundum boni viri arbitrium, ita ut substantiam rei non sit deteriorem facturus; et quod finito usufructu restituere velit domino proprietatis, aut haeredibus illius, quidquid ex re in usumfructum concessa, superfuerit (neque enim per hoc, quod usumfructum habeat in re aliquis, dominium proprietatis in illa reacquirit, sed tantum ius utendi, ac fruendi illa re, sicut vir bonus, et prudens rebus propriis uteretur) et si res in usum fructum concessae ipso usu absumantur, uti pecunia, etc. in quibus quasi ususfructus conceditur, cavere debet, quod finito usufructu tantumdem eius qualitatis res, vel certe aestimationem illarum rerum restitui velit: et quamvis, qui uni rem immobilem frugiferam v. gr. legavit, quoad dominium proprietatis, alteri autem eius rei usumfructum, remittere non possit usufructuario, cautionem praestandam, ne proprietario praeiudicet, aut usufructuarium ad delinquendum inducat, potest tamen eam remittere proprietarius, sive haeres ille sit, sive legatarius, cum lex tantum testatori prohibeat hanc re-

missionem, potissimum in favorem proprietarii, cui hic cedere potest, tanquam favori pro se introducto.

Ad secundam quaestionem respondetur, cautionem ab usufructuario praestari debere pignoratitiam, vel fideiussoriam, ita ut vel pignore deposito, vel datis fideiussoribus suam obligationem securam faciat *c. Cum constet*, 8. *h. t.* cum enim in hoc capitulo idoneam velit pontifex cautionem ab usufructuario praestandam, cautionis autem idoneae nomine pignoraritia, aut fideiussoria in iure veniat, consequenter alterutra praestanda erit, ita tamen, ut in casu utriusque deficientis, ob inopiam usufructuarii, iuratoria etiam iuramento, scilicet interposito, admittatur, si tamen usufructuarius sit homo vitae honestae, ac probatae; in casu enim, quo usufructuarius suspectae fidei est, sequestranda esset res in usumfructum concessa, apud tertium bonae fidei, et fructus usufructuario praestandi.

TITULUS XXII.

DE FIDEIUSSORIBUS.

§. I. *De fideiussione in genere, et conditionibus ad illam requisitis?*

Fideiussio est *contractus, in quo quis promittit se soluturum, quod alius debet, si debitor principalis non solverit;* ita ut fideiussio sit obligatio accessoria alteri obligationi principali, sine qua consistere non potest; et invalida sit, si principalis obligatio sit omnino, tam de iure naturae, quam de iure civili invalida; et quamvis cuilibet conventioni, sive obligationi accedere possint, vel adhiberi fideiussores, qui fidem suam interponant, de solvendo, quod alter debet, casu quo ipse non solveret, immo obligationem principalem etiam praecedere possit fideiussio, cum non tantum pro debitis praesentibus alterius dicto modo dissolvendis obligare se quis possit, sed etiam pro futuris, ad plus tamen (extensive non intensive) non obligatur fideiussor, quam debitor principalis, cum non sit plus in accessione, quam in re principali, ut loquuntur iura, ita ut, si ad plus se obligavit fideiussor, obligatus quidem maneat ad solvendum, quantum debet principalis, si hic non solverit, nulla autem quoad excessum sit obligatio, nisi accedente iuramento promissionem suam firmasset, quo in casu ad illud amplius non obligaretur, ut fideiussor, sed obligaretur ut promissor principalis, in reverentiam iuramenti, quod praestare potest. Vide plura de hac materia, et conditionibus fideiussoris apud civilistas.

§. II. *An praelatus ecclesiae, vel alius clericus, aut religiosus fideiubere possit pro alio?*

Respondetur primo, praelatum ecclesiae pro alio fideiubere posse ex redditibus suae mensae, nihil requisito capitulo, dummodo id fiat ex iusta causa, et non in magna quantitate, neque cum notabili detrimento ecclesiae, cum enim fideiubere sit officium charitatis, ac beneficentiae, non debet censere prohibitum illis, et iura, quae fideiussionem clericis prohibent, intelligenda tantum sint, de fideiussionibus sine iusta causa, aut cum damno ecclesiae, aut frequenter factis, praesertim erga laicos: si tamen nomine

suae ecclesiae praelatus fideiubeat, ita ut ecclesia postmodum obligata maneat fideiussoria obligatione, debet id facere cum consensu capituli, et extendenda non est talis fideiussio ad bona immobilia ecclesiae, vel mobilia pretiosa, quae servando servari possunt, ne ad horum bonorum alienationem prohibitam deveniatur, et ecclesia nimium gravetur, pro alienis debitis dissolvendis.

Respondetur secundo, clericum ex bonis suis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus, et ex redditibus etiam ecclesiae suae, sive etiam beneficii, quorum liberam administrationem habeat, fideiubere posse, praesertim si causa sit rationabilis, et pro clerico fideiubeat, prout patet ex *c. Pervenit*, 2. *h. t.* et prius allata ratio probat, modo nihil per hoc faciat in damnum suae ecclesiae, aut reddituum, quorum dominium, aut liberam administrationem non habet, quod *in cap. Clericus*, 1. *h. t.* prohibetur: non tamen tenetur creditor invitus admittere clericum fideiussorem, quia per huius privilegia minus bene videtur consultum tali creditori.

Respondetur tertio, religiosum, nec licite, nec valide fideiubere posse pro alio sine licentia sui praelati, et maioris saltem partis capituli, prout statuitur *in c. Quod quibusdam*, 4. *h. t.* (cum enim religiosus proprium non habeat, consequenter ex illius fideiussione, si valida foret, obligari deberet monasterium, ergo illius consensus in obligationem talem haberi deberet) quamvis proprium peculium cum licentia sui superioris habeat, cum superioris licentia non extendat se ad prohibitam religiosis fideiussionem, sed ad alia necessaria comparanda) nisi ex recepta consuetudine, aut ex praxi alicuius monasterii, communis adsit licentia, ad certam quantitatem, de rebus etiam monasterii fideiubendi, aut extra monasterium religioso tali beneficium aliquod obtinenti libera beneficialium suorum reddituum administratio concessa sit.

§. III. *Quibus casibus fideiussor etiam antequam solvat, agere possit adversus debitorem principalem, ut ipsum obligatione liberet?*

Tres enumerantur *in cap. Cum*, 5. *h. t.* primo, si debitor diu in culpabili mora fuit dissolvendi debiti sui, iuxta prudens iudicis arbitrium. Secundo, si debitor principalis coepit dilapidare bona sua, et ad inopiam vergere incipiat, cum periculo fideiussoris. Tertio, si fideiussor pro debitore principali a iudice condemnatus fuit, aut certe condemnandus videatur, quo in casu statim, antequam solvat, agere potest, adversus debitorem principalem, ut eum liberet, vel indemnem servet: quibus casibus addunt plures adhuc civilistae, qui apud eos videri possunt, uti, et quae beneficia, aut exceptiones de iure competant fideiussoribus.

TITULUS XXIII.

DE SOLUTIONIBUS.

Potissimum hic agitur de solutionibus faciendis pro debito, quod ex mutuo dato, et accepto oritur, et ideo de mutuo sciendum aliquid.

§. I. *Quid sit mutuum, et de conditionibus requisitis ad substantiam, et valorem eiusdem?*

Mutuum recte definitur, quod sit *contractus celebratus ab aliquo, datione vera, vel ficta, rei consistentis in pondere, numero, et mensura, spe recipiendi tantumdem in genere suo:* quae definitio uti civilistarum est, ita illis examinanda relinquitur, nisi ex dicendis satis innotescere possit.

Ad substantiam proinde, et valorem mutui requiritur primo, ut dominium rei mutuo traditae transferatur in accipientem: ex hoc enim mutui datio mutuum appellatum est, quod ex meo fiat tuum, ut iura loquuntur.

Secundo requiritur ad valorem mutui, ut dentur res, quae in quantitate, hoc est, numero, pondere, aut mensura constituunt, sive quae numerari possunt, et solent, ut pecunia; vel ponderari, ut aurum, piper, etc. vel mensurari, ut frumentum, oleum, vinum, etc. et functionem in eodem genere recipiunt, ut unum vice alterius, in eodem genere fungi possit, et hinc mutuum proprie loquendo non est, si pro bove equum reddere debeas, vel alium etiam bovem, quia in individua qualitate, bonitate, et usu inter se differunt, ut de se functionem non recipere dicantur.

Tertio requiritur ad valorem, et substantiam mutui, ut eadem res non quidem in specie, et individuo reddatur, cum mutuum potissimum consistat in rebus usu consumptibilibus, sed in genere, eiusdem tamen naturae, qualitatis, et quantitatis reddatur: quod si enim pro vino triticum v. gr. solvere debeas, pro hac specie v. gr. aliam speciem, etc. non tam mutuum, quam permutatio dicetur, aut alius contractus innominatus fiet.

Quarto requiritur ad mutui valorem, et substantiam, ut sit gratuitum, iuxta illud Lucae 16. *Mutuum date, nihil inde sperantes;* cum enim per mutuum rei mutuatae, dominium in accipientem transferatur, consequenter non iam mutuanti, sed mutuatario, ceu domino suo, fructificabit, et nisi ratione lucri cessantis, damni emergentis, periculi, etc. de quibus *in tit. De usuris*, supra sortem accipiatur aliquid, usura committetur, uti suo loco dicetur. Vide plura de hoc contractu, et requisitis ad eum apud civilistas.

§. II. *An ecclesia, vel praelatus eius nomine possit mutuum dare; et an, ac quomodo ecclesia, vel monasterium obligetur ex mutuo ipsi dato?*

Prohibetur quidem praelatis ecclesiae *in c. Si quorundam*, 2. *h. t.* ne quis eorum ecclesiam gravare praesumat, (mutuum dando, vel accipiendo nomine ecclesiae, ut ait *glossa h. t. v. Gravare*), absolute tamen, si ecclesia, vel praelatus abundantes redditus ecclesiasticos habeat, non est prohibitum illis, mutuum dare indigentibus, modo de summa capitali sufficiens fiat assecuratio, cum mutuum dare indigentibus sit opus pietatis, et ecclesia in tali casu non gravetur: et quamvis in casu necessitatis, vel utilitatis ecclesiae possit etiam mutuum accipere nomine ecclesiae praelatus, cum, vel sine consensu etiam capituli, pro mutui diversitate, et illius ecclesiae praxi, attendere tamen debet, ne suae sibi commissae potestatis limites excedat in tali mutuo accipiendo, cum periculo alienationis rerum immobilium, aut mobilium pretiosarum, ad dissolvendum tale debitum; aut supra summam

sibi per statutum, aut capitulationem definitam, vel quae dissolvi facile non possit ex fructibns sune administrationi commissis. Quod si enim limites commissae sibi potestatis excedat, non obligabitur ecclesia vi mutui talis, nisi probaverit mutuans in utilitatem ecclesiae mutuum illud fuisse conversum (quod statuunt iura ad coercendam praelatorum, in mutua nomine ecclesiae petendo, facilitatem, et libenter mutuantium pro foenore aliquo proprietatem, quo in casu conveniri debet, de in rem verso quae mutuum accepit, ecclesia) quam difficilem probationem non debet subire mutuans, si iuxta commissae potestatis limites mutuum dedit praelato ecclesiae, nomine huius mutuum petenti, prout etiam probari potest *ex c. 1. h. t. et ex glossa v. In utilitatem c. 4. De fideiussoribus.* Dicitur autem in bonum ecclesiae pecunia v. gr. mutuo concessa, conversa fuisse, si in eam causam expensa fuit, in quam tantundem de bonis ecclesiae expendi debuisset, aut rationabiliter nomine ecclesiae talis sumptus fecit administrator.

§. III. *An successor in praelatura, vel beneficio teneatur solvere debita ab antecessore suo contracta?*

Tenetur successor ex bonis, et redditibus ecclesiae, solvere debita, ab antecessore facta pro ecclesiae utilitate, et necessitate *c. Ad hoc, 1. h. t.* aut necessaria, et conveniente antecessoris sustentatione; habet enim successor in beneficio se, velut haeres antecessoris, in quem omnia commoda, et onera realia transeunt; et sicut sustentationem suam ex redditibus ecclesiae beneneficiatus habere debet, ita, si pro tali sua sustentatione debita contraxit, debent ea ex bonis, et redditibus ecclesiae dissolvi, nisi sciens tenuitatem beneficii ultro id accepisset; hoc enim in casu ex patrimonialibus defuncti dissolvi deberent talia debita ab haeredibus, cum sciens, ac tamen accipiens tenue beneficium merito praesumatur, quod ex industria sua, aut ex patrimonialibus sustentationem suam accipere velit. Quod si tamen nulla patrimonialia, aut quasi patrimonialia reliquisset, successor quidem in beneficio ex bonis ecclesiae dissolvere debita talia deberet, si ecclesia onus hoc ferre posset, propter unionem, quae est inter beneficiatum, et beneficium; vel dissolutionem talium debitorum aliunde procurare episcopus deberet. Praxis hodierna videtur esse, ut, si nulla patrimonialia bona, aut quasi patrimonialia reliquit beneficiatus, qui pro sua congrua sustentatione debita contraxit, fructus beneficii interea in *arresto* ponantur, et creditori assignentur, dum debitum persolutum sit; ecclesia scilicet indulgente hoc pauperi clerico, ob honorem clericalis status, ut talia illius debita ex ecclesiae redditibus dissolvantur.

§. IV. *De beneficio, seu privilegio competentiae, quod datur clericis debitoribus, qui non sunt solvendo?*

Clericus ob debita civilia, si ea propter inopiam solvere non possit, in totum, vel pro parte, non debet excommunicari, nec incarcerari (nisi dolose decepit creditorem, fingendo v. gr. se laicum, cum esset clericus, aut negando debitum, in tali enim casu incarcerari potest, non propter debitum civile, sed propter dolum) nec aliter molestari, neque ad cessionem bono-

rum compelli potest, aut conveniri a creditoribus, nisi in quantum facere potest, deductis scilicet alimentis, ne egeat; modo idoneam cautionem praestet, quod solvere velit, si ad meliorem fortunam pervenerit, prout statutum habetur *in c. Odoardus*, 3. *h. t.* et hoc beneficium clericis liberaliter, et valde gratiose a iure canonico concessum, vocatur privilegium, seu beneficium competentiae; ad quod tamen, ut eo gaudere quis possit:

Requiritur primo, ut sit clericus non coniugatus, et si in minoribus tantum constitutus sit, aut prima tonsura initiatus, ut habitum clericalem, et tonsuram deferat, neque publice pro laico se gerat, abiecto clericali habitu etc. Secundo requiritur, ut propter inopiam solvere non possit, sive in totum, sive pro parte, si enim partem solvere possit, ad hanc solvendam potest cogi debitor clericus, et ad admittendam partialem hanc solutionem cogi potest creditor. Tertio requiritur, ut constet de inopia, ob quam solvendo non est, vel (saltem praesumptive ex fama, communi hominum existimatione, beneficii tenuitate etc.) probetur ea. Quarto requiritur, ut conveniatur ratione debiti in causa civili; si enim debitum ex delicto esset, capi et incarcerari posset, neque prodesset ipsi hoc privilegium competentiae. Quinto requiritur, ut conveniatur actione personali, nam conventus actione reali, non potest gaudere hoc privilegio. Sexto requiritur, ut recognoscat debitum, sive confiteatur, neque enim negans debitum, de quo postmodum legitime convictus fuit, dignus est hoc privilegio; et ex hac etiam ratione putant aliqui, inopiam, et impotentiam solvendi provenire non debere ex culpa clerici, quod prohibitis v. gr. ludis, commessationibus, aut aliter luride vivendo beneficii sui redditus dissipaverit, eo qood talis indignus hoc privilegio videatur: melius tamen fortassis distinguunt alii, et concedunt non gaudere hoc privilegio clericum, si dolus intervenit in tali dissipatione, eo quod v. gr. confisus de hoc beneficio debita contraxerit, aut ex intentione mala in fraudem creditorum bona sua dissipaverit etc. ne occasio praebeatur tali malitiae; negant vero hoc privilegio illos privari, qui ex culpa quidem sua ad inopiam talem devenerunt, non tamen cum formali dolo in fraudem legis. Septimo denique requiritur, ut talis praestet cautionem idoneam (fideiussoriam, aut pignoratitiam, vel in defectum iuratoriam iuxta supradicta) de solvendo, si ad pinguiorem fortunam venerit, eo quod per privilegium hoc, aut inopiam debitoris, non extinguatur debitum, sed solutio illius tantum suspendatur. Videatur de aliis etiam casibus exceptis, in quibus hoc privilegio non gaudent clerici, *Barbosa in citat. c. Odoardus*, ubi etiam videri potest, quod privilegio huic renuntiare, nec cum iuramento possit clericus, cum in favorem non singulorum clericorum in particulari, sed totius ordinis clericalis concessum sit, et iuramentum additum non sit vinculum iniquitatis, ac cadente principali non subsistat.

§. V. *De solutione indebiti.*

Triplici potissimum modo dici potest aliquid indebitum. Primo enim potest solvi aliquid, quod nec iure naturali, nec civili debitum est, et haec vocantur, tam naturaliter, quam civiliter indebita. Secundo potest solvi aliquid, quod civili tantum iure, non autem naturali debetur, quod civiliter

quidem debitum, naturaliter autem indebitum dicitur. Tertio potest solvi aliquid, ad quod solvendum, naturali quidem iure obligatur aliquis, non autem iure civili, et propterea civiliter indebitum dicitur. Qui ergo solvit id per errorem (sive iuris, sive facti hic fuerit) quod nullo modo, nec naturaliter, nec civiliter debebat, aut qui per errorem talem solvit id, quod civiliter quidem, non tamen naturaliter debebat, solutum ex tali errore, per condictionem indebiti, repetere potest, aequitate scilicet naturali non permittente, ut quis cum iactura alterius locupletetur, et error iuris non noceat, si de damno vitando agatur. Quod si vero solvit aliquis id, quod iure quidem civili indebitum est, debetur tamen iure naturali, tunc si solvit per errorem, aut ignorantiam facti (modo ea non sit crassa, aut supina) solutum repetere potest; si autem solvit per errorem iuris, repetere non potest (quia iuris ignorantia ad lucrum non prodest) nisi in tali persona iuris ignorantia tolleretur, prout pluribus hanc materiam tractant, et explicant civilistae, asserentes insuper in genere, solutum repeti non posse, ceu indebite solutum, si quis sciens, se nihil debere, solvit tamen; cum *regula ff.* 35. dicat: *Cuius per errorem dati repetitio est, eius consulto dati donatio est.*

Illud tantum ex iure canonico, circa hanc materiam, advertendum est, quod in tali casu, quo indebitum solutum repetitur, probatio indebite, et per errorem soluti, illi incumbat, qui repetit, (quia praesumitur solvisse, ut debitum, cum donasse, aut iactasse sua, tam facile non praesumatur aliquis); nisi adversarius neget solutionem sibi factam; in hoc enim casu, si ille, qui solvit, solutionem factam legitimis argumentis probet adversario probatio, quod scilicet res soluta sibi debita fuerit, prout habetur *in cap. Is qui*, 4. *h. t.* quia contra taliter mendacem stat praesumptio, quod malam causam foveat.

TITULUS XXIV.

DE DONATIONIBUS.

§. I. *Quid sit donatio, et quomodo perficiatur, et de varia eius divisione.*

Donatio communiter definitur *quod sit rei licitae* (non prohibitae scilicet donari) *nullo iure* (iustitiae, aut gratitudinis) *cogente, ex mera liberalitate* (ita ut non debeat reddi, nec in individuo, nec in specie, uti fit in commodato, nec in genere, uti fit in mutuo) *facta collatio seu datio;* et quamvis ante traditionem rei donatae veram, vel fictam, donatario dominium non acquiratur, acquiritur tamen illi post acceptatam donationem, ante rei traditionem, sive actio contra donantem, per quam cogi potest ad rem donatam tradendam, nisi ante acceptationem donatarii per se, vel per alium factam, revocaverit suam donationem donans, quod facere potest, cum donatio ex communi auctorum sententia non perficiatur, nisi per donantis, et acceptantis consensum.

Dividitur communiter donatio in genere, in donationem inter vivos, et donationem mortis causa; illa est, quae fit sine mortis illa cogitatione; et

quidem vel pure, et absolute, quae statim effectum suum habet, si acceptata fuit; vel sub conditione, quae sortitur suum effectum, eveniente conditione; vel sub certo modo, quae quidem statim valet, et obligat, ubi acceptata fuit, obligat tamen etiam ad modum illum adimplendum, ita ut modo non impleto, repeti possit; vel ad certum diem, vel ob certam causam, aut in vicem praestiti beneficii, quae etiam remuneratoria donatio dicitur, et rigide, ac proprie donationis nomine non venit, cum non fiat ex mera liberalitate, sed iure gratitudinis exigente etc. donatio vero mortis causa illa donatio dicitur, quae fit mortis intuitu, ut si quid humanitus donanti accidisset, haberet rem donatam taliter is, qui acceptavit; si autem supervixisset donans, aut revocasset donationem taliter factam, aut prior moreretur donatarius talis, quam donans, res donata maneret, vel rediret ad donantem: et haec donatio mortis causa quoad formam, et modum constitutionis convenit cum contractibus, ita ut non censeatur perfecta, nisi mutuus donantis, et donatarii consensus intervenerit, quoad effectum convenit fere cum ultimis voluntatibus *leg. ret. cod. De donat. mortis causa.*

§. II. *Quae donatio insinuationem exigat apud iudicem, et quae non exigat?*

Donatio inter vivos, quod nonnunquam, ut valida sit, de rigore iuris coram iudice insinuanda sit (sive in sive extra iudicium) a donante suam voluntatem donandi declarante, et ut in acta referatur, ac scriptura super ea conficiatur, petente; cui insinuationi renuntiare non possit donans, ex iure civili patet *l. donatio, et l. in donationibus e. h. t.* ad multas scilicet fraudes, quae in donationibus alicuius notabilis quantitatis, facile intervenire possunt, et nimiam etiam cavendam profusionem, cum periculo insolitae paupertatis: et quamvis olim omnis donatio insinuanda fuerit, quae ducentos solidos (sive ducatos ungaricos, quos *solidorum* nomine venire hodie communiter docent) excedebat; postea vero, quae trecentos excedebat; hodie tamen insinuanda est, quae quingentos solidos excedit, ita ut absque hac insinuatione, invalida sit, quoad excessum ultra quingentos solidos talis donatio; nisi donatio ab obligatione insinuationis sit excepta, qualiter excipiuntur donationes factae in aedium, quae corruerunt, reparationem; quae fiunt pro redimendis captivis; quae fiunt ecclesiis, aut aliis piis locis; quae sunt remuneratoriae, beneficiorum acceptorum causa factae, aut ob alia obsequia praestita; quae non solius munificentiae, et liberalitatis causa, sed ad militiam v. gr. ad studia, ad nuptias etc. fiunt; et denique quae fiunt, et confirmantur adiecto iuramento, de illis non revocandis: potest tamen etiam non facta insinuatione excessum ultra legem praescriptum donatarius secura conscientia retinere, donec a donante, aut ab huius haeredibus excessus talis repetatur, vel per iudicis sententiam, quoad excessum talem, rescissa fuerit donatio, quia per leges non censetur simpliciter irrita talis donatio etiam quoad excessum, sed tantum sub conditione, si revocaverit donans.

—

§. III. *An, et qualem potestatem donandi habeant episcopi, aliique praelati, vel rectores ecclesiarum, et an etiam, ac quatenus religiosi?*

Qnod non possit praelatus, sive regularis, sive saecularis, immodicas, et in notabili qualitate, mere gratuitas, et liberales donationes facere, ex bonis, et proventibus communibus ecclesiae, sive monasterii *ex c. Fraternitatem*, 2. *h. t.* sumitur, tum quod talis donatio sit verissima alienatio, tum quod in generali administratione alicui concessa, non veniat donatio mere gratuita, et liberalis: si tamen titulo pietatis, eleemosynae, misericordiae etc. tales donationes, ex talibus communibus ecclesiae proventibus fiant a praelato ecclesiae, vel sint donationes remuneratoriae etc. non prohibentur praelatis ecclesiarum, modo sint moderatae, etiamsi fiant sine iuris solemnitatibus ad alienendum requisitis. Immo etiam bona immobilia ecclesiarum, ad remuneranda obsequia praestita, donari posse, adhibitis tamen solemnitatibus iuris *ex c. Per tuas*, 5. *h. t.* patet. Plurimum tamen ad harum donationum valorem facit recepta loci consuetudo, iuxta quam modica donare, ita ut ecclesia nihil ex talibus etiam mere gratuitis, et liberalibus donationibus laedatur, passim praelatis conceditur, ad vitandum avaritiae speciem, et hominum benevolentiam retinendam; quod ipsi etiam ecclesiae utile est. Quaenam autem donationes modicae, ac moderatae censeri debeant, ex prudentum arbitrio varias attendendo circumstantias, desumendum videtur.

Religiosi, qui cum licentia superioris sui extra monasterium degunt, et beneficia obtinent, possunt de redditibus ecclesiasticis, quorum libera illis permissa est administratio, aeque, ac saeculares beneficiati inter vivos disponere, et consequenter de illis etiam, ius commune attendendo (quidquid sit de bulla Clementis VIII. de largitione munerum etc. quam non ubique receptam multi asserunt, et multum limitavit, aut declaravit Urbanus VIII.) possunt facere donationes honestas, et moderatas. Illi vero religiosi, qui ex praelati, aut ordinis commissione bonorum monasterii administrationem aliquam sibi commissam habent, donationes facere possunt, iuxta licentiam illis a superioribus concessam, aut quantum ordinis statuta, vel consuetudo recepta permittunt. Alii denique religiosi, quibus nulla talis, nec ex officio, nec ex commissione administratio competit, nullas sine superioris tacita, vel expressa licentia donationes facere posse votum etiam paupertatis probat.

§. IV. *De quibusdam donationibus, seu concessionibus ecclesiarum, seu beneficiorum ecclesiasticorum, vel quae fieri possint alienis ecclesiis?*

Primo quod beneficium nondum vacans, in titulum conferri non possit particulari alicui personae, uniri autem possit, seu in proprietatem concedi, ac donari monasterio alicui, dignitati, seu praelaturae etc. vivente etiam beneficiato, absque eo tamen, ut hic dum vivit, ea ecclesia, aut beneficio privetur, nisi delictum privationem inferens committat *ex c. Consultationibus*, 4. *h. t.* patet, et satis etiam de hoc actum *in titulo* 8. *De concessione praebendae, et in titulo* 5. *sectione* 6.

Secundo patet *ex cap. Inter dilectos*, 8. *h. t.* quod possit locus aliquis plus alteri ecclesiae, monasterio, sive loco religioso se subiicere, cum consensu saltem episcopi, si locus ille sacer sit, et subiectus episcopo; vel sine illius etiam consensu, si pius quidem sit, ad pia opera institutus, non tamen sacer, et religiosus, auctoriate scilicet episcopi erectus.

Tertio habetur *ex cap. Apostolicae*, 9. *h. t.* quod possit episcopus, si in dioecesi sua velit monasterium constituere, et de rebus ecclesia, cui praesidet, dotare, eidem dare, nihil requisito capituli sui consensu, partem quinquagesimam census ecclesiae, vel centesimam, si ex ecclesiae saeculari, velit facere monasterium, aut in ea sepulchrum sibi eligat, modo per talem etiam donationem grave damnum suae ecclesiae non inferat; et semel tantum unam ex his, sive simul, sive successive donationem faciat, nisi valde abundantes essent illius ecclesiae redditus, quo in casu cum superioris, pontificis scilicet, auctoritate, maiorem etiam quantitatem donare potest, ad sublevandam alterius ecclesiae inopiam, sive ad dotem constituendam, ad quam tenetur, si ecclesiam vel ipse, vel antecessor eius aedificavit, et non dotavit.

Quarto patet *ex cap. Pastoralis*, 7. *h. t.* sub verbis illis, quibus consentiente patrono, ecclesiam aliquam concedit religiosis episcopus: *Concedimus vobis hanc ecclesiam:* donari tali monasterio a patrono, quod suum est, ius scilicet patronatus; et ab episcopo temporales proventus, si quos in ea ecclesia obtineat, vel si nullos proventus in tali ecclesia habeat, donari omnes illius ecclesiae proventus monasterio (ita tamen ut donatio talis cum consensu capituli fiat, tanquam alienatio) ut ne frustratoria videatur, aut ex parte patroni, aut ex parte episcopi donatio talis, si nihil per eam in monasterium v. gr. transferatur: excipitur tamen in tali etiam donatione, quibuscunque tandem generalibus verbis fiat cathedraticum, visitatio, et correctio, quae semper in tali ecclesia manet episcopo.

§. V. *Qualis in dubio interpretatio fieri debeat donationis, et quando praesumi possit donatio?*

Donationis inter vivos latissima facienda est interpretatio in favorem donatarii, prout constat *ex c. Cum dilecti*, 6. *h. t.* cum enim donationes inter vivos ex mera liberalitate procedant, merito praesumitur, quod largissime etiam voluerit donator eas intelligi, et nullo modo restringi, nisi ille id exprimat; non quidem quasi latissima illius explicatio facienda sit in praeiudicium tertii, aut quatenus derogat iuri communi, quam extendi debeant *iuxta regul.* 15. *in* 6. *h. t.* sed quando agitur de praeiudicio tantum concedentis. Et quamvis sit generalis regula, quod donatio praesumi non debeat, quoties alia interpretatio, vel coniectura fieri potest, cum nemo, tam facile censeatur rebus suis se privare, patitur tamen etiam haec regula suas exceptiones, sic primo si vir nobilis, aut illustris, et dives det aliquid, donare praesumitur, modo summa, aut res data non sit notabiliter magna, cum liberalitas sit propria virtus nobilium, ut insinuat pontifex *in c. Prudentes h. t.* secundo praesumitur donatio facta, cum merita ex parte donatarii praecesserunt; in isto enim casu praesumitur facta fuisse donatio remunerato-

ria: tertio praesumitur donatio, cum venditor rem suam, nulla necessitate, aut dolo inductus, sciens illius iustum pretium, leviore tamen pretio vendit etc. vide apud Menochium plures casus praesumptae donationis *de arb. Iudic. casu* 8. *n. ult.*

§. VI. *An, et quando donatio inter vivos revocare possit, ob ingratitudinem?*

Donatio inter vivos semel legitime facta, et acceptata revocari regulariter non potest (quia semel legitime acquisitum, auferri huic non potest, nec quidem a principe, nisi ex iusta publicae utilitatis v. gr. causa) si tamen donatarius se exhibeat erga donantem, impias v. gr. et violentas manus in illius personam, aut proxime illi coniunctam iniiciendo, atrocibus iniuriis, sive verbis contumeliosis, et iniuriosis in eum invehendo, grave damnum ipsi in rebus suis inferendo, grave vitae periculum, et insidias vitae illius struendo etc. poterit ob ingratitudinem talem, a donante de rigore iuris, sive iuxta ius scriptum, donatio facta revocari, ita ut probata ingratitudine, et sententia pro donatore a iudice lata (sine cuius sententia non fit ipso iure ob ingratitudinem revocatio donationis) fructus etiam ex re donata, a tempore contestatae litis percepti, restitui debeant.

Neque tamen quaelibet donatio ob ingratitudinem revocari potest; sic primo remuneratoria donatio, vel ob causam facta revocari non potest ob ingratitudinem, tum quod non sit proprie dicta donatio, et consequenter sub odioso revocationis verbo non comprehendatur, tum quod vim habeat potius iustae compensationis, quam mere liberalis donationis, si tamen merita praestita non multum excedat. Secundo revocari non possunt donationes factae ecclesiis, monasteriis etc. ob ingratitudinem praelati, seu administratoris, vel capituli, aut utriusque simul, quia tales donationes censentur factae Deo, in quem nulla ingratitudo cadere potest. Tertio revocari non potest donatio pro dote assignata filiae, ob eius, aut mariti ingratitudinem, post contractum matrimonium, cum donatio talis ob causam necessariam facta, non videatur habere sufficientem liberalitatem; sicut et donatio propter nuptias facta. Quarto revocari non potest collatio beneficii ob ingratitudinem beneficiati in collatorem, quamvis enim talis collatio, donationis aliquid videatur habere, proprie tamen donatio non est, cum collator, etiamsi non necessario huic conferre debeat beneficium, absolute tamen ad beneficium conferendum obligetur. Quinto si donator scivit ingratitudinem donatarii, et tacuit, voluntatem revocandi donationem nihil declarando, non potest haeres illius, aut successor post mortem illius revocare factam donationem, tum quod ius revocandi sit ius personale, ex speciali ratione donanti conveniens, quod cum illius morte, sicuti alia iura mere personalia, extinguitur; tum quod remisisse talem revocationem censeatur donans, qui scivit donatarii ingratitudinem, contra eum tamen nihil movit.

§. VII. *De aliis duabus causis revocandi donationem inter vivos, ob supervenientiam scilicet liberorum, et inofficiosam donationem?*

Si quis liberos non habens, omnia sua bona, vel partem eorum notabi-

lem donavit, donatione proprie dicta, quae non tam remuneratoria est, aut piae causae facta, ac postea inopinato, et praeter spem liberos legitimos suscipiat, etiamsi unicus ille tantum filius esset, revocare potest donationem factam, eo quod censeatur donatio facta talis, naturali iure sic praesumente, nisi liberi nascantur, cum nemo censeatur, extraneos posteris suis, seu liberis praeferre, ita ut etiamsi ecclesiae, aut piae causae facta sit talis donatio, saltem usque ad legitimam liberorum revocari possit.

Denique etiam revocatur donatio inofficiosa, quae nimium facta est contra officium paternae pietatis in filios ad minuendam legitimam, qui per querelam apud iudicem institutam, post mortem parentis donantis, saltem usque ad legitimam, revocare possunt donationem factam: de qua querela, et inofficiosae donationis revocatione plura civilistae.

TITULUS XXV.

DE PECULIO CLERICORUM.

Peculii nomine hic veniunt bona clericorum, seu beneficiatorum saecularium; quae bona in triplici differentia sunt, alia enim sunt bona patrimonialia, quae clerico beneficiato competunt ex haereditate v. gr. ex donatione, aut aliis contractibus civilibus etc. quae bona etiam peculium castrense dicuntur. Alia sunt bona quasi patrimonialia, bona sive peculium quasi castrense, quae clerici beneficiati acquirunt, ut stipendia suorum laborum, officiorum, et ministrorum ecclesiasticorum. Alia denique dicuntur bona mere ecclesiastica, sive peculium profectitium, aut redditus beneficiorum, quos habent tales beneficiati clerici, vi suorum fienciciorum ecclesiasticorum. De his ergo bonis clericorum sit.

§. I. *An clerici sint veri domini bonorum, ac redditium ecclesiasticorum, quos ratione beneficii percipiunt, etiam superfluorum; an vero sint administratores tantum eorum?*

Certum est primo, quod clerici beneficiati saeculares domini sint suorum bonorum patrimonialium, et quasi patrimonialium, et de his plene disponere possint tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem non minus, quam laici, prout constat ex *c. Quia nos*, 9. *De testament.* neque enim per ordinem, aut clericatum fiunt incapaces dominii, aut eo se abdicant. De bonis ergo, seu de redditibus mere ecclesiasticis, quos ratione suorum beneficiorum habent, est quaestio tantum, utrum horum etiam sint domini. Qua in re certum est secundo, quod eorum proventuum, quos ex bonis ecclesiasticis ratione suorum beneficiorum percipiunt, verissimi sint domini tales clerici beneficiati saeculares quoad illam partem, quae ipsis ad vitae honestae sustentationem, necessaria est, ut possint etiam de hac parte pro suo arbitratu, ad profanas causas, dum vivunt, disponere, si quid ob parsimoniam propriam, de his honestae sustentationi necessariis fructibus, comparent; habent enim se hi fructus ad sustentationem honestam necessarii, sicuti iustum stipendium, quod numerari solet, ad certa obsequia obligatis, ergo sicuti hi verissimi domini huius iusti sui stipendii fiunt, ita etiam

perfectum dominium suorum fructuum, ad honestam sustentationem sibi necessariorum, habent hi clerici beneficiati. Tertio denique valde probabile est, quod pleni, et perfecti etiam domini sint hi clerici saeculares beneficiati, reddituum beneficialium, etiam superfluorum, qui scilicet ad competentem clerici talis sustentationem necessarii non sunt, ita tamen, ut obligationem habeant hi clerici in pios usus eos expendendi; dicitur enim *in cap. unico De clericis non residentibus in 6. et in Trident. sessione 23. cap. 1. De reformat.* quod absentes a divinis officiis, sine iusta causa, vel non residentes, fructus suorum beneficiorum non faciant suos, et privari debeant fructibus, quos lucrari poterant, si ultra tempus constitutum a beneficio abfuerint; quae verba satis probant a contrario sensu, quod dominium suorum fructuum acquirant beneficiati, si quoad residentiam suae obligationi satisfaciant, cum fructus facere suos, aut lucrari, idem sit ac dominium acquirere: quod autem huic dominio etiam adsit obligatio expendendi in pauperes, aut pias causas fructus tales superfluos, ex variis iuribus probatur, et ex mox dicendis patebit.

§. II. *Utrum clerici beneficiati ex lege iustitiae teneantur redditus superfluorum beneficiorum erogare in pios usus, an vero ex alia lege, vel praecepto, sine onere restitutionis ?*

Obligari tales clericos ex iustitia ad fructus hos superfluos expendendos in pauperes, vel alias pias causas plurimi docent, ita ut ad restitutionem faciendam ex aliis suis bonis teneantur, si superfluorum suorum reddituum aliquid in profanos usus expenderint tanquam sententiam valde probabilem, omnibus beneficiatis in praxi consulendam, fatentur etiam aliqui, qui contrariam sententiam tuentur, tum quod satis efficaciter ea probetur, non tantum ex variis iuris antiqui textibus, sed ex *Trident.* etiam *sess. 25. cap. 1. De reformat.* et ratio etiam probat, quae cum hoc onere, pacto, et modo, data haec beneficiatis, putat, ut superflua in pios usus expendant, neque ostendi possit, contra quam legem peccent beneficiati, superflua haec in profanos usus expendendo, nisi obligari eos ex iustitia dicatur. Contraria tamen sententia, quod non obligentur ex iustitia, ad superfluos hos fructus in pias causas expendendos, sed ex charitate tantum, quae obligat ad subveniendum pauperibus, ut volunt aliqui; vel ex religione desumendo obligationem talem ex ipsa bonorum talium, Deo et sanctis oblatorum, natura, qua expendi volunt, ut sanctos decet, prout putant alii, vel ex alio iuris positivi humani praecepto, ex variis iurium textibus petito etc., communi hodie usu, et consuetudine recepta est, ac ob plurimorum Auctorum auctoritatem valde probabilis, cum obligatio iustitiae non facile probari possit ex fundatorum, aut haec bona conferentium voluntate, qui tam rigidi ad clericos, sub hoc onere, obligandos, vix videntur praesumi posse, absque irreverentia in statu clericali: neque conscientiam sibi facile faciant restitutionis, dantes clerici haec bona ad profanos usus, consanguineis v. g., aut accipientes laici talia bona ad profanum usum ipsis expensa; et facile etiam explicentur sancti patres et ss. canones, qui contrarium videntur asserere, aut restitutionem faciendam insinuare, loqui scilicet illos, de illo tempore, quo

nondum bona ecclesiae in quatuor partes distributa fuerunt, una scilicet cederet episcopo; altera clericis aliis; tertia fabricae; quarta pauperibus: hodie tamen post divisionem hanc legitima auctoritate factam, cessat haec obligatio institiae.

§. III. *Ad quem pertineant bona acquisita a clerico beneficiato, et meliorationes factae in rebus ecclesiae; num ad ecclesiam, an vero ad ipsum beneficiatum?*

Prima quaestio non ex regula aliqua generali, sed ex variis coniecturis, et circumstantiis decidi debet; si enim praelatus, vel rector ecclesiae, aut alius beneficiatus, nihil, vel parum patrimonii, eo tempore habuit, quo ad praelaturam talem aut beneficium promotus fuit, praesumitur (caeteris paribus) ea bona, fundos v. gr. praedia etc., quae postmodum ab eo acquisita sunt, ex redditibus ecclesiae fuisse coëmpta, et ad ecclesiam pertinere, prout statutum habetur *in cap. Investigandum*, 1. *h. t.* neque enim decens est, ut qui nullum, vel exiguum patrimonium habet, sibi patrimonium acquirat ex redditibus ecclesiae, per prohibitam v. g. negotiationem. Si vero proprium matrimonium eo tempore habuit, et hoc quidem amplum, cum tamen redditus tenues beneficii essent, ex propriis potius, quam ex ecclesiae redditibus, comparasse sibi talia bona censeri debet, quae praesumptio etiam tunc locum habet, quando beneficiatus v. g. proprio nomine talia bona emit, et quiete, ac pacifice aliquamdiu possedit, ita ut in tali casu, pro possessore, eiusque haerede praesumi debeat, cum delictum in dubio non sit praesumendum. Saepius tamen casus contingere potest, vel ratione patrimonii habiti, vel ratione industriae adhibitae, ut bona taliter a clerico beneficiato coëmpta, sive proprio, sive alieno nomine coëmpta sint, inter ecclesiam, et haeredes beneficiati, sint dividenda, nisi clare constet ex bonis patrimonialibus tantum comparata haec fuisse, quo in casu ad haeredes beneficiati taliter comparata transibunt; vel nisi constet ex redditibus tantum ecclesiae comparata ea fuisse, quo in casu, ad ecclesiam taliter coëmpta pertinebunt sive proprio, sive alieno nomine coëmpta sint, prout etiam habetur *in cap. Inquirendum*, 4. *h. t.* et quamvis *in cap. Presbyter*, 2. *h. t.* statuatur, ut in casu, quo res aliqua ex redditibus ecclesiae emitur v. gr. instrumentum emptionis, nomine ecclesiae, conficiatur sub poena adimendae administrationis, poenam tamen hanc non incurrit, qui monitus, ut rem taliter emptam ecclesiae incorporare facit, quod monetur, etiamsi instrumentum nomine ecclesiae confectum non sit, cum delictum non censeatur in tali casu in effectum deductum.

Meliorationes vero, si quas in ecclesiae bonis facit beneficiatus, fundus v. gr. steriles ad fertilitatem, vel saltem ad maiorem fertilitatem reducendo, relinquuntur quidem beneficiato, ut illis frui possit, dum vivit; post mortem vero illius tales meliorationes, aut illarum aestimatio, non transeunt ad haeredes beneficiati, sed penes ecclesiam manent, si ex redditibus ecclesiasticis meliorationes illae factae fuerunt, ita ut nec impensae factae restitui debeant (sicuti enim aequum est, ut illi relinquatur terra possidenda, et fruenda, quam sua industria excoluit, ita aequum etiam est, ut quae ex

ecclesiasticis redditibus, meliorata sunt, ecclesiae maneant, post mortem illius, qui meliorationes tales sumptibus ecclesiae fecit) si vero meliorationes tales factae fuissent sumptibus proprii patrimonii, aut ex quasi patrimonialibus bonis, haeredes talis beneficiati defuncti petere poterunt talium meliorationum aestimationem nisi appareat, aut probari possit, animo donandi ecclesiae suae factas has meliorationes fuisse, ut ne ex alieno, sine meliorantis voluntate, ditescat ecclesia.

TITULUS XXVI.

DE TESTAMENTIS, ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

SECTIO I.

De definitione, et divisione testamenti, et solemnitatibus ad illud requisitis?

§. I. *Quid, et quotuplex sit testamentum, et quae solemnitates requirantur ad illud spectato iure communi?*

Testamentum recte definitur, *quod sit nostrae voluntatis iusta sententia*, (perfecta scilicet, quae continet directam haeredis institutionem, et in qua omnes iuris solemnitates, ad valorem testamenti requisitae, adhibentur, ut ait *glossa in l. 1. ff. Qui test. facere possint*) *de eo, quod quis post mortem suam fieri velit:* ita ut origine, sit iuris gentium (cum apud omnes gentes antiquissimus usus fuerit, ut de rebus suis in casum mortis disponerent) quoad formam vero sit iuris civilis, ob solemnitates ab hoc iure, ad valorem testamenti introductas.

Dividitur autem testamentum primo, in perfectum, et solemne, in quo nulla deest solemnitas, a iure requisita; et in minus solemne, ac privilegiatum, in quo etiamsi non omnes solemnitates a iure requisitae interveniant, ex privilegio tamen suum valorem habent, qualia sunt testamenta ad pias causas, testamenta inter liberos, testamenta apud acta, tempore pestis, a milite in militia etc. facta. Solemne testamentum subdividi solet in scriptum, quod in scriptis exhibetur, adhibitis requisitis solemnitatibus; et nuncupativum, quo scilicet testator coram requisitis testibus voluntatem suam voce exprimit, sive deinde notarius voluntatem hanc testatoris in scripturam redigat, ad faciliorem probationem, sive non, cum ad formam nuncupativi huius testamenti non requiratur scriptura. Ad scriptum antem testamentum plures solemnitates de iure civili requiruntur, quarum exactior explicatio a civilistis petenda est: ut tamen non omnino sint incognitae, requiritur primo, ut expressis verbis haeres instituatur, et nomen haeredis, vel propria manu testatoris in testamento scribatur, vel si aliena manu scriptum sit testamentum, subscribatur a testatore propria manu, vel octavum testem adhibeat, qui nomine, et loco illius subscribat, et sic subscriptum testamentum testibus ostendat, dicens in illo contineri suam ultimam voluntatem. Secundo requiritur, ut in solemni tali testamento, septem testes adhibeantur, et hi sint rogati, sive ad hoc vocati, et invitati, qui sint liberi masculi, et puberes, qui sint extra suspicionem falsitatis, et ipsi vel haeredes, vel legatarii institui possint, et ad testificandum in iudicio sint idonei, ac praesentes

coram intueantur testatorem. Tertio requiritur, ut omnes, et singuli subscribant propria manu, ac subsignent proprio, vel alieno sigillo. Quarto denique requiritur, ut totum negotium testandi, uno eodemque tempore, et loco, uno contextu, nullo alio negotio interveniente peragatur, nisi modica sit tantum interruptio, ob urgentem causam: ad nuncupativum tamen testamentum sufficit, si testator coram septem testibus idoneis, quales modo descripsimus, ad hoc specialiter vocatis, suam voluntatem, circa haeredis institutionem, et legata palam articulata, et distincta voce aperiat, ut intelligi possit; et quamvis etiam in hoc nuncupativo testamento scriptura adhiberi possit, haec tamen non est de substantia talis testamenti, sed conducit tantum ad meliorem probationem. Vide civilistas.

§. II. *An solemnitates iuris civilis requirantur etiam ad testamentum de iure canonico?*

Respondetur certum esse, quod de iure canonico in terris temporali iurisdictioni summi pontificis subiectis, non requirantur solemnitates omnes de iure civili requisitae, sed sufficiat ad valorem testamenti, ad profanas causas facti a parochiano coram duobus, aut tribus testibus idoneis, et parocho, aut in vicem parochi, duobus aliis testibus praesentibus, factum id fuisse, prout clare id constat ex *c. Cum esses*, 10. *h. t.* non quidem, quod maior numerus testium contra legem divinam, sanctorum patrum instituta, et generalem consuetudinem ecclesiae positive prohibentem, sit, sed quod nullibi talis maior testium numerus in lege divina, aut ss. patrum institutis, aut a generali ecclesiae consuetudine requiratur. Quod vero clerici etiam in terris imperii, aliorumque regnorum, valide testari possint (caeteris paribus) iuxta relatam dispositionem iuris canonici *in cit. cap. Cum esses*, relatam, probabile quidem est, cum non videantur esse obligati ad dispositionem iuris civilis, nimium restringentis, ad certas solemnitates testandi licentiam, et quia in clericos iurisdictio laicorum tam facile materia odiosa non admittitur, monent tamen passim Auctores attendendam esse in praxi loci consuetudinem, iuxta quam in terris imperii, in testamentis etiam clericorum ad profanas causas factis, iuris civilis dispositio attenditur; sicuti enim in materia contractuum accommodare se debent clerici legibus politicis saecularibus, ita etiam in materia testamentorum.

§. III. *An sicut testamentum sine solemnitatibus iure positivo requisitis factum, ad profanam causam, in foro externo invalidum est, ita etiam sit invalidum in foro conscientiae?*

Omnes in hoc conveniunt, quod lex humana, sive ecclesiastica, sive civilis illa sit, possit certam formam, ac solemnitates praescribere actui, quibus non observatis, actus sine talibus requisitis factus, in utroque tam conscientiae, quam externo foro, nullus sit, ante omnem iudicis sententiam; quomodo autem de facto forma, et solemnitates in testamentis requisitae, se habeant, multum quidem, probabiliter tamen in utramque partem disputatur. Probabiliora videntur:

Quod haeres in testamento minus solemni institutus, uti et legatarius,

si certus sit, quod testator voluerit ipsi haereditatem, vel legatum acquiri, retinere possit in foro conscientiae haereditatem talem, aut legatum tale, si sine vi, et fraude ea consecutus sit, donec in iudicio ab ipso repetatur, cum enim naturaliter sit debita, ex voluntate defuncti, et tantum civiliter, ex defectu solemnitatum indebita, repeti quidem poterit in iudicio, si errore facti soluta sit, ad nullam tamen restitutionem in foro conscientiae, ante sententiam iudicis obligatur haeres talis, vel legatarius, cum ex obligatione naturali ea soluta sint. Si tamen contra haeredem talem, in testamento tali minus solemni, et non privilegiato scriptum, sententia a iudice feratur, qua ad restituendam haereditatem haeredi ab intestato v. gr. condemnetur, tenetur in conscientia restituere haereditatem, si eam iam adsit, et legatarius legatum, tum quod naturalis obligatio inefficax sit, quae per exceptionem legis civilis elidi potest, tum quod testamenti valor a iuris positivi solemnitatibus dependeat, et consequenter haeres, aut legatarius esse non possit, qui contra se ius positivum babet, saltem post sententiam iustam iudicis conformiter legibus positivis latam.

§. IV. *An solemnitates iuris civilis requirantur in testamentis ad pias causas?*

Respondetur negative, ad horum enim testamentorum valorem in utroque foro, in favorem piarum causarum, plus non requiritur, quam ut habeantur ea, quae de iure naturali, ac gentium requiruntur: voluntas scilicet testatoris, et potestas testandi, ac de his constet, prout sumitur ex *c. Relatum*, 11. *h. t.* ita ut testes etiam, qui hoc capitulo requiruntur, non tam requirantur ad valorem testamenti talis, quam ad probationem, si de voluntate testatoris aliunde non constet, neque enim causae tales, ut ait pontifex, secundum leges civiles tractari debent, aut ecclesiis ob iuris civilis dispositionem praeiudicari: et hinc valida sunt testamenta ad pias causas, si solo nutu, aut signo externo voluntatem suam declaravit testator, etiamsi nulla in tali testamento fuerit facta haeredis institutio; etiamsi testes, qui in talibus testamentis ad probandum interveniunt, rogati non sint, aut sint foeminae; etiamsi in alterius arbitrium sit facta commissio, ita ut legata pia in testamento tali non solemni, aut imperfecto facta, solvenda sint etiam si testamentum quoad haeredis institutionem nullum sit, et valeant etiam legata profana in testamento ad pias causas facto, quamvis non omnes solemnitates a iure civili requisitae intervenerint etc.

SECTIO II.

De iis, qui testamenta facere possunt, vel non?

§. I. *Quinam iure communi prohibeantur testamentum facere?*

Omnibus concessum esse de bonis suis ante mortem disponere, per ultimam voluntatem, nisi iure naturali, vel positivo, ob gravem causam prohibeantur, habetur ex *lege* 1. *cap. De ss. ecclesiis.* Prohibentur autem ob impedimentum naturae, qui usu rationis carent; impuberes, muti, et surdi simul a nativitate, coeci, qui testari non possunt, nisi nuncupative etc.;

iure positivo vero prohibentur servi sive mancipia; prodigi, quibus interdicta bonorum administratio; captivi, sive obsides apud hostes retenti; damnati ad mortem naturalem, vel civilem; filiifamilias, sub patria adhuc potestate existentes, qui non possunt de bonis adventitiis testari; usurarii manifesti, nisi prius de usuris satisfecerint; excommunicati propter haeresim, vel ob percussionem cardinalis, clerici etc., de quibus tamen plus dicetur §§. *sequentibus*. De aliis vide civilistas.

§. II. *An, et quibus bonis episcopi, aliive praelati ecclesiastici, et beneficiarii testari possint, vel non?*

De bonis suis propriis, sive de patrimonialibus, testari hos, et clericos omnes saeculares posse, sive ante praelaturam, aut susceptum beneficium, vel ordinem, sive postea patrimonium tale acquisiverint, ut et de bonis quasi patrimonialibus, quae ut iustum sui laboris stipendium, aut praesentiae praemium ex bonis etiam ecclesiasticis obtinent, aut in compensatione certorum obsequiorum ecclesiae praestitorum, aut factarum ex patrimonio suo expensarum in pias causas, aut ecclesiae utilitatem, vel denique, quae ex bonis his suae congruae sustentationi concessis comparaverunt, passim omnes docent; et ex variis iuribus patet: quia in his bonis verissimi, et perfecti domini sunt, ad instar laicorum, et consequenter de illis instar laicorum, tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem disponere possunt; aliter tamen loquendum de illis redditibus ecclesiasticis, quos ex vi tituli sui, aut beneficii, suae congruae sustentationi nihil necessarios percipiunt, de quibus, uti et de illis, quae ex talibus redditibus comparaverunt, quod testari non possint, sed relinquenda sint haec ecclesiae, (nisi ad pias causas, vitae tempore, redditus illi donati fuerint) plura iterum iura asserunt *cap.* 7. 8. 9. 11. *etc. h. t.* ut a successore v. g. cui bonorum ecclesiae illius administratio competit, in pios usus expendantur; vel a capitulo, si ad illud talia bona devolvantur, velut legitimis administratoribus, aut in communi massa pro futuris necessitatibus reserventur, aut inter capitulares distribuantur, vel alios pauperes praebendatos, prout ex *cit. cap. Relatum*, patet; nisi in tali ecclesia sit usus receptus, ut quae post mortem beneficiati remanent, sint spolia sedi, vel camerae apostolicae applicanda, de quibus tamen spoliis in nostris partibus parum scitur.

§. III. *An per consuetudinem saltem immemorabilem introduci possit, ut beneficiarii de redditibus ecclesiasticis superfluis, et quae ex illis comparata sunt, libere, ac licite testentur etiam ad profanas causas?*

Affirmant aliqui, et hanc consuetudinem etiam in quibusdam nostrae Germaniae locis vigere putant, saltem quoad clericos beneficiarios, episcopo inferiores: verior tamen est negativa sententia, non tantum respectu episcoporum, et similium praelatorum, sed etiam respectu aliorum beneficiatorum, si superfluos redditus non tantum in modica quantitate habeant, (de quibus ut testentur etiam ad profanas causas concedi fortassis potest consuetudo, cum in moralibus his modicum non soleat observari, neque tam exacte distingui possit, quantum alicui ad necessariam sustentationem, aut conve-

niens laborum stipendium, concedi debeat) sed si habeant in notabili excessu redditus superfluos; quamvis enim per consuetudinem introduci possit, ut beneficiarii etiam episcopi, aliique praelati, qui reddituum ecclesiasticorum administrationem habent, de superfluis redditibus, et bonis mobilibus (non tamen valde pretiosis) testari ad pias causas possint, (cum enim per talem dispositionem nec laedatur ius divinum, nec voluntas fundatorum, sed positivo tantum humano iuri, dispositionem talem per ultimam voluntatem prohibenti, consuetudo talis contraria sit, consequenter abrogari per contrariam consuetudinem ius tale poterit), non potest tamen per ullam consuetudinem etiam immemorialem introduci, ut ad profanas causas de talibus redditibus superfluis testentur valide beneficiati, uti probant aliqui ex *c. Relatum*, 12. *h. t.* cum consuetudo talis non tantum iuri positivo humano, sed iuri etiam divino, et naturali contraria sit, et consequenter irrationabilis, in quantum scilicet peccatum fovet, et nutrit, quod incurrunt clerici, si inter vivos, etiam quoad causas profanas disponant; et quamvis consuetudo haec in aliquibus partibus vigeat, censendum tamen est, tolerari eam magis, quia facile aboleri non potest, et ut maiora mala caveantur, quam quod approbetur ut bona, et laudabilis. Certe in multis etiam partibus absolute est prohibitum clericis, de redditibus his talibus ecclesiasticis sive inter quasi patrimonialia bona numereutur, sive sint redditus superflui, sine licentia episcopi testari, ne scilicet multa fiant in fraudem sacrorum canonum.

§. IV. *An, et quatenus religiosis sit prohibitum vel permissum testamentum facere, sive professi, sive novitii sint?*

Religiosi professi, quamvis ordinum praelati sint, quod absolute testari non possint, probat solemne paupertatis votum, quod sicuti illos dominii incapaces facit, ita reddit etiam incapaces testamenti faciendi, uti colligitur etiam ex *c. Quia ingredientibus*, 2. *h. t.* Neque ad hoc licentiam concedere possunt superiores alii regulares; quamvis enim cum licentia superiorum suorum modicum quid donare possint causa mortis, testamentum tamen facere non possunt (cum plus sit testari, quam mortis causa modicum quid donare) sine expressa pontificis summi licentia, qui sicuti militaribus ordinibus licentiam testandi de redditibus suis, cum suorum superiorum facultate, concessit, ita potest eam concedere etiam aliorum ordinum regularium professis, liberam concedendo administrationem, et usum aliquarum rerum, etiam per ultimam voluntatem, ita tamen, ut si simpliciter tantum concedatur illis testandi licentia, intelligatur, quod testari possint de bonis, quae de facto possidet religiosus (nec quidquam fiat in praeiudicium monasterii), et quod testari possint ad pias causas tantum, cum facultatem talem concedens pontifex, non videatur velle derogare iuri superiori, et speciali. Inferunt quidem aliqui ex hac a pontifice obtinenda licentia, posse etiam per consuetudinem introduci, ut religiosi testari, ad pias saltem causas, possint, de bonis scilicet, quae cum licentia suorum superiorum de facto possident, sed male, cum talis consuetudo solemni paupertatis voto repugnet, quo renuntiat religiosus omni proprietati, et dominio, neque ex eo casu, quo spe-

cialiter nonnunqnam ex causa lusta, per privilegium, concedit aliquid pontifex, argnmentum dnci debet, ad universalem consuetudinem introducendam.

Novitiis tamen religionum conceditur de iure commnni testandi licentia de suis bonis pro beneplacito eorum, sive ante ingressum in novitiatum, sive post ingressum, ante professionem tamen, testari velint, nihil nd hoc requisita superiornm licentia, cum sint simpliciter sui adhuc iuris, et perfecti suorum bonorum domini; neque in iure illis prohibita sit testamenti factio, ita tamen ut in tali testamento observari debeant iuris civilis solemnitates, et hodie etiam, quae *Trid. sess.* 25. *cap.* 6. *De regular.* statuit, prout pluribus dicetur titulo 31.

SECTIO III.

De haeredum institutione, et substitutione.

§. I. *Quinam haeredes institui possint in testamento, et an etiam ordines religiosi, eorumque professi?*

Haeredes institui regulariter possunt omnes, non tantum singuli, ac privati cuiuscunque conditionis, ac qualitatis sint, sed communitates etiam, et collegia, etiam ordines religiosi, qui capaces sunt possidendi bona immobilia in communi, et talium ordinum religiosi professi (ita tamen, ut bona relicta non acquirantur monacho, sed monasterio) qualiter capaces sunt post *Trid. sess.* 25. *c. De regular.* omnes tam virornm, quam mulierum, etiam mendicantes religiosi ordines, praeter fratres minores de observantia, et capucinos, quorum nec professi, nec monasteria, nec ecclesiae (iuxta probabiliorem sententiam) institui haeredes possnnt: ex probabili tamen sententia aliquorum ita haeres institui potest aliquis, ut vendat haereditatem, et ex pretio delato necessaria fratribus subministrentur, cum in tali casu non tam religiosus, aut ordo, quam alius hneres, cum certo onere quodam instituatur, quod prohibitum non est; Societatis vero Iesu collegia, et domus professae, quamvis ipsi professi, aut formati coadiutores haeredes institui non possint, neque ab intestato succedere, et neque domus ipsae, aut collegia, suis religiosis professis, aut formatis coadiutoribus succedant, possunt tamen institui haeredes, cum nullibi reperiatur, quod institutionis talis sint incapaces; ita tamen, ut domus professae, si in bonis immobilibus instituantnr haeredes, retinere haec non possint, sed vendere debeant, oblata opportuna vendendi occasione, et pretium inde comparatum, non quidem ad annuos census comparandos, et stabiles redditus, sed pro occasione in usus necessarios domus professae converti debeant (nisi sint talia bona, quae habitationi inservire possunt, aut horti sint, in infirmorum solatium, aut occupatorum distractionem); videantur de his particularibus, particularia ordinum instituta.

§. II. *De substitutionibus, quae haeredibus, ut plurimum, fiunt in testamento?*

Materia haec quidem fnsius explicatur a civilistis, quorum est explicatins tradere, quae ad haeredis institutionem, substitutiones, legitimam, fal-

cidiam, trebellianicam etc., scitu sunt necessaria; ne tamen nulla etiam hic fiat eorum mentio, cum aliqua ss. can. capitula de illis agant, breviter delibandum aliquid est, magis ad cognoscendos terminos, quam ad plenam materiarum talium cognitionem.

Substitutio ergo, de qua hic quaestio est, aliud non est, *quam subordinata quaedam haeredis institutio*, *in secundo vel ulteriore gradu;* sive clarius loquendo *est unius*, *vel plurium in alterius*, *aut aliorum locum in ultima voluntate facta vocatio:* et haec quidem, vel directa est, quando haereditas directe, et immediate sine ministerio instituti defertur, ut cum dicit testator, instituere se haeredem Titium, et si hic haeres non sit futurus, Caium se instituere haeredem suum: vel indirecta est, et obliqua, quando scilicet haereditas, mediante alio primo instituto, alicui defertur, ita ut ille, qui primo instituitur, gravatus, et obligatus maneat, totam, vel partem haereditatis tradere alteri, quae substitutio dicitur etiam fidei commissaria. Directa vero substitutio in quinque alias species subdividitur; prima dicitur vulgaris, quae a quolibet testandi facultatem habente, cuilibet, qui haeres institui potest, fieri potest; instituo v. g. haeredem meum Titium, et si hic haeres non sit futurus, Caius haeres meus esto. Secunda dicitur pupillaris, per quam parens liberis suis impuberibus in sua potestate constitutis, nec in alterius potestatem post mortem illius recasuris, quos haeredes instituit, substituit alium sub conditione, si ante annos pubertatis illi decesserint. Tertia dicitur exemplaris sic dicta, quia introducta est ad exemplum pupillaris; ob quod etiam quasi pupillaris dicitur, qua parens v. g. sibi faciens testamentum, liberis suis furiosis, aut mente captis, puberibus, etiam emancipatis, legitima portione ipsis relicta, haeredem substituit. Quarta dicitur reciproca, seu breviloqua, in qua testator duos, vel plures haeredes instituit, eosque sibi invicem substituit, instituo Caium, et Titium haeredes meos, eosque invicem substituo, ita ut si Titius non sit haeres, Caius sit, et vice versa. Quinta dicitur denique compendiosa, quae verborum compendio plures in se continet substitutiones secundum diversa tempora, et aetates etc., ut cum dicit testator, instituo filium meum haeredem, et si iste decesserit, substituo ei Caium, quo in casu, si ante aditam haereditatem, et ante testatorem obierit v. gr. filius, ex vulgari substitutione Caius succedet: si vero post aditam haereditatem, ante pubertatem tamen decesserit filius, ex pupillari substitutione succedit Caius.

§. III. *An per substitutionem pupillarem excludatur mater a successione filii impuberis?*

Quod per substitutionem pupillarem expressam excludatur mater impuberis filii, et omnes ascendentes per lineam maternam (ac multo magis fratres, aut alii consanguinei) a successione huius, etiam quoad legitimam ex variis iuris civilis textibus, et ex *c. Si pater*, *h. t. in* 6. patet; quamvis enim, ut ait pontifex *in citat. capit.* filius aut filia in testamento suo, matrem legitima portione, iure naturae ipsi debita, privare non possit, potest tamen pater in testamento, quod filio impuberi fecit, matrem omnino excludere, cum tale testamentum non tam sit filii; qui matrem a legitima

excludere non potest, si testamentum facere possit, quam paternum filio impuberi factum, qui cum nihil uxori suae debeat in testamento a se facto, per substitutionem talem expressam, eam videtur omnino exclusam voluisse: neque tamen taliter exclusa censeri debet mater per substitutionem pupillarem tantum tacitam, quae implicite continetur sub vulgari expressa, si filius impubes, scilicet, haeres non est, Caius haeres esto: quia leges tantum loquuntur de substitutione expressa pupillari, quod haec scilicet matrem excludat, ergo non debet extendi ad odiosam exclusionem per tacitam pupillarem, nisi ex certis coniecturis appareat mens patris testatoris, aut frater instituti filius testatoris substitutus sit, quia tunc praesumitur, quod testator voluerit hunc filium substitutum uxori praeferri. Vide plura circa hanc potissimam iuris civilis materiam apud *auct. Method.* §. *cit.*

§. IV. *De substitutione, quae fit per fideicommissionem?*

Fidei commissum in genere dici potest, *quod per intermediam personam, sive per ministerium alterius alicui relinquitur.* Duplex autem est tale fidei commissum, universale aliud, aliud particulare. Universale est, quando haeres in testamento institutus, vel ab intestato succedens, rogatur, vel iubetur, haereditatem talem, seu eius partem alteri tradere, quo in casu taliter rogatus, qui iubetur alteri tradere haereditatem etc., fiduciarius haeres dicitur; et ille cui iubetur tradere, fidei commissarius haeres dicitur; particulare vero fidei commissum est, quando res certa tamen in specie ab haerede alteri tradenda committitur, quod fidei commissum iure novo nihil differt a legato.

Quod possit autem testator haeredem suum etiam filium sic gravare, concedunt communiter omnes, ita tamen, ut si pater filium haeredem tali onere gravavit, haec semper tacita conditio, *si sine liberis mortuus fuerit*, subintelligi debeat; cum verosimile non sit, quod testator tali fideicommisso universali gravaturus fuisset filium, si de nepotibus, ex se descensuris, cogitasset, et extraneos substitutos his praeferre voluisset, prout habetur in *l. Cum acutissimi*, 30. *cap. De fidei com.* immo probabilius etiam est, quod si filio gravato in testamento patris, ut haereditatem, quando sine liberis decedit, restituat certo cuidam substituto, si religionem filius hic ingrediatur, ac profiteatur, monasterium tale (si bonorum, et successionis capax sit) excluso substituto, in bonis sui huius professi succedat, prout habetur ex *cap. In praesentia*, 8. *De probat.* cum de patre taliter testante pie praesumi possit, quod per hanc suam substitutionem non voluerit aut filii professionem in religione impedire, aut religioni praeiudicare, praeferendo huic extraneum substitutum, sed quod nullam, taliter substituendo, memoriam habuerit professionis religiosae, casum hunc certissime etiam excepturus, si de professione religiosa cogitasset: quae tamen praesumptio elidi potest, si de contraria voluntate testatoris (aliam piam causam, vel unum de familia etc., ut bona penes familiam maneant, substituentis, vel verbis claris expressa, aut ex manifestis coniecturis colligenda constet, quia veritas tollit praesumptionem, vel certe ingressus talis, animo fraudandi substitutum, factus fuisset (cum fraus nemini patrocinari debeat) vel in contractu

oneroso talis clausula adiecta esset, prout pluribus probant, plures etiam casus excipiendo, varii auctores.

§. V. *De deductione tum quartae partis trebellianicae ex fideicommissariis haereditatibus, tum legitimae?*

Ex iure civili constat, quod descendentibus sua iure naturae debeatur legitima, sive portio haereditatis, ex bonis testatoris, cuius necessarii haeredes sunt, titulo haereditariae institutionis, absque omni gravamine relinquenda, ita ut nullum sit testamentum, si nulla huius institutionis sit facta mentio, aut nullae causae legitimae expressae sint factae omissionis; prout pluribus videre est apud civilistas, qui portionem hanc volunt esse, de iure novo *trientem*, sive tertiam partem haereditatis, respectu descendentium, si quatuor, vel pauciores sunt liberi, si vero plures sint, quam quatuor, *semissem* sive dimidiam partem bonorum illius, cui succeditur, ita ut quoad originem quidem sit iuris naturae legitima, succedens in locum alimentorum, quoad quotam vero sit iuris civilis, aequaliter inter eos, quibus legitima debetur, dividenda.

Praeter hanc legitimam alia insuper portio est, quae ex fideicommissaria haereditate deduci potest, et vocatur trebellianica, introducta scilicet ex senatus consulto trebelliano, Trebellio Maximo, et Anneo Seneca consulibus; ut enim testatoris voluntati, et haeredibus taliter fidei commisso universali gravatis consuleretur, permittunt iura, ut haeres fiduciarius taliter gravatus, quartam partem de haereditate sic gravata, et restituenda detrahere possit, et sibi retinere, ita ut hanc quartam partem, haeres fiduciarius detrahere etiam possit, si gravatus sit a testatore, causae piae haereditatem restituere, in favorem scilicet piae causae, hanc detractionem permittente iure, ut ne scilicet, aut fideicommissum pereat piae causae, si haeres gravatus noluit adire haereditatem, aut litigare cum suo incommodo multum debeat pia causa, ut per iudicem cogatur haeres fiduciarius adire haereditatem. Utrum autem filius gravatus taliter, causae piae haereditatem restituere, duas possit portiones, legitimam scilicet et trabellianicam, deducere, multum inter se litigant civilistae, et canonistae. Sententia canonistarum, quae permittit duplicem hanc detractionem, probabilior videtur, ob claros textus ss. Canonum, praesertim in *cap. Raynaldus*, 18. *h. t.*; certe cuivis alteri creditori, si debitum aliquod a testatore petendum habeat, et tamen etiam simul haeres institutus ab illo sit, cum onere restituendae haereditatis piae causae, duplex detractio conceditur, debiti scilicet sui, et trebellianicae, cur ergo non etiam filio gravato ad restituendam piae causae haereditatem, duplex haec detractio permittatur, quarum prima iure naturae debita est, altera a iure positivo conceditur?

SECTIO IV.

De legatis, et fidei commissis particularibus.

§. I. *Quod sit legatum, et an res aliena legari possit?*

Legatum proprie dictum, et prout idem dicit ac actum legandi, bene definitur a iure, *quod sit donatio quaedam* (rei scilicet alicuius particularis

mere liberalis datio, nullum onus ex vi communis iuris annexum habens) *a defuncto relicta, et ordinarie ab haerede praestanda.*

Legari etiam potest res aliena, quae omnino ad extraneum pertinet, si sciat testator rem esse eam alienam, quia ut sic censetur gravare haeredem, ut rem illam alienam iusto pretio sibi comparet, et det legatario: vel si hoc a rei talis domino obtinere non possit, eo quod rem suam vendere non velit, aut saltem immodicum pro ea pretium exigat, iustam illius aestimationem, pro iudicis arbitrio, legatario solvat, ut scilicet effectum suum, optimo, quo potest modo, sortiatur testamentum, modo res legata sit in commercio hominum: debet autem ad hoc obtinendum legatarius probare, quod sciverit testator rem legatam esse alienam, si enim ignoravit hoc testator, nullum est rei alienae talis legatum, nisi legatum tale factum fuisset personae coniunctae, cum in favorem talium personarum, et testatoris, praesumatur in tali casu scientia. Neque contra hanc assertionem quicquam probat *cap. Filius*, 5. *h. t.* cum in illo capitulo tantum sit sermo de casu speciali, quo res unius ecclesiae legatae sunt alteri, cum tamen prohibita sit talis alienatio, et quod filiis de legitima sua satis ob hoc legatum consultum non fuit.

§. II. *An legata possint relinqui nudis verbis sine scriptura, et haeredis institutione, et quomodo praestanda sint legata incerta?*

Quod legata non tantum ad piam causam, sed etiam ad profanam causam nudis verbis, sine haeredis institutione fieri possint, probat *cap. Indicante*, 4. *h. t.* et quod in tali casu merito praesumi possit, voluisse legantem taliter intestatum quidem decedere, haeredem tamen suum ab intestato succedentem gravare, ut talia nuncupative facta legata praestet. Immo probabilius est, quod legata ad pias causas in testamento, non pendeant a valore testamenti, sed nihil minus praestanda sint, etiamsi nullum sit testamentum, ob defectum solemnitatum, aut ex alio capite irritetur, cum ad valorem talis legati plus non requiratur, quam de iure gentium et naturae requiratur ad validam donationem.

Quod si vero legatum relictum sit loco, aut personae incertae, eo quod plures eiusdem nominis reperiantur, neque ex coniecturis, aut aliis circumstantiis, pro certa persona, aut loco colligi aliquid possit, si legatum prorsus profanum sit, corruit de iure civili, ad cavendas multas lites; si vero sit ad causam piam, valet quidem, ita tamen ut ex aliis circumstantiis colligi debeat, cuinam ecclesiae v. gr. debeatur, vel certe in electione episcopi sit, legatum tale applicare ecclesiae, cui voluerit, vel dividi debebit inter ecclesias eiusdem nominis.

§. III. *Quid sit falcidia, quomodo deducenda, et quando detrahi non possit?*

Ut occurreretur quaerelis haeredum, ob nimiam legatorum copiam, et exiguum haereditatis lucrum, concessum est illis, ut si legata excedant novem uncias, sive tres partes bonorum haereditatis, detrahere possit de legatis talibus, fidei commissis particularibus, et donationibus etiam mortis causa

factis, quartam partem, inspecta quantitate haereditatis, qualis est mortis tempore, et omni prius aere alieno, ac legatis, in quibus falcidia locum non habet; et impensis funerum deductis (quae portio communiter vocatur Falcidia, eo quod detrahi possit vi plebisciti a tribuno plebis (Caio Falcidio lati) si adita haereditate inventarium fecit, et legata solvere paratus sit.

Sunt tamen etiam plures casus, in quibus falcidiae detractio locum non habet; sic primo non habet locum, si expresse eam prohibuerit testator, non ignarus virium sui patrimonii. Secundo valde probabile est, quod locum non habeat in legatis piis (cum ad haec legata se non extendat saecularis potestas, quae falcidiam introduxit) nisi alia pia causa fuisset haeres instituta; in tali enim casu privilegium contra aeque privilegiatum nihil prodesset. Tertio locum non habet, si inventarium non confecit haeres haereditatis aditae intra tempus, et iuxta formam a iure praescriptam, aut si a iudice monitus intra annum testatoris voluntatem non fuit executus, aut si surripuit, negavit, occultavit etc. de bonis haereditatis aliqua, in poenam scilicet admissae culpae. Quarto locum non habet, si res legata fuit cum ea clausula, ut non alienetur, sed perpetuo penes familiam maneat, aut si aliunde res legata privilegiata sit, prout sunt privilegiata legata, in testamento, militari iure facta etc.

§. IV. *De portione canonica debita episcopo ex legatis piis, et quomodo legata illa sint distribuenda?*

Portio canonica vocatur illa pars, quae episcopo debetur ex iis, quae pro salute animae ecclesiis, monasteriis, aut aliis piis locis intra suam dioecesim sitis, nec specialiter a iurisdictione episcopi exemptis, aut privilegiatis, legata, aut mortis causa donata fuerunt (nisi sint haec ipsa legata *iuxta cap. Vet. h. t.* a portione canonica privilegiata) et alicubi, quarta pars talium legatorum est, alibi tertia pars, alibi dimidia, quia tamen in nostris partibus nullus portionis huius canonicae usus esse videtur, etsi alicubi usus adhuc viget, quantum, et ex quibus legatis solvenda illa sit, ex recepta consuetudine desumi debet, hinc non video, quare multum de hac materia simus solliciti, videatur *cap. Officii*, 14. *cap. Requisisti*, 15. *ac cap. De his*, 20. *h. t.*

SECTIO V.

De executione testamenti, et aliarum ultimarum voluntatum.

§. I. *Quis possit, et esse debeat executor testamenti, vel alterius ultimae voluntatis?*

Executores testamentorum alii dicuntur testamentarii, qui ab ipso testatore in testamento dantur; alii dicuntur legales, vel legitimi, qui ab ipso iure dantur; alii denique vocantur dativi, qui a magistratu constituuntur, ita tamen, ut hi posteriores, secundo, et tertio loco positi, in defectum testamentariorum tantum dentur; et quamvis ordinarie, si nullus a testatore executor nominatus sit, haeredi incumbat testamenti executio, gratitudine ita iubente, et quoad pia legata, episcopo; possunt tamen executores testa-

mentarii in testamento dari a testatore, et quidem unus, vel plures, sive ex haeredibus, sive ex aliis extraneis, sive mares sint, sive foeminae, etiam minores, modo decimum septimum annum aetatis expleverint, sive laici, sive clerici sint etc. Ita ut si plures sint simpliciter constituti a testatore, possit etiam unus sine altero ad executionem procedere, non tantum si res certa legata sit, quo in casu nihil refert, per quem fiat executio, sed etiam, si modus exequendi, vel executio incerta sit, sint tamen executorum nominatorum aliqui vel mortui, vel in remota regione morentur, vel ob aliud impedimentum diutius duraturum nolint, aut non possint exequi, uti habetur *in cap. Religiosus*, 2. *iuncta glossa* §. *Sane v. Expresserit h. t. in* 6. (ne voluntas scilicet testatoris, aut negligatur, aut diu differatur, nisi testator expresse hoc prohibuisset.

§. II. *Quo pacto religiosi possint esse executores testamentorum?*

Possunt etiam religiosi esse testamentorum executores (exceptis fratribus minoribus de observantia, quibus specialiter hoc prohibet *Clement. I. de Verb. Signif.*) tam ad pias, quam ad profanas causas *iuxta citat. c. Religiosus* (cum tale officium etiam ad profanas causas, sit opus pietatis, et misericordiae, religiosum per se non dedecens) dummodo per hoc non abstrahantur a servitio divino: et quamvis qui in claustris, vel monasteriis vivunt, propter varias causas, vi superioris immediati (nisi consuetudo, vel peculiares ordinis constitutiones aliud praescribent) petere, et obtinere licentiam debeant, nisi sint ipsi tales superiores; illi tamen religiosi, qui extra monasteria vivunt, beneficio v. gr. saeculari alicui, aut ecclesiae parochiali addicti, non indigent ad munus hoc obeundum superioris licentia, ut notat *glossa in cit. cap.* 2. *v. Religiosus*, cum rationes contra hos non pugnent. Sunt tamen gesta a religioso, qui executor in testamento constitutus est, etiamsi sine licentia munus hoc exequendi obeat, aut post revocatam licentiam, quam superior semper revocare potest, etiam re non amplius integra cum nulli faciat taliter revocando iniuriam) valida, cum canones prohibeant quidem talem executionem, non tamen invalident, eo quod religiosus talis sufficientem de iure naturae ad exequendum potestatem habeat, et voluntatem: et quamvis exempti sint ab ordinariorum iurisdictione, si tamen executionis testamentarii munus obeant, debent rationem huius executionis reddere locorum ordinariis, et ab his, si in tali executione deliquerint, puniri possunt, prout statuitur *in Clement. Religiosi h. t.*

§. III. *Utrum executor designatus a testatore compelli possit ad acceptandum, et exequendum, et quem?*

Non cogitur quidem executor constitutus a testatore ad acceptandum executionis officium, neque ad hoc compelli potest, cum liberum sit, mandatum suscipere (nisi ad exequenda pia legata clericum sibi subiectum cogat episcopus, si non ut executorem, saltem ut suum delegatum, et commissarium) postquam tamen acceptavit (saltem tacite) cogitur iussa defuncti implere, prout aperte colligitur ex *cap. Ioannes*, 19. *iuncta glossa penult. h. t.* et cogi ad hoc potest etiam ex officio, ad nullius instantiam, tam a

iudice saeculari, quam ab ecclesiastico iudice, etiamsi laicus sit executor, sive ad profanos fines, sive ad pios, testator disposuerit: (praxis tamen videtur, circa hanc compulsionem habere, ut laici magistratus laicos executores, et episcopus tam clericos, quam laicos ad pia exequenda compellere possit) cum compulsio talis mixti fori videatur, prout colligitur ex *citat. cap. Ioannes*, et inter personas miserabiles, quorum cura ad episcopum pertinet, merito numerentur defuncti, ita ut etiam ad episcopum pertineat, eorum voluntates impleri; neque prohibere possit efficaciter testator, ut ne urgeat episcopus executorem a se constitutum, ad exequendum (saltem pia legata) cum privata testatoris voluntas non possit impedire publici iuris, sive canonis constitutionem, secundum quam ipse episcopus potest, vel etiam saecularis potestas, si testator laicus sit, et sit negligens executor, aut monitus non faciat suum officium, ultimam testatoris voluntatem exequi, non obstante prohibitione testatoris, ne suae voluntatis executioni alius se immisceat, quam constitutus a se executor, nisi huic negligenti alium substituisset, quo in casu non iam ad episcopum (saltem immediate) sed talem substitutum devolveretur executio huius ultimae voluntatis.

§. IV. *Quando, sive intra quod tempus haeredes, et executores ultimam voluntatem defuncti implere debeant?*

Si testator ipse tempus determinavit, infra quod, vel post quod voluntatis suae ultimae executio fieri debeat, observari illud debet, si fieri possit, nisi tempus etiam tale placeat praevenire, quod ordinarie non erit contra mentem testatoris: tempus autem tale numerandum erit a die scientiae, et aditae haereditatis. Quod si vero nullum a testatore tempus executioni faciendae determinatum est, monitus tamen legitime haeres, vel executor alius, intra annum non exequatur, devolvitur potestas exequendi, praesertim circa legata pia, ad episcopum, *cap. Nos quidem*, 3. *h. t.* ob rationes etiam supra allatas: quamvis enim haeres post aditam haereditatem, quamprimum potest, cessante legitimo impedimento, legata solvere, et alia iussa testatoris exequi debeat, et ad hoc tam ipse, quam alii executores compelli a iudice possint, ante annum tamen elapsum illa devolutio non fit.

§. V. *Quam poenam incurrat haeres, vel alius executor, si negligat exequi ultimam voluntatem testatoris, intra tempus a iure definitum?*

Si haeres ultimam defuncti voluntatem, post iudicis admonitionem, intra annum implere negligat, amittit totam haereditatem, ita ut nihil commodi percipiat ex rebus a defuncto sibi derelictis, prout colligitur ex *authent. Hoc amplius cod. De fide commiss. et Si haeredes*, 6. *h. t.* (cum non videatur dignus, ut ait legislator, ex defuncti voluntate aliquid consequi, qui supremas defuncti preces destruit) nisi sit haeres necessarius, cui legitima debeatur, quae adimi non potest his, etiamsi negligant defuncti voluntatem exequi, cum non tam ex voluntate hominis, quam de iuris tam naturalis, quam positivi dispositione debeatur. Immo si haeres, cessante legitimo impedimento, negligat solvere pia legata intra sex menses, a die insinuati testamenti numeratos, non tantum debet etiam postea restituere talia legata,

sed in poenam etiam restituere debet omnes fructus, et omne emolumentum, ac augmentum, quod a morte testatoris ex illis percipi potuit, et si perperam neget legatum aliquid piis causis, ac in tali negatione perseveret, usque ad sententiam, in duplum condemnari debet, prout statuitur in §. *Item mista, instit. de actionibus*, quas ipsas poenas privationis scilicet commodorum, quae ex testamento habere possent, incurrunt ob eandem rationem, quilibet alii executores, si moniti, negligentes tempore constituto sint, in exequendo, et executionis officio privantur. Neque tamen hanc poenam, aut hi, aut illi incurrunt, ante sententiam iudicis, aut ante annum elapsum a die admonitionis factae, computandum.

§. VI. *Utrum executores testamentarii propria auctoritate ultimas voluntates defunctorum possint commutare, et an officium executoris, eo mortuo, transeat ad haeredes, vel successorem praelatum?*

Non possunt executores a iusta, et licita voluntate testatoris discedere, eamque propria auctoritate in aliud opus, quamvis melius, commutare, nisi interveniente summi pontificis, aut supremi principis saecularis (quoad dispositiones saltem profanas) auctoritate, quorum est reipublicae providere, et tum quidem non nisi ex iusta, ac rationabili causa, prout colligitur ex *cap. Conquestus*, 16. *de for. compet. cap. Nos quidem*, 3. *h. t. et Clement. II. De religiosis domibus*, consentiente etiam Trident. *sess.* 22. *c.* 6. *De reformat.* ubi etiam habetur, si tales commutationes faciendae episcopis a summa sede committantur, prius summarie, et extraiudicialiter cognoscendum, an in impetratione talis delegationis nulla subreptio intervenerit. Sunt quidem aliqui, qui potestatem commutandi legata ex causa legitima episcopo etiam concedant, si ultima voluntas nondum sit executioni mandata, minus tamen probabiliter, si de commutatione proprie dicta loquantur, quamvis illi negare non possint, per *epykiam* interpretari, cum haeredibus, et aliis executoribus ultimam voluntatem testatoris, quod ab hac alienum non sit v. g. in usum magis necessarium convertere, quae ad usum, vel nihil, vel minus necessarium legata fuerunt.

Mortuo tamen executore non transit ad haeredem executoris officium executionis, prout colligitur ex *cap. cit.* 2. §. *Sane h. t. in* 6. cum electa sit ad hoc industria personae, quamvis transeat, quoad obligationes, si quas contraxit male exequendo, ob damnum illatum v. gr. quod si tamen executor sub nomine dignitatis, seu officii sit constitutus, praepositus v. gr. ecclesiae cathedralis, custos ecclesiae collegiatae etc. transit ad successorem in dignitate etc. nisi ex circumstantiis colligatur personae, non dignitati commissam executionem, neque enim transit ad successorem executio, si sub nomine proprio v. gr. vel sub nomine personae commissio executionis alicui demandata sit, ob rationem paulo ante allatam.

TITULUS XXVII.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

Quod duplici modo deferri possit ad aliquem haereditas, ex testamento scilicet, si in testamento haeres scriptus, vel nominatus fuit, et ab inte-

stato, quando defuncto sine testamento, vel sine legitimo testamento, ex legis dispositione succedit alius, certum est. De hac successione ab intestato multa disputant civilistae, apud quos ea videri possunt, et quia quae auctor Method. sect. huius §. 1. 2. 3. et 4. habentur, fusius, et rectius a civilistis petuntur, et clericis quoad bona patrimonialia, ac propria eodem modo succeditur ab intestato quo modo laicis; relinquendo civilistis sectionis 1. et horum §§. materiam, sit:

SECTIO I.

De successione ab intestato ecclesiae in bonis clericorum?

§. I. *An, et quando ecclesia succedere possit clericis ab intestato decedentibus?*

Si clericus non habeat consanguineos, qui iure cognationis ei ab intestato succedere possint, et ipse intestatus moriatur, altare seu ecclesia, cui servivit tempore mortis, succedit in bonis eius propriis, et patrimonialibus, prout habetur *in cap. 1. h. t. iuncta glossa*, quia ecclesia talis habetur beneficiato loco uxoris, et consequenter sicuti vir, et uxor sibi invicem succedunt, si alterutra pars, deficientibus aliis consanguineis, ab intestato ex legis dispositione successuris, moriatur, ita suo beneficiato succedit etiam altare, vel ecclesia, cui servivit: et quamvis patronus liberto, quem a servitute manumisit, si absque liberis sic moriatur, succedat §. *Sed nostra, instit. de success. libert.* nihil tamen de bonis illis sibi vindicare potest patronus, aut ab intestato succedere, si talis manumissus ad sacros ordines promotus fuerit.

§. II. *An, et qua ratione testamentum, vel alia dispositio ad pias causas, aut donatio, excludat successionem ab intestato?*

Excludere dispositionem talem, vel donationem, si sufficienter probata fuerit, successionem ab intestato ex *cap. Cum dilectus, 5. h. t.* patet; cum enim per dispositionem talem (quamvis ea per verba tantum enuntiativa, quae consensum loquentis in piam causam saltem incidenter indicent, habeatur) aut donationem, piae causae iam ius in bonis talibus quaesitum sit, consequenter quoad haec bona dari non potest successio ab intestato, quae tantum ea bona afficit, de quibus a vivente, vel moriente nulla facta fuit dispositio.

§. III. *An, et qualiter succedat monasterium, vel ordo religiosus, in bonis sui professi?*

Casu quo religionem professus de bonis suis ante professionem nihil disposuit, et religio talis non sit capax successionis, tum omnia bona illius facta professione, ad haeredes illius ab intestato statim devolvuntur, perinde ac si per mortem naturalem obiisset, cum enim ille per professionem factam se privet omni suorum rerum dominio, religio autem non sit capax successionis, consequenter omnia illius bona, et iura, ne domino careant, ad haeredes ab intestato statim transibunt, si vero religio illa successionis

sit capax, transeunt ad illam omnia sui professi bona, professione facta, velut ab intestato mortui, non tam iure haereditatis, cum proprie haeres non sit religio, sed iure acquisitionis naturalis (qui enim se Deo mancipat, utique etiam omnia sua bona una secum, et accessorie, non mundo, sed Deo vult dedicata) excepta legitima, si quam liberis suis, aut aliis descendentibus, vel ascendentibus relinquere debeat, de qua etiam post professionem factam, distribuendo eam inter illos, quibus ea relinquenda est, disponere potest, *canon. Si quae mulier*, 9. §. *Sed si persona, caus.* 19. *q.* 3. non quidem, ut dominus, sed ut administrator a iure constitutus ad hunc effectum.

§. IV. *Alia quaedam circa successionem ordinis religiosi in bonis sui professi resolvuntur.*

Primo probabilius est, quod delata monacho haereditas, sive ex testamento, sive ab intestato deferatur, immediate acquiratur monasterio, ita ut non sit opus aditione monachi ad eam acquirendam, cum enim voluntatem suam circa acquirenda talia iura in monasterium detulerit religiosus, consequenter in acquirenda monasterio tali haereditate, nihil opus est monachi potestate, et hinc probabile valde est, quod invito etiam monacho, aut inscio, haereditatem illi delatam acquirere possit monasterium omnibus aliis haeredibus exclusis, (cum in acquirendo non se habeat ut servus, respectu domini religiosus, sed ut filiusfamilias respectu patris) et quod haereditas delata monacho, hoc etiam postea mortuo, vel ad aliud monasterium translato, adiri possit a monasterio, in quo, dum illi deferebatur haereditas, vixerat, quia ius adeundi huic monasterio iam acquisitum est.

Secundo certum est, quod monasterium non succedat ei, quoad delatam huic haereditatem, qui novitius adhuc moritur intestatus, cum enim nondum hic monasterio se dedicaverit plene, quoad suam personam, consequenter nec accessoria in monasterium translata censentur, sed plenum adhuc ius penes ipsum manet, de talibus bonis disponendi, et si non disponat, haeredibus ab intestato sua iura integra manent.

Tertio potest quidem per consuetudinem legitime spatio quadraginta annorum praescriptam, excludi monasterium a successione in bona tam mobilia, quam immobilia sui professi, ita ut bona talia haereditatis iure ad filios, vel consanguineos deferantur (quia, cum hoc ius succedendi monasterio competat solo iure humano, consequenter per contrariam consuetudinem abrogari hoc potest) statutum tamen municipale, aut provinciale, quo statuitur, excludi debere a successione sui professi monasterium, vel ut parte aliqua contentum, aliis privatum maneat, nullum est, et invalidum, tum quod sit in praeiudicium religionis, tum quod sit contra immunitatem ecclesiasticam, et privilegia tam a iure canonico, quam civili concessa, tum quod disponat de persona saeculari iurisdictioni non subiecta.

—

TITULUS XXVIII.

DE SEPULTURIS.

§. I. *Qui sit locus sepulturae sacrae, et ecclesiasticae, et quo in loco possit quis, vel debeat sepeliri?*

De iure canonico locus sacrae, et ecclesiasticae sepulturae ordinarius est ecclesia, vel coemeterium, vel locus publica auctoritate episcopi pro sepulturis fidelium deputatus: et quamvis in propria parochia, in qua domicilium quis habeat, et sacramenta percepit, de iure communi sepeliri quis debeat, si tamen habeat sepulchrum maiorum suorum, patris v. g. avi, vel aliorum ascendentium extra propriam parochiam, in illo loco sepeliri debeat, *cap.* 1. *h. t.* nisi propriam alibi sepulturam sibi elegerit *cap. Is qui*, 3. *h. t. in* 6. ita ut si in villa v. gr. ad quam recreationis gratia, vel ut ruralia exerceret, ad tempus successerat aliquis, moriatur, ad maiorum suorum sepulturam, vel ad ecclesiam suam parochialem deferri debeat sepeliendus, nisi propriam sepulturam sibi alibi elegerit, aut deportari alio cadaver commode non possit, iuxta citatum *c. Is qui, in* 6. Uxor tamen vidua non in sepulchro maiorum suorum, sed in mariti sepulchro sepeliri debet (etiamsi ad domum patris, vel alium locum se transtulerit, quia censetur etiam in tali casu domicilium sui mariti retinere) si nulla sepultura electa decesserit; et quidem si plures maritos successive habuit, in sepulchro sui ultimi mariti, prout statuitur *in citato cap. Is qui*, §. *Mulier*. Attendenda his in rebus loci consuetudo, quae facile etiam docebit, ubi maritus sepeliendus sit, si nulla sepultura electa mortuus post uxorem fuerit.

§. II. *Qui sibi, vel aliis sepulturam eligere possint, vel non?*

Concessum est regulariter omnibus, tam masculis, quam foeminis in aliena etiam ecclesia, aut coemeterio, extra propriam parochiam sepulturam sibi eligere, modo sint puberes, et liberum arbitrium, seu usum rationis habeant, uti colligitur ex *c.* 1. *h. t. iuncta glossa v. Propriam*, ita ut si in loco minus religioso, minus v. gr. a publicis sacrificiis, aut precibus etc. frequenti, sepulturam rationabiliter aliquis eligat, valide, et licite hoc factum fuerit *cap. Cum quis, h. t. in* 6. et quamvis filius familias disponere non possit de bonis suis, nisi castrensia illa sint, aut quasi castrensia, absque consensu patris sui, absque hoc tamen libere sibi sepulturam eligere potest, *cap. Licet*, 4. §. *Quamvis h. t. in* 6. cum in his spiritualibus iuribus non sit ita subiectus patriae potestati, sicut subiectus est quoad bona temporalia; pro filiis tamen impuberibus, si consuetudo regionis id permittat, possunt pater, aut mater, vel propinqui etiam alii, si ascendentes non habeat, infra annos pubertatis morientibus sepulturam eligere, consuetudine scilicet hanc licentiam concedente. Religiosi tamen sepulturam eligere non possunt, cum nec proprium velle, nec nolle habeant, sed in monasteriis suis sepeliri debent, nisi adeo remoti a suis monasteriis moriantur, ut commode ad sua monasteria deportari non possint: quo in casu etiam illis conceditur sepulturam eligendi licentia, prout colligitur ex *cap. Religios.*, 5. *h. t. in* 6. vel si

nullam elegerint, sepeliendi in monasterio erunt eiusdem ordinis, si in civitate, aut loco, ubi decesserunt, tale monasterium habeatur, in quo commoratus, et mortuus fuerit, vel si extra tale monasterium vixerit, et mortuus sit extra illud etiam in ecclesia parochiali, ubi v. gr. sacramenta percepit, sepeliri debet. Potest tamen praelatus ordinis religiosi, qui ordine tali se superiorem non habet, sepulturam sibi extra monasterium eligere, cum ratio constitutionis prohibentis hanc electionem religiosis, quod scilicet proprium velle, et nolle non habeant, non probet contra tales praelatos, qui sub nullius in suo ordine potestate sunt, et in multis proprium velle, et nolle habent.

Graviter tamen etiam prohibetur religiosis, et clericis saecularibus *in cap.* 1. *h. t. in* 6. cuiuscunque status, vel conditionis illi existant, ut neminem inducant ad vovendum, vel iurandum, vel fide interposita promittendum, quod apud ipsorum ecclesias suam eligere velint sepulturam, aut electam non mutare, ita ut non tantum irrita declaretur talis electio, et sepeliendi sint hi tales, non apud ecclesias, quas elegerunt, sed apud illas ecclesias, in quibus de iure sepeliendi fuissent, si nulla electa sepultura mortui fuissent, sed restituere debeant cadaver defuncti, si petatur, et omnia ea, quae ratione sepulturae illis obvenerunt, sub interminatione interdicti etiam ecclesiastici, in ecclesias eorum ferendi, si prohibitioni huic contravenerint, et ipso facto sint excommunicati taliter inducentes, non absolvendi ab alio, nisi a summo pontifice extra articulum mortis, prout statuitur in *Clem. ult.* §. *Sane, de poenis.*

§. III. *Quibus ecclesiis ius sepulturae competat, et quis possit ius sepulturae concedere?*

Ordinarie, et commune ius attendendo competit ius sepeliendi tantum ecclesiis, populum sive curam animarum habentibus, uti colligitur ex *Clement. III.* §. *Verum h. t.* ex speciali tamen privilegio summi pontificis, etiam religiosis competere potest ius sepeliendi in suis ecclesiis, aut coemeteriis, iuxta relatam *Clement. Eiusmodi h. t. et Extravagant. Super cathedram* II. §. *Huiusmodi h. t. inter communes:* ubi etiam decernitur, quod religiosi tales non teneantur permittere, ut funus ad ecclesiam parochialem prius deferatur, sed possint, etiam contradicente episcopo, aut parocho, ad suam ecclesiam deferre, si moniti prius presbyteri hoc facere noliint. Possunt autem ius sepeliendi, sive privilegium concedere summus pontifex pro tota ecclesia, legatus a latere intra suam provinciam, episcopus, vel qui quasi episcopali iurisdictione praeditus est, intra suam dioecesim, aut territorium, sed nonnisi ex iusta causa, et cum consensu capituli, cum inter ardua numeretur.

§. IV. *An pro sepultura aliquid exigi, vel accipi possit?*

Respondetur primo fundum, sive terram non sacram, quae in coemeterium, seu sepulturam fidelium consecratur, benedicitur, vel auctoritate episcopi deputatur, vendi, et emi posse absque simonia, cum sit proprie dicta rei temporalis pro pretio temporali emptio, et venditio. Postquam vero ad sepulturam fidelium consecratus, vel benedictus, vel auctoritate episcopi

publica deputatus fuit fundus talis, non potest pro pretio temporali vendi, ita ut pretium detur pro spirituali v. gr. benedictione etc. absque simonia naturalis iuris, et divini. Immo dare sepulturam, aut terram sepulturae pro pretio temporali in ecclesia, vel coemeterio, quod ad sepulturam fidelium ab episcopo benedictum, vel deputatum est, aut honoratiorem locum pro pretio concedere ad sepulturam, simonia iuris humani positivi est, cum pluribus iuribus hoc prohibeatur, ad cavendam scilicet omnem simoniae speciem: excusat tamen saepius, si quae pro his accipiantur, recepta consuetudo, ad quam observandam laici v. gr. obligantur, *iuxta cap. Ad apostolicam*, 42. *de simonia.*

§. V. *Ad quid teneantur, qui alienum parochianum sepeliunt, vel qui cadaver illius, qui alibi sepulturam elegit, in sua ecclesia sepeliunt?*

Tenentur hi tales, ad cadaver tale restituendum, et omnia ea, quae ratione illius acceperunt; vel ut faciant amicabilem compositionem cum illis ecclesiis, quarum iura laeserunt taliter sepeliendo *c. Ex parte*, 5. *et c. Cum liberum*, 6. *h. t.* Si tamen ecclesia, quae ad restituenda haec talia agit, ius suum, sive titulum (saltem apparenter iustum) ad sepeliendum talem probaverit, quam obligationem probandi habet talis repetens ecclesia, ob multa incommoda cavenda, quae alias timeri possent.

§. VI. *A quo, cui, et quibus rebus, sit solvenda canonica portio parochialis funeralium, et quando solvi non debeat?*

Si quis extra parochiam suam sepelitur, sive deinde in sepulchro maiorum suorum sepeliatur, sive quod alibi sepulturam sibi elegerit, de omnibus, quae vel ex ultima mortui voluntate, vel ex occasione delati funeris, ecclesiae, in qua sepelitur, obveniunt, portio canonica parochialis solvi debet ecclesiae parochiali, in qua defunctus sepeliri alias debuisset, quamvis extra talem parochiam ille mortuus fuerit *cap.* 1. *h. t.* et ecclesiae illae, ubi sepeliri voluit v. gr. sint exemptae, aut ex privilegio ius habeant, libere sepeliendi eos, qui sepulturam apud ipsos elegerunt *c. In nostra,* 10. *h. t.* ob reverentiam scilicet, et recognitionem erga ecclesiam, in qua sacramenta percepit, et divina audivit talis defunctus, et ob curam, quam de eo parochialis ecclesia habuit. Est autem haec portio canonica parochialis (sic dicta, quia ecclesiae parochiali debetur) tertia vel quarta pars dictarum obventionum, ita ut ex talibus relictis ecclesiae illi, in qua defunctus sepultus fuit, duae quartae nonnunquam detrahantur, episcopalis una, de qua in *sup. tit.* dictum aliquid, et parochialis altera. Hac tamen in re attendenda est loci consuetudo, iuxta *c. Certificari*, 9. *h. t.* quae in multis partibus, vel omnino hanc portionem parochialem abrogavit, aut legitime contra eam praescripsit, vel usum iam induxit, ut de illis tantum haec quarta solvatur, quae cum defuncti corpore deferuntur, vel de oblationibus factis ipso sepulturae die, quamvis ab harum etiam solutione multi casus excusent, et recepta loci consuetudo.

§. VII. *Quibus sepultura ecclesiastica sit concedenda, vel deneganda?*

In genere dici potest, quod omnes fideles, seu baptizati in loco sacro sint sepeliendi, nisi lege canonica, vel consuetudine, ob crimen aliquod sepultura ecclesiastica priventur, *can. Nullus*, 18. *iuncta glossa caus.* 13. *quaest.* 2. sunt tamen plurimi etiam, quibus sacra sepultura neganda est, sic 1. prohibentur in loco sacro sepeliri infideles, haeretici, et qui non sunt baptizati, etiamsi sint infantes ex baptizatis parentibus geniti, aut catechumeni. 2. Prohibentur in loco sacro sepeliri, qui se ipsos sponte, et voluntarie occiderunt, quod crimen in ordine ad privandum sepultura sacra non facile praesumendum est, etiamsi quis reperiatur v. gr. in puteo, vel flumine mortuus, aut suspensus, cum per insidias, aut violentiam alterius etc. potuerit talis esse interfectus. 3. Prohibentur in loco sacro sepeliri excommunicati; quae prohibitio *post concil. Constan. in Extravag. Ad evitanda*, locum tantum habet in excommunicatis, ac vitandis, ob rationem in *c. Sacris*, 12. *h. t.* allatam, ubi prohibetur excommunicatorum sepultura, quia quibus vivis non communicavimus, nec mortuis communicare debemus, ergo a contrario sensu bene infertur, illis etiam mortuis per sepulturam communicare nos posse, quibus vivis potuimus communicare, sicuti possumus *ob Extravag.* allatam, omnibus excommunicatis, non denuntiatis, ac vitandis: negari tamen non potest, quod haeretici in nostra Germania, si in sua haeresi impoenitentes moriantur, ob specialem prohibitionem in *c. Excommunicamus*, 13. *de haeret.* in loco sacro sepeliri non debeant, cum indecens sit, ut in tali loco sepeliatur, qui praecisus est ab ecclesia, neque suffragiorum ecclesiae capax est, et consequenter per talium in loco sacro sepulturam irreverentia fiat loco sacro: si tamen ob potentiam v. gr. haereticorum hoc devitari non possit, aut dudum sepulti in tali loco iaceant haeretici, nec delinquet parochus, ad haec permittenda coactus, nec talium sepultorum cadavera exhumari debent, prout de vitandis, ac denuntiatis excommunicatis videtur praecipere *cit. c. Sacris*, cum per hos sepultos non denuntiatos, aut vitandos, nec violetur ecclesia, nec sine magno scandalo, ac perturbatione talis exhumatio fieri possit. 4. Prohibentur in loco sacro sepeliri, qui in torneamentis, seu hastiludiis, ex quibus probabile periculum mortis imminet, sunt mortui: qui in duellis (saltem solemnibus) occumbunt: qui manifesti sunt usurarii, nisi prius restituerint, aut de restitutione cautionem idoneam praestiterint: qui sunt manifesti raptores, aut blasphemi, si impoenitentes decesserint: qui paschalem communionem ab ecclesia praeceptam peccaminose neglexerint: qui decimas ecclesiae non solverint etc. vide *Sylvestrum V. de sepultura quaest.* 10. *dict.* 2.

§. VIII. *Quasnam poenas incurrant sepelientes eos, qui iure prohibentur sepeliri in loco sacro; vel qui prohibitis, et illicitis modis inducunt aliquem ad eligendam sepulturam in suis ecclesiis.*

Qui interdicti tempore, in casibus non permissis, defunctos, scienter in loco sacro sepeliunt, vel qui taliter praesumunt sepelire, aut mandant,

vel procuraut, publice scilicet excommunicatos (denuntiatos, aut vitandos) vel nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, ipso facto sunt excommunicati (eo quod videantur graviter delinquere, si voluntarie, scienter, et sponte, propria temeritate ducti hoc faciant in contemptum clavium) non absolvendi ab hac excommunicatione, nisi prius ad arbitrium episcopi dioecesani, eis, quibus iniuria fuit irrogata, competentem satisfactionem fecerint, prout statuitur *in Clem. Eos qui*, 1. *h. t.*

Ad secundum quaesitum supra iam responsum §. 2. *h. t.*

TITULUS XXIX.

DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS.

§. I. *Quae sit, et dicatur parochia, et quae requirantur ad constituendam ecclesiam parochialem, et in quibus illius iura consistant?*

Parochia nonnunquam late, et improprie pro certa alicuius dioecesis ecclesia, quae habet populum, certis limitibus distinctum, cuius populi curam babeat rector, vel presbyter illius ecclesiae, in ordine ad sacramenta administranda: et hinc ad constituendam ecclesiam parochialem communiter tria requiruntur, fons baptismalis, ius sepeliendi, et cura fori poenitentialis; potestas scilicet ligandi, et solvendi in foro conscientiae, ac alia sacramenta subiecto huic ecclesiae populo ministrandi. Et quamvis horum aliqua aliis etiam ecclesiis non parochialibus competere possint, ex speciali privilegio, aut recepta consuetudine, raro tamen haec omnia uni eidemque ecclesiae competunt, nisi sit ecclesia parochialis.

Iura antem parochialia in his potissimum consistunt 1. quod in illa ecclesia parochiali parochiani de iure communi baptismum, et alia sacramenta percipere debeant. 2. Quod diebus festis rem divinam ibidem audire debeant, si nullo privilegio, aut iusta de causa, vel ex recepta consuetudine excusentur, aut alii ex privilegio, vel concessione etc. non possint haec talia ministrare, prout plurimis concessa facultas haec est. 3. Quod nuptiae in ecclesia illa solemni ritu celebrentur, ut nubentes benedicantur. 4. Quod in illa ecclesia, aut eius coemeterio sepeliantur mortui regulariter, prout ex dictis iam patet. 5. Denique quod decimae, oblationes, et primitiae, illi solvantur etc. In quibus tamen omnibus attendenda consuetudo, specialia privilegia, et singulares concessiones etc.

§. II. *An fines parochiarum praescribi possint?*

Resp. negative, ita ut nec limites, qua tales, parochiarum, nec quae finibus cohaereut, unquam praescribi possint *c. Super eo*, 4. *h. t.* dummodo constet de finibus talibus quod legitima auctoritate constituti sint, ut ne scilicet perpetuis mutationibus, et perturbationibus consequentibus locus detur: et quamvis episcopus v. gr. ecclesiam aliquam intra alterius dioecesim praescribere possit, ut suae iam iurisdictioni subiecta sit, si tamen haec sit constituta ad designandos fines illius dioecesis, aut cohaereat finibus talibus, praescribi non potest, quia in illo casu non confunduntur termini, sicuti confunderentur in posteriore casu.

§. III. *Quomodo dividendus sit episcopatus inter episcopum lapsum in haeresim, sed reversum ad fidem, et ex dispensatione receptum, ac inter episcopum eidem substitutum ?*

Videatur de hac rarae praxis speciali quaestione *c. Si episcopus h. t.* uti, et de illis, quae in §. 4. subsequente per duo capitula explicantur, *c. Nullus*, 3. *et c. Significavit*, 5. *h. t.* cum nihil peculiare contineant, quod non satis constet ex alibi dictis.

TITULUS XXX.

DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

SECTIO I.

De definitione, et divisione decimarum, ac obligatione eas solvendi.

§. I. *Quid, et quotuplices sint decimae ?*

Decimae in genere, proprie tamen dici possunt, *quod sint pars decima fructuum, aut lucri iuste acquisiti, ad quam petendam ius competit ecclesiis parochialibus ratione ministerii sacramentorum :* ita ut ius hoc accipiendi decimas, sit ius spirituale, sive spirituali annexum, quia dependet a ministerio spirituali, a ministerio scilicet sacramentorum ministrandorum.

Triplices autem communiter assignantur decimae, reales, personales, et mixtae. Reales dicuntur, quae ex praediis, sive bonis immobilibus solvuntur, ex agris v. gr. hortis, vineis, sylvis, etc. Personales sunt, quae ex lucro, hominis industria quaesito, penduntur, ex negotiatione v. gr. artificio, venatione, piscatione etc. Mixtae denique sunt, quae ex fructibus pecorum, vel gallinarum, anserum etc. ex lacte, caseo, ovis etc. in propriis praediis, concurrente industria hominum, acquisitis solvuntur, ita ut partim praediales, partim personales sint, si tamen hoc tertium genus decimarum admittere placeat, quod non omnibus placet, qui putant omnes decimas ex praediis, aut fructibus animalium solvendas, praediales, sive reales dici debere, decimas vero, quae praecise respondent industriae, et lucro hominum, personales dici debere. Possunt autem decimae reales in hoc sensu acceptae, subdividi in maiores, quae ex frumento v. gr. et vino etc. solvuntur; et minores, quae ex hortis, foetibus animalium, et aliis minutioribus solvuntur. Sunt quidem etiam decimae laicales, quae iam olim ab ecclesiis, quibus ex origine sua solvebantur, in laicos translatae sunt, ob iustam scilicet causam : si dubitetur tamen de decimis aliquibus, laicae sint, an ecclesiasticae, pro ecclesia potius apud christianos praesumendum, cum iuxta primaevam suam institutionem ecclesiae ministris debitae sint decimae.

§. II. *Quo iure decimae introductae sint, et debeantur ministris ecclesiae ?*

Decimae materialiter, et secundum substantiam spectatae, quatenus sunt stipendium necessarium ad sustentationem ministrorum ecclesiae, iure naturali, ac divino debentur, tum quod iustitia praecipiat, ut necessaria vi-

tae tanquam debitum stipendium, subministrentur illis; tum quod ex Christi praecepto, dignus sit operarius cibo suo, *Matt.* 10. Quatenus vero sunt certa, et determinata quota, decima v. gr. pars fructuum, tempore quidem legis mosaicae iure divino positivo debebantur levitis, iuxta *caput* 27. *Levitici*; in novo autem testamento clericis de iure positivo canonico tantum debentur, cum nulla lex divina in novo testamento extet, qua obligentur fideles ad decimam partem dandam clericis, multa autem sint ss. canonum praecepta ad hanc quotam obligantia. Potest quidem dici, deberi decimas etiam in novo testamento originaliter de iure divino, eo quod canonica institutio, circa decimas dandas, originem suam acceperit ex iure divino, in antiqua lege decimam talem partem praescribente; et quatenus solvuntur in recognitionem supremae maiestatis, formaliter etiam de iure divino praecepta sint, non tamen probari potest efficaciter, quod formaliter acceptae, ut sunt haec determinata quota ministris ecclesiae solvenda, sint iuris divini.

SECTIO II.

De rebus, ex quibus decimae sunt solvendae, et de modo, quo solvi debent.

§. I. *Ex quibus rebus decimae sive praediales, sive personales sunt solvendae?*

Communis ac certa doctorum omnium sententia est, quod solvi per se debeant decimae praediales ex omnibus proventibus rerum omnium tam mobilium, quam immobilium, uti patet ex *c. Nuntios*, 6. *c. Ex parte*, 21. *c. Tua*, 26. *et pluribus aliis huius tit. capitulis*. Ubi in specie certae nonnunquam res exprimuntur, ex quibus debent dari decimae; et asseritur etiam, quod integre eae solvi debeant, ac saepius eodem anno, si saepius, et diversis temporibus seminati ac producti fructus fuerint, et qui in mora culpabili solvendi sunt, censuris etiam ecclesiasticis ad harum solutionem compelli debeant.

Decimae vero personales, ex omnibus quidem illis, quae industria hominis, et huius labore licite acquisita sunt, etiam ex stipendio militis, advocati, procuratoris etc. ex praeda, venatione, piscatione, aucupio (si tamen personales has posteriores numerare velis) solvi debeant, ius commune spectando, uti *ex c.* 22. *et* 23. ac aliis pluribus huius *tit.* patet, plurima tamen tam de his decimis personalibus, quae omnino abrogatae per contrariam consuetudinem videntur, quam de praedialibus legitima consuetudo immutavit, quae servanda erit in hac iuris positivi materia.

§. II. *Utrum ex rebus illicite acquisitis debeantur decimae, et an ex acquisitis titulo lucrativo?*

Decimae praediales etiam ex rebus iniuste et illicite acquisitis solvendae sunt; sic ex fructibus agri, quamvis usuraria pecunia hic coëmptus sit, aut illius possessio violente acquisita sit, debentur decimae praediales, cum praedo, aut usurarius non debeat esse melioris conditionis, quam iustus dominus, et bonae fidei possessor. Circa personales tamen decimas, ubi earum adhuc usus est, distingui debet, ita ut non debeant solvi, nec ab ecclesia

accipi possint, si res iniuste contra iustitiam commutativam sint acquisitae, per furtum v. gr. rapinam etc. ita ut talium rerum dominium non acquiratur accipienti, tum quod nullo modo de tali re disponere possit ille, qui taliter haec ininste acquisivit, tum quod ecclesia, haec a non domino tradita, accipere non possit, ne videatur illius iniustitiae cooperari: solvi vero debeant, si res illicite quidem, ob turpem causam v. gr. contra temperantiam, castitatem, seu similem virtutem etc. acquiruntur, ita tamen ut earum dominium accipiens sibi acquirat, nisi fortassis ex hac etiam acceptione scandalum oriretur, si ecclesia decimas personales ex his etiam illicite acquisitis acciperet.

Ex illis vero, quae titulo gratuito, sive lucrativo acquiruntur, ex haereditate v. gr. legato, donatione liberali etc. quod de iure communi solvendae sint decimae, multi concedunt, cum iura loquantur universaliter, quando de decimis solvendis loquuntur, de omnibus bonis, et de omni lucro licito solvendas decimas, asserentia; fatentur tamen etiam consuetudinem hac in re attendendam, et multas alias exceptiones faciunt, ut merito probabilior sententia videatur, quod ex taliter acquisitis nullae decimae personales sint solvendae, cum hae de iure communi tantum solvi debeant ex lucro, industria vel operatione hominis acquisito, qualiter acquisita non sunt, quae gratuita, et liberali donatione, etc. acquiruntur.

§. III. *An, et qua ratione sint integre, et absque diminutione solvendae?*

Quod integre solvi debeant decimae praediales, et quae mixtae dicuntur ex dictis, et variis *huius tit.* iuribus patet: censentur autem integre solvi, si solvantur non deducendo prius ex fructibus indecimatis census, tributa, expensas, pensiones etc. aut alia debita, ut colligitur ex *c. Cum homines*, 7. *c. Tua nobis*, 26. *et c. Cum non sit*, 33. *h. t.* haec enim deducendo prius, quam decimae solvantur, magna fieret diminutio cum praeiudicio ecclesiae, et divini cultus irreverentia, cum hic temporalibus creditoribus, et dominis postponeretur; et quamvis fructuum nomine in iure illi tantum fructus veniant, qui deductis expensis supersunt, intelligi tamen haec acceptio debet non in ordine ad decimas, sed ad reparationem damni ob factam laesionem. Ex personalibus vero decimis, si solvi debeant, deduci prius possunt expensae, quae necessario, et utiliter ad lucrum acquirendum factae sunt, uti colligitur ex *c. Pastoralis*, 28. *h. t.* cum tales expensae non possunt computari inter lucrum industria, et opera hominis acquisitum, ex quo decimae personales solvi debent, si earum aliquis usus est.

SECTIO III.

De iis, qui obligantur solvere decimas, et iis qui per privilegium sunt exempti.

§. I. *Quinam in genere teneantur solvere decimas?*

Omnes fideles baptizatos, qui in spiritualibus subiecti sunt alicui parocho, a quo sacramenta recipere debent, obligatos esse per se, et ex debito personali ad dandas decimas, nisi legitimo aliquo titulo sint immunes,

communissima TT. et CC. sententia docet, et probatur tum ex iure *cap. Transmissa*, 23. *et c. A nobis*, 24. *h. t.* tum ex ratione, quod decimae solvantur in stipendium sustentationis pro spirituali cura a parochis, et ministris ecclesiae praestanda: ex reali vero obligatione ad decimas solvendas obligantur, qui rem obnoxiam antea decimis de facto obtinent, cuiuscunque status, conditionis, ordinis, ac dignitatis sint, nisi legitime sint ab his dandis exempti, cum res, quae de iure est decimabilis, cum hoc onere transeat, ad quemcunque transit. Et hinc quamvis iudaei, et alii non baptizati, personali obligatione non teneantur ad solvendas decimas, cum non sint subiecti ecclesiae, et consequenter parochi v. gr. eorum pastores non sint, obligari tamen possunt obligatione reali, vi illius scilicet rei, quae prius, antequam ad eas pervenerit, decimas praebebat ecclesiae, et nunc in eorum est possessione *c. De terris*, 16. *h. t. et c. Quanto*, 18. *de usuris*, si tamen dimittere talia praedia v. gr. nolint prout ex *citato c. De terris* colligitur.

§. II. *Quinam in specie obligentur solvere decimas, vel non?*

De clericis dubitatur 1. utrum etiam hi solvere decimas teneantur, cum de clericis dicatur, novum genus exactionis esse, si clerici a clericis decimas exigant *c. Novum genus*, 2. *h. t.* Respondetur tamen primo Summum pontificem per se, et ex debito personali non obligari posse ad solvendas decimas, cum nulli ordinario pastori in spiritualibus subsit, per accidens tamen fieri posse, ut etiam ille obligatione reali obligetur ad decimas dandas vi bonorum patrimonialium v. gr. ad decimas dandas obligatorum prius, quam ille fieret pontifex; quod ipsum etiam de episcopis, et ecclesiarum rectoribus, ac parochis dici debet, non obligari scilicet eos ex debito personali ad decimas dandas, cum nullum ius, aut consuetudo eos obliget, obligari vero nonnunquam ex debito reali, ratione bonorum suorum patrimonialium ad decimas solvendas iam prius obligatorum, cum ab hoc onere rebus imposito non eximat episcopatus, aut parochi ratio. De illis vero clericis, qui non ministrant divina aliis fidelibus ex officio, satis quidem certum est, quod ex redditibus suis, quos titulo beneficii, ut clerici, percipiunt, nullas aliis clericis decimas persolvant, quod solum volunt citata verba *c. Novum*, et desumpta ex antiquo testamento de levitis decimas non solventibus, paritas probat: de aliis vero proventibus titulo temporali acquisitis, et quos obtinent, ut laici, quod per se, et ex personali obligatione ad decimas solvendas teneantur illis pastoribus, a quibus sacramenta, et divina percipiunt, ultima *cit. c. Novum* verba probant, ubi dicitur: *illi profecto clerici, qui a clericis spiritualium ministeriorum labores percipiunt, decima eis debent:* et confirmat ratio, quia respectu bonorum, et reddituum talium, temporali titulo acquisitorum, per accidens est, quod sit clericus, ergo in his quoad solvendas decimas non attenditur ut clericus, sed ut laicus, qui a solvendis decimis exemptus non est.

Secundo dubitatur de religiosis, utrum hi teneantur ad praestandas decimas? ℟. De iure communi obligari illos ad decimas praediales solvendas illi parocho, in cuius parochia eorum praedia sita sunt, nisi per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem ab hoc onere sint exempti, prout

colligitur *ex c.* 3, 4, *et* 10. *h. t. et ex c. Statuto*, 2. *eodem in* 6. ita ut de iure antiquo, prout ex modo *cit. c. Statuto*, dioecesanorum etiam, seu episcoporum iudicio se sistere debeant, si super decimis ab ecclesiis parochialibus conveniantur, nisi non tantum quoad personas religiosas, sed etiam quoad res suas, et decimas a iurisdictione episcopi exempti essent.

Tertio dubitatur de pauperibus, utrum isti ad decimas praestandas sint obligati: cui dubio respondetur, si communi tantum paupertate laborent, tenues quidem redditus habentes, sufficientes tamen ad pauperem suam familiam sustentandam, etiamsi detractae fuerint decimae, obligari illos ad dandas decimas, ob generalia verba iurium, quae decimarum solutionem praescribunt: si tamen extrema necessitate laborent, vel ita gravi, ut solutis decimis non habeant necessaria ad se, suosque congrue, et honeste sustentandos, non obligari, donec ad meliorem fortunam prevenerint; cum enim praeceptum solvendi decimas sit ecclesiasticum, et affirmativum, talia autem praecepta non semper obligent, neque cum tanta difficultate, consequenter credibile non est, quod ecclesia mater ad praestandas decimas hos tales obligare voluit.

Quarto dubitatur, dominus praedii decimabilis, an colonus sive conductor decimas dare debeat? ℟. Pro diversitate factae locationis decimas vel ab hoc, vel ab illo solvendas: si dominus conduxit operam coloni pro pensione pecuniaria, ita ut omnes fructus ad dominum pertineant, tum omnes decimas praediales debet dominus solvere, cum omnes fructus ad eum perveniant, si vero ipsemet colonus conduxit praedium pro pensione pecuniaria, aut fructuaria, ita ut singulis annis v. gr. certas frumenti scaphas solvere domino debeat, debet ipse decimas ex fundo v. gr. sibi elocato integras solvere *c. Non est*, 22. *c. Cum non sit*, 33. *h. t.* vel si partem fructuum dominus accipiat, et colonus etiam partem accipiat, debet uterque pro sua parte decimas solvere, *c. A nobis*, 24. *h. t.*

§. III. *An quis per privilegium possit eximi ab obligatione solvendi decimas, et per quem?*

Papa potest quidem valide de potestate absoluta praeceptum, sive obligationem solvendi decimas, quoad omnes christianos tollere, modo ministris ecclesiae de congrua sustentatione provisum sit, cum haec obligatio, qua talis, non ex iure divino, sed ecclesiastico proveniat: vix tamen videtur causa sufficiens excogitari posse, huius tam universalis abrogationis licite faciendae. Quod tamen per speciale privilegium particulari personae concessum, vel per generale toti communitati alicui concessum possit immunitas a decimis obtineri, vel a papa, vel a iure communi, probant nimis manifestae experientiae, cum talis relaxatio nec praeiudicet aliis, qui decimas solvere debent, nec contrarietur iuri divino. Hanc autem exemptionem non episcopi, aut alii praelati inferiores concedere possunt, sed solus summus pontifex, cum illi contra ius commune disponere non possint, possit autem hic.

—

§. IV. *Quaenam privilegia exemptionis a decimis sint concessa religiosis, vel etiam clericis, iure communi?*

De iure communi antiquo monachi, seu religiosi, immo et clerici regulares in communi viventes, sunt exempti a solvendis decimis etiam praedialibus, ex illis scilicet praediis, quae propriis manibus, seu laboribus, aut sumptibus excolunt. Quod tamen commune, et universale privilegium per iura posteriora multum restrictum fuisse *c. Ex parte*, 10. *h. t.* patet (ubi haec exemptio, in quantum religiosos omnes concernebat, concessa tantum fuit quoad novalia, quae propriis manibus, aut sumptibus excolebant, et ad nutrimenta animalium suorum sive pascua, ac hortos) et adhuc amplius per *c. Nuper*, 34. *h. t.* ubi decrevit Innocentius III. in concilio generali Lateranensi, ut religiosi imposterum de bonis, et praediis, quae post dictum concilium acquisiverunt, etiamsi propriis manibus, aut sumptibus excolant, decimas solvant illis ecclesiis, quibus solvi ex talibus praediis decimae debebant, antequam ad religiosos praedia talia pervenerint, nisi aliter cum ipsis ecclesiis componant (tum ut ne occasione privilegiorum nimium graventur ecclesiae parochiales, tum ut ecclesiarum praelati, et rectores promptiores sint ad iura religiosorum defendenda contra violatores) etiamsi ea praedia pro dote, et fundatione, seu sustentatione monasterii, aut ecclesiae sint assignata, cum enim talia acquisita cum suo onere transeant, et prius, antequam ad monasterium devenerunt, onus decimarum habuerint, consequenter mirum non est, si cum onere hoc suo ad religiosos transiverint, si aliunde privilegiati non sint. Sicuti tamen hoc *c. Nuper* non extendit se ad novalia, quae post concilium Lateranense suis laboribus, aut sumptibus excolere religiosi, ob odiosam restrictionem, quae nullam de novalibus mentionem facit, et consequenter, non obstante *c. Nuper*, immunes sunt religiosi vi capituli *Ex parte*, a solvendis decimis ex novalibus, suis laboribus, aut sumptibus post Lateranense etiam excultis, ita constitutioni illi *in cit. capit. Nuper* factae, non derogatur per concessa postmodum religiosis privilegia, nisi per clausulam specialem, derogantem omni contrariae constitutioni, sub expressis verbis, *in Concilio etiam generali factae*, ob defectum scilicet intentionis in concedente privilegium, prout passim decetur de constitutionibus in generali aliquo concilio factis: et hinc si hodie concedatur religioso ordini privilegium immunitatis a solvendis decimis, absque speciali derogatione *c. Nuper*, extendit quidem se tale privilegium, ut de praediis non teneantur solvere decimas hi religiosi, si, antequam ad illos talia praedia devenerunt, nullae ex illis solutae fuerunt decimae, non tamen extendit se ad praedia, ex quibus decimae solutae fuerunt, antequam ad religiosos praedia talia devenerunt: si vero in concessione immunitatis huius expresse derogetur *c. Nuper*, vel omni contrariae constitutioni, in concilio generali etiam factae, immunes erunt religiosi tales a dandis decimis, etiamsi prius, quam ad illos talia praedia devenerunt, decimae ex illis solutae fuerunt.

§. V. *De interpretatione privilegii exemptionis a decimis solvendis.*

Primo privilegium, quo a sede apostolica aliqui in genere eximuntur a

solvendis decimis, intelligi non debet de praediis conductitiis, prout sumitur ex *c. Dilecti* 8. *h. t.* quia privilegium principis, quatenus cedit in alterius praeiudicium, stricte interpretari oportet, ne grave damnum inferatur tertio, cui graviter nocere non intendit, qui privilegium concedit, pontifex.

Secundo non extendit se privilegium hoc immunitatis, ad agros v. gr. et fundos, quos aliis excolendos in emphyteusim v. gr. aut aliter proprie elocant, quod enim ex his decimae solvi debeant a colonis v. gr. patet ex *c. Licet,* 11. *h. t. et ex Clementina,* 1. *eodem* tum ob rationem paulo ante allatam, tum quod verba privilegii plerumque tantum eximant a decimis solvendis ex praediis, quae propriis laboribus, aut sumptibus excolunt, quorum neutrum fit in casu hoc: si tamen privilegium esset reale, et diceret, *eximi praedia religiosorum talium ab onere solvendarum decimarum*, tum in tali casu etiam elocata ab his religiosis praedia gauderent concessa immunitate, cum praedia etiam sic elocata sub dominis talium religiosorum maneant.

Tertio privilegium talis exemptionis, quamvis ex parte eorum, quibus datur tale privilegium, favorabile censeri possit, quatenus scilicet favet religioni, absolute tamen odiosum potius est, et consequenter stricte interpretandum, tum quia iuri communi derogat, tum quia cedit in praeiudicium tertii, ecclesiarum scilicet parochialium, parochorum, etc. et hinc id ita intelligendum est, ut ultra verborum propriam, et usitatam significationem extendi non debeat, etiam ob maioritatem rationis, et si nulla exceptio, aut limitatio apposita sit, omnia quidem comprehendat, si usitata significatio exigat, et nullae coniecturae de strictiore praesumenda privilegium concedentis mente, aut contradictionis, seu absurdi devitandi necessitas, etc. urgeat, uti colligitur ex *c. Ad audientiam*, 12. *h. t.*

§. VI. *Quibus modis privilegium non solvendi decimas amittatur?*

Tribus potissimum modis hoc privilegium amitti censetur.

Primo, si privilegium tale progressu temporis in grave praeiudicium ecclesiae parochialis cedat, vel eorum, ad quos alias tales decimae pertinerent, ita ut scandalum, et querelae iustae inde oriantur; in tali enim casu cessat, aut revocari debet tale privilegium, uti sumitur ex *c. Suggestum*, 9. *h. t.* cum non sit intentio concedentis tale privilegium immunitatis a solvendis decimis, in grave praeiudicium alterius ecclesiae illud concedere.

Secundo amittitur hoc privilegium immunitatis per non usum, sive usum contrarium quadraginta annis de iure novo continuatum, si scilicet per tantum temporis spatium decimae a privilegiatis solutae sint, intra hoc enim tempus praescribi potest obligatio etiam contra ecclesias.

Tertio amittitur hoc privilegium per transactionem, seu compositionem inter partes post obtentum privilegium factam, uti colligitur *ex cap.* 8. *et* 9. *h. t.* (cum per talem conventionem fieri videatur privilegii renuntiatio) et per alienationem praediorum, quae ratione privilegii religiosis v. gr. concessi exempta erant, ab onere decimarum, cum per talem alienationem iam non sub privilegiatis, quibus principaliter immunitas a solvendis decimis ex hoc praedio suo concessa est, maneat praedium tale, sed transeat ad dominum non privilegiatum.

SECTIO IV.

De personis, et ecclesiis, quibus pendendae sunt decimae, et tempore ac loco, quo sunt solvendae.

§. I. *Quibus personis, et ecclesiis decimae sunt solvendae?*

De iure communi canonico parochis, sive rectoribus ecclesiarum parochialium decimae ex fructibus praediorum, quae intra fines cuiuscunque sita sunt, integrae solvendae sunt, ut constat ex *c. Cum contingat*, 29. et ex *c. Cum in tua*, 30. *h. t.* ita ut fundatam in iure intentionem pro se habeat parochus, in ordine ad decimas, contra quemcunque possessorem iuris decimandi, cui ius immunitatis probandae incumbit, cum ex primaeva decimarum institutione ius decimandi annexum sit curae animarum. Negari tamen non potest, quia aliis etiam saepe clericis, praepositis v. gr. decanis, canonicis, vel aliis beneficiatis, secundum portionem, quae eorum dignitatibus, beneficiis, etc. applicatae sunt, ius decimandi competat (uti colligitur etiam *ex cap. Ex parte*, 21. *h. t.*) postquam auctoritate ecclesiae redditus cuiuscunque parochiae in plura beneficia sunt divisi; cum etiam vi suorum beneficiorum in spiritualibus populo inserviant: et quamvis religiosis, vi status sui non conveniat proprium ius percipiendi decimas, neque illis ex iure communi hae debeantur, cum non obligentur ex vi status sui, et ex officio in spiritualibus ministrare, possunt tamen illis decimae competere ex speciali privilegio, aut ex unione ecclesiarum parochialium facta monasteriis, etc.

Sunt autem decimae praediales illi parochiae ordinarie solvendae, quamvis baptismalis non sit, intra cuius fines praedia decimabilia sita sunt, etiamsi in alia parochia ille, ad quem talia praedia pertinent, habitet, et sacramenta percipiat, ut colligitur ex *c.* 29. *et* 30. *h. t.* cum enim decimae tales praediales sint onera realia, quae ipsis praediis frugiferis inhaerent, consequenter non attenditur possessor, aut colonus, vel dominus praedii, in ordine ad decimas ex illis praestandas, sed porochia, intra quam sita sunt. Vult tamen pontifex in *c. Cum sint*, 18. *h. t.* hoc in negotio recurrendum ad consuetudinem, quae observari debet, uti etiam praescribitur in *c. Ad apostolica*, 20. *h. t.* ubi etiam de personalibus decimis, si earum adhuc usus alicubi viget, asseritur, quod illi ecclesiae, in qua quis domicilium, aut quasi domicilium habet, et in qua sacramenta percipit, praestari debeant, cum decimae tales velut onus mere personale personam sequantur.

Mixtae denique decimae, ubi earum usus est, et ex fructibus, ac foetibus pecorum solvuntur, de iure communi illi ecclesiae solvendae sunt, intra cuius terminos pecora pascuntur; vel si in diversis parochiis per notabile tempus pascantur, in alia tamen accubent, et ovile suum habeant, inter ecclesias tales decimae illae sunt pro portione dividendae, nisi aliud recepta consuetudo obtineat, quae in hac materia multum valet, et diligenter observari debet.

§. II. *De tempore, et loco, quo pendendae sunt decimae.*

Solvendae sunt decimae praediales statim, postquam fructus a solo separati sunt, et collecti, ut constat ex *c. Cum homines*, 7. *iunct. gloss. verb. Fructibus collectis h. t.* neque enim in illis solvendis, quae alteri debentur, morari nos oportet, neque praevia monitio necessasia est, nisi qui morantur, per censuras cogi debeant. Personales vero decimae, si earum adhuc usus est, commodissime solvuntur ad multa incommoda cavenda, sub finem anni. Mixtae denique, quae ex foetibus pecorum, et fructibus horum solvuntur, citius aut tardius solvi debent, pro ratione utilitatis, etc. In his tamen consulenda, et attendenda consuetudo.

Ad locum, in quo solvendae sint decimae, quod attinet, non tenetur quidem dominus praedii, vel colonus deferre eas suis sumptibus, si ius commune attendas, ad horreum parochi, vel ecclesiae, cum obligatio ista nullo iure probari possit; certiores tamen facere prius debent parochos de fructibus in horrea condendis, ut per procuratores saltem suos suis decimis provideant; attendenda tamen iterum est circa hoc punctum consuetudo recepta.

SECTIO V.

De decimis novalium.

§. I. *Ad quem pertineant decimae novalium, spectato iure communi?*

Novale in ordine ad decimas, dicitur ager *v. gr. de novo ad cultum, seu culturam redactus, de quo non exstat memoria, quod aliquando cultus fuerit, c. Quid per novales*, 21. *de V. S.* quae autem terrae, aut praedia semel sunt novalia, semper censentur novalia, quoad immunitatem a solvendis, si privilegiatus v. gr. sit aliquis, ut de novalibus suis nullas decimas solvat, uti probatur ex *c. ult. De privileg.*; independenter tamen a tali exemptione, novalium decimae spectato iure communi ad eam parochiam pertinent, intra cuius fines praedia de novo culta sunt sita, prout deciditur *in c. Quoniam*, 13. *h. t.* cum enim decimae novalium sint praediales, consequenter eandem obligationem habent, quam habent aliae decimae praediales. Quodsi vero intra dioecesim quidem novalia excolantur, non tamen intra fines certae parochiae, tum decimae eorum, ad episcopum pertinent, qui alteri cuidam ecclesiae applicare eas potest, vel suis usibus reservare *c. Quoniam*, 13. *h. t.*

§. II. *An privilegium de non solvendis decimis extendatur etiam ad novalia, vel non extendatur?*

Probabilius est, quod privilegium absolute concessum de non solvendis decimis ex propriis praediis, etiam extendendum sit ad novalia, post concessum privilegium exculta, uti colligitur ex *cap. Ad audientiam*, 12. *h. t. et ex c. Ex parte*, 10. *et* 27. *eodem*, quia verba generaliter et indefinite loquentia secundum propriam eorum significationem, de omnibus praedialibus decimis intelliguntur, quo nomine etiam decimae novalium veniunt, nisi enormis laesio ecclesiae parochialis, contra quam haec a decimis solvendis immunitas conceditur, aliter intelligi talia verba velit.

§. III. *An privilegium percipiendi decimas etiam ad novalia se extendat?*

Privilegium percipiendi decimas, ex praediis ad ecclesiam parochialem de iure pertinentibus, non extenditur ad decimas novalium, quae intra fines talis ecclesiae post concessionem privilegii excoluntur, nisi harum etiam decimarum in concessione privilegii expressa mentio fiat, prout sumitur *ex c.* 2. *h. t. in* 6. cum tale privilegium velut odiosum, et praeiudicans ecclesiae parochiali v. gr. restringendum potius videatur, quantum verborum proprietas patitur, ut non extendatur ad futura, sed praesentia tantum praedia, quae tempore concessi privilegii decimabilia fuerunt. Et quamvis privilegium negativum, non solvendi decimas, absolute concessum, etiam ad novalia se extendat, hoc tamen de privilegio affirmativo, percipiendi decimas, dici non potest, ob maiorem illius prae hoc universalitatem, quam habet negotio prae affirmatione, et maius praeiudicium ecclesiae: quod si vero privilegium alicui concedatur, decimas ex novalibus etiam percipiendi, qui antiquas decimas in tali loco percipere solet, non debet illud extendi ad decimas novalium, quas alii tempore concessi privilegii possidebant, tanquam iure sibi debitas, sed intelligi debet tantum de illis novalibus, quae post impetratum privilegium fiunt, et secundum illam quantitatem, in qua antiquas decimas percipit *c. Statuto*, 2. *h. t. in* 6. Ex quo *c.* §. *Statuimus* insuper patet, quod privilegium tale in casu, quo antiquae decimae percipiuntur ab aliquo, ad decimas novalium percipiendas concessum, extendi non debeat, ultra medietatem talium decimarum, quamvis antiquas decimas integras percipiant, ne nimium scilicet praeiudicetur aliis ecclesiis, ad quas de iure decimae tales pertinerent.

§. IV. *An praescriptio decimarum intra certum locum extendatur ad decimas novalium; et an si fundus mutetur, ita ut v. gr. ex prato fiat ager, maneat obligatus ad decimas solvendas, sicut ante?*

Qui praescripsit decimas praediales intra fines alienius parochiae, non potest vi illius praescriptionis percipere decimas novalium, postea intra eandem parochiam factorum, nisi ex rationabili causa ostendat illas ad se pertinere, prout sumitur ex *c. Cum contingat,* 29. *h. t.* cum enim non plus praescribatur, quam possideatur, novalia autem nondum fuerint, quando antiquas decimas intra ecclesiam talem praescripserat aliquis, consequenter praescribi non poterant decimae ex talibus novalibus praestandae, nisi fundus ille, aut terra illa etiam inculta, priusquam ad novale redacta est, aliquid decimarum nomine, glandes v. gr. ligna, etc. persolverit, hoc enim in casu fundus ille iam ut decimabilis possessus, et praescriptus, in novale permutatus, decimas solvere deberet.

Quod si enim (quae altera quaestio huius paragraphi est) fundus, aut praedium ad decimas obligatum mutetur; ita ut ex prato v. gr. fiat ager, etc. (quam mutationem potest facere fundi talis dominus pro arbitrio suo) decimae praediales ex fundo taliter mutato eidem debentur, cui prius ex fundo tali decimae persolutae fuerunt *c. Commissum*, 4. *h. t.* (ita ut etiam, fer-

tilior si per mutationem talem fundus ille factus sit, fertiliores decimae dari debeant) quamvis enim qualitas huius terrae mutetur, ut iam alios fructus ferat, manet tamen eadem substantia, eadem scilicet terra decimabilis, consequenter, nisi consuetudo decimas fructuum illorum, quos fundus mutatus nunc profert, abrogaverit, ex fructibus modo progenitis decimae dari debent: et quidem si per transactionem, vel privilegium, ex vineis v. gr. debeantur decimae ecclesiae alicui, ex agro autem fuerit mutatio facta in vineas; consequenter huic ecclesiae, iam ex vineis debentur decimae, cui iuxta factam transactionem, aut concessum privilegium sunt decimabiles vineae, nisi per frequentes tales mutationes nimium pateretur ecclesia parochialis, cui in tali casu per imploratum etiam iudicis officium succurri deberet.

SECTIO VI.

De variis modis, quibus acquiri potest ius decimandi in alia ecclesia, aut parochia, vel immunitas ab obligatione solvendi decimas?

§. I. *An, et qua ratione per consuetudinem acquiri possit ius decimandi, in aliena ecclesia, aut parochia?*

Ut ecclesia aliqua, monasterium, vel persona ecclesiastica, ius acquirat percipiendi decimas, ex praediis intra alienam parochiam sitis, per consuetudinem legitime praescriptam obtineri potest *c. Cum sint,* 18. *et c. Ad apostolicae,* 20. *h. t.* cum enim decimae praediales, absolute loquendo, non sint iuris divini sed ecclesiastici tantum, consequenter praescribi possunt ab illis, qui spiritualia possidere possunt (et quidem ut probabilior sententia habet, 40. annis cum titulo, vel tempore immemoriali, si sine titulo ab ecclesia non parochiali v. g. contra ecclesiam non parochialem praescribantur) et qui in certa v. g. terra ius decimandi praescripsit, habet ius percipiendi decimas ex omnibus fructibus, qui in illa terra nascuntur, nisi ex certis fructibus iuxta receptam consuetudinem nullae decimae in illo loco solverentur, aut certum tantum genus decimarum, maiores v. g. non autem minores, quae semper ecclesiae parochiali solutae fuerunt, praescripserit.

§. II. *An, et quomodo ius decimandi per transactionem, et quibus praeterea modis acquiri possit personis ecclesiasticis?*

Quod transigere possint super decimis inter se parochi v. g. ita ut ius decimandi uni, vel alteri, vel utrique secundum diversas partes conveniat *ex c.* 3. *et* 9. *h. t.* constat (modo in tali transactione nullum pactum simoniacum interveniat) neque speciali tali transactioni, per privilegium exemptionis, a solvendis decimis, postmodum superveniens, derogatur, nisi expressa mentione illi derogetur, prout sumitur *ex c. Multiplici,* 3. *h. t.* cum non fuerit suae intentionis, ut ait in relato c. pontifex, per privilegium concessum, transactioni factae derogare, et sic ius parti iam acquisitum adimere.

Potest autem super iure decimarum in arbitros etiam compromitti, ita ut per arbitrium, seu sententiam arbitrorum, cui partes stare debent, ius decimandi uni parti acquiri, alteri vero adimi possit, totum, vel ex parte, etc. (intervenientibus saltem solemnitatibus ad alienationem requisitis) et potest

etiam una ecclesia ius suum decimarum, cum altera ecclesia permutare, vel si a spirituali titulo, legitima potestate ius decimarum separatum sit, vendi poterit, et elocari, etc. cum ut sic nihil amplius spiritualitatis babet.

§. III. *An, et qua ratione obligati ad praestandas decimas, ab illis liberari possint per consuetudinem introductam, vel legitime praescriptam, vel per transactionem?*

Quod possint non quidem per potestatem saecularem *c. Tua*, 25. *h. t.* sed per privilegia a summo pontifice concessa, ab obligatione decimarum solvendarum eximi aliqui, iam supra dictum: potest tamen etiam haec obligatio per contrariam consuetudinem tolli, et abrogari, non tantum a clericis, sed etiam a laicis; non tantum quoad decimas personales, sed etiam quoad reales; non tantum ex parte, sed etiam in totum, modo ministris ecclesiae aliunde sufficienter provisum sit, prout passim docent RR. contra antiquos canonistas; et ratio probat, quod scilicet nec naturalis, nec divini iuris sit, in nova lege, haec solvendi decimas (formaliter acceptas) obligatio, sed iuris mere ecclesiastici; et consequenter, sicuti alia, quae iuris positivi ecclesiastici sunt, per contrariam consuetudinem tolli possunt, ita poterit etiam haec solvendi decimas obligatio: quod ipsum praxis etiam communissima probat, quae non tantum nullam amplius obligationem personalium decimarum agnoscit, sed nec realium semper, et in omnibus minutis etiam fructibus, etc. et sicuti privata particularis persona, sive clericus hic sit, sive laicus, 40. annis cum titulo, vel tempore immemoriali sine titulo quidem, non tamen sine bona fide, praescribere hanc immunitatem potest, prout probatur *ex c.* 1. *De praescript. in* 6. sic, ut communitas etiam tota liberetur ab obligatione solvendi decimas, sufficit consuetudo contraria 40. annis bona fide continuata, quamvis nullum titulum huius exemptionis suae ostendere possit illa communitas, iuxta *c. ultimum de consuet. iunct. glossa v. legitime sit praescripta,* neque tamen per qualemcumque consuetudinem, aut praescriptionem obligatio haec solvendarum decimarum ita tolli potest, ut non denuo obligare incipiat, si ministri ecclesiae congrua sua sustentatione destituantur, (cum ut sic sit iuris naturalis obligatio haec) aut si pontifex iterum praecipiat solutionem decimarum, non obstante ulla consuetudine, aut praescriptione in contrarium, cuius est ob iustas causas, in bonum commune, consuetudines tales saepius tollere.

SECTIO VII.

De decimis laicalibus, sive possessis, aut detentis a laicis.

§. I. *An et qua ratione laici, sive saeculares sint capaces iuris decimandi, seu percipiendi decimas.*

Certa est, et communis sententia, quod ius decimandi, quatenus spirituale est, sive fundatum in titulo spiritualis officii, saecularibus laicis non competat, nec concedi possit, prout expresse statutum est in concilio Lateranensi *can.* 1. *can.* 16. *q.* 7. *et* habetur etiam *in c. Ad haec.,* 15. *h. t.* (ubi

poena excommunicationis statuitur in laicos, iuris decimandi, quatenus spiritnale quid est, detentores) ita ut nec pontifex tale ius spiritnale fundatum in titulo spirituali, offerendi sacrificium v. g. administrandi sacramenta, etc. quae dependent a potestate sacri ordinis, concedere laicis saecularibus possit: quatenus tamen a titulo spirituali ius illud decimandi abstractum, et separatum est, ac mere temporale quid est, ius scilicet decimam partem fructuum accipiendi, sine ulla obligatione spiritualis cuiusdam ministerii, vel si solam commoditatem fructuum decimabilium, ad unum, vel plures annos, aut ad tempus vitae suae parochus, v. g. laico concedat, aut elocet, vel si conferatur fructuum decimabilium portio v. g. laico per modum temporalis stipendii pro obsequio, aut officio a laicis praestare solito, vel si fiat in principem v. g. laicum, per modum liberalis donationis, aut in alium quemcunque, per modum feudi a pontifice talium decimarum translatio, propter magna merita in ecclesiam collata, in subsidium necessarium pro defensione ecclesiae, ad necessariam, et honorificam ecclesiae recognitionem, etc. potest etiam laicis ius decimandi competere.

§. II. *An ab episcopis, aliisque praelatis ecclesiasticis, papa inferioribus, decimae in feudum concedi possint laicis?*

De iure antiquo potuisse episcopos, aliosque praelatos inferiores, ecclesiarum suarum decimas, in feudum concedere laicis, ob iustam causam, ex decreto Urbani II. in concilio Tur. 1096. celebrato patet, post hoc tamen concilium, aut saltem post concilium Lateran. 1179. celebratum omnibus summo Pontifice inferioribus, haec infeudandi circa decimas ecclesiae potestas adempta est, ita ut factae etiam post hoc concilium ab inferioribus papa infeudationes, non tantum illicitae, sed etiam nullae sint, prout etiam patet ex *c. Quamvis*, 17. *h. t. et ex c. Prohibemus*, 19. *eodem*, ut plurimi scilicet abusus, qui per tales infeudationes, in praeiudicium ecclesiarum irrepserant, impedirentur.

§. III. *An, et qua ratione laici decimas, quas obtinent, in alios transferre possint?*

Laicus, si iniuste detineat decimas ecclesiae, non potest illas in feudum concedere, aut alio quovis titulo in alios laicos transferre, uti patet *ex cap. Prohib.*, 19. *h. t.* (neque enim, qui iniuste detinet, ullum ius habet ad tales decimas, et consequenter nullum etiam in alios per se transferre potest) si vero iuste possideat illas, tum valde probabile est, quod alteri laico, cum consensu episcopi, concedere eas possit in feudum, *gloss. cit. c. Prohibemus, L. laicos*, quia subinfeudatio vassallo concessa etiam in feudo ecclesiastico locum habet, cum nullus iuris textus afferri possit, in quo haec decimarum etiam talium subinfeudatio laico facienda prohibeatur, si fiat cum consensu episcopi, cuius est damna ecclesiae praecavere. Quodsi tamen laici, qui decimas ecclesiae detinent, quas ante concilium Lateranense in feudum perpetuum v. g. acceperunt, restituere quidem velint eas ecclesiae, induci tamen non possint, ut suae eas ecclesiae restituant, possunt aliis ecclesiis, aut monasteriis illas restituere, *c.* 2. §. *Sane h. t. in* 6. quo tamen in casu in-

tervenire debet consensus episcopi (ad multas scilicet fraudes cavendas) nisi recepta consuetudo introducta sit, in aliquo loco, vi cuius laici libere disponere possunt de decimis (iuste detentis) et quovis modo de his contrahere, sicuti de suis patrimonialibus, qualis consuetudo etiam in nostra Germania vigere videtur, in plurimis decimis, quas laici possident; neque sine ingenti animarum damnatione, plurimorum contractuum eversione etc. damnari ea vel reiici potest, quia videntur tales decimae, per legitimam sedis Apostolicae auctoritatem, a titulis clericalibus penitus esse abstractae, et concessae laicis in remunerationem meritorum ecclesiae praestitorum, vel ad eorum animos ecclesiae conciliandos, vel ad opem eorum promptiorem in casibus necessitatis ecclesiae etc. ut tanquam bona patrimonialia habeantur; quod ipsum etiam de decimis dici debet, si a tempore immemoriali, bona fide possessae, sine ullius contradictione, a laicis fuerunt, qui nunquam dimoveri se patientur; aut dimoveri debent, donec liquido constet, quod tales decimae non legitimo modo ad eos pervenerint, cum talis immemorialis possessio, praesumptionem legitimi tituli, et eius probationem indueat: neque tamen sola concessio, aut donatio decimarum a laico facta, indueit titulum (nec coloratum quidem) ad praescribendum decimas, ut patet ex *cap. Dudum*, 31. *h. t.* qui enim a laico decimas accipit, credens talem concessionem esse validam, is errat in iure manifesto, uti patet; error autem iuris ad praescribendum non prodest, uti supra dictum.

SECTIO VIII.

De iure, quod competit ecclesiae, vel clericis in decimas; et qua actione illae exigi possint; item de iudice in causa decimarum, ac poenis non solventium decimas.

§. I. *Quale ius habeat ecclesia, vel eius rectores, in decimis, seu fructibus decimarum ?*

Circa fructus decimales, nondum tamen decimatos, aut separatos a reliquis fructibus habet ecclesia, rectores, seu ministri illius, non quidem plenum, et perfectum dominium, habent tamen ius reale in illis, et quasi dominium utile, tum quod fructus nondum separati ab aliis maneant in dominio illius, cuius sunt praedia, tum quod onus reale fructus habeant, ratione cuius decimari possunt ab eo, qui ius decimandi habet, ad quemcunque possessorem transiverint: postquam vero ab aliis fructibus fructus decimales separati sunt, eorum dominium directum, et plenum ad ecclesiam spectat, quamvis actualis traditio, sive realis apprehensio nondum sit facta, ob speciale scilicet ecclesiarum privilegium, vi cuius dominium rei acquirere potest ecclesia, etiam ante traditionem factam.

§. II. *Qua actione ecclesia, vel eius loco parochus, aut episcopus in iudicio exigere possit decimas sibi debitas ?*

Si de iure decimandi instituatur lis, habet actionem confessoriam utilem ecclesia, per quam a iudice declarari petat, quod ius decimandi sibi competat. Si vero de decimis, sive fructibus ipsis decimabilibus, nondum tamen

separatis a fundo lis moveatur, tum ecclesia ad separationem, ac solotionem agere potest, conditione ex lege, seu canone, quae simul est actio in rem scripta, sive rei persecutoria, contra quemvis fructuum non decimatorum possessorem, sive dolosum, et negligentem destructorem iuxta *c. Pastoralis*, 28. *h. t.* neque tamen exigi decimae praeteritae ab eo possunt, qui praediom nondum decimatum emit, aut de novo possidet, sed a venditore, sive priore possessore, cum onus decimarum per se non inhaereat fundo, ex quo solvuntur decimae, sed solum respective, sive in ordine ad fructus, quibus per se, et immediate onus hoc competit.

§. III. *Quis sit iudex competens in causa decimarum; et quae poena de iure statuta sint in eos, qui decimas non solvunt, quas debent?*

Si quaestio sit de proprietate, sive iure decimarum, ad quem hoc ius pertineat; vel ex quibus fructibus solvendae sint decimae; vel si lis moveatur de privilegio, aut immunitate a decimis; vel denique lis moveatur de iure possidendi, ad solum ecclesiasticum iudicem pertinet in caosa tali iudicare (cum laici ecclesiastica negotia tractare non possint *c.2. de Iudic.*) qui summarie casum talem cognoscat, et sententiam in scripto ferat iuxta *Clement.* 2. *de V. S.* si vero sit meri facti quaestio, an quis perceperit, vel solverit decimas, vel de nuda detentione sit controversia etc. causa mixti fori videtur, iuxta communem praxim, et consuetudinem. Poenae vero, quae de iure statutae sunt in non solventes decimas, quas debent, sunt variae, potissimae sunt excommunicatio (praemissa tamen monitione) et privatio sepulturae ecclesiasticae: qoarum neutra tamen a parocho, cui non solutae fuerunt decimae, absque superioris ecclesiastici iudicis commissione infligi poterit, cum nulla illi competat fori externi iurisdictio.

SECTIO IX.

De primitiis, et oblationibus.

§. I. *De primitiis.*

Primittiae dicuntur, *primi fructus agrorum, vinearum, hortorum etc. primogenita in animalibus etc.* uti colligitur ex variis sacrarum literarum textibus. Distinguuntur a decimis, quod illae sint primi fructus, et immediate Deo offerantur, in gratiarum actionem pro frugibus terrae etc. decimae vero sint decima pars fructum, quae in sustentationem ministris ecclesiae immediate debetur: et quamvis in antiqua lege ex praecepto legis divinae scriptae, offerri deberent primitiae, ex omnibus fructibus Deo, iuxta varios sacrae scripturae textus, et olim etiam in lege evangelica, ex praecepto iuris ecclesiastici, solvi deberent sacerdotibus, et ministris ecclesiae, proot etiam varia iura indicant, hodie tamen in plerisque locis est haec obligatio extincta, ut nemo de his solvendis ex obligatione sollicitus sit.

§. II. *De oblationibus.*

Oblationum nomine, prout a decimis, primitiis, et aliis donationibus, ac legatis ecclesiae factis distinguuntur, quae sub nomine oblationum latius

accepto comprehendi possunt, eae oblationes veniunt, *quae ad altare a Christi fidelibus Deo, et Sanctis offeruntur, religionis intuitu*, licet postea in usum ecclesiae, vel ministrorum eius vertantur: nullum quidem de stricte dictis oblationibus talibus faciendis praeceptum in ecclesia habetur (quae enim praecepta in iure canonico antiquo oblationes praecipere videntur, loquuntur in ampliore sensu accipiendo oblationes, de illis scilicet, quae ex alio titulo, vel ut census, vel ut legata, vel ut decimae etc. in casu quo deficit sustentatio congrua ministris ecclesiae, vel ex consuetudinaria aliqua obligatione debeutur ecclesiae); laudabiles tamen, et pias, ac spontaneas consuetudines non esse negligendas, monet pontifex *in c. Ad apostolicam*, 42. *de Simonia*, expresse tamen etiam quorumdam oblationes ad aram admittere, vel accipere prohibetur, prout videre est *apud glossam in can.* 2. *dist.* 90. *v. Dona* ab usurariis v. g. manifestis, a raptoribus, a pauperum oppressoribus, a sacrilegis, a notorie dissidentibus, a publicis meretricibus, ob scandalum scilicet vitandum, et ne videntur ecclesia cum illis velle communicare in inique partis etc. ob quam causam etiam non possunt hae oblationes accipi ex illis, quae sunt iniuste acquisita, quae debentur aliis, vel ex pietatis, vel ex charitatis etc. obligatione. Et quamvis tales oblationes immediate Deo fiant, in usum tamen illorum converti possunt, qui curam animarum in tali ecclesia ex officio, et obligatione administrant. Et hinc oblationes, quae fiunt capellae alicui, aut altari in ecclesia parochiali existenti, vel quae fiunt in capella, aut oratorio, sito intra fines, et limites parochialis ecclesiae, vel quae fiunt ad imaginem depictam v. g. in pariete domus privatae alicuius personae, vel quae fiunt sacerdoti in ecclesia parochiae alienae celebranti, non ad capellanum loci illius, aut in ara celebrantem, sed ad parochum, intra cuius parochiae fines hae oblationes fiunt, pertinent, nisi ex intentione offerentium aliud praesumi debeat, quorum voluntati sine dubio satisfieri debet, aut recepta in tali loco consuetudo aliud iubeat, prout circa Neomystis factas oblationes statuitur, quae non ad parochum, etiamsi in ecclesia parochiali primitias ille celebret, sed ad Neomystam pertinent.

TITULUS XXXI.

DE REGULARIBUS, ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM.

SECTIO I.

De essentia status religiosi in communi, eiusque proprietatibus, et institutione.

§. I. *Quid sit status religiosus, et quaenam requirantur ad substantiam verae, ac propriae religionis?*

Status religiosus definiri potest, *quod sit stabilis in communi vivendi modus fidelium, ad christianae charitatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis, perpetuae castitatis, paupertatis, et obedientiae, ab ecclesia approbatus.* Requiruntur ergo ad substantiam verae religionis (prout hic de ea sermo est) quatuor conditiones. Primo, ut serventur in tali statu tria consilia evangelica, paupertatis, perpetuae castitatis, et

33

obedientiae (per quae consilia removentur, quae vel maxime perfectioni obsistunt) non quidem quasi paupertas religiosa debeat omnino incapacem dominii facere religiosum, quod falsum esse clare patet ex religiosis scholasticis societatis Iesu, qui vere religiosi sunt, dominii tamen, et retinendi, et acquirendi capaces sunt: prout negari non potest, post bullam Gregorii XIII. *Ascendente Domino*; sed quod privet omni usu, et dispositione rerum pretio aestimabilium, sine licentia superioris, et ut hoc volente abdicare se omni etiam dominio parati sint. Secundo, ut tria consilia illa evangelica voto perpetuam obligationem continente firmentur; status enim quamdam immobilitatem, et perpetuitatem dicit, non quidem absolutam, ex parte utriusque, statum incipientis, et illius communitatis, quae talem admittit, cuius rei iterum clara praxis habetur ex religiosis societatis Iesu non professis, ex bullis pontificum, institutum societatis confirmantibus, sed ex parte illius saltem, qui statum talem arripit. Tertio ut haec tria vota emittantur in religione, quae per sedem apostolicam, non tantum in vim pii modi vivendi, sed in vim religionis verae approbata fuit, ad cavendas multas fraudes, et suspecta conventicula etc. Quarto denique, ut emittens vota religionis constituatur sub alicuius superioris ecclesiastici iurisdictione, et potestate, qui possit religiosos subditos suos corrigere, ad servandam regulam, et regularem disciplinam cogere, potestatem clavium in eos exercere etc.

§. II. *An vota solemnia sint de essentia status religiosi?*

Respondetur negative, cum ad proprie dictum, et vere religiosum constituendum aliquem sufficiant vota simplicia, prout post bullam Gregorii XIII. *Ascendente Domino*, nemini licet dubitare, ubi pontifex motu proprio, et auctoritate apostolica definit, eos, qui in societate Iesu tria substantialia vota, quamvis simplicia illa sint, emiserunt, vere, ac proprie religiosos esse, non secus atque quorumvis aliorum ordinum professos, spectata natura, et essentia status religiosi; tum quod per simplicia vota talia fiat vera sui traditio, qua se vovens subiicit potestati regularis sui superioris, et hic traditionem hanc, ex facultate sedis apostolicae, acceptet; tum quod ex parte voventis status talis sit immutabilis; tum quod per vota etiam simplicia ad opera perfectionis obligari quis possit: quamvis enim iura saepius asserant, per professionem, quae non habetur nisi per vota solemnia, fieri religiosum aliquem, hoc tamen intelligi tantum debet, ius commune decretalium spectando, ubi ecclesia nullam religionem acceptabat, nisi solemniter illius religiosi essent professi. Sicuti autem voti solemnitas ex ecclesiastica constitutione habetur, et introducta est (naturam enim voti v. g. spectando, tam ligatur vovens per simplex votum, quam per solemne, et maior perfectio voti solemnis, a voto simplici, in accidentali tantum aliqua perfectione, quam votum solemne ab ecclesia habet, consistit), in duabus potissimum qualitatibus consistens, in vinculo scilicet reciproco, perpetuo, irrevocabili inter voventem, qui se irrevocabiliter Deo tradit, et inter religionem, quae ipsum perpetuo, et irrevocabiliter recipit: et insuper quod per votum solemne persona vovens inhabilis reddatur ad quosdam effectus morales, ad dominium v.g. rerum tem-

poralium acquirendum, et retinendum; ad contrahendum matrimonium etc. ita posset etiam hodie decernere pontifex, ut aliorum quorumcumque religiosorum vota tantum simplicia essent, cum voti solemnitas ex sola ecclesiae constitutione habeatur, quam mutare potest pontifex. Neque tamen per ea vota simplicia, quibus v. g. suo confessario, ad perpetuam castitatem, et paupertatem etc. fit aliquis religiosus, quia per talia vota non subiicit se taliter vovens spirituali iurisdictioni, ab ecclesia derivatae, in religione a pontifice approbata, sed manet laicus, prout ante talia vota fuerat.

§. III. *Utrum status religiosus fuerit institutus iure divino, non vero solum iure positivo, et ecclesiastico, et de diversitate ordinum religiosorum.*

Si spectetur status religiosus secundum, et quoad substantiam suam, ab ipso Christo in nova lege institutus fuit, ad consilia evangelica excitante, ut adeo recte dicatur iuris positivi divini consulentis, non autem praecipientis: si vero consideretur quoad peculiarem, et determinatum modum vivendi, sive regulam, ex institutione ecclesiae varias religiones approbantis habetur: et hinc, quamvis in illis, quae ad essentiam status religiosi spectant, omnes conveniant, quoad vota scilicet secundum consilia evangelica emissa, differunt tamen inter se quoad fines peculiares, iuxta cuiusvis religiosi instituti formam, et quoad media, quae quaelibet religio peculiaria saepe habet, ad perfectionem deducendi; ita ut aliae sint contemplativae, quarum principalis finis est contemplatio; aliae activae, quae attendunt ad vitam activam principaliter, sive ad opera misericordiae, tam spiritualia, quam corporalia exercenda; aliae sint mixtae, quae principaliter tam ad contemplationem, quam ad actionem ordinantur; aliae sint clericales, quae ex instituto suo ad ministeria clericis propria ordinantur; aliae sint monachales, quae magis ex instituto suo ad vitam solitariam, aut ministeria alia, quae clericis propria non sunt, ordinantur; aliae sine mendicantes, quae ex instituto suo, et iuxta paupertatem suae regulae, nulla possident bona immobilia, quamvis hodie ex concessione ecclesiae ea in communi possideant; aliae non mendicantes, quarum paupertas bona immobilia ex instituto etiam suo in communi possidenda admittit; aliae denique sint militares, quae tribus votis substantialibus editis per se primo, et ex vi proprii instituti ordinantur ad militandum pro religionis catholicae defensione etc.

SECTIO II.

De ingressu religionis, et novitiatu.

§. I. *Quae aetas in ingrediente religionem, seu novitiatum requiratur, et in quo loco necessario debeat novitiatus, sive probatio fieri, et an etiam suscepto habitu regulari?*

De iure quidem antiquo ingredi potuit novitiatum masculus post expletum decimum tertium aetatis annum, et foemella post undecimum annum aetatis; iure tamen noviore, et hodierno ad verum, et legitimum novitiatum

inchoandum, requiritur pubertas completa, in masculo scilicet, ut compleverit annum decimum quartum; in foemella, ut impleverit annum duodecimum (quia in hac aetate sufficiens discretio, et vires adesse censentur ad ordinem probandum etc.) nisi ex peculiari etiam statuto ordinis maior aetas ad inchoandum verum novitiatum requiratur, sicuti in societate Iesu requiritur, ut impleverit ingrediens novitiatum annum decimum quintum aetatis: et quamvis ob Tridentini constitutionem professio in nullo ordine fieri possit ante decimum sextum aetatis annum, quia tamen necesse non est, ut immediate subsequatur professio novitiatum, poterit prius novitiatus tempore impleto, post aliquod tandem tempus, sublungi professio. Debet autem annus novitiatus, seu probationis regulariter peragi in domicilio religionis, non extra, uti colligitur *ex c.* 1. *h. t. in* 6. (quo melius possit novitius religionis asperitatem experiri, et vicissim mores, et naturam novitii melius experiri possit religio), nisi cum licentia sui superioris per maiorem annui novitiatus partem extra monasterium versetur novitius, quia in tali casu, eo ipso quod sub obedientia sui praelati vivat, censetur in probatione sufficienter esse, paratus ire et redire, quandocumque praelatus vocaverit. Et quamvis multorum sententia ad valorem novitiatus requirat, ut annus probationis suscepto habitu regulari peragatur (quia etiam habitus gestatio suam habet ad experientiam requisitam austeritatem) probabilius tamen est, quod absolute ad valorem novitiatus non requiratur habitus regularis susceptio, aut gestatio, prout probari posse videtur *ex can. Multos*, 23. *distin.* 54. cum haec talia ex praelatorum, aut statutorum peculiaribus ordinationibus dependeant; servanda tamen est communissima consuetudo, quae vult suscipi habitum, ad novitiatum peragendum, nisi peculiares rationes peculiaria iubeant.

§. II. *Utrum necessarium sit, ut professionem praecedat annus probationis, isque integer; et quomodo sit computandus?*

Varia circa tempus novitiatus statuerunt antiqua iura, et quamvis *in c. Ad apostolicam*, 6. *h. t.* unus annus ordinarie probationi impendendus praescriptus fuerit, patet tamen ex hoc ipso cap. quod ex utriusque partis consensu, tam recipiendorum scilicet, quam recipientium, potuerit tempus hoc abbreviari, et non tantum valide, sed etiam licite, si causa iusta subsit, professio fieri post finitum probationis annum, ita tamen, ut posterioribus temporibus probibitum fuerit Praedicatoribus, et Minoribus ad professionem aliquem admittere, nondum finito novitiatus anno, prout decernitur *in cap. Non solum*, 2. *h. t. in* 6. hodie tamen, bis omnibus insuper babitis, observari debet, quod statuit *Trident. sess.* 25. *de regularibus cap.* 15. ubi universim decernitur, ut in nulla religione, sive virorum, sive foeminarum illa sit (exceptis ordinibus militaribus) ante exactum novitiatus annum ad professionem ullus admittatur, ita ut non solum illicita, sed etiam invalida futura sit professio ante exactum hunc annum facta; et nec una dies, aut hora, ad integritatem, et anni complementum deesse debeat; neque enim his casibus, ubi stricta interpretatio facienda est, ad cavendum omne praeiudicium, dies coepta babetur pro completa, et consequenter, qui a prandio v. gr. novitiatum suum ingressus est, non potest post annum mane illius diei

professionem facere, sed expectare debet ad tempus pomeridianum, etc. prout ex verbis Tridentini loco citato colligitur. Habent tamen moniales s. Dominici a b. Pio V. concessam sibi gratiam, quod earum novitiae post expletum decimum sextum aetatis annum, si in mortis articulo constitutae videantur, profiteri possint, etiamsi annum novitiatus nondum absolverint, quae gratia ad omnes etiam religiosos ordines extendenda est, qui cum dictis monialibus in privilegiis communicant.

§. III. *Utrum annus probationis necessario debeat esse continuus sine interruptione, et an, si quis post finitum novitiatum religionem deserat, sed postea ad eam redeat, iterum probari debeat?*

Ad legitimum novitiatum, et validam subsequentem professionem, requiritur necessario annus probationis praevius continuus, ita ut nullam notabilem interruptionem patiatur, si fiat animo deserendi religionem; quo in casu, si interruptio longior fuerit, ex omnium sententia iterum incboari debet annus probationis (cum per talem interruptionem non tantum status mutatus videatur, sed asperitates ordinis, quas maiores secum trahit continuatio, non satis expertus sit novitius, nec religio novitii talis perseverantiam satis probare possit); si vero modica tantum illa fuerit, ad paucos scilicet dies, et novitius mox redierit, quamvis etiam in hoc casu consultius sit, ad novitii constantiam explorandam, inchoare iterum novitiatum, potest tamen variis circumstantiis perpensis, in tali casu, non censeri moraliter interruptus novitiatus, cum modica talis absentia, quasi nulla, cumputari debeat.

Quod si tamen post expletum annum probationis, ad saeculum v. gr. ante factam professionem rediret novitius, et postmodum poenitentia ductus adiret iterum ad eandem religionem, probabile est, quod sine nova probatione, et novitiatu ad professionem admitti posset, nisi res notabiliter ex parte alterutra mutatae fuissent, *gloss. in c. Eum qui*, 31. *v. Certus. De regulis iuris in* 6. cum enim iura non requirant immediate subiungi professionem novitiatui, per continuum autem annum expertus hic novitius sit religionem, et religio etiam per annum illius notitiam habuerit, non videtur novus annus probationis requirendus, nisi ex parte alterutra religionis scilicet, vel talis redeuntis, notabilis mutatio facta fuisset: et propter hanc causam saepius consultum erit, ad probandam constantiam talis mutabilis novitii, novitiatum integrum de novo incboare; quod semper necessarium erit, si ad aliam diversi ordinis regulam, aut religionem, sive strictior, sive laxior haec babeatur, transierit religiosus, quo in casu semper ordinis illius per annum probatio praemitti debet, antequam fiat ordinis illius professio, cum probatus pro uno ordine, non eo ipso probatus babeatur pro alio ordine.

Non requiritur tamen necessario praemittendus iterum novitiatus, si ex aliquo defectu aetatis v. gr. aut alterius inhabilitatis personae, irrita fuit professio, aut si iniuste eiectus per superiorem, ad quem appellaverat, fuit restitutus; aut si sanae mentis ad probationem admissus, currente tamen postmodum anno novitiatus, in furorem, vel amentiam incidit, ita ut, si haec ultra dies octo, vel decem non duret, nihil interrumpatur novitia-

tus, neque tempus illud post exactum annum supplendum sit (cum modicum tale pro nihilo reputetur, suppleri tamen debeat tempus furoris, aut insaniae, si diutius per duos v. gr. menses duret, cum in tali casu non quidem omnino cesset novitiatus, sicuti cessat mutata voluntate, dormiat tamen quasi, et suspendatur, ita ut suppleri debeat.

§. IV. *An, et qua ratione impuberes ingredi possint religionem, et in illam recipi, vel a parentibus offerri?*

Possunt tam pueri, quam puellae religionem ingredi, et habitum regularem assumere, etiam ante annos pubertatis expletos; et infantes etiam, cum consensu tamen parentum (ut a mundi vanitate abstracti, regulari vitae assuescant) non tamen vere, et proprie novitiatum agere, aut in anno probationis censebuntur, ante annos pubertatis expletos, cum ante hos annos, discretionem sufficientem habere non censeatur ad religionis experientiam, ac austeritates, praesertim circa votum castitatis.

Quin immo parentes possunt liberos suos impuberes offerre religioni, non tantum, ut sub regulari disciplina vivant, ac educentur, sed ut suo tempore probationis annum inchoare, ac in religione tali profiteri, si placeat, possint. Effectus autem huius oblationis, aut ingressus impuberis est, quod parentes, si semel in talem filii, aut filiae impuberis ingressum, expresse, vel tacite, intra annum non revocando, consenserunt, mutare postea voluntatem suam non possint, et liberos taliter oblatos, aut ingressos revocare, sicuti revocare possunt eos, in quorum ingressum non consenserunt *c. Si quis, 2. h. t.* neque possint ipsi taliter oblati, aut ingressi, ante pubertatis annos ad saeculum redire: prout deciditur *in can. 2. caus. 20. qu. 2.* Vide plura de hac rari usus materia apud *auct. Meth. loc. cit.*

§. V. *De libertate ingrediendi religionem, et egrediendi, quam habent novitii?*

Quod possunt liberi, inconsultis etiam, et invitis parentibus, religionem absolute ingredi, certissimi iuris est *cap. Cum virum, 12. h. t.* et ratio naturalis probat, quae cuilibet, sicuti ad matrimonium carnale liberum arbitrium relinquit, ita etiam ad matrimonium spirituale religiosae professionis; quamvis haec ipsa ratio naturalis satis etiam doceat, honestum, decens, et multum conveniens esse, ad hoc tam arduum mutandi status negotium, parentes etiam de hoc edocuisse saltem, si consensus eorum haberi non possit.

Egredi autem intra annum probationis ex novitiatu, et ad saeculum redire libere possunt novitii, ita ut a nullo egrediendi facultatem petere teneantur, nec ad ullas expensas solvendas obligentur, quas in illis alendis fecit monasterium, prout etiam habetur *in cap. Statuimus, 23. h. t. et in cap. 2. eodem in 6.* nisi voti religione ad permanendum etiam, et profitendum se obligavisset novitius, (quod illa fortassis iura antiqua volunt, quae non concedunt liberam ad saeculum redeundi licentiam illis novitiis, qui omnino firmiter, et serio mutare vitam statuerunt, dum novitiatum ingressi sunt, sed volunt hos ad aliam religionem transire debere, si in ea, quam modo probant, permanere nolint) vel per pactum se obligassent, in ipso in-

gressu, ad solvendas expensas religioni, in sui sustentationem, tempore probationis factas, quale pactum, non obstante Trident., bodie etiam fieri potest.

§. VI. *De obligationibus, iuribus, et privilegiis novitiorum.*

'. Novitii, quamvis deceat eos religiosae disciplinae subesse, dum in religione permanent, absolute tamen per se, et directe sub culpa non obligantur ad regularum, et praeceptorum superioris observationes, ut sic enim libertati eorum consulitur, quae per professionem primum ad hanc regulam ligatur, et simul etiam confusioni, ac perturbationi regularis disciplinae, et novitiorum experientiae: ob quam causam etiam superiores regulares illis leges ferre possunt, statui ordinum convenientes, ad quas saltem sub poena obligentur, dum in religione permanent, ita ut, sicuti clerici saeculares suorum episcoporum iurisdictioni in foro externo subsunt, subsint etiam suorum praelatorum regularium iurisdictioni spirituali in ordine ad punitionem, et censuras novitii, non quidem vi voti, quo nondum obligantur, sed vi iurisdictionis ecclesiasticae.

Ius autem, quod habent novitii ad beneficia, vel in beneficiis prius obtentis, non vacat per ingressum in novitiatum, itaut alteri beneficia talia conferri possint, sed retineri possunt usque ad professionem, quamvis novitiatus etiam ultra annum prolongaretur, ex iuxta causa, aut ordinis statuto etc., prout statuit Bonifacius VIII. *in cap. Bonifacium*, 4. *h. t. in* 6. ut ne scilicet libertas egrediendi ex novitiatu tali novitio adimatur, si post egressum talem ad beneficium suum, alteri iam valide collatum, redire non posset; et sic vel in religione manere cogeretur, vel non haberet congruam suam sustentationem, amisso iam beneficio, si egrederetur; nisi intra tempus novitiatus renuntiatio talium beneficiorum, iuxta formam a Trid. praescriptam, de qua paulo post, facta fuisset. Deberet tamen ex fructibus beneficii talis pro vicario, qui beneficio inservit, congrua portio per episcopum, seu ordinarium, assignari, aliis fructibus novitio reservatis, ut vel illi egresso iterum restituantur, vel monasterio successionis capaci cedant, si in eo profiteatur talis novitius.

Ad privilegia denique quod attinet, certum est, quod gaudeant novitii non tantum fori, et canonis privilegio, tanquam personae ecclesiasticae, sed quod uti etiam possint aliis ordinum illorum, quorum novitii sunt, privilegiis, nisi peculiares alia quas exceptiones habeant peculiaria ordinis statuta, aut consuetudo; quamvis enim proprie religiosi non sint, sunt tamen pars aliqua specialiter privilegiatae communitatis, et sicuti non potest sine iusta causa novitium a se dimittere religio, ita nec potest sine iusta causa eum privare favoribus, et privilegiis ordini tali communiter concessis.

§. VII. *De dispositionibus, seu renuntiationibus bonorum, quae ante professionem a novitio fieri solent.*

Quod possint, et debeant novitii, antequam professionem religiosam emittant, de rebus, et bonis suis temporalibus, quae in saeculo habebant, disponere, ac illis renuntiare, et irrevocabiliter abdicare se, vel si non dispo-

suerint aliter, transeant ea in monasterium, si tamen hoc successionis haereditariae capax sit, aut ad haeredes ab intestato, casu quo monasterium successionis capax non est, certum est, et natura professionis exigit; quando autem, et quomodo haec renuntiatio facienda sit, non tam ex iure antiquo peti debet quam ex decreto Tridentini *sess.* 25. *De regularibus capit.* 16. ubi sic statuitur: *nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta* (id est ante completum probationis annum) *etiam cum iuramento, vel in favorem cuiuscunque causae piae valeat, nisi cum licentia episcopi, sive eius vicarii fiat, intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias, intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter vero facta, etiamsi cum huius favoris expressa renuntiatione, etiam iurata, sit irrita, et nullius effectus.* Ad cuius decreti meliorem intelligentiam,

Notandum 1. nomine renuntiationis in hoc decreto prohibitae, et irritae, non venire eas donationes, aut renuntiationes, quae quidem factae sunt ante ingressum in religionem, non tamen intuitu ingressus, sed factae sunt ab eo, qui tunc temporis, nec animum habuit ingrediendi in religionem, nec praesumi potest, hoc animo factas fuisse, qualis animus tamen praesumeretur, si factae donationes v. g. fuissent in notabili quantitate, neque enim in illis casibus libertas taliter donantis ad egrediendum ex religione, si postmodum eam ingrediatur, impeditur.

Notandum 2. comprehendi tamen probabiliter eas donationes, quae fiunt ab ingressuris religionem ante ingressum quidem, et assumptum habitum regularem, dum adhuc in saeculo existunt, propter ingressum tamen paulo post futurum, sive hic causa principalis, et finalis donandi fuerit, ita ut professione non secuta haec donata repeti possint, sive ingressus hic causa impulsiva fuerit donationis, cum enim verba concilii sint universalia, irritantia donationes sine forma praescripta factas, si fiant a novitio, ut ne tollatur illi ad egrediendum facultas, consequenter etiam recte extendi posse videntur ad omnes donationes intuitu ingressus in religionem factas, et egressum impedientes: haec tamen extensio tam certa non est, ut non plurimi eam negent, qui sub rigida restrictione concilii, et iuris antiqui correctoria, tales donationes non putant comprehendi, sed validas fore, prout pluribus etiam colligunt auctores ex contextu verborum concilii Tridentini de ingressis loquentis, non de ingressuris.

Notandum 3. nullas esse, et irritas eas renuntiationes, quae fiunt a novitio, quamvis hic 16. annum iam egressus sit, si fiant ante duos proximos menses professionem praecedentes; vel si fiant intra duos quidem hos menses, sine licentia tamen episcopi, vel eius vicarii, etiamsi fierent sub expressa conditione, quod professione non secuta valiturae non essent, tum quod verba Tridentini absolute loquantur; tum quod tali egressuro ex novitiatu saltem iis timenda foret cum illis, in quorum favorem facta fuit talis renuntiatio, et consequenter tam expeditam libertatem egrediendi non haberet, cui per suum decretum cavere voluit Tridentinum.

Notandum 4. non comprehendi hoc decreto concilii, candidatos, et novitios societatis Iesu, qui bonorum suorum renuntiationes facere debent, iuxta societatis dictae constitutiones, quando superior iusserit, prout expres-

sis verbis etiam ab hac sua decisione excipit societatem dictum Tridentinum.

Notandum 5. intelligi quidem in decreto concilii, nomine renuntiationis etiam donationes inter vivos, quod etiam hae scilicet irritae, et nullae sint, si tempore non debito, et sine forma praescripta fiant, quia finis huius decreti in talibus etiam donationibus locum habet, non tamen prohiberi, et irritari per hoc decretum eas etiam donationes, quae fiunt religioni tali, in qua versatur novitius, pro victu, et vestitu illius; vel si modica tantum donatio personis etiam laicis fiat, spectando facultates novitii; vel si per modum eleemosynae donetur aliquid monasterio, modo non innotabili quantitate; vel si ex propriis bonis aliquid, etiam in magna quantitate monasterio v. gr. in quo novitius probatur, largiantur parentes, aut consanguinei novitii etc. cum his talibus donationibus, vel nihil, vel parum impediatur libertas novitii ad egrediendum.

Notandum 6. sub nomine renuntiationis in hoc decreto prohibitae novitiis, et irritae, comprehendi etiam dationem mutui, si quid scilicet ex bonis novitii tribuatur monasterio, in quo probatur, sub nomine, et titulo mutui (cum tale mutuum, vel virtualem donationem contineat, vel saltem difficilem recuperationem) et omnes alios contractus mere lucrativos, non tamen omnes onerosos, cum enim in his contractibus tantum recipiatur, quantum datur, non tamen in illis, consequenter non prohibent libertatem egrediendi contractus onerosi, sicut prohibent, qui parti, cum qua contrahitur, sunt mere lucrativi.

Notandum 7. in quibusdam religionibus usum non esse petendae ab episcopo, aut eius vicario licentiae ad disponendum, consuetudine scilicet contraria praxim Tridentini decreti, quoad hanc partem, abrogante: neque necessarium esse, ut fiat talis dispositio duobus mensibus ante professionem, sed satisfieri decreto Tridentini, si fiat intra duos menses professionem proxime praecedentes.

Notandum denique 8. renuntiationem talem a novitio semel legitime, et iuxta praescriptum Tridentini factam irrevocabilem quidem esse, validam tamen non fore, si professio, et quidem valida, non sequatur, et consequenter si moriatur talis novitius ante professionem; vel si professionem quidem faciat, haec tamen ob defectum aliquem invalida sit; vel si facta quidem legitima renuntiatione, ante professionem tamen ad saeculum ex religione egrediatur, nulla erit facta renuntiatio, sed bona taliter renuntiata, vel ad novitium egredientem redibunt, vel ad haeredes ab intestato in casu mortui ante professionem validam novitii pervenient: expresse enim Tridentinum ad validam talem renuntiationem requirit, professionem esse secutam, ut libertati novitii, quam habet ad egrediendum, usque dum fecit professionem, sit semper consultum (neque tamen sua probabilitas illi etiam sententiae negari potest, quae vult validam fore renuntiationem, si post eam legitime factam, ante professionem talem emissam moriatur novitius, cum in tali casu libertati novitii nihil adimatur, sed potius animae illius bono, per piam talem dispositionem factam, consulatur. Quod autem irrevocabilis haec sit (si velit tamen hic in religione permanere) ex eo probatur, quod

donationes conditionales, qualis haec est, dependcus a conditione futurae professionis, pendente conditione sint irrevocabiles, ne spes sua alteri adimatur, si conditio postmodum impleatur.

SECTIO III.

De professione religiosa.

§. I. *Quid sit professio religiosa, et quotuplex?*

Religiosa professio generaliter, et late loquendo, recte dicitur, *contraetus religiosus, et saeer, per quem homo voluntarie se tradit Deo, in religione approbata, quoad certum modum, et institutum vivendi, et quidem editis tribus votis paupertatis, castitatis, et obedientiae, idque interveniente praelati regularis acceptatione, qui dictam traditionem nomine Dei acceptat.* Stricte vero dicta professio est illa, *quae fit dicto modo, per vota tamen solemnia, omnino absolute, et irrevocabiliter ex utraque parte:* et haec professio duplex esse potest, expressa una, quae fit verbo, vel scripto, vel utroque modo; tacita altera, quae fit sine voce, et scriptura, unum aliquem, vel plures etiam actus professorum proprios exercendo.

§. II. *Qua forma, seu modo professio expressa fieri possit, aut debeat?*

Fieri eam posse, non tantum verbis, prout regulariter fit, aut scriptura, sed aliis etiam nutibus, et signis externis, traditionem personae profitentis, et vicissim acceptationem religionis significantibus (si de iure communi loquamur) certum est, pront sumitur ex *c. Porrectum*, 13. *h. t.* et ex communibus principiis de contractibus, quibus nulla iura, quoad professionem religiosam, contraria sunt, quae enim ad professionem scripturam requirunt, requirunt banc non tam, ut valida sit professio, quam, ut authentice de ea constet, et probari efficaciter ea possit: ob quam causam etiam coram testibus communiter ea fieri solet, et per verba a regula, aut ab ordine praescripta, vel consueta, ita ut valida ea sit futura, etiam si tria substantialia vota religionis in tali formula non exprimantur, cum in eo, quod exprimitur, iuxta religionis talis mentem alia contineantur, quae sicuti potest sub uno expresso comprehendere alia, ita potest etiam ad valorem professionis certas quasdam requirere circumstantias, sine quibus nulla in tali religione erit professio, cum ea quae modo diximus, tantum de iure communi intelligenda sint.

Potest autem professio expressa etiam fieri per procuratorem (nisi ordinis regula contrarium statuat) cum nullibi de iure communi reperiatur excepta religiosa professio, quo minus per procuratorem fieri possit, modo procurator talis speciale mandatum habeat ad profitendum, et quidem in determinata religione, loco principalis, ad cavendas multas inconvenientias, et per se ipsum talis procurator, principalis sui nomine professionem hanc faciat (nisi specialiter ipsi concessum esset substituere) cum in tali casu videatur electa industria personae, ac eo tempore, quo facit professionem procurator, huius potestas non fuerit revocata (casu enim quo revocata fuisset haec procuratoris potestas a principali, principalis huius consensus

non haberetur, quando fit professio, quod fieri non potest), neque gravi metu constitutio procuratoris sit extorta, cum non minus constitutio talis taliter extorta nulla esset, quam esset ipsa professio tali metu extorta.

Et quamvis etiam fieri possit expressa professio, sub conditione, tam de praesenti, et praeterito, quam de futuro, ita ut prius valida non sit professio, quam conditio evenerit, et hac eveniente valida sit futura, modo suum consensum non revocaverit ante conditionis eventum, qui sub conditione taliter professus est; attendi tamen debet, ut conditio adiecta contraria non sit statui religioso, quem quis sub conditione profitetur, prout in simili de matrimonio carnali constituitur, a quo ad professionem religiosam, tanquam matrimonium spirituale, ducitur paritas.

§. III. *Quibus modis fieri possit professio tacita religionis?*

Tres communiter modi referuntur, quibus de iure antiquo decretalium fieri poterat tacita professio: Primus est, si quis sciens, et sponte habitum proprium professorum, patenter distinctum ab habitu novitiorum, suscepit, et per triduum ante annum novitiatus absolutum, post pubertatis annos acquisitos portavit, sive intra, sive extra monasterium cum licentia praelati, et sub eius obedientia *c. Ad nostram*, 8. *h. t. et c. Is qui*, *eodem in* 6. tridui scilicet gestationem requirente iure, si nondum annum novitiatus absolverit ad intentionem deferentis colligendam, quo scilicet animo habitum proprium professorum assumpserit. Secundus modus est, si quis anno integro, eoque continuo habitum religionis portavit, in quo nulla patens, seu manifesta distinctio est inter professorum, et novitiorum habitum, prout colligitur ex *cap. Ex parte*, 22. *h. t. et cap.* 1. §. *Quod si*, *eodem in* 6. *et Clement. Eos qui*, 2. *eodem*, praesumente scilicet iure tacite hanc professionem, contra quam protestatus nunquam fuit, dum habitum illum gestavit. Tertius denique modus est, si quis habitum professionis gestet, et in eo actum professorum proprium exerceat, prout sumitur ex *c. Vidua*, 4. *h. t.* si tamen fiat auctoritate, et consensu illius scientis, et patientis ea fieri, qui potest ad professionem admittere; et exercens actum talem sponte eum exerceat, ac cum proposito positivo per actum talem, quem scit de iure communi, aut ex statuto ordinis solis professis competere, et ad tacitam professionem sufficere, profitendi; et eius denique aetatis sit, quae requiritur ad validam professionem, annumque novitiatus compleverit, prout requirit de iure novo Tridentinum, quod quamvis professiones tacitas non sustulerit, validae tamen illae non sunt post hoc concilium, nisi annum novitiatus compleverit aliquis, quod de iure antiquo non requirebatur.

§. IV. *De conditionibus requisitis ad legitimam professionem.*

Primo requiritur legitima aetas, annus scilicet decimus sextus expletus (de iure Tridentini, quod hodie observari debet) ita ut ante hunc annum expletum nulla professio, sive in virorum, sive in mulierum religione emissa, sive tacita, sive expressa sit, valeat) prout statuit *Tridentinum sess.* 25. *c.* 15. *De regular.*) neque malitia suppleat defectum aetatis, prout in matrimonio carnali fieri posse ex *c. De illis*, 9. *et c. finali De despon. impub.*

patet, quin immo, ex peculiaribus ordinnm statutis maior etiam nonnunquam aetas ad validam professionem requiri potest, cum Tridentinum non prohibeat maiorem aetatem requiri, sed velit tantum ante decimnm sextum aetatis annum expletum, professionem non fieri.

Secundo requiritur, ut spontanea, seu libera voluntate sit emissa *c.* 1. *h. t.* Ita nt nnlla sit professio (saltem Inre ecclesiastico) quae ex coactione, seu metu gravi, cadente in virum constnntem, iniuste ad extorquendam professionem incusso, extorta fuit (merito enim maior libertas requiritur ad immutabilem statum arripiendnm, et quamvis pro libertate sufficiente sit praesumptio, nisi contrarinm probet, qui metum talem, ant coactionem praetendit, potest tamen etiam monasterium v. gr. probationes suas proferre, quibus probet spontaneam v. g. non fuisse professionem.

Tertio requiritur, ut acceptetur ea nomine religionis, expresse, vel tacite, ab aliquo habente potestatem incorporandi religioni, prout colligitur ex *c. Porrectum*, **13.** *et ex c. Ad apostolicam*, **16.** *h. t.* quia professio est contractus onerosus, et reciprocus ultro citroque obligans.

Quarto requiritur, ut licite fint professio, sui iuris esse profitentem, et nnlli alteri obligatione aliqua esse obstrictum, ratione cnius impediatur ab emittenda sine consensu huius professione, de quo requisito mox plnra.

§. V. *De illis, qui prohibentur ingredi religionem, vel in illa professionem emittere, propter obligationem, qua aliis sunt obstricti.*

Primo non possunt transire nd religionem, ac in ea profiteri, derelicto suo episcopatu, episcopi, si ecclesiae sint alicui alligati, et confirmati fuerunt, sine licentia snmmi pontificis, cum suae ecclesiae non minus spirituali coniugio alligatus sit, quam qui carnali coniugio suae uxori alligatus est, ita nt probabilius etiam invalida sit talis sine licentia papae factn professio, cnm Deus non videatur talem professionem, ecclesiae repugnantem, acceptare.

Secundo, si parentes in extrema, aut gravi necessitate sint constituti, non potest filius ingredi religionem, nnt in ea profiteri, nisi parentibus prius provisum sit de necessaria snstentatione, cum obligatio filii ad sustentandos parentes in tali necessitate constitutos, sit iuris naturalis, contra omnem liberam devotionem obligantis: ob quam rationem etinm parentibus non licet ingredi religionem, aut in ea profiteri, nisi liberis indigentibus prius de sustentatione congrua consultum sit.

Tertio non possunt ingredi religionem, aut in en profiteri servi (proprie dicti, uti originarii, et adscriptitii) sine consensu, et licentia domini, ita nt si sine licentia domini tale quid nttentaverint, repeti ab eo intra triennium poterunt, et ei cum omnibus suis, qnae ad monasterium v. gr. attulerunt, restituendi sint, fide tnmen accepta, quod a domino propterea non sint pnniendi; vel si per triennium repetitus n domino non sit servns talis, non possit quidem post triennium repeti amplius, etiamsi professionem nondum fecerit; quae tamen servus (proprie dictus) ad monnsterium attulit, domino sunt restituenda, prout sumitur ex *can. Si quis*, **3.** *caus.* **17.** *q.* **2.** *iuncta gloss. finali*, tum quod in tali casu ob favorem religionis, in ingres-

sum sui servi videatur consentire dominus, tum quod lucra talis servi domino competant.

Quarto admitti non debent ad religionem, aut professionem, qui debitis ex iustitia obligati sunt, antequam sua debita dissolverint, vel ad illorum solutionem legitime caverint; si tamen alterutrum praestare possint, aut spes probabilis sit, quod intra paucos annos praestare haec possint, si in saeculo maneant, ut ne scilicet aut creditoribus iniuria fiat, aut si spes probabilis non sit, quod intra paucos annos praestare haec possint, si in saeculo manserint, a via perfectionis arripienda illi frustra impediantur.

Quinto, non possunt spectato iure communi ad religionem ingredi, aut in ea profiteri, qui ad publica ratiocinia obligantur, donec rationes reddiderint; qui sunt excommunicati; qui simoniace profitentur; qui verbis, vel alio impedimento contra substantiam ordinis impediuntur.

§. VI. *Ad quos spectet potestas admittendi novitios ad professionem?*

Spectato iure communi abbatem, seu praelatum religionis immediatum, et mediatum etiam superiorem, generalem v. g. aut episcopum in ordinibus non exemptis, abbatissas in monasteriis monialium, et simul ad conventum illius loci, pertinet admissio talis, ita ut non tantum consilium capituli ad validam receptionem requiratur, sed consensus etiam saltem maioris partis (nisi peculiaria ordinis statuta, aut recepta consuetudo aliud iubeat) prout colligitur etiam ex *c. Ea quae*, 6. *de his quae fiunt a praelato*, quia agitur in tali casu de re, capituli bonum, vel praeiudicium concernente; in eo casu tamen, quo ad praelatum, et capitulum simul talis admissio pertinet, potest, vacante sede, solum capitulum ad professionem admittere, prout statuitur *in cap. fin. h. t. in* 6., non autem, si ad solum praelatum admissio pertinet.

§. VII. *De effectibus validae professionis.*

Validae professionis primus effectus est, quod dirimat matrimonium post contrahendum, et etiam antea contractum, nondum tamen consummatum, de quo infra.

Secundus effectus est, quod nonnunquam divortium inter coniuges quoad cohabitationem, et thorum, permitti possit, si vel ingredi religionem uterque velit, vel altero ingrediente, alter votum continentiae facere velit, prout colligitur ex *cap. Veniens*, 9. *h. t.* et pluribus infra dicetur.

Tertius effectus est, quod per professionem in religione quacunque approbata factam, tollatur prius votum simplex ingrediendi certam religionem, et in ea profitendi, *cap. Qui post*, 5. *h. t. in* 6. quia minus vinculum, votum scilicet simplex de ingrediendo religionem certam, tollitur per fortius vinculum superveniens per professionem scilicet in religione approbata factam, sicuti simplex venditio, per alteram, cui traditio rei venditae annexa est, tollitur, et sicut sponsalia de futuro dissolvuntur per sponsalia de praesenti; peccat tamen talis, si sine rationabili causa votum suum de profitendo v. g. in strictiore religione non servavit, profitendo in religione laxiore.

Quartus effectus est, quod per professionem religiosam tollatur patria

potestas, (non quidem in damnum, sed in commodum religiosi, cum hic per professionem se totum tradat religioni, in cuius potestatem transit); tollantur omnia vota, et iuramenta pia prius edita *c.* 4. *De voto;* tollatur irregularitas ex defectu natalium, non quidem in ordine ad praelaturas, aut beneficia curata, sed in ordine ad sacros ordines suscipiendos; tollatur macula, seu inhabilitas ad actus quosdam civiles etc.

§. VIII. *De indissolubilitate professionis religiosae.*

Indissolubilem esse professionem religiosam tam ex parte profitentis, quam ex parte religionis, in qua quis profitetur, ex dictis iam patet, ita ut nec sola voluntate profitentis, nec ex sola dispositione religionis, nec ex mutuo consensu tam profitentis, quam religionis dissolvi possit quoad vinculum: potest tamen pontifex per legitimam dispensationem relaxare vinculum professionis, ut postea religiosus amplius non sit, nec ullis votis ligatus, qui prius per professionem religiosam ligatus votis fuerat, ob universalissimam concessam potestatem ex Dei nomine solvendi omnia, quae per publicam potestatem a Christo solvi prohibita non sunt; sicuti non est prohibita absolute professionis religiosae relaxatio: neque tamen per promotionem religiosi ad episcopatum auctoritate pontificis factam, vinculum religiosae professionis dissolvitur, quia status hi inter se non repugnant quoad substantialia, sed potius se mutuo iuvant, ita tamen, ut talis religiosus ad episcopatum assumptus, ex voto obedientiae iam summo pontifici specialiter obligatus sit, tanquam supremo sui etiam ordinis capiti; et ex voto paupertatis iam non monasterio, ex quo exemptus est, sed suae ecclesiae acquirat; et quamvis a regularum sui ordinis observatione solutus sit talis episcopus, dignitatem tamen episcopalem non dedecet, sui ordinis observationes servare, in quantum sine praeiudicio fieri potest.

§. IX. *An is, qui invalide professus est, teneatur ratificare professionem, et quae requirantur ad ratificationem professionis invalidae?*

Qui invalide professus est, impedimentum tamen irritans professionem in foro externo probare non potest, non tenetur ratificare invalide a se factam professionem, sive bona, sive mala fide invalide sit professus, ob arduitatem scilicet status religiosi, qui spontaneum plene, ac liberum consensum requirit: ob praesumptionem tamen spontanei consensus, si impedimentum irritans probari non possit, cogi poterit in foro externo ad observationem professionis talis.

Quod si tamen ratificare velit invalidam suam professionem, requiritur primo, ut ratificans sciat professionem a se factam irritam fuisse (quia incogniti nulla est voluntas) nisi expresse apud se statuat, quod professionem suam, si invalida fuisset ab initio, et hic et nunc validare velit. Secundo requiritur novus consensus tacitus, vel expressus, per quem professio invalide emissa ratificetur, cum sit nova professio. Tertio requiritur nova etiam acceptatio praelati regularis, conscii nullitatis prioris professionis, cum enim professio sit contractus mutuus, et reciprocus, tam religionem, quam profitentem obligans, consequenter, sicuti requiritur nova traditio ex

parte profitentis, ita etiam nova requiritur admissio ex parte religionis: quae sententia, quamvis tutior, et probabilior sit, non tamen deest contrariae etiam sententiae, quae hanc novam acceptationem non requirit, sua probabilitas fundata *in c. Significatum*, 11. *h. t. et in c.* 1. *eodem in* 6.

§. X. *De iure, seu facultate reclamandi adversus professionem invalidam.*

Quod regulares, et quidem omnes, tam mares, quam foeminae, etiam militarium ordinum, reclamare possint contra nullitatem suae professionis ex *Trid. sess.* 25. *De regularibus cap.* 19. patet, et ex plenaria libertate ad professionem requisita probatur, ita tamen, ut iuxta Tridentini decretum, loc. cit. relatum, certae conditiones requirantur, ad legitimam reclamationem; 1. scilicet, ut ante reclamationem habitum non deponat, qui reclamare vult contra professionem suam invalidam; neque eum habitu discedat, sine licentia suorum superiorum, nisi iusta causa alterutrum suadeat, tanquam necessarium ad reclamandum, aut habitus ad tempus aliquod dimissus, iterum ante reclamationem fuisset assumptus: 2. requiritur, ut coram suo superiore (immediato scilicet praelato regulari, qui professionem eius admisit, vel coram eius successore), et ordinario (episcopo scilicet dioecesis illius, in qua situm est monasterium reclamantis) aut vicario generali, vel capitulo cathedrali, (in casu vacantis sedis) causas nullitatis suae professionis deducat: 3. requiritur, ut reclamatio talis fiat intra quinquennium, a die professionis numerandum, nisi iusta ignorantia nullitatis, aut aliud impedimentum a reclamando rationabiliter impediens, quinquennium hoc non tam a tempore professionis factae, prout per se quidem fieri deberet, quam a tempore cessantis ignorantiae, aut impedimenti, inchoari iuberet, prout probabilior sententia docet, si tamen hanc ignorantiam, aut impedimentum prius intervenisse, neque suam irritam professionem se ratificasse probet, post quinquennium a die professionis elapsum reclamans. Causae antem, ob quas reclamari potest dicto modo de professione nulla, sunt plerumque, quod in amentia, aut ex rationis defectu professus sit aliquis; quod fuerit professus ante legitimam aetatem, ante annum novitiatus absolutum; quod metu gravi iniuste incusso ad extorquendam professionem, vel per vim fuerit coactus profiteri; quod in monasterio diversi sexus fuerit professus, vel non coram legitimo superiore etc.

SECTIO IV.

De facultate transeundi ex una religione ad aliam.

§. I. *An possit professus, seu religiosus transire ab una religione ad aliam, et quae conditiones requirantur ad licitum transitum ad aliam religionem?*

Temere non potest religiosus a monasterio, in quo professus est, ad aliud transire, sive eiusdem, sive alterius ordinis sit, sive laxioris, sive aequalis, sive strictioris ordinis sit, prout statutum est in *c. Ioannes*, 5. *h. t.* ne per talem transitum, aut iniuria fiat priori monasterio, quod ius in suum professum acquisivit, aut voto suo contravenerit talis religiosus, si propria auctoritate commutet professionem suam primam in aliam. Dicitur

autem transire, qui transit, aut sola levitate, vel inordinata animi passione ductus, vel qui transit non petita superioris legitimi licentia, et hac non obtenta (in casibus scilicet, in quibus iura requirunt licentiam obtentam) prout habetur etiam in *c. Non est*, 7. *h. t.* contra quos temere saepius sub praetextu strictioris ordinis, transeuntes, privilegio etiam apostolico munitae sunt religiones aliquae, uti habetur *in c. Licet*, 18. *h. t.*

Si tamen conditiones a iure requisitae observentur, licitum est omnibus religiosis, tam viris, quam foeminis ab una religione ad aliam strictiorem transire, prout habetur in *c. Licet*, 18. *h. t.* (ne Spiritui sancto ad meliorem perfectionem impellenti, videatur remora posita,) quin immo toti etiam communitati religiosae transitum talem licere, patet ex *cap.* 3. §. *Caeterum de stat. monach.* et probabiliter sine licentia episcopi. Conditiones autem ad talem transitum licitum requisitae sunt prima ut fiat transitus ad atrictiorem religionem; strictioris religionis nomine hic non intelligendo eam, quae in se, et absolute perfectior est, cuiusmodi perfectio ex fine desumitur, et proportione mediorum ad finem, sed eam intelligendo, quae maiorem austeritatem, seu rigidiorem regulam habet, praesertim circa silentium, et solitudinem etc., non tam iuxta primaevum suum institutum, sed iuxta modernum vivendi modum, per varias constitutiones, consuetudines, privilegia, vel abusus etiam introductum. Secunda conditio est ad legitimum transitum, ut non fiat hic temere, et ex inordinata passione tantum, sed ex pura intentione, et sincero zelo maioris perfectionis obtinendae; neque fiat transitus talis cum notabili detrimento monasterii, in quo professus fuit, prout *in citat. cap. Licet*, decernit pontifex: ad quae discernenda tertia conditio est, ut licentia transeundi ad strictiorem religionem a praelato suae professionis, prius sit petita, cum debita humilitate, et puritate, ut ait pontifex, ne bonum obedientiae contemnere videatur, et ut zelus illius, ac puritas intentionis examinetur: et hinc quamvis etiam non obtenta a superiore licentia transitus talis religioso concedatur (ad strictiorem scilicet, non tamen ad parem, vel laxiorem; ad quem transitum non sufficit petita licentia, sed requiritur obtenta) si iusto zelo ad transeundum hic moveatur, superior vero sine iusta causa licentiam denegat: non tamen potest religiosus petita licentia, aut post negatam licentiam statim transire, sed debet legitimo tempore exspectare, dum motivum transeundi videatur examinatum, et appareat sine iusta causa, ac indiscrete negatam esse transeundi licentiam, ita ut si dubium sit, ex qua causa a superiore negetur licentia, vel ipse de causa iusta negationis interrogari ulterius debeat, vel superior illius adiri ad impetrandam licentiam, vel cogi superior, ut causam suae negationis proferat: neque tamen transeundi haec licentia facile concedetur, nisi prius religio petita velit talem transiturum recipere (ne detur vagandi occasio), et hic habeat literas dimissorias a suo superiore, ut appareat, motivum illius fuisse examinatum.

§. II. *Quinam superior in specie licentiam dare possit transeundi ad aliam religionem?*

Non tantum immediatus, sed etiam mediatus superior ordinis, aut monasterii, provincialis v. gr. generalis etc., licentiam hanc ad strictiorem

ordinem transeundi, per se dare potest, cum non tantum immediatus, sed mediatus etiam verus religiosi talis sit superior, a quo licentiam petendam praescribit *cit. c. Licet:* et sicuti licentia episcopi, casu quo exemptum etiam monasterium non essst, ad transitum hunc non requiritur, ita nec requiritur consensus capituli, cum nihil de alterutro requisito innuat *citatum capitulum.* Monialibus tamen, si dicto modo transire velint, praeter abbatissae suae v. g. licentiam petitam, necessarium etiam est petere eam a praelato regulari, cui subsunt, et ab ordinario loci (saltem si non exemptae sint) cum iudicare de causa transitus v. gr. res gravis sit, mulieribus non concessa, prout in quibusdam ordinibus ex peculiaribus ordinum talium statutis, ob rei gravitatem, haec dandi licentiam potestas reservata est provinciali, vel generali.

Licentiam vero ad laxiorem, aut paris rigoris ordinem transeundi solus papa concedere potest, si nulla iusta causa transeundi habeatur (saltem pro foro externo) ex iusta tamen causa infirmitatis v. gr. aut gravium inimicitiarum etc., cum sit non tam commutatio in melius, sed quasi alienatio aliqua, potest quidem concedere transeundi licentiam nonnunquam etiam immediate superior, cum consensu tamen capituli, si quasi episcopalem iurisdictionem habeat, et immeditate papae subiectus sit, non tamen, si alii superiori regulari, provinciali v. gr. generali etc. subiectus sit, cum in tali casu licentia danda non tam immediato praelato, conventus priori v. g., guardiano etc., sed illi qui toti ordini, aut provinciae praeest, cui se per professionem suam religiosus tradidit, competat, ita tamen, ut in ordinibus non exemptis, episcopus etiam cum consensu abbatis, seu praelati non exempti, et capituli transitum talem concedere possit.

§. III. *An, et quatenus permissum sit, vel prohibitum ex certis religionibus transire ad alias.*

Canonicum regularem transire posse ad ordinem monachorum, dummodo in monasterio, ad quod transit, strictior sit observantia, *ex c. Sane,* 10. *h. t.* patet, et quamvis de iure antiquorum decretorum *causa* 19. *q.* 3. hoc non liceat, ob specialem pro illo tempore urgentem rationem, quo tempore monachi sacerdotes non fuerunt, fuerunt autem canonici, ne ad inferiora descenderetur, quia tamen hodie haec ratio nihil urget, concessa etiam est hodie haec transeundi licentia (saltem de iure communi, et servatis requisitis conditionibus), neque tamen monachis ad canonicos transire licet, prout colligitur, *ex cit. c. Sane, et ex cit. c. Licet,* cum monachorum ordo strictior in iure habeatur, quam ordo canonicorum *c. Quod Dei,* 5. *de statu monach.* nisi laxius in tali monachorum monasterio viveretur, quam in ordine canonicorum regularium.

Ad ordinem tamen mendicantium transire non licet mendicantibus (excepto carthusianorum ordine) sub praetextu cuiuscunque licentiae, aut indulti apostolici (nisi specialis a papa alicui licentia concessa fuisset) *iuxta Extravag. Viam h. t. inter communes,* ubi sub poena excommunicationis transitus hic, et receptio, ac nullitate professionis in posteriore ordine factae, prohibetur, ob bonum scilicet publicum, et conservationem ordinum mendican-

34

tium (videtur tamen pluribus in locis non esse usu recepta haec Extravagans), potest tamen de iure communi, ex uno ordine mendicantium, ad alium mendicantem ordinem strictiorem, servata forma a iure praescripta, transitus fieri, cum hic transitus nullibi a iure prohibitus sit.

Assumptus tamen ad clericatum, seu ad chorum deputatus, in monasterio aliquo, potest quidem de iure communi ad statum fratrum laicorum transire, ob ingens desiderium v. gr. vitae humilioris, clerico tamen religioso, in sacris iam constituto, talis translatio non facile concedenda est, ob status, quem iam obtinet, dignitatem, et reverentiam.

§. IV. *Quaenam iure canonico interdicta sunt religiosis transeuntibus, etiam licite, ad alias religiones?*

Quod libentius in sua, qua vocati sunt vocatione, permaneant professi mendicantes, et ut discordiarum, ac schismatum productiva ambitio reprimatur, prohibet pontifex *in Clement. Ut professores*, **1.** *h. t.* si ad non mendicantes, etiam auctoritate apostolica, hi transiverint, ut ne ad prioratus, administrationes, aut quaecunque officia, sacristae v. gr. oeconomi, cellarii, syndici, etc. etiam ut vicarii, aut ad quodcunque regimen, vel curam animarum, tam intra, quam extra illam religionem exercenda promoveantur illi qui taliter transiverunt, neque vocem in capitulo (generali, vel provinciali) habeant, quamvis administrationem aliquam, aut regimen in ordine, ad quem transiverunt, obtineant, aut locum; non quidem ad punitionem, sed ad alios ordinis tractatus, et Trid. vult. *sess.* **14.** *cap.* **11.** ut omnes religiosi in claustro ordinis, ad quem sunt translati, sub obedientia suorum superiorum perpetuo vivant, et ad quaevis beneficia saecularia, etiam curata, sint omnino incapaces.

§. V. *Aliae quaestiones circa translationem religiosorum ab uno ordine ad alium resolvuntur.*

Qui legitime ab uno ordine ad alium transfertur, ut sit praelatus illius, debet de novo in hoc professionem emittere, et finito suae praelaturae tempore, manebit ordinis illius, ad quem translatus est, religiosus; per translationem enim talem perdit omnia iura prioris ordinis, aut monasterii: neque obligatur ad vota specialia in priori religione emissa, aut ad abstinentias, et rigorem illius regulae.

Bona vero temporalia licite transeuntis (si utraque religio bonorum talium in communi capax est) quae priori monasterio v. gr. acquisita iam fuerunt, ratione huius sui pro illo tempore professi, manent quidem, quoad proprietatem, et usumfructum priori huic monasterio; quae vero post transitum talem licitum, et validam in altero monasterio, vel ordine professionem, ratione taliter professi acquiruntur, acquiruntur posteriori monasterio, vel ordini; professus enim suo monasterio acquirit, in quo vivit, quoad se, et sua, Deo dedicatus. Si vero a monasterio bonorum in communi capaci, ad ordinem incapacem transeat, aut ab ordine incapaci ad capacem, tum bona absolute acquisita, aut acquirenda, vel monasterio priori capaci, aut in casu incapacitatis, haeredibus ab intestato v. gr. manent.

SECTIO V.

De religiosis fugitivis, apostatis, et eiectis.

§. I. *In quo differunt religiosi fugitivi, apostatae, et eiecti, et an religio teneatur illos quaerere, et revocare?*

Religiosi fugitivi proprie dicuntur, qui a monasterio, vel ordine recedunt, sine superiorum licentia, sive habitum retineant, sive exuant, ut sint extra potestatem, et obedientiam, et ad tempus libere vagentur, cum animo tamen ad religionem, vel monasterium redeundi. Apostatae vero, proprie, et rigide loquendo, sunt, qui ab ordine recedunt, animo excutiendi iugum religiosum in perpetuum, et omnino deserendi institutum. Eiecti denique religiosi dicuntur illi, qui ob culpam suam ex religione exire compelluntur, et quamvis *Trid. sess.* 25. *cap.* 4. *de regular.* inter fugitivos etiam enumeret, qui sub praetextu ad suos mediatos superiores accedendi sine suorum immediatorum superiorum licentia, a suis conventibus recedunt, nisi ab illis vocati fuerint, et puniendi etiam ab ordinariis locorum dicantur, tanquam desertores sui instituti, intelligi tamen debet hoc decretum, nisi inique a suis immediatis superioribus tractentur, et aliud remedium ad superiores suos mediatos non habeant.

Circa hos fugitivos, apostatas, et eiectos in singulos annos a suis praelatis regularibus requirendos, revocandos, et cogendos, ut ad monasterium redeant, multa statuuntur *in c. ult. h. t.* quia tamen haec constitutio contraria consuetudine ferme abrogata est, et ordines religiosi circa eiuscemodi fugitivos, apostatas, et eiectos suarum potius regularum, et constitutionum, ac statutorum tenorem observant, nulla videtur illius explicandae ulterior necessitas.

§. II. *An religio habeat potestatem eiiciendi subditos regulares, et ob quas causas, et an religiosus eiectus nihilominus obligetur ad vota religionis, aliasque observationes regulares?*

Quod possint ordines religiosi, suos subditos, etiam professos, expellere e religione, ex causa iusta, et gravi, praxis religiosorum ordinum docet, et multa summorum pontificum privilegia religionibus hoc concedentia probant. Resecandas enim carnes putridas esse, ut ne inficiantur bonae, ratio naturalis etiam docet. Convenit autem haec eiiciendi potestas ordinum superioribus, cum consensu saepe maioris partis capituli; iuxta propria tamen variorum ordinum statuta, et privilegia. Causae vero iustae talis eiectionis faciendae sunt de iure communi, primo si notorie sit in gravi crimine incorrigibilis professus. Secundo, si committat crimen infame, propter quod sine ordinis detrimento servari in ordine non potest. Tertio, si reticuit impedimentum, vel defectum valde gravem in receptione ad ordinem. Fatentur tamen auctores in eiectione talium professorum valde cautos debere esse religiosos ordines, neque facile ad eam deveniendum, nisi post alias legitimas, etiam incarcerationis poenas, accedat incorrigibilitas, aut valde grave religionis praeiudicium: et hinc sacra congregatio Concilii statuit, ut impo-

sterum ex religionibus nullus eiiciatur professus, nisi sit vere incorrigibilis; qualis non censetur, nisi unius etiam anni spatio in ieiunio, et poenitentia probetur in carceribus.

Eiectus tamen per iustam sententiam definitivam in perpetuum, ad vota quidem substantialia religionis adhuc obligatur, cum maneat etiam post electionem verus religiosus, et praelato regulari non sit data licentia a votis regularis professionis eum solvendi, ad alias tamen regulae observationes, ieiunia v. gr. abstinentiam a carnibus, vigilias ordinis, etc. non obligatur amplius (nisi denuo ad ordinem recipiatur), cum hae observantiae non comitentur professionem trium substantialium votorum, sed regularem tantum statum, sub regula ordinis constitutum, a qua per eiectionem liberatur, non quidem quasi ex delicto suo commodum sentiret, sed quia principali cadente, statu scilicet regulari, cadit etiam accessorium, regulae scilicet observatio, et taliter eiecto nimia difficultas oriretur, sine ullo ab ordine solatio, etc.

§. III. *An professus eiectus per sententiam in perpetuum teneatur redire ad religionem suam, vel ingredi aliam, et ad hoc compelli possit?*

Qui ob crimen eiectus est, obligatus quidem est in conscientia, ut se corrigat, et correctus iterum petat in ordinem suscipi, et ad redeundum a suis superioribus cogi potest, prout colligitur *ex c. ult. h. t.* ubi excommunicari posse dicitur eum, qui eiectus redire non vult, et probatur ex obligatione votorum substantialium religionis, a qua non deobligatur. Quod si tamen emendatus, et reditum sincere desiderans, ac petens a sua religione non amplius recipiatur, non tenetur aliam ingredi, sed potest in saeculo permanere, vel etiam ad laxiorem religionem transire (cum enim per ipsum non stet, quo minus ad suam religionem revertatur, consequenter nulla illius culpa erit, si in saeculo maneat, vel ad laxiorem religionem transeat) nisi sub ea conditione eiectus sit, ut ad aliam religionem transeat, et hanc conditionem ipse acceptasset; quo in casu ad hanc religionem ingrediendam compelli etiam posset a suo superiore, a quo sub hac conditione, ab illo acceptata, eiectus fuerat.

TITULUS XXXII.

DE CONVERSIONE CONIUGATORUM.

§. I. *Quae conditiones requirantur, ut coniux post matrimonium consummatum licite possit religionem ingredi.*

Non negatur quidem coniugibus in matrimonio constitutis converti ad religionem, et eam ingredi; ut licite tamen haec conversio fiat, certae quaedam de iure communi conditiones requiruntur: et quidem post consummatum matrimonium, ut coniux possit licite in religione profiteri, debet habere ad hoc licentiam ab altera parte, et debet haec, si senex sit, et extra incontinentiae periculum, iuxta episcopi iudicium, in saeculo permanens, perpetuae continentiae votum facere, vel si iuvenis sit, aut sit incontinentiae periculum, debet et ipsa in religione aliqua profiteri, prout statuitur

c. *Praeterea*, 1. c. *Cum sit*, 4. c. *Uxoratus*, 8. c. *Ad apostolicam*, 13. *et c. Significavit*, 18. *h. t.* cum mutare uterque statum debeat velut una caro; aut saltem si senex illa pars sit, quae in saeculo manet, et absit incontinentiae periculum, voto continentiae obligari, ita tamen, ut si ante professionem ex novitiatu maritus v. gr. ad saeculum redeat, ad uxorem suam redire debeat, etiamsi haec votum continentiae iam fecisset, cum voti talis absolutus valor a professione secutura alterius dependeat, tanquam a conditione.

§. II. *An professio emissa a coniuge cum licentia alterius coniugis, manentis in saeculo, sive cum voto castitatis, sive sine illo, sit valida?*

Respondetur validam fore, modo cum consensu manentis in saeculo fuerit facta, quamvis nec religionem haec, si iuvenis, aut de incontinentiae periculo suspecta fuerat, ingressa fuerit, nec votum continentiae in saeculo manens emiserit, si senex fuerat, et extra incontinentiae suspicionem, prout communiter sentiunt canonistae, et probant *ex canone Agathosa*, 21. *caus.* 27. *q.* 2. *et c. Ex parte*, 9. *iunct. gloss. verbo De iure*, *h. t.* cum illicita quidem dicatur a iure talis professio, non tamen invalida, si consentiente uxore facta sit: et hinc, si maritus talis, qui cum licentia quidem uxoris professus est, hac tamen non profitente, nec votum continentiae faciente, per episcopum ad uxorem hanc suam redire iubeatur (quod facere posse episcopum, ob incontinentiae periculum, ex parte uxoris, *ex cit. c.* 1. patet) exigere quidem non potest debitum, neque post mortem huius suae coniugis ad secundas nuptias transire, ob impedimentum dirimens voti, reddere tamen debitum coniugale coniugi huic suae debet, cum per licentiam transeundi ad religionem concessam, suo iuri, quod habet ad petendum debitum, legitime non cesserit, neque votum continentiae fecerit; nisi conscia uxor iuris disponentis de suo etiam in religionem ingressu, aut vovenda continentia, licentiam profitendi marito dedisset; hoc enim in casu revocari vir non posset, cum uxoris talis licentia in ordine professus, quamvis uxor suam postmodum obligationem, quam merito, dando licentiam marito, cum tali scientia iuris, in se suscepisse censetur, non impleat, prout iterum colligitur *ex cit. c.* 1. *h. t.*

§. III. *An professio mariti, invita, vel ignorante uxore, facta, et vice versa, invito vel ignorante marito, post consummatum matrimonium, sit valida, et ad quid obligat?*

Respondetur non valere quidem talem professionem post consummatum matrimonium, invita, vel etiam ignorante, aut contradicente altera thori parte, factam, ita ut mortua hac comparte sua ad religionem transire non teneatur, qui taliter professus est, obligare tamen talem professionem in vim simplicis voti continentiae; ita ut taliter professus petere non possit postmodum debitum, quamvis reddere teneatur, et post mortem huius suae compartis perpetuam continentiam servare teneatur, *c. Quidam*, 3. *et c. Placet*, 12. *h. t.* cum in tali casu praeiudicium quidem inferre non potuit per professionem talem suae coniugi, quia tamen, invita etiam coniuge, vo-

vere potest continentiam, id quod potuit facere, merito fecisse censetur: neque tamen exinde inferre licet, ergo etiam professio religiosa, quamvis non valeat in vim simplicis voti religionis: negatur enim hoc illatum, cum coniugatus durante matrimonio inhabilis sit ad tradendum se religioni (sive per professionem, sive per votum simplex hoc fiat) perpetuo suae coniugi alligatus, a qua discedere non potest sine illius consensu; ad petendum autem debitum, sicuti non tenetur, durante etiam matrimonio, ita per votum potest illam licentiam sibi adimere, durante etiam matrimonio: quod si tamen uterque coniux in religione profiteatur, non obtenta mutua licentia, videtur valida utriusque professio, quia ipso facto censeri possunt licentiam sibi mutuo dedisse.

§. IV. *An professio coniugati facta, cum licentia alterius coniugis, per metum tamen, aut dolum obtenta, sit valida, et an etiam, si sit facta, altero coniuge sciente, et tacente, ac dissimulante, teneat?*

Respondetur primo nullam esse professionem, si licentia ad profitendum ab altero coniuge per metum gravem, et iniustum, vel iniustum dolum extorta sit *c. Veniens*, 16. *et c. Accedens*, 17. *h. t. iunct. gloss. v. Votis*, ita ut taliter professus, voto quidem simplicis continentiae obligetur, non tamen religiosa professione, et si ad saeculum redire velit, post mortem suae prioris coniugis, a qua licentia profitendi taliter extorta fuit, aliud matrimonium (valide saltem) contrahere possit, prout ex dictis etiam iam patet. Cum enim professio debeat esse libera, et nihil dolosa, consequenter etiam ea, quae ad talem professionem requiruntur, uti requiritur cessio haec, sive licentia, libera esse debet (libertate debita), et absque dolo.

Resp. Secundo irritam quidem esse etiam professionem mariti v. gr. si uxor nec expresse in eam consensit, dando licentiam, neque positive contradixit, aut repugnavit, sed tacuit, et dissimulavit (cum in tali casu valde praeiudiciali taciturnitas non habeatur pro consensu), si tamen semper, dum vixit, tacuit, et maritum non revocavit, validatur ex sententia probabili ipso facto talis professio, si postmodum uxor moriatur, cum impedimentum validae professionis, matrimonium scilicet, ablatum sit, *c. Consuluit*, 10. *h. t.*; ex probabiliore tamen, non validatur per solam coniugis mortem talis professio, sed requiritur novus profitentis consensus, tacite, vel expresse ratificans primam professionem, quam scivit esse nullam, cum solo tractu temporis, et per solam mortem uxoris professio prius invalida non censeatur validari ob magnam professionis religiosae difficultatem.

§. V. *An votum simplex continentiae, ab uno coniuge, cum licentia alterius, post matrimonium consummatum, vel ab utroque communi consensu emissum, sit validum, et licitum, et ad quid obliget?*

Valide, et licite haec talia vota, vel ab uno coniuge cum consensu alterius, vel ex communi consensu ab utroque fieri posse (ita ut nec ad petendum, nec ad reddendum debitum sit obligatio voventis taliter), et quidem, vel ad tempus, quo elapso ad matrimonialem thorum compelli possit, qui ad tempus voto continentiae cum alterius licentia se obligavit, vel

in perpetuum ex *c. Charissimus*, 11. *h. t.* habetur: quamvis enim in proprium praeiudicium possit coniux sine consensu alterius voto continentiae se obligare ad non petendum debitum, non tamen potest sine consensu alterius vovere etiam castitatem ad non reddendum cum praeiudicio alterius.

§. VI. *An si coniuges, qui mutuo consensu continentiam voverunt, uterque vel alter eorum religionem profiteatur, possit unus alterum repetere seu revocare?*

Respondetur negative, prout sumitur *ex c. Dudum*, 21. *h. t.* cum enim per consensum datum ad votum continentiae faciendum omni iure suo, quod ad matrimoniale commercium habent, coniuges, cesserint hi, qui licentiam ad vovendum dederunt, consequenter illicite facerent, consensum iuste, et pie datum, iniuste revocando, si coniugem in tali casu professum repeterent.

§. VII. *An si unus coniugum adulterium commisit, possit alter coniux innocens, licite transire ad religionem, vel ordines sacros suscipere, etiam adultero invito?*

Posse maritum innocentem, si uxor illius adulterium commisit, quod in foro externo notorium est, aut propter quod sententia divortii legitime lata fuit, etiam invita hac, ad religionem transire, et in ea profiteri, absque eo, ut revocari ab uxore sua adultera possit ex *c. Constitutus*, 15. *et ex c. Veniens*, 16. *h. t.* patet, ex quibus textibus etiam patet, quod ad ordines sacros maritus talis, in casu adulterii talis ab uxore commissi, hac invita transire possit, si nihil aliud obstet, cum talis adultera omne ius suum, quod in maritum habebat, in ordine ad matrimonialem thorum amiserit: et quamvis etiam coniux adulter, si innocens statum mutavit, et in religione v. gr. professus est, ad religionem transire possit, sine alia licentia expressa, ab innocente obtenta, cum per professionem ab innocente susceptam sufficientem licentiam dedisse coniugi adulterae ad religionem transeundi merito censeri possit, non potest tamen etiam post divortium celebratum ad religionem transire adultera, sine expressa, vel tacita licentia innocentis, ut ne innocens sine consensu suo, iure suo reconciliandi sibi, si velit etiam post divortium, adulteram, privetur; et si licentiam huic de professione in religione dedit innocens, non tenetur hic vel ad religionem transire, vel votum continentiae facere in saeculo, cum ea, quae circa has obligationes statuuntur in iure, statuantur in casu matrimonii integri, et non propter adulterium (quoad thorum saltem) dissoluti.

§. VIII. *An propter adulterium spirituale, videlicet apostasiam a fide, vel haeresim, in quam unus coniugum lapsus est, possit alter eo invito religionem ingredi, vel in ea profiteri?*

Si per sententiam legitimam iudicis ecclesiastici, talis in infidelitatem aut haeresim lapsus, tamquam haereticus, seu infidelis declaratus sit, et ab eo coniux innocens separatus sit, potest hic etiam invito illo, quamvis ad veram fidem redierit, religionem ingredi, et in ea profiteri, *cap. Mulier*, 21. *h. t.* quamvis enim si propria auctoritate, et sine iudicio ecclesiae

a coniuge in haeresim, aut infidelitatem lapso decesserit fidelis, cum ad fidem iterum revertentem recipere teneatur coniux, qui in fide permansit, ad multas fraudes cavendas, nec possit sine talis licentia ad religionem transire, si per auctoritatem ecclesiasticam legitime ab eo separatus sit, cum possit perpetuo ab eo separatus manere, potest etiam sine alia licentia religionem ingredi, ac in ea profiteri *c. De illa*, 6. *de divortiis*. Ecclesia scilicet privante per sententiam omni iure matrimoniali talem infidelem, aut haereticum, in poenam desertae fidei.

§. IX. *An, et quo iure dissolvatur matrimonium ratum per professionem?*

Dissolvi etiam quoad vinculum ratum matrimonium, si nondum consummatum sit per professionem religiosam, invito etiam altero coniuge factam, constat ex *c. Verum*, 2. *c. Ex publico*, 7. *et c. Ex parte*, 14. *et pluribus etiam h. t. capitulis, et ex Trident. sess.* 24. *de sacr. matrim. can.* 6. (ita ut manens in saeculo ad alia vota, sive secundas nuptias transire possit) non quidem ex natura rei, cum matrimonium sit ex natura sua indissolubile, sed ex iure ecclesiastico, antiquissimo tamen, ab apostolorum temporibus introducto, in favorem scilicet maioris perfectionis, et ad spiritus Sancti vocationem ad religionem promovendam, hunc transitum nihil praeiudicantem concedente ecclesia.

§. X. *Intra quod tempus licitum sit sponsis de praesenti, ante matrimonium consummatum, ingredi religionem?*

Potest quidem quocunque tempore post matrimonium cotractum, si nondum copula carnali consummatum illud fuerit, pars quaelibet religionem intrare, et in ea profiteri, *ex c.* tamen *Ex publico*, 7. *h. t.* patet, quod si sponsus, vel sponsa de praesenti consummare non velit matrimonium, sub praetextu, quod velit ingredi religionem, cautio ab eo praestetur, quod intra duos menses, vel intra tempus a iudice ecclesiastico praescribendum, iuxta varias circumstantias, aut religionem ingredi, vel ad consortem redire velit, ac matrimonialiter eidem cohabitare, ad quam cohabitationem, etiam per censuram, post bimestre spatium cogi poterit, ita favori maioris perfectionis consulente ecclesia, ut tamen per inutilem longiorem moram grave praeiudicium non patiatur altera pars; neque tamen hoc bimestre tempus conceditur ab ecclesia, quasi post duorum mensium lapsum statim profiteri deberet pars illa, quae religionem ingressa fuit, cum integer annus ad probationem ei, uti aliis novitiis, in favorem scilicet religionis, concedatur; sed ad deliberandum, utrum ingredi velit religionis novitiatum, ita ut toto hoc tempore duorum v. gr. mensium, intra quos de religionis ingressu deliberare potest pars, quae vult religionem ingredi, et toto tempore novitiatus, usque dum in religione tali profiteatur, exspectare debeat altera pars, quae in saeculo manet, neque possit ad secundas nuptias transire ante professionem factam: quae mora difficilis ei esse non debet, qui iuris huius gnarus, cum tali persona contraxit, et possit etiam a iudice ecclesiastico tali personae, si in fraudem alterius mariti v. gr. multas religiones tentare

velit, certum tempus praescribi, intra quod vel profiteatur, vel ad matrimonium redeat.

§. XI. *An sponsa de praesenti possit religionem ingredi, si a sponso sit carnaliter cognita per copulam violenter extortam?*

Respondetur, si post bimestre, vel illud spatium, quod ipsi a iudice ecclesiastico ad deliberandum de ingressu concessum fuit, sponsa v. gr. de praesenti violenter fuit cognita, non potest amplius ingredi religionem, quia in tali casu, sicut ius nullum amplius habuit sponsa talis ad negandum debitum coniugale, ita alter habet ius petendi, et consequenter cogendo illam ad consummandum matrimonium, utitur iure suo, et censetur proprie, ac iuste consummatum matrimonium, post quod non conceditur invito altero ingressus in religionem, ut ex dictis iam patet. Si vero intra tempus ad deliberandum concessum per vim opprimatur sponsa v. gr. aut quando iam ingressa est religionem, ante factam tamen professionem, potest nihilominus invito etiam sponso ingredi religionem, vel in ea profiteri, cum per iniuriam talem copulae iniuste extortae, non potuerit ipsi libertas ad religionem transeundi adimi, ne alteri ex iniuria tali a se illata commodum aliquod accedat, et patiatur aliquid in iure suo iniuste violata (nisi per accidens aliunde ratione damni alicuius impediretur ab ingressu talis violata) absque consensu tamen huius, sicuti postea non potest ingredi religionem maritus talis, ita ex probabiliore non potest, etiamsi violata taliter in religione profiteatur, ad secundas nuptias transire, cum per talem violentam copulam vere consummaverit matrimonium, qui violentiam intulit.

§. XII. *An, et qua ratione coniugatus possit, vel non possit ordines suscipere, vel ad episcopatum assumi?*

Non posse coniugatum ad sacros ordines promoveri, nisi uxor licentiam dederit, decernitur in *c. Coniugatus*, 5. *h. t.* sive consummatum, sive ratum tantum sit matrimonium, ut ne scilicet per talem ad ordines sacros, votum perfectae continentiae includentes, transitum, praeiudicetur graviter coniugi, quae ad alia vota transire non potest, cum favor ille, qui concessus est professioni religiosae, ad solvendum matrimonium ratum, quoad vinculum etiam, non sit concessus susceptioni sacrorum ordinum; quamvis enim sacri ordines contrahendum matrimonium dirimant, cum ordo sit impedimentum dirimens, ex nullo tamen iure habetur, quod contractum dissolvant: et hinc in tali casu susceptorum cum licentia coniugis sacrorum ordinum, non minus requiritur, ut uxor, quae dedit licentiam, si iuvenis sit, aut de incontinentiae periculo suspecta, in religione profiteatur, vel si senex, et extra incontinentiae periculum sit, perpetuam continentiam in saeculo voveat, prout glossa a plerisque recepta in *cit. c. Coniugatus*, *v. Ab uxore* habet, quam requiratur hoc in casu, quo maritus post consummatum matrimonium cum licentia uxoris religionem ingrediatur, et in ea profiteatur, cum maius periculum sit, in casu, quo maritus in saeculo clericus manet, quam quo in religione profitetur; si ergo ad hoc periculum amovendum, religiosa uxoris professio, aut continentiae votum pro diversitate

circumstantiarum requiritur, potiore iure requirenda ea videntur in casu, quo maritus cum licentia uxoris sacros ordines suscipit, et in saeculo manet, ac tam facile in casu periculi incontinentiae dispensationem non obtinebit, ut suae uxori matrimonialiter cohabitare possit.

Sicuti tamen uxor, quae marito licentiam concessit post consummatum matrimonium profitendi in religione, vel saltem libere non cessit, uti supra dictum, revocare eum ad se potest, ita potest etiam maritum ad se revocare post susceptos sine sua libere concessa licentia sacros ordines, ita ut taliter revocatus teneatur vel religionem ingredi, si nondum consummatum fuerit matrimonium, vel si hoc nolit, coniugi suae matrimonialiter cohabitare, reddendo debitum, non autem petendo, ratione voti continentiae, quod absque praeiudicio uxoris, quoad hanc partem facere potuit; neque potest post mortem huius suae coniugis ad secundas nuptias transire, cum ordo, quem valide suscepit, quamvis nulla adfuerit uxoris licentia, sit impedimentum dirimens.

Quod si tamen coniugatus ad episcopatum promoveatur, et ordinetur episcopus (permittente scilicet uxore) debet uxor in religione profiteri, ita ut non sufficiat, quamvis senex illa sit, et extra incontinentiae periculum, votum continentiae in saeculo emittere, ob maiorem scilicet decentiam dignitatis episcopalis, cui plurimum convenit dignior etiam in religione coniugis status.

TITULUS XXXIII.

DE CONVERSIONE INFIDELIUM.

Agitur in hoc titulo primo *in c.* 1. utrum, et quomodo matrimonium infidelis ad fidem conversi, cum fideli subsistat, si prius in infidelitate maritos foeminarum illarum, quas modo conversi ducere volunt, occiderunt; quae quaestio, quia a notitia impedimenti criminis, ad librum IV. Decretalium pertinentis, dependet, rectius ad eum librum differtur.

Secundo agitur in hoc titulo *in c.* 2. cui proles communis assignanda sit, si uno parentum converso ad veram fidem, alter in infidelitate permaneat, proles vero, nondum quidem rationis, et electionis liberae usum habens, ex voluntate tamen parentis, ad veram fidem transeuntis, sive pater ille fuerit, sive mater, baptismum susceperit, quod fieri posse ex *cit. c.* 2. colligitur, utrum scilicet penes matrem v. gr. infidelem, vel penes patrem fidelem manere, et educari debeat: cui quaesito respondet pontifex, ob fidei favorem, baptizatam talem prolem, etiamsi triennio adhuc minor sit, relinquendam fideli patri, et apud hunc educandam; summa enim est ratio, quae pro religione facit, praesertim cum periculum perversionis in tali casu non subsit.

TITULUS XXXIV.

DE VOTO, ET VOTI REDEMPTIONE.

§. I. *De voto in genere, et praecipua eius divisione, in solemne, et simplex.*

Plura de huius tituli materia reperies apud theologos morales, pauca proinde quaedam, quae ex iure canonico potissimum dissolvenda sunt, hic

afferentur. Et quidem si quaeratur de natura voti, recte dixeris, *votum promissionem esse, Deo factam, de meliore bono:* ita ut ad voti rationem non sufficiat proposuisse tantum, firmissime etiam, quod tale quid praestiturus sim, sed debeat intervenire promissio, sive animus deliberatus, et intentio, qua velim Deo, ad praestandum tale quid esse obligatus, prout etiam colligitur ex *c. Litteraturam*, 3, *h. t.*

Ad divisiones vero voti quod attinet, potissima est, qua votum dividitur in solemne, et simplex: votum solemne est, quod ab ecclesia, ut tale acceptatur, et voventem inhabilem reddit in perpetuum (spectata lege ordinaria, et seclusa dispensatione pontificia) ad matrimonium contrahendum, et ad dominia acquirenda, vel retinenda. Simplex vero omne aliud votum est, quod talem solemnitatem, et vim non habet. Habent autem illam solemnitatem in ordine ad dirimendum matrimonium subsequens, duo tantum vota, ex constitutione ecclesiae in *c. unico h. t. in* 6. explicata, votum scilicet religiosae professionis, et votum castitatis susceptioni sacrorum ordinum annexum: ex quo capitulo etiam patet, voti solemnitatem, non ex natura rei votis his annexam esse, cum ex natura sua sint eiusdem roboris simplex, et solemne votum, sed ex constitutione ecclesiae esse introductam, ob maiorem sacrorum ordinum, et religiosae professionis reverentiam.

§. II. *Utrum, et quando votum obliget, et impleri debeat, et an etiam interveniente impedimento?*

Certum est, quod homini liberum sit vovere, vel non vovere, cum votum sit res consilii, facto tamen voto obligari voventem, ad implendum illud, constat ex *c. Licet*, 6. *h. t.* et ex natura acceptatae promissionis obligantis: et quidem quod votum absolute factum nullo praefixo ad obligandum, aut implendum tempore, statim obliget, et impleri debeat, quamprimum spectatis circumstantiis commode impleri potest, communissima docet, et sumitur ex *c.* 23. *Deuter. ver.* 21. et colligitur etiam *ex c. Non est*, 5. *h. t. et ex regula iuris*, 14. *in ff.* differri tamen posse voti executionem ex iusta causa, colligitur ex *cit. c. Non est*, et quidem si impedimentum temporale sit, per quod reddatur praeter solitum difficilis voti executio, ad tempus differri huius executio potest, donec commode, et quiete executioni mandari possit: si vero impedimentum, quod occurrit, perpetuum sit, tum votum commutandum, vel in eo dispensandum est, ut colligitur ex *c. Super his*, 8. *h. t.* vel si absoluta sit impotentia, et perpetua impossibilitas, ab omni nonnunquam voti obligatione liberare potest: iuxta has enim declarationes, neque nimius rigor in voti executione premitur, quem Deus non petit, neque nimia socordia, libertas, aut deobligatio, ob quodlibet impedimentum permittitur, et tamen ad impossibile nemo obligatur.

§. III. *An, et qualiter haeres teneatur implere, et exequi vota defuncti, quae ipse non implevit?*

Vota mere personalia defuncti, quae actiones voventium respiciunt, non tenetur implere haeres, et exequi (nisi speciali pacto cum defuncto inito, ad hoc etiam se implendum obligasset, quo in casu non vi voti, sed vi pa-

cti obligaretur) tenetur tamen implere vota realia, quae rebus ipsis annexa sunt, et mixta, quae partim personalia, partim realia sunt, si id, quod in voto tali reale est, separari possit a personali, ac independenter ab hoc promissum sit (cum haeres adeundo haereditatem, sicuti res cum onere accepit, ita ex iustitia obligetur ad rem taliter oneratam ei dare, cui defunctus dari voluit) ita tamen, ut ultra vires haereditatis non teneatur: et salva maneat legitima filiis v. gr. debita, uti et alia, quae nullo voto, aut legato gravari possunt; et si monitus a iudice ecclesiastico intra annum exequi vota talia intermittat, omni commodo haereditario, quod a defuncto consequi posset, sit privandus, *iuxta authentic. Hoc amplius cod. de fide commiss. et c. Licet*, 6. *h. t.* cum dignus non sit commodo haereditario, qui onera haereditati annexa subire non vult, cum tamen possit.

§. IV. *An ille, qui vovit ingredi religionem, vel etiam profiteri, possit licite ante votum impletum, episcopatum accipere?*

Respondetur negative iuxta id, quod statuitur in *c. Per tuas*, 10. *h. t.* ubi pontifex cuidam, qui post votum religionis episcopatum accepit, suadet, ut si conscientiam suam sanare velit, quam voti sui transgressor laeserat, renuntiet episcopatui, et reddat altissimo vota sua (neque enim propria auctoritate votum, quod habet de religionis ingressu, mutare potest, in episcopatum, velut altiorem, et perfectiorem statum, cum status episcopalis non sit melius medium ad propriam perfectionem acquirendam, quam status religiosus) nisi ob magnam episcopi talis utilitatem voti obligatio videretur suspensa.

§. V. *Quis vota commutare, vel in iis dispensare possit? et quae vota, ac qualiter commutari possint?*

Commutare vota, et in illis dispensare potest de iure ordinario quilibet praelatus ecclesiasticus respectu suorum subditorum, si in eos iurisdictionem quasi episcopalem habet, et iustam causam talis commutationis, aut dispensationis faciendae subesse iudicat, neque vota illa sint specialiter summae sedi reservata, ut patet ex *c. De peregrinationis*, 1. *h. t.* de iure vero delegato, et ex privilegio, haec commutandi, et dispensandi potestas aliis etiam competit: quin immo in evidenter melius commutare suum votum potest quilibet propria auctoritate, absque alia superioris, aut privilegiati, neque enim promissum (Deo factum) infringit, qui in melius illud commutat *c.* 3. *De iureiurando*.

Possunt autem omnia vota (loquendo de votis, quae summae sedi specialiter reservata non sunt, neque facta sunt in specialem favorem tertii) commutari, non tantum in melius, ut dictum, sed in aequale etiam, saltem si superioris auctoritas accedat: quamvis enim aliqui putent probabiliter, in evidenter aequale propria etiam auctoritate commutari vota posse a vovente, cum Deo videatur inter evidenter aequalia unum altero non esse gratius, probabilius tamen sentiunt alii, superioris auctoritatem necessariam esse ad commutandum in evidenter aequale, cum magis videatur Deo placere sincera fidelitas in praestandis promissis, quam rei aequalis praecise

bonitas; per professionem tamen religiosam omnia alia vota, etiam reservata, etiam novitiatus tempore facta, etiam facta cum licentia superioris, sive sint personalia, sive realia, perpetua, vel temporalia etc. extinguuntur, ipso iure tam ecclesiastico, quam divino, prout sumitur ex *c. Scripturae*, 4. *h. t.* et excellentia professionis religiosae perpetuo vinculo Deo obligantis probat.

§. VI. *An, et qua ratione commutari possit votum peregrinationis hierosolymitanae, et a quo relaxari?*

Loquitur hic titulus de voto peregrinationis hierosolymitanae in subsidium terrae sanctae ad liberandam eam a iugo infidelium, de quo voto, cuius hodie vix usus est, vix alii disponere possunt, quam summus pontifex. Videantur de hac materia *cap. Magna*, 7. *c. Quod super*, 8. *c. Ex multa*, 9. *et c. Postulastis*, 11. *h. t.*

TITULUS XXXV.

DE STATU MONACHORUM, ET CANONICORUM REGULARIUM.

Multa in hoc titulo ex variis capitulis de obligationibus, capitulis, visitationibus, correctionibus regularium etc. de receptione, et clausura monialium etc. referuntur, et ab auctore Methodi, per septem paragraphos explicantur; quia tamen praxis, et usus horum ad regulares praecise spectat, et multa per Tridentinum correcta sunt, eorumque observatio magis ex regulis regularium, et particularibus statutis, ac consuetudinibus dependet, quam ex iure communi, hinc non videtur ulterior eorum facienda mentio. Viderint illi, quorum interest, quae de iure sint pro illis statuta.

TITULUS XXXVI.

DE RELIGIOSIS DOMIBUS, UT EPISCOPO SINT SUBIECTAE.

Sumuntur in latiore quodam sensu hic religiosae domus, prout non tantum monasteria, hospitalia, et alia collegia, ac confraternitates pias, ad opera pietatis, et misericordiae exercenda, auctoritate episcopi erecta, et instituta sunt, sed prout etiam omnes ecclesias, et aedes sacras ad cultum Dei rite dedicatas comprehendunt, de quibus

§. I. *Cuinam, spectato iure communi, ecclesiae, et monasteria sint subiecta?*

Omnes ecclesias parochiales, eisque annexas filiales, et capellas, uti et monasteria religiosorum, episcopo, intra cuius dioecesim sunt sita, subiecta esse (nisi speciali privilegio exempta sint) ita ut fundatam ille in iure intentionem habeat, super omnibus episcopalibus iuribus, quoad spiritualia, ex *can. Omnes basilicae*, 10. *caus.* 16. *quaest.* 7. *c. Cum olim*, 18. *de praescript. c. Cum venerabilis*, 7. *h. t.* patet, et ordinariorum iurisdictio probat, quae per totam dioecesim se extendit, neque obest huic subiectioni, quoad iura episcopalia praestanda, ecclesiam ratione incorporationis factae, aut

patronatus possideri a religiosis, cum per talem incorporationem nihil praeiudicetur iuribus episcopalibus, nisi expressa exemptio talium incorporatarum ecclesiarum fuisset ab episcopo facta, reservata fortassis pensione aliqua, in recognitionem huius exemptionis praestanda, quod fieri posse colligitur *ex c. Constitutus*, 6. *h. t.* absque simoniae vitio, cum pensio talis non tam in pretium concessae exemptionis, quam in recognitionem subiectionis praeteritae accipiatur.

§. II. *Cui episcopo subiecta sit ecclesia, vel monasterium, unitum ecclesiae, aut monasterio alterius dioecesis?*

Manere ecclesiam talem, vel monasterium subiectum episcopo loci, quamvis monasterio alterius dioecesis unita sit ex *c. Quia monasterium*, 2. *h. t.* patet, cum unio fiat sine praeiudicio tertii, nisi specialiter alia exprimantur. Neque tamen exinde inferre licet, quod ut sic ad episcopum, etiam loci illius, ubi monasterium unitum situm est, pertineat, confirmare v. g. vicarium, aut priorem monasterii uniti, si electio huius ex consuetudine v. gr. ad uniti huius monasterii conventum spectat, cum enim unitum tale monasterium sit accessorie alteri monasterio principali, consequenter unus idemque utriusque monasterii praelatus erit, et praelatura uniti monasterii non vacabit per mortem vicarii, seu prioris uniti huius monasterii, sed debebit etiam unito huic monasterio, per principalis monasterii praelatum provideri, constituendo in tali monasterio vel vicarium, vel electum ex consuetudine confirmando.

§. III. *An ecclesiae regulares possint mutari in saeculares ecclesias, sive monasteria, in collegia saecularium clericorum?*

Respondetur, non posse praelatum, papa inferiorem, monasteria, in quibus vivunt religiosi, ad statum saecularem reducere, etiamsi in illis disciplina religiosa collapsa sit, nisi reperiri non possint religiosi, per quos illa monasteria reformentur *c. Inter quatuor*, 5. *h. t.* et hinc episcopus, si velit ex necessitate aliqua collapsum tale monasterium reformare, debet reformationem facere per religiosos eiusdem monasterii, vel in horum defectum, evocare alios ex aliis monasteriis eiusdem ordinis; vel si nec hi haberi possint, reformatio talis monasterii fieri debet per religiosos alterius ordinis iuxta *c. Relatum*, 7. *Ne clerici vel monachi etc.* vel denique si nec per regulares reformatio monasterii instituti possit, suffici poterunt clerici saeculares, quia necessitas legem non habet: facilius tamen fieri potest, ut ex ecclesia saeculari fiat regularis, cum strictiorem vitam profiteantur regulares clerici, et sic in virtute fiat ascensus potius, quam descensus.

§. IV. *De xenodochiis, sive hospitalibus, et similibus locis.*

Multa in hoc §. quaeruntur de hospitalibus, quae tamen ad hunc titulum vix videntur pertinere; illud vi huius tituli inquiritur, utrum episcopi iurisdictioni subiecta sint hospitalia, et similia loca pia, etc. cui quaesito respondetur, si auctoritate episcopi erecta, et instituta sint hospitalia, aut eiusmodi loca pia, ita ut ecclesiam aliquam, capellam, vel altare adiun-

ctum habeant, in quo sacra fiant, subsunt iurisdictioni episcopi loci illius, in quo sita sunt, ita ut talis episcopus fundatam quidem in iure intentionem habeat super iurisdictione, ordinatione, ac cura talium hospitalium *c. De xenodochiis*, 3. *iuncta gloss. verbo In quorum dioeces. h. t.* ac ius habeat ea visitandi, rationes administrationis exigendi, nisi sub immediata protectione regum existant, aut aliter in fundatione constitutum sit, *Clement.* 2. *h. t. et Tridentin. sess.* 22. *cap.* 8. *et* 9. *de reformatione:* nihil tamen sibi vendicare, aut appropriare de rebus ad tale hospitale etc. spectantibus possit: et quamvis in eorum hospitalium cura, aut gubernatione nihil immiscere se possit episcopus, quae a saecularibus praecise, nihil requisito episcopo, erecta fuerunt, negari tamen non potest, quod, patrono praesertim mortuo, ad eius etiam solicitudinem pertineat, ut pie defunctorum voluntates, circa opera misericordiae, aegris, et valetudinariis, etc. in tali hospitali commorantibus impendenda, executioni mandentur; et hinc iuxta decretum *Tridentini sess.* 22. *cap.* 9. *de reformat.* habet episcopus potestatem, etiam in his hospitalibus rationes exigendi, nisi aliter in fundatione cautum sit.

§. V. *De institutione novorum ordinum religiosorum.*

Sufficiebat quidem olim ad novum ordinem instituendum, sola illius dioecesis episcopi approbatio, in quo novus ordo talis instituebatur, ita ut postmodum, tacite saltem, a tota ecclesia approbatus censeri posset: post concilium tamen Lateranense sub Innocentio III. habitum, nulla amplius nova religio institui potest, sine facultate, et approbatione summi pontificis *c. Ne nimia*, 9. *h. t. c. Religionum*, *unico*, *eodem in* 6. *Clement. Cum de quibusdam*, 1. *eodem, et Extravag. unica Ioan. XXII. eodem.* ex quibus iuribus etiam habetur, quod non tantum approbatio talium novarum religionum, penes summum pontificem sit, tanquam rei summe arduae, sed ordinum etiam quorumcunque extensio, irritatio, extinctio, suppressio, etc. cum plenum ius circa religiosos ordines disponendi summo pontifici, tanquam pastori, et superiori universali, pro bono ecclesiae vigilanti, competat.

TITULUS XXXVII.

DE CAPELLIS MONACHORUM, ET ALIORUM RELIGIOSORUM.

Capellarum nomine hic veniunt ecclesiae parochiales unitae, seu incorporatae monasteriis, sive ecclesiis regularibus; de quibus iura quidem antiqua statuunt, ut in illis cura erga populum parochianum non exerceatur per monachos, quorum status vitam solitariam loquitur, sed per saecularem clericum, ad praesentationem monachorum ab episcopo instituendum, administretur; qui plene subsit episcopi iurisdictioni *c.* 1. *h. t.* hodierno tamen iure, si ecclesia parochialis pleno iure monasterio unita est, vicarius etiam regularis, qui curam in ea administret, constitui potest, examinandus tamen, et approbandus ab episcopo, nisi plenissimo iure ecclesia talis monasterio unita esset (vel in literis fundationis expressum sit, ut per saecularem clericum cura illius ecclesiae administretur.

§. I. *An, et qualiter una ecclesia non cathedralis, possit vindicare sibi ius in alia ecclesia?*

Ex hoc solo, quod ecclesia aliqua, praesertim collegiata, aut conventualis, sit posita intra fines alicuius parochiae, aut pro baptismo accipiendo mittere ad ecclesiam parochialem suos infantes debeant illarum ecclesiarum subditi, non recte infertur, illam ecclesiam esse subiectam eidem parochiae, sed ex eo potius, quod clericus, vel religiosus illius ecclesiae, citatus, ad capitulum, vel synodum ecclesiae parochialis, sponte, et ultro, tanquam obligatus, saepius accesserit, prout colligitur *ex c. Dilectus*, 2. *h. t.*

§. II. *De monachis non ponendis solis in prioratibus, et eorum ab illis revocatione.*

Ex statuto concilii generalis Lateranensis, prout refertur in *c. Ex parte*, 3. *et cap. Ad audientiam*, 4. *h. t.* non debent monachi solitarii versari in prioratibus, aut ecclesiis parochialibus sibi unitis, sed socios habere debent, aut ad monasterium revocari: hodie tamen non tam ex iuris huius ordinatione, quam ex specialibus privilegiis, et statutis videtur res haec ordinari.

TITULUS XXXVIII.

DE IURE PATRONATUS.

SECTIO I.

De definitione, et divisione iuris patronatus, et modis, quibus acquiritur.

§. I. *Quid, et quotuplex sit ius patronatus, et utrum sit ius simpliciter spirituale, an vero potius temporale?*

Ius patronatus communiter definitur, *quod sit ius, sive potestas nominandi, sive praesentandi clericum promovendum ad beneficium ecclesiasticum vacans:* vel rectius, ut alii definiunt, *est ius honorificum; onerosum, et utile, competens alicui in ecclesia, quia de consensu dioecesani, vel prelati ecclesiastici eam fundavit, construxit, vel dotavit, seu ipsemet, seu is, a quo causam accepit, nempe haeres patroni:* quae definitio ex dicendis magis patebit.

Dividi autem solet ius patronatus in ecclesiasticum, et saeculare: ecclesiasticum est, quod collegio alicui ecclesiastico, sive personae ecclesiasticae, ratione ecclesiae, dignitatis, aut beneficii ecclesiastici competit, a cuiuscumque denique bonis patrimonialibus, quamvis laici, originem duxerit; saeculare, sive laicum, et civile ius patronatus est, quod universitati alicui, seu communitati, sive laica haec sit, sive ecclesiastica, aut privatae personae, sive clericus hic, sive laicus sit, competit, eo quod ex suo patrimonio ecclesiam talem dotaverit, fundaverit, aut extruxerit; ita tamen, ut mutet nonnunquam suam naturam, et ex ecclesiastico fiat patronatus laicus, si patronatus, qui fundatus est ex bonis ecclesiasticis, titulo, non quidem mere lucrativo, per privilegium v. g. vel donationem etc., sed oneroso per-

mutationis v. g. in laicum, auctoritate apostolica, transeat; et patronatus, qui fuit laicus, ex bonis scilicet laicalibus fundatus, fiat ecclesiasticus, si in ecclesiam, per donationem v. gr. a laico patrono factam transferatur.

Est autem ius patronatus secundum aliquos, ius mere spirituale, tum quod principium illius spirituale sit, potestas scilicet ecclesiastica, quae ius hoc instituit, tum quod obiectum illius spirituale sit, cum sit institutum ad praesentandum ad beneficia ecclesiastica spiritualia: secundum alios vero, *cum glossa in c. Quanto*, 3. *verbo Connexa. De iudiciis, et c. De iure*, 16. *h. t.* probabilius est, non esse quidem ius mere spirituale, antecedenter tamen annexum spirituali, tum quod tanquam praeambulum quoddam ordinetur (remote saltem) ad ius spirituale obtinendum, ad obtinendum scilicet beneficium ecclesiasticum; tum quod nullum quidem ius praesentato tribuat ad spirituale, sicuti tribuit electio, confirmatio, institutio etc., licentia tamen praesentato detur, ut possit in beneficio ab ordinario institui.

§. II. *Quibus modis acquiratur ius patronatus ?*

Tribus potissimum modis ius patronatus in ecclesia, seu beneficio acquiritur, fundatione scilicet, constructione, et dotatione, sive unus omnia tria haec praestiterit, in quo casu unus ille tantum ecclesiae talis patronus est, sive varii, et plures haec praestiterint, ita tamen, ut quilibet specialem titulum habeat, fundationis unus, alter aedificationis, et tertius dotationis; quo in casu tres etiam huius ecclesiae patroni erunt, vel plures etiam, qui ad eundem titulum concurrerunt. Fundare autem dicitur, qui fundum, sive terrae solum dat, in quo ecclesia aedificetur; aedificare vero dicitur, cuius sumptibus ecclesia extruitur; dotare denique dicitur, qui annuos redditus sufficientes assignat; sicuti autem sub aedificationis nomine, ad ius patronatus acquirendum, etiam reparatio, aut reaedificatio ecclesiae, penitus dirutae, et destructae venit, ita etiam fundare, aut dotare ad ius patronatus acquirendum, censetur ille, qui fundo priore penitus destructo, et dotatione priore penitus amissa, fundum novum, aut dotationem novam affirmat, ita ut qui prius ecclesiae talis ex integro dirutae, aut fundo destructo, vel dotatione amissa, patronus fuerat, patronus esse desinat; et hic, qui ex integro reaedificavit, aut fundum novum, vel dotationem novam subministravit, patronus iam sit, si tamen illa fiant cum ordinarii auctoritate, et consensu, saltem tacito, ex diuturnitate temporis, ex altaribus in illa ecclesia erectis, ex consecratione facta etc. praesumpto, et animo dotandi, fundandi, aut aedificandi ecclesiam; quod si enim ecclesia talis per partes tantum reparetur, aut dotatio a benefactoribus augeatur, et melioretur, vel animus dotandi, fundandi, aut ecclesiam aedificandi defuerit, sed tantum benefaciendi, neque prior patronus ius patronatus amittit, neque qui ita benefacit ecclesiae, alio nomine venit, quam benefactoris, cui ius patronatus non competit. Praeter dictos tres modos, quibus ius patronatus de iure communi acquiritur, potest illud etiam obtineri per privilegium, non quidem ab episcopo, sed a summo pontifice concessum, prout etiam colligitur *ex Tridentino sess.* 25. *cap.* 9. *de reformat.* et per legitimam praescriptionem.

§. III. *Quinam sint capaces iuris patronatus ?*

Patroni esse possunt non tantum clerici, sed etiam laici *c. Quoniam*, 3. *h. t.* non tantum viri, sed etiam foeminae *c. ult. De concess. praebend.* (ita tamen, ut si ius praesentandi annexum est bonis ab uxore in dotem marito datis, praesentatio ad maritum pertineat, cum fructus rerum dotalium, qualis est praesentatio, ad maritum pertineant) non tantum puberes, sed etiam impuberes (ita tamen, ut si pupillus adhuc sit infans, infra septennium, non ipse, sed tutor praesentare debeat: si vero sit maior septem annis, infra annos tamen pubertatis, praesentatio fieri debeat cum tutoris auctoritate, non quidem necessario) valet enim praesentatio ab impubere tali facta, etiam sine tutoris auctoritate, et illa praeferenda est, quamvis a tutore alius praesentetur) sed ex honestate, et decentia, cum tutor detur ad actiones etiam pupilli regendas: si autem pubes quidem iam sit, minor tamen viginti quinque annis, et curatorem habeat, nihil circa praesentationem poterit curator facere, nisi ex mandato minoris, cum curator tantum detur ad bona temporalia minoris administranda; non tantum legitime nati, sed etiam spurii, et alias illegitimi, cum iura universaliter loquantur de dotante, fundante, aut aedificante ecclesiam. Pagani tamen, iudaei, et alii infideles, ac haeretici non sunt capaces iuris patronatus, prout glossa recepta docet, *in can. Frigentius* 27. *verbo Qui christianis, caus.* 16. *quaest.* 7. cum enim ius patronatus sit ius ecclesiasticum, consequenter illis, qui extra ecclesiam sunt, competere non potest; et quamvis maiore excommunicatione ligatus, et vitandus, non amittat ius patronatus, quod ante excommunicationem habuit, eius tamen usu, et exercitio privatur, usque dum absolvatur, cum non liceat ei communicare.

SECTIO II.

Quae iura competant patronis, et quam potestatem habeant, vel non habeant in ecclesiis, vel beneficiis patronatis ?

§. I. *An competat patronis ius, seu potestas libere disponendi de ecclesiis, et iuribus, ac bonis earum, quarum sunt patroni ?*

Respondetur, nullam eos habere potestatem bona ecclesiarum, quarum patroni sunt, administrandi, vel de illis disponendi, sive laici, sive clerici patroni sint, *c. Praeterea*, 4. *h. t. et concil. Tridentin. sess.* 25. *cap.* 9. *de reformat.* §. *patroni autem*, ubi etiam poena excommunicationis, et interdicti, ac privationis iuris patronatus in eos statuitur, qui contra hanc prohibitionem agunt: uti et in eos, qui a laico patrono, sine proprii episcopi auctoritate, instituī se in tali ecclesia patronata permiserunt, ita ut hic etiam inhabilis sit ad hoc beneficium canonice acquirendum, in quod per potestatem laicam intrusus est *argument. c. Quisquis*, 43. *de elect.* nisi in petitione de vitio intrusionis mentionem fecerit. Videatur etiam *c. relatum*, 21. *h. t. et Tridentin. sess.* 14. *cap.* 13. *de reformat. ac sess.* 22. *cap.* 11. *de reformat.* ubi plura contra tales patronos laicos instituentes, aut destituentes, et circa bona ecclesiarum patronatarum disponentes statuuntur, ita ut

ad patronum talem tantum praesentare pertineat, qui postmodum ab episcopo, si idoneus sit, instituatur *c. Transmissa*, 31. *h. t.* et possit episcopus etiam repellere praesentationis literas, in quibus collatorem se vocat patronus, cum in omni iure, maxime inter se differant collatio, et praesentatio, quarum haec patrono etiam laico ex indulgentia ecclesiae competit, non autem illa, nisi ex specialiore fortassis privilegio, quod raro laicis conceditur.

§. II. *An ius eligendi, vel praesentandi competat patrono in ecclesia collegiata, seu conventuali, et quaenam iura praeter ius praesentandi eidem debeantur?*

Patronus qua talis, quamvis ecclesiam collegiatam, aut conventualem dotaverit, fundaverit, vel aedificaverit, ius tamen eligendi, aut praesentandi praelatum in illa ecclesia non habet, neque consensus illius ante electionem necessario requirendus, prout alibi de laicis iam dictum, et ex *cap. Nobis*, 25. *h. t.* universim patet, (tum quod laicis concessa non sint iura spiritualia, prout est electio, tum quod clericis collegiatae, vel conventualis ecclesiae non debeat invitus obtrudi rector, qui in foro externo iurisdictionem in illos exerceat) nisi in prima fundatione v. gr. talis ecclesiae, ius nominandi, aut praesentandi praelatum, sive rectorem illius ecclesiae, patronus etiam laicus, cum consensu episcopi, sibi reservasset, vel certe ex privilegio pontificio obtineat, cum pontifex etiam laicis iura spiritualia concedere possit, et multa concedantur ad movendos laicos, ut aedificent, fundent, aut dotent ecclesias: et hinc ne praeiudicium fiat patrono, non potest facile ipso invito ecclesia parochialis, cuius patronus est, erigi in collegiatam.

Competit tamen patronis, qui fundaverunt, dotaverunt, aut aedificaverunt ecclesiam, primo honor processionis (ut patrono venienti ad ecclesiam, clerus obviam processionaliter veniat, eumque excipiat, et ad honoratiorem ecclesiae locum deducat, dummodo ratione status haec talia personae illi, seu regi, aut magno principi etc., conveniant, quod ius aliqui dicunt ius honorificum. Secundo competit illis, ut aliqui vocant, ius utile, ita ut, si ad inopiam vergat patronus, ab ecclesia patronata subsidia moderata ex superfluis ecclesiae bonis obtinere debeat. Tertio denique competit etiam illis ius onerosum tuendi, vel defendendi ecclesiam patronatam, denuntiandi episcopo, si bona talis ecclesiae dilapidentur, aut in alios usus convertantur, quam ex fundatione debeant etc., curandi, ut aedes sacrae, et parochiales reparentur, divina officia celebrentur, fundatio impleatur etc.

§. III. *An patronus possit ius patronatus alienare, vel pensionem aliquam exigere, aut aliud onus, seu gravamen imponere ecclesiis, vel beneficiis patronatus?*

Respondetur patronum non posse propria auctoritate, sine consensu ordinarii, seu dioecesani, ius patronatus solitarie acceptum alienare, neque aliquid temporale exigere ab ecclesia patronata, nisi certa pensio in prima fundatione, cum consensu episcopi, patrono fuerit reservata, *c. Praeterea*, 23.

h. t. ubi non tantum patronis sub poena incurrendae excommunicationis, sed etiam illis haec talia sub eadem poena prohibentur, qui ius advocatiae in ecclesiis praetendunt; quamvis enim ius patronatus, et ius advocatiae proprie, et stricte loquendo, sint distincta iura, saepius tamen etiam in iure aequiparantur, ut tradit etiam *glossa in cit. c. Praeterea, v. Ius educationis.*

SECTIO III.

De modis, quibus ius patronatus in alium transferri possit.

Quatuor modis transferri hoc ius potest in alios, successione scilicet, sive iure haereditatio, translatione, sive donatione, permutatione, et venditione, de quibus in §§. seqq.

§. I. *An, et qua ratione ius patronatus, per successionem haereditariam transferri in alios possit?*

Ad haeredes patroni, ius patronatus, cum universitate bonorum, quibus annexum est, transire, et quidem tam ex testamento, quam ab intestato, neque solum ad suos haeredes, sed etiam ad extraneos, sive sint mares, sive foeminae ex *c.* 1. *h. t.* indistincte loquente, patet. Ex quo iure recte etiam infertur, ex hoc titulo patronum non esse, qui haereditati renuntiavit, aut qui in re certa tantum haeres scriptus est, aut qui haeres non est, quamvis sit patroni filius, aut filia; et quamvis si plures haeredes sint eiusdem patroni originalis, qui ex triplici capite patronus est, quilibet suffragium seorsim, et divisim habeat; si tamen ad eandem ecclesiam plures haeredes sint diversorum originalium patronorum, quorum unus ex dotatione v. gr. alter ex fundatione, tertius ex aedificatione patronus fuerit, non in capita, sed in stirpes, quoad ius patronatus succedunt tales, ita ut si plures sint huius patroni haeredes, unam illi omnes tantum vocem habeant, ad praesentandum, et alterius patroni haeredes etiam unam vocem habeant, quamvis plures sint, prout habetur *in cap. Quoniam,* 3. *h. t. et Clement.* 2. *eodem*, ne in discordia facta fuisse censeatur praesentatio, et ecclesia suo rectore careat, quo in casu cessationem a divinis imponere debet in tali ecclesia episcopus, donec ad concordiam redeant haeredes *cap. Perlatum*, 1. *h. t.* nisi postquam praesentationis faciendae tempus exspiravit, suo iure ad constituendum in tali ecclesia rectorem uti velit episcopus, quod facere potest.

§. II. *Ad quos praeterea ius patronatus per successionem transire possit.*

Respondetur primo, ius patronatus in prima fundatione reservatum illis, qui sunt de familia, sive agnatione fundatoris, non transit prius ad haeredes, quam extincta fuerit tota familia, qua tamen extincta, ad extraneos etiam haeredes transit, non ex provisione hominis, sed ex provisione legis, si tamen reservatum hoc ius patronatus, cum restrictiva particula *tantum familiae*, fuit, tum extincta familia ius patronatus extinguitur, sicuti enim extinguitur deficientibus masculis, si pro masculis tantum reservatum fuit, ita etiam in nostro casu extincta familia extinguitur ius patronatus, cum ec-

clesia non minus approbet talem patroni restrictionem, quam ius patronatus illi concesserit.

Resp. 2. Utrum ad fidei commissarium universalem transeat cum haereditate ius patronatus, an apud directum haeredem permaneat, in utramque partem probabiliter disputatur, cum neutra pars pro se, aut clara iura habeat, aut convincentem rationem.

Resp. 3. In divisione haereditatis, non potest iudex uni ex cohaeredibus adiudicare ius patronatus, sed manet illud penes omnes haeredes in solidum, cum ius patronatus sit indivisibile, et uni prae altero adiudicetur, nulla ratio suadeat, sed caveri etiam debeat, ad cavendum simoniae periculum.

Resp. 4. Publicatis bonis omnibus patroni, et addictis fisco ob crimen v. gr. laesae maiestatis etc., etiam ius patronatus ad fiscum transire, quamvis saecularis hic sit; non quidem quasi dominus saecularis patronum directe privare possit iure patronatus, cum hoc ad forum ecclesiasticum pertineat, sed quod accessorie, et indirecte, propter bona confiscata, quibus annexum est ius patronatus, ad fiscum hoc ius transeat; quod si tamen hoc ius patronatus personale sit, et non annexum bonorum confiscatorum universitati, manet illud, confiscatis etiam bonis, penes delinquentem, donec ab ecclesiastico magistratu illo privetur, tamquam indignus, et vel ecclesia fiat per sententiam talem libera, si ius patronatus non sit familiae, vel ad familiam transeat iuxta voluntatem, et dispositionem fundatoris.

Resp. 5. Posse transferri ius patronatus ad alium etiam per legatum in testamento factum (si enim inter vivos donari potest, cur non etiam in testamento legari possit?) cum consensu saltem episcopi, si laico vel clerico ius hoc legetur, cum iura non permittant, ut per solam dispositionem laici v. gr. patroni, ius hoc transferatur in ecclesiam, vel in filios, aut haeredes.

Resp. 6. Etiam in monasterium transferri posse ius patronatus, et quidem vel accessorie, cum universitate bonorum, si haec in monasterium bonorum in communi capax transferantur, vel per ingressum illius, qui habet ius patronatus, ita tamen, ut in tali casu, si iure sanguinis ad religiosum talem ius patronatus pertineat, monasterium illo tantum gaudeat usque ad mortem talis religiosi sui, ad haeredes scilicet, vel consanguineos talis religiosi, post mortem huius transeunte iurepatronatus.

§. III. *An, et quo pacto ius patronatus per donationem ad alios transferri possit; et an etiam ecclesiae concedi possit?*

Ecclesiae, monasterio, aut alii religioso loco, vel dignitati ecclesiasticae, potest patronus ius suum patronatus donare, etiam sine consensu episcopi requisito, non autem personae alicui privatae, qua tali, sive laica illa sit, sive clerica, prout habetur in *c. unic. h. t. in 6.* cum enim per priorem donationem ex manibus laicorum ecclesia liberetur, per posteriorem vero donationem in gravius saepe iugum incidat, consequenter debet, non quidem in illo priore casu, in hoc tamen posteriore, auctoritas episcopi, cuius est damnum ecclesiae avertere, intervenire. Iura vero, quae ex hoc titulo plura afferuntur, et apud auctor Meth. hoc loco videri possunt, quibus videtur

probari, non posse a laicis in ecclesiam, aut pium locum per donationem ius patronatus, sine consensu episcopi, transferri, non loquuntur de iure patronatus non transferendo, sed de non donandis, vel incorporandis ecclesiis, aut in titulum, vel in proprietatem concedendis, quod laici facere non possunt, non tam ob defectum consensus episcopalis, quam ob defectum iuris, quod ad ecclesiam talem in proprietatem, vel titulum donandam non habeat.

§. IV. *An, et quomodo ius patronatus per venditionem transferri possit?*

Per se, et solitarie vendi non potest ius patronatus, sine simoniae vitio, ut constat ex *cap. De iure*, 16. *h. t.* cum enim ius patronatus sit, vel intrinsece spirituale, vel saltem spirituali annexum, ut ex dictis patet, consequenter pretio temporali, sine simoniae vitio, comparari non potest: quem modum in alios transferendi ius patronatus prohibet etiam Tridentinum, sub poenis canonicis excommunicationis, interdicti, et privationis iuris patronatus; ac pecunia pro eo coëmendo expensa, nec emptori, nec venditori acquiritur, sed applicari debet ecclesiae, cui per simoniam iniuria facta sit: per accidens tamen, et concomitanter, vendendo rem temporalem, quae continet plura iura, cui annexum est ius patronatus, transferri hoc etiam per venditionem talem accessorie, habetur in *c. Ex literis*, 7. *h. t.* (nisi specialiter hoc ius sit exceptum) quia in tali casu contractus censetur initus super rebus temporalibus, et non super iure patronatus, accessorie tantum et accidentaliter se habente. Quodsi tamen ius patronatus non tam bonis talibus venditis, quam personae vendenti annexum sit, non transit accessorie, etiam per venditionem omnium bonorum, etiam ius patronatus, cum in tali casu censeretur specialiter ius patronatus venditum, quod simoniam sapit; et quamvis in haeredem ius patronatus etiam personale transeat, defuncto patrono, quia haeredes eadem persona cum defuncto iuris fictione habetur, non tamen transit in emptorem, ubi nulla talis iurisfictio quasi eadem persona emptor cum venditore esset, intervenit.

§. V. *An, et qua ratione ius patronatus permutari, vel in feudum, aut emphyteusim, vel in pignus dari possit?*

Cum consensu episcopi, cuius est praecavere ecclesiae, et impedire simoniam, ut dictum, potest ius patronatus cum simili iure permutari; neque tamen novus patronus statum ecclesiae, aut illius rectorem pro placito mutare post, prout sumitur ex *c. Quae simoniam*, 9. *h. t.* cum alia potestas patrono non competat, quam ut, beneficio patronato vacante, praesentet, res ecclesiae defendat, et excessus rectoris, vel beneficiati denunciet episcopo: et quamvis in feudum, vel emphyteusim ius patronatus solitarie acceptum dari non possit, cum non sit pretio aestimabile, sicuti tamen accessorie cum re, cui universitas bonorum competit, vendi potest, sic etiam in feudum, et emphyteusim accessorie cum bonorum universitate concedi potest, prout sumitur ex *c. Cum saeculum*, 13. *h. t.* si tamen talis res, cui bonorum universitas, et inter haec etiam ius patronatus, annexum est creditori in pignus detur, ius patronatus non transit in eum, *c. Cum Berthol-*

dus, 18. *iunct. gloss. verbo Patroni, de sent. et re iud.* cum pignus non transeat in creditorem, quoad dominium directum, aut utile, et consequenter neque fructu rei oppignoratae, inter quos numeratur etiam ius patronatus.

SECTIO IV.

De praesentatione, sive ipso actu praesentandi, et eius circumstantiis.

§. I. *An praesentatio facta a possessore iuris patronatus, etiamsi ius proprietatis non habeat, valida sit.*

Valet non tantum praesentatio, si facta sit ab eo, qui bona fide ius patronatus possidet, sed etiam consequens ad eam institutio, ita ut removeri hic amplius non possit, quamvis postmodum appareat, quod verus patronus ille non fuerit, prout sumitur ex *c. Consultationibus*, 19. *h. t. et c. Querelam*, 24. *de elect. iunct. gloss. verbo Super iure.* Neque enim, quod legitime factum est, irritari debet, aut retractari, licet ad eum casum deveniat, a quo incipere non potuit, et fructus iuris patronatus, qualis est praesentatio, ad possessorem pertinet, ita tamen, ut nec solus communis error, in re hac privata sine possessione ad validam praesentationem sufficiat, nec sola qualis possessio, sed quae fit cum bona fide, cum solus communis error non det titulum, et malae fidei possessor nullos fructus suos faciat, sed consumptos etiam restituere teneatur, quin immo, si simul praesententur diversi ab eo, qui in possessione praesentandi est, et ab eo, qui ius patronatus ad se pertinere dicit, nisi clarum sit, nullum ius possessori ad praesentandum competere, praeferendus erit de iure communi Decretalium, qui a bonae fidei possessore praesentatur: hodie tamen de iure *Tridentini sess.* 25, *cap.* 9. *De reformat.* requiritur insuper ad validam a possessore factam praesentationem, ut doceat hic de titulo, et quo iure ius patronatus ad eum pertineat, vel saltem, quod tale ius per multiplicatas praesentationes, supra hominum memoriam, iam praescripserit.

§. II. *An patronus possit praesentare se ipsum, vel filium suum, si sit idoneus, vel si plures sint patroni, an unum ex se ipsis, ac denique an semper dignus, vel dignior praesentari debeat.*

Se ipsum patronus ad vacantem ecclesiam, cuius patronus est, praesentare non potest, ner per se ipsum, nec per alium ex illius commissione tunc agentem, quamvis clericus, et idoneus sit, *c. Per nostras*, 26. *h. t.* ut ne scilicet ambitionis infamia notetur, et inter praesentantem, ac praesentatum distinctio sufficiens habeatur, quae non minus inter hos, quam inter donantem, et accipientem esse debet: potest tamen, si ab episcopo illi conferatur, sponte, aut interpositis precibus beneficium, cuius ipse patronus est, illud recipere, cum pro his casibus nec iura, nec allatae rationes urgeant.

Filium tamen suum, si idoneus sit, praesentare potest patronus ad ecclesiam, cuius patronus est, uti sumitur ex *c. Consuluit*, 15. *h. t. iunct. gloss. verbo Concedunt*, cum nec sit una physice persona cum parte filius, neque in spiritualibus acquirat patri, quod acquirit. Severe tamen de iure canonico prohibitum est, ne parentes ius patronatus ecclesiarum emant, aut

aliter iusto modo comparent cum ea intentione, ut ad ecclesias tales postmodum filios suos, aut nepotes praesentent *c. Quia clerici*, 6. *h. t.* ad effugiendam scilicet simoniam mentalem, quae in tali casu intervenit.

Si plures tamen sint patroni, possunt unum ex se ipsis praesentare, si idoneus ille sit, *iuxta gloss. fin. in cit. cap. Consuluit, et arg. c. Cum in iure*, 33. *de elect.* cum in tali praesentatione nihil in contrarium probent allatae rationes, et iura, et sicut electores unum ex se ipsis eligere possunt, ita possunt etiam patroni unum [ex se ipsis praesentare: et quamvis iuxta *Trident. sess.* 14. *cap.* 18. *de reform.* qui dignior post examen habitum repertus fuerit, praesentari episcopo deberet, si patronatus sit ecclesiasticus, communissima tamen praxis habet, et tam ecclesiastici, quam laici patroni, suae obligationi satisfecisse se putant, si dignos, et idoneos praesentent, ab episcopo post examen de idoneitate instituendos.

§. III. *An patronus licite possit in praesentando variare sive mutare sententiam, alium praesentando ante institutionem verb. gr. prius praesentati ?*

Patronus laicus (cumulative, non autem privative) variare potest, alium praesentando, si prius praesentati nondum fuerit facta institutio, non autem patronus ecclesiasticus *c. Quod autem*, 5. *et c. Cum autem*, 24. *h. t.* ita tamen, ut ille, qui prius praesentatus fuit, per talem mutationem, aut variationem non reiiciatur a patrono, cum tantum cumulative, non autem privative variaverit, sed penes episcopum sit in tali casu eligere ex duobus v. gr. taliter praesentatis, quem ipse voluerit, si pariter idonei sint: quia tamen variatio talis odiosa est, hinc restringenda illa potius, quam amplianda est, ita, ut non concedatur iuxta probabiliorem sententiam quod saepius ea fieri possit, sed unica tantum vice, prout colligitur etiam ex *cit. c. Cum autem*, nisi fortassis prima praesentatio omnino nulla fuisset, quo in casu non censeretur fieri cumulatio praesentando secundum, sed praesentando tertium. Rationem autem, quare laicus patronus, non autem ecclesiasticus variare possit, communiter assignant eam, quod laicus patronus minus expertus sit circa ecclesiastica, et minus etiam tempus ad praesentandum habeat, quam patronus ecclesiasticus, et hinc non privatur illa potestate praesentandi, etiamsi scienter indignum praesentaverit, sed ad aliam praesentationem faciendam admittitur, non autem patronus ecclesiasticus, qui si scienter indignum praesentavit, privatur ea vice praesentandi facultate.

§. IV. *Intra quod tempus praesentatio fieri debeat a patrono, sive laico, sive ecclesiastico ?*

Si patronus sit laicus, sive si ius patronatus laicale sit, intra 4. menses praesentari debet, si vero sit ecclesiasticus patronus, sive ius patronatus ecclesiasticum, intra 6. menses a die cognitae vacationis, *cap. Eam te*, 22. *c. Cum propter*, 27. *h. t. et c. unic.* 6. *eod.* §. *Verum;* ita tamen, ut currat quidem hoc tempus etiam diebus feriatis, quibus praesentatio fieri potest, non tamen currat patrono ignoranti, vel legitime impedito *arg. c. Quia diversitatem*, 5. *de concess. praeben.* quare autem plus temporis ad praesen-

tandum ecclesiastico concedatur, quam laico, ratio est, quod, cum ecclesiasticus patronus in hoc gravetur, ut variare non possit, plus temporis videatur ad praesentandum illi concedi debere, quam laico patrono, qui variare potest, ut ait *gloss. in cit. c. unic. h. t. in* 6. quod si tamen eiusdem ecclesiae duo v. gr. patroni sint, unus ecclesiasticus, sive iure ecclesiae, alter laicus, sive iure laicali, tum laicus, quamvis variare possit, 6. menses tamen habet ad praesentandum propter communionem cum patrono ecclesiastico, tum quod dignus ad se trahat minus dignum, tum quia universim socius per se non privilegiatus, commodum socii privilegiati, in re communi, et individua sentit, ne socio privilegiatus damnum patiatur.

§. V. *An post tempus ad praesentandum iure definitum, elapsum, lite adhuc pendente episcopus libere instituere possit sine praesentatione patroni?*

Resp. si inter patronos lis, sive controversia orta sit de iure praesentandi, debet episcopus differre institutionem rectoris in ecclesia tali, usque dum elapsum sit tempus ad praesentandum praefixum (quod in isto casu a tempore vacationis currere, etiam impedito, incipit) si tamen constet ecclesiam patronatam esse: quod si vero de hoc non constet, potest statim episcopus, sive ordinarius, ad quem ius instituendi pertinet, liberam institutionem rectoris facere, vel si constet quidem ecclesiam patronatam esse, prius autem tempus praesentationi praefixum exspiraverit, quam lis finita sit, ne ex diuturna vacatione patiatur ecclesia, potest ordinarius, ad quem ius instituendi in tali ecclesia spectat, libere conferre ecclesiam talem, invitis etiam illis, qui de iure praesentandi contendunt, ita tamen, ut clericus taliter institutus, postea a patrono, qui ius patronatus in iudicio obtinuit, praesentari debeat episcopo, ut praesentatus talem indicialiter patronum declaratum agnoscat, et hic in patronatus sui quasi possessione constituatur, prout notat *gloss. fin. in cap. Si vero*, 12. *h. t.* Neque tamen huic iam instituto nocebit aliquid, etiamsi declaratus taliter in iudicio, post legitime ex iuris concessione factam institutionem, nolit eum praesentare. Quod si tamen lis sit, sive controversia inter episcopum, et qui patronum se asserit, contendente episcopo ecclesiam liberam esse, altero vero praetendente eam patronatam esse, et quidem sui patronatus, debet episcopus oeconomum, vel administratorem in tali ecclesia constituere, dum lis expediatur, ne aut ecclesia, aut alteri fiat praeiudicium.

SECTIO V.

De potestate episcopi, et summi pontificis circa ecclesias, et beneficia patronata, et de amissione iuris patronatus.

§. I. *An, si episcopus instituat sine consensu, vel praesentatione patronati, valida sit institutio, et an possit fieri praesentatio ad ecclesiam non vacantem?*

Institutio ab episcopo in ecclesia patronata sine praesentatione patroni facta, ordinarie nulla est *c. Illud*, 8. *et c. Ex insinuatione*, 14. *h. t.* si

tamen contra illam patronus infra tempus ad praesentandum concessum reclamet, ita ut nec tacite (praesens v. gr. ordinationi, seu institutioni tali, et nihil contradicens, cum tamen possit) consentiat, vel tempus ad praesentandum praefixum elabi patiatur, nullo per negligentiam praesentato, quo in casu devolutioni locus est.

Nunquam tamen vocatio ad ecclesiam non vacantem est valida (ita ut si postmodum, cum ea vacaverit, et intra tempus a nota vacatione praescriptum, nullus a patrono praesentatus fuerit, possit libere episcopus eam conferre) et promissio a patrono, de praesentatione facienda, cum vacaverit ecclesia, nullam inducit obligationem, cum etiam talis promissio nulla sit, et irrita *arg. cap.* 2. *et* 3. *de concess. praeben. et c.* 2. *eodem in* 6. quia periculum captandae alienae mortis occasionem praebet, prout supra iam dictum.

§. II. *An episcopus possit ecclesiam, vel beneficium patronatum, donare, vel unire alteri ecclesiae, vel beneficio, et an episcopo donari possit a patronis ius patronatus in ecclesiis alienae, vel propriae dioecesis?*

Non posse episcopum ecclesiam, vel beneficium patronatum alteri ecclesiae, aut beneficio concedere, vel unire sine consensu patroni, sive laicus hic sit, sive ecclesiasticus, ex praeiudicio, quod fieret per talem unionem patronis, suum ius patronatus amittentibus, patet. Sicuti autem concessio ecclesiae per modum incorporationis a patrono facta, per subsequentem episcopi consensum ratificari potest, ut ex eo tempore fiat valida, prout sumitur ex *c. Suggestum*, 20. *iunct. gloss. verbo Subsecutus h. t.* ita valida etiam est concessio beneficii, vel ecclesiae patronatae ab episcopo facta, si consensus patroni ex post facto accedat, quia patroni consensus in hoc casu tantum accidentaliter requirit.

Episcopis autem, ratione suae dignitatis episcopalis, donari potest ius patronatus, quod habent patroni in ecclesiis, sive in aliena dioecesi sitae illae sint, sive in propria dioecesi, ita ut ab episcopo dioecesis, vel ab illo, cui institutio ex speciali iure convenit, institui debeat in ecclesia tali, qui ab episcopo, cui ius patronatus donatum v. gr. fuit, praesentatus fuit, vel si in sua dioecesi situm beneficium tale, vel talis ecclesia, et ad hunc ipsum episcopum institutio pertineat, confundetur cum institutione collatio, ita ut talem ecclesiam libere conferre possit episcopus, cui voluerit, absque alia praesentatione, uti sumitur ex *c. Significasti*, 18. *h. t.* nisi compatronum in ordine ad talem ecclesiam habeat episcopus, cuius praesentatio exspectari debet.

§. III. *An episcopus praesentatum a parocho ad titulum suae ecclesiae ordinandum, irrequisito patrono, admittere possit, ac debeat?*

Resp. posse et debere taliter ad ordines a rectore patronatae ecclesiae, nihil consentiente patrono, praesentatum, admittere et ordinare episcopum, ita tamen, ut nullum exinde fiat patrono praeiudicium, sed possit hic, ubi ecclesia patronata vacaverit, quemcumque alium praesentare, sed soli rectori patronatae ecclesiae incumbat, sustentationis media ex suo beneficio

subministrare ad ordines praesentato, donec de beneficio provisum huic fuerit, quae omnia colliguntur ex *cap. Postulasti*, 30. *h. t.* sicuti tamen taliter praesentatus clericus ecclesiae illi servire debet, a qua sustentationis media accipit, dum vivit rector, qui eum praesentavit, ita post mortem huius rectoris, nec ad ulteriorem alimentationem praesentati tenetur successor, nec ulterius ad servitia illi ecclesiae praestanda tenetur taliter ordinatus: et hinc episcopus diligenter attendere debet, utrum beneficium, ad quod hic ordinatur, tam pingue sit, ut duobus alimenta praestare possit, et unde post mortem huius rectoris alimenta sit habiturus, qui ad talem praesentationem fuit ordinatus.

§. IV. *Qualem praeterea potestatem habeat episcopus, vel non habeat circa ecclesias, et beneficia patronata ?*

Episcopi praesentatos a patronis non debent prius in ecclesia tali instituere, nisi prius, intra tempus ab episcopo praefigendum, congrua sustentatio (maior, vel minor pro diversitate ferendorum onerum) fuerit praesentato, coram ipsis episcopis, assignata, de reditibus talis ecclesiae, ita, ut si praesentantes eam assignare intra praefixum tempus neglexerint, praesentatum admittere debeant episcopi, et ad ipsos devolvatur, portionis taliter instituto assignandae facultas, in poenam scilicet negligentiae, patrono assignationis huius iure privato, prout sumitur ex *Clement.* 1. *h. t.* quod si tamen principalis patronus ecclesiasticus, cui ex vi factae unionis, assignatio portionis per se competit, omnia onera, et iura episcopalia, ac hospitalitatis v. gr. ferre velit, ad plus assignandum vicario obligari non potest, quam ut congruam sustentationem habeat, pro victu, et vestitu. Non possunt tamen episcopi qualitates, sive conditiones beneficii in prima fundatione appositas, quamvis consentiat patronus successor, in totum saltem, et in perpetuum mutare, cum talis mutatio, ex iusta causa facienda, soli pontifici ex plenitudine potestatis concedatur *Clement.* 2. *de relig. domi., et c. Tua*, 17. *de testam.* Negari tamen episcopis non debet, quod fundatoris voluntatem, cum consensu successoris patroni, ex iusta causa per *epychiam* interpretari, et ab ea pro una alterave vice recedere possint, cum in tali casu non tam recedatur ab ultima fundatorum voluntate, quae mutationem perpetuam non admittit, quam voluntas eorum explicetur, quae rationabilis semper esse debet.

§. V. *An summus pontifex citra patroni consensum possit beneficium conferre; et an etiam legatus papae possit iuri patronatus derogare ?*

Quamvis summus pontifex nunquam censeatur derogare laico patronatui, nisi expressa derogationis huius mentio fiat (ut ne scilicet a fundandis etc. beneficiis deterreantur homines) patronatui tamen ecclesiastico saepius, ac facilius derogatur, cum pro his allata causa nihil urgeat, ita ut reservata etiam talia beneficia patronatus ecclesiastici summo pontifici fiant, si saltem clausula generalis, *ad cuiuscunque patroni praesentationem beneficia talia pertineant*, addatur; prout etiam docet *glossa communiter recepta Clement.* 2. *verbo Apostolicis. De praebendis.* Quin immo etiam sedis apostolicae legati a latere possunt sibi reservare beneficia primo vacatura v. gr. ac certae per-

sonae, cum vacant, conferre, etiamsi patronatus ecclesiastici illa sint, et nihil de hac reservatione, et collatione interrogetur patronus talis *cap. Cum dilectus*, 28. *h. t.* quia tamen in nostra Germania talium reservationum vix aliquis usus est, propter concordata nostra, ideo de illis plura dicere necessarium non est.

§. VI. *Quibus modis ius patronatus amittatur, vel extinguatur?*

Variis modis amitti ius patronatus, certum est, et apud varios videri potest: sic amittitur subinde per liberam cessionem alteri factam, sive per remissionem huius iuris, per mutationem capellae in ecclesiam collegiatam, per unionem alteri ecclesiae, aut monasterio factam; per praescriptionem contra praesentationem; per familiae, penes quam ius patronatus est, extinctionem; per apostasiam, simoniam, haeresim, etc. patroni.

TITULUS XXXIX.

DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS, ET PROCURATORIBUS.

SECTIO I.

De censibus.

§. I. *An ex praestatione annua census facta episcopo ab aliqua ecclesia, vel monasterio, recte colligatur, et probetur eiusdem subiectio; et quomodo census peti, et probari debeat?*

Variae quidem veniunt pensiones ex obligatione solvendae, census nomine, de quibus multa videre licet apud civilistas; hic autem census nomine aliud non intelligitur, *quam onus reale ecclesiae impositum, aut pensio annua ex proventibus ecclesiasticis, ab ecclesiis, aut aliis piis locis, superioribus, et praelatis ecclesiasticis, in singulos annos, solvenda.* De hac ergo pensione, seu solutione quaeritur, utrum ex illius praestatione episcopo facienda, recte colligatur ecclesiae solventis subiectio; et respondetur negative, cum solutio talis ex variis causis fieri possit, nisi vel ex ipsis expressis verbis in solutione appositis, vel ex circumstantiis variis, solutionem hanc fieri in signum subiectionis, colligi possit. Certe census talis subinde solvi potest ob privilegium ab illo concessum, cui solvitur; in recognitionem gratiae alicuius, exemptionis v. gr. libertatis, etc. a superiore obtentae; in signum fundationis factae, aut iuris patronatus, penes alterum existentis; ex conventione certa, etc. ergo ex census solutione praecise non probatur subiectio: et hinc, qui petit censum, tanquam sibi debitum solvi, exprimere debet rationem, sive causam, ob quam census sibi debeatur *cap. Pervenit*, 5. *h. t.* nisi ab immemoriali tempore census talis solutus esset, cum immemoriale tempus tituli praesumptionem inducat, si absque protestatione contra omne debitum solutio talis facta fuit; quamvis enim ex solo decursu temporis non oriatur obligatio, aut debitum, eiusque possessio, oritur tamen praesumptio praecedentis causae, sive tituli, ex quo obligatio, seu debitum, eiusque possessio, aut quasi possessio, originem traxit.

§. II. *Utrum monasteriis, vel aliis ecclesiis, novus census imponi possit; et an etiam a patronis, ecclesiis, vel beneficiis patronatus?*

Ab episcopis non possunt novi census reales, et perpetui, sine iusta causa imponi monasteriis, vel aliis ecclesiis, neque veteres augeri *c. Scientes*, 3. *et c. Prohibemus*, 7. *h. t.* tum quod ad legem dioecesanam spectet oneris talis impositio, a qua monasteria omnia sunt exempta, tum quod in talibus casibus fiat quasi alienatio aliqua iuris ecclesiastici, et servitutis cuiusdam in rebus ecclesiae constitutio, quae sine solemnitatibus certis prohibita est episcopis. Neque conceditur episcopis, quod possint ecclesiis, quas de manu fortasse, seu potestate laicorum liberaverunt, novum censum imponere, prout decernitur etiam *in c. Ecclesiis*, 9. *h. t.* praestitit enim in tali casu episcopus, liberando ecclesiam de manu laici, ad quod ex officio tenebatur, et consequenter in compensationem quasi beneficii, nullum novum censum imponere potest. Quin etiam *ex c. Cum clerici*, 12. *h. t.* patet quod clerici, qui colludendo v. gr. cum religiosis suas ecclesias censuales constituerunt, quales non fuerunt ex sua fundatione, aut legitima auctoritate, a suis ecclesiis sint amovendi, et *ex c. Significavit*, 13. *h. t.* patet, quod cogi possit, et compelli debeat, ad remittendum iuramentum, cui sub iuramento novi census solutio ex bonis ecclesiae promissa fuit: et denique *ex* c. *Gravis*, 15. *h. t.* patet, quod neque patroni, sive laici, sive clerici hi sint, post fundationem novum censum ecclesiis suis patronatis imponere, aut veterem augere possint, ne gravandi ecclesiam pro placito ansa detur, et occasio.

§. III. *In qua moneta solvendi sint census, seu pensiones, et alia debita pecunialia?*

Multa iam olim in Germania tribunalia fatigavit, haec intricata, et difficilis quaestio, ob mutationem variae monetae, quoad valorem intrinsecum, sive bonitatem monetae; vel quoad valorem extrinsecum, sive aestimationem monetae a lege publica, vel alterius magistratus, ius cudendi monetam habentis, taxatam, quia tamen longius examen haec quaestio requirit, et hodie rari usus est, cum per privatas conventiones litigiosae huic saepius mutationi satis caveatur, *ideo ad auct. Method. et ad Layman in sua theologia morali, l.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *cap.* 5. *n.* 19. *uti et ad cap. Olim*, 20. *h. t. et ad c. Cum canonicis*, 26. *eodem*, remittitur, qui plura de hac quaestione scire petit.

§. IV. *Quomodo solvenda sint ea, qua ex voto debentur?*

Neque haec quaestio multi examinis apud canonistas est, cum illius decisio ex theologia morali petenda potius sit. Videatur *c. Ex parte*, 18. *h. t.* iuxta quod, si certa mensura v. gr. determinata non sit, ad quam solvendam se quis sub voto obligavit, communis tamen usus regionis, et generalis consuetudo habeat, aut aliae circumstantiae exigant, ut solutio talium votorum fiat iuxta certam mensuram, aut iuxta certam speciem, iuxta hanc solutio facienda est.

SECTIO II.

De exactionibus.

§. I. *Quaenam sint exactiones ordinariae episcopis, seu praelatis ecclesiasticis a subditis clericis, vel laicis praestanda?*

Inter exactiones ordinarias episcopo solvendas numeratur primo portio canonica, quae debetur episcopo, ex quibuscunque legatis piis, quae fiunt ecclesiis, aut aliis piis locis in dioecesi existentibus, de qua *h. lib. tit.* 26. *sect.* 4. §. 4. Secundo numeratur synodaticum, seu cathedraticum a singulis clericis certae dioecesis ad synodum vocandis, in ea, in honorem cathedrae episcopalis solvendum, de qua *l.* 1. *Decret. tit.* 31. *sect.* 3. §. 9. Tertio numeratur quarta decimarum, et quarta mortuariorum, de quibus loco modo citato. Quarto numeratur procuratio praestanda in visitationibus, de qua sectione sequente, ita tamen, ut in his plerisque solvendis attendenda potius sit loci consuetudo, quam iurium decisio, uti iam dictum.

§. II. *An praedium, vel fundus ecclesiae in dotem assignatus liber sit ab omni servitio, tributo, et onere?*

Liberum debere esse fundum talem ab omni servitio, et tributo temporali non autem ecclesiastico, ex *c.* 1. *h. t.* sumitur, cum fundus talis sit pro sustentatione ministrorum ecclesiae, et aliis necessariis usibus ecclesiae constitutus, nisi talia bona ab antiquo, aliis iam sint tributanea, qui, cum suo iuri, quod habent, ad censum ex tali fundo, non cesserint, consequenter, ne invitis illis praeiudicium fiat, in tali fundo dos ecclesiae constitui non potest, vel certe, cum onere suo reali fundus hic in ecclesiam transibit, saltem in eo casu, quo dos ita abundans constituitur, ut omnibus his ferendis sufficiat. Quod si tamen patronus, qui dotem constituit, certum sibi censum, in dote tali ecclesiae constituta, reservasset, maneret quidem ad hunc censum patrono dissolvendum ecclesiae obligata, si dos constituta ad tale onus ferendum sufficiens esset, nulla tamen foret talis reservatio, si dos constituta pro iuribus necessariis ecclesiae necessaria foret.

§. III. *Quis possit imponere collectas, et exactiones novas extraordinarias, et quibus illae imponi possint?*

Quinam saecularium possint novas collectas, et exactiones extraordinarias imponere, viderint civilistae: certe sub poena canonica, excommunicationis etiam incurrendae, prohibentur nova vectigalia, gabellae, et eiusmodi onera, illicite, et sine legitima auctoritate imposita. Utrum autem ecclesiae, clerici, et aliae personae ecclesiasticae, ad haec extraordinaria onera a laicis imposita obligentur, *ex c. Quamquam*, 4. *h. t. in* 6. satis decidi potest, ubi tales exactiones severe prohibentur, et *ex tit.* 49. infra magis patebit. Patet etiam *ex c. Licet*, 4. *h. t.* quod caeci ad tales exactiones solvendas obligari non possint, uti nec pauperes, quos excusat inopia.

—

§. IV. *An, et qua ratione episcopi, aliique praelati illis inferiores, possint collatas extraordinarias suis subditis imponere, vel ab illis exigere?*

Prohibetur quidem his omnibus *in capit. Cum apostolus*, 6. §. *Prohibemus h. t.* ne subditos suos exactionibus (extraordinariis) gravent; conceditur tamen etiam omnibus episcopis, modo legitime electi, et confirmati sint, etiamsi nondum sint consecrati, et qui maiorem, vel similem episcopaii iurisdictionem in subditos suos habent, ut a clericis beneficiatis, et ab ecclesiis sibi subiectis, subsidium, ut vocant, charitativum, sive auxilium moderatum, cum charitate, saepius etiam exigere possint, (si causa manifesta, et rationabilis, dissolvendorum v. gr. episcopatus debitorum, consecrationis episcopalis, fabricae ecclesiae, belli avertendi, etc. necessitas, aut totius ecclesiae bonum subsit) ex redditibus ecclesiasticis solvendum, ita ut episcopus quidem omnino illud remittere non possit, cum ex vi iuris communis debeatur, et ne in unius prae altero praeiudicium, aut iniustum gra2amen cedat haec exactio; neque tamen ad hoc solvendum cogi possint, qui vel nullum beneficium habent, vel reditus ex eo adeo exiguos, ut vix congruam sustentationem exinde habeant, quamvis pinguia patrimonialia habeant, cum eorum hoc onus sit, qui fructibus ecclesiae gaudeat.

SECTIO III.

De procuratoribus.

§. I. *An, cur, et quomodo procurationes sint praestandae visitantibus ecclesias, et clericos; et an etiam exigi, ac recipi possint in pecunia?*

Procurationum nomine hic intelliguntur illae expensae, quae praestari bebent praelatis, quibus ex officio incumbit visitare ecclesias, itaut solvi hae procurationes debeant actu visitantibus ecclesias, vel clericos *c. Procurationes*, 23. *h. t.* ut ne ob defectum sustentationis, ex proprio solvendae, intermittatur visitationis utilitas, et ut ne qui visitat, suis stipendiis visitare debeat. Debent autem hae procurationes visitationis tempore solvendae, moderatae esse, ita ut ecclesiae non graventur nimium, habita ratione facultatum illarum *cap. Sopitae*, 14. *c. Procurationis*, 23. *et c. Cum nuper*, 25. *h. t. Trident. sess.* 24. *cap.* 3. *De reformat.* et communiter consistunt circa victualia, honestum scilicet cibum, et potum pro visitatore, eiusque moderato comitatu, ac pabulum pro equis praebendo, iuxta receptam patriae illius consuetudinem, et visitatoris conditionem, itaut victurae etiam nonnumquam, sarcinas necessarias hinc inde transferentes, solvi debeant. Et quamvis olim pro procurationibus talibus pecunia non potuerit exigi ab invitis *c. Prolata*, 9. *caus.* 14. *quaest.* 1. *c. Romana*, 1. §. *Procurationes h. t. in* 6. neque esculenta, aut poculenta, nisi in quantum in loco visitationis absumuntur, notario tamen, ob laborem conficiendorum v. gr. decretorum, et multorum saepe scribendorum, si aliunde iustum salarium non habeat, pius aliquid etiam in pecunia exigendum conceditur, vix tamen multus usus videtur apud nos harum procurationum. Videatur *Trident. sess. et capite citatis.*

§. II. *Quibus praelatis, et quando, ac qua ratione praestari debeant procurationes?*

Ordinarie procurationes tales debentur non tantum episcopis, et his superioribus, sed etiam aliis inferioribus praelatis, qui ius visitandi habent, dum actu, et personaliter visitant; et sedis etiam apostolicae legatis, quamvis actu non visitent, sed occasione necessarii itineris per locum talem transeunt, aut in eo moram necessariam trahunt *c. Procurationes*, 23. *h. t.* ita tamen, ut semper observari debeat, ne harum procurationum occasione, nimium graventur ecclesiae, sicuti enim de necessariis vult talibus provideri pontifex, ita neque ecclesiis molestus esse cupit (et ob hanc fortassis causam hodie talium procurationum, praesertim legatis pendendarum, nulla amplius praxis est) et si visitatores officium suum in visitatione non faciunt, praedicationi, correctioni, et reformationi, etc. vacando, procurationes tamen accipiunt, vult illos ad restitutionem esse obligatos illius, quod acceperunt, et ut tantundem adhuc addant ecclesiae impendendum, quam frustra gravaverunt.

§. III. *Quaenam ecclesiae, vel loca ecclesiastica, aut personae, et quibus teneantur solvere procurationes, vel non teneantur?*

Ecclesiae omnes, sive saeculares sint, sive regulares, etiam, quae in civitate episcopali existunt, monasteria, capellae in ecclesiis collegiatis erectae, oratoria publica, auctoritate episcopi instituta, etc. solvere debent episcopo, vel alteri vicario personaliter visitanti, vel archiepiscopo etiam provinciam actualiter visitanti, procurationes, nisi specialibus privilegiis exempta sint *cap. Cum venerabilis*, 21. *cap. Sopitae*, 14. *cap. Venerabili*, 24. *h. t.* neque ullo unquam tempore, etiam immemoriali, contra tales procurationes praescribi potest, in quibus tamen solvendis observanda est consuetudo, uti Tridentinum loquitur *sess.* 24. *cap.* 3. *De reformat.* ab hospitalibus tamen, et eiusmodi piis fundationibus, quamvis ab episcopo visitari possint, nullae tamen procurationes exigi, et solvi debent (ne quae bona ad certos pios usus fundata sunt, ad alios usus expendantur) uti nec ab oratoriis privatis, aut a pauperibus ecclesiis, etc.

§. IV. *Alia quaedam ad procurationes pertinentia proponuntur, et explicantur?*

Primo quidem non potest ius procurationis, ratione visitationis debitae, expresse, aut per pactum remitti ex toto, et in perpetuum ab episcopo, sicuti enim ipsa visitatio remitti in perpetuum non potest, ita nec procuratio illi annexa; et quamvis possit hanc remittere pro ea semper vice, qua visitat, cum favori pro se instituto cedere possit, non tamen venit renuntiatio procurationis huius sub nomine servitiorum in genere remissorum *c. Cum venerabilis*, 21. *h. t.* Secundo non debet augeri procuratio, quae in fundatione ecclesiae alteri v. gr. ecclesiae facienda, cum patroni consensu, imposita est, nisi ita notabiliter creverint facultates ecclesiae, ut absque magno gravamine maior procuratio solvi possit *cap. Quanto*, 16. *h. t.* cum enim in tali casu

nulla certa quantitas imposita sit, consequenter ea solvi debebit, quae conveniens, et communis est, augetur autem haec, si facultates illius ecclesiae augeantur. Tertio in multis casibus, ubi de procurationibus praestandis certi nihil statutum est, attendenda, et observanda est vicinarum civitatum consuetudo, prout sumitur ex *c. Super eo*, 22. *h. t.*

§. V. *De visitatione, ob quam debentur procurationes.*

Quaeritur primo quinam ius visitandi habeant. Respon. ad eos potissimum ius hoc pertinere, qui iurisdictionem ordinariam in ecclesias, vel clericos obtinent, quales sunt romanus pontifex in totam ecclesiam, patriarchae, archiepiscopi, legati sedis apostolicae, in ordine ad ecclesiasticos suae provinciae, episcopi, archidiaconi, decani, capitula ecclesiarum cathedralium, vacante sede, abbates, priores regularium in ordine ad sibi subiectos subditos etc.

Quaeritur secundo, an episcopus visitare etiam possit ecclesias, aut personas ecclesiasticas exemptas. Resp. primo quoad ecclesias, si saeculares illae sint, visitari ab episcopo posse, tanquam sedis apostolicae delegato, uti Tridentinum illis concedit *sess.* 7. *c.* 8. *De reform.* si regulares vero sint, in quorum monasterio observantia regularis viget, visitare quidem eos potest episcopus, si curam animarum adiunctam habeant, circa ea, quae ad curam animarum pertinent; si vero curam annexam non habeant, non possunt ab episcopo visitari, etiamsi commendatae essent, cum ius visitandi tales ecclesias commendatas, quod a Tridentino episcopis conceditur, de illis tantum ecclesiis intelligendum sit, ubi regularis observantia non viget: multo minus visitari possunt ab episcopis eae regulares ecclesiae, quae suorum ordinum capitibus subsunt. Circa personas vero ecclesiasticas visitandas, Resp. secundo, si saeculares sint, visitari posse, vel ordinaria potestate, si curam animarum habent, saltem quoad ea, quae ad curam pertinent; vel potestate delegata, ut sedis apostolicae delegatis, iuxta concilium *Trid. sess.* 6. *c.* 3. *De reform.* si vero regulares personae sint, exemptae quidem, extra claustra tamen viventes, visitari possunt ab episcopo, ut sedis apostolicae delegato, iuxta Trident. loco cit.; si vero intra claustra vivant, nec iurisdictioni, nec visitationi episcopi ordinarie subsunt, prout iterum habetur ex *Trid. sess.* 25. *c.* 20. *De regul.:* plura de his vide apud auct. Meth. vel Fagnanum *in c. Grave*, 10. *de off. iud. ord. vel Kochier de iurisd. in exemptos*, *etc.*

Quaeritur tertio quoties, et quo ordine, et modo facienda sit visitatio. Resp. 1. faciendam eam de iure antiquo *c. Conquerente*, 10. *de off. ord. iud.* et de iure novo *Tridentini sess.* 7. *c. De reform.* singulis annis, vel saepius etiam, si necessitas, aut alia nova causa urserit. Resp. secundo ordinem, et modum faciendae visitationis praescribit *c. Romana*, 1. *h. t. in* 6. ex quo cap. etiam habetur, quod archiepiscopus cogere quidem possit visitandos, ad veniendum, et dicendam veritatem, non tamen ad iurandum, si inquisitio tantum sit generalis, et 2. quod etiam laicos suae provinciae visitare possit archiepiscopus, quoad crimina ecclesiastica, matrimonia, et alia, quae ad forum ecclesiasticum pertinent. Consulatur, et observetur consuetudo.

TITULUS XL.

DE CONSECRATIONE ECCLESIAE, VEL ALTARIS.

§. I. *A quo, quando, et qualiter consecrari possint ecclesiae, et an requiratur ad consecrationem ecclesiae dotatio?*

Consecrari possunt ecclesiae a solo episcopo, et quidem proprio, vel, cum proprii licentia, ab alieno *can. Nemo*, 9. *et canon. Nullus*, 15. *distin.* 1. *De consecrat.* neque potest consecratio harum committi simplici sacerdoti, non episcopo, cum consecratio ecclesiarum sit actus ordinis episcopalis. Possunt autem consecrari non tantum diebus dominicis, et festis, sed quolibet alio die *c. Tua*, 2. *h. t.* cum in his velut inanimatis consecrandis non requiratur tanta solemnitas, quanta requiritur ad consecrationem personarum ecclesiasticarum. Debet tamen a consecrante sacrificium missae in ea ecclesia celebrari, saltem iuxta consuetudinem, ita tamen, ut valide censeatur ecclesia etiam esse consecrata, licet consecrans non celebraverit in ea. Consecranda tamen non est, nisi prius ei de dote, quae computando decimas, oblationes, aut alias obventiones, sufficiat pro luminibus, ad honestam sustentationem parochi etc., fuerit provisum, cap. *Cum sicut*, 8. *h. t.* ad quam dotem obligatur ex quasi contractu fundator, vel qui eam fecit consecrari, aut haeredes illius, cum fundator talis, quasi pater habeatur huius ecclesiae, vel si hic non possit dotare, tenebitur ad dotem subministrandam episcopus consecrans, ex redditibus suis ecclesiasticis, ita tamen ut ad hanc dotem nemo obligetur, qui fundat, aut consecrat ecclesiam religiosorum mendicantium, aut si aedificetur ecclesia in monasteriis religiosorum redditus nonnos habentium.

§. II. *In quibus casibus ecclesia execretur, ita ut nova consecratione indigeat?*

Tres communiter casus recensentur *a gloss. in cap. Proposuisti*, 4. *h. t. verbo Reconciliari:* primus est, si nesciatur, vel dubitetur, an ecclesia aliqua fuerit consecrata, ita ut nihil appareat, aut praesumi possit de eius consecratione, vel ex instrumento dotationis, vel ex alia scriptura, aut tabula parieti inserta, vel ex crucibus depictis, vel ex uno saltem teste, qui vidisse se testetur, vel ut concedunt aliqui ob favorem ecclesiae, qui testetur audivisse se, quod ecclesia illa fuerit consecrata, *can. Ecclesiae*, 18. *de consec. dist.* 1. quo in casu sub conditione, saltem mente reservata, ab episcopo consecranda est ecclesia talis.

Secundus casus est, si ecclesia propter execrationem nova consecratione indigeat, eo quod scilicet igne exusta fuerit talis ecclesia, non quidem, quod ligna tantum ecclesiae, aut tectum illius destructum sit, sed quod parietes interiores fuerint combusti, devastati, et abrasi, vel ex toto, vel ex maiore parte, in his enim fieri solet consecratio, per in unctionem sacri chrismatis.

Tertius denique casus est, si totum ecclesiae aedificium, sive casu fortuito corruat, sive consulto destruatur, non quidem successive tantum, ita

ut paulatim per partes semper minores ecclesia reparetur, sed si simul, vel ex toto, vel ex maiore parte destruatur; in illo enim casu pars minor addita maiori consecratae per hanc maiorem, consecrata censetur, cum dignius, et quod maius est, trahat ad se quod minus est, et minus dignum.

§. III. *Quot, et quibus modis polluatur, sive violetur ecclesia, ita ut in ea divina officia celebrare non liceat, prius quam reconcilietur, et quomodo, ac a quo ecclesia polluta reconcilianda sit?*

Violatur ecclesia, ut reconciliatione indigeat, pluribus modis, prout habetur *in c. Proposuisti*, 4. *h. t.* et primo quidem per homicidium voluntarium, iniuriosum, vel saltem contra reverentiam loco sancto debitam, commissum, per mortem scilicet ex sententia v. gr. iudicis in ecclesia illatam, etiamsi fiat sine sanguinis effusione.

Secundo polluitur ecclesia, per humani sanguinis effusionem voluntariam, et iniuriosam, non quidem ex naribus tantum fluentem, ob percussionem iniuriosam in templo factam, cum ex naribus nimis facile, et in magna etiam copia sanguis eliciatur, sed ob alia vulnera in ecclesia inflicta, etiamsi periculum mortis in tali casu non subsit.

Tertio polluitur ecclesia per adulterium, aut aliam quamcumque illicitam copulam, aut seminis copiosam effusionem, ac publice notam *cap. Significasti, de adulteriis*, itaut in prioribus etiam casibus, ad violatam ecclesiam habendam requiratur notorietas actuum talium, quibus violata fuit ecclesia, et ab eo tempore censeri debeat polluta ecclesia, quo per rei evidentiam, aut rei confessionem innotuerunt delicta illa, quibus violatur ecclesia: et quamvis sint aliqui, qui per coniugalem copulam de se licitam violari velint ecclesiam, ratione irreverentiae loco sacro factae, plerique tamen casum necessitatis excipiunt, quo coniuges scilicet diu in ecclesia conclusi morari debent.

Quarto violatur ecclesia per sepulturam hominis excommunicati (non tolerati scilicet) et per sepulturam hominis infidelis, non baptizati, quibus in casibus exhumari etiam debet talis sepulti cadaver, ac foras proiici *cap. Consuluisti*, 7. *h. t. et can. Ecclesiam*, 28. *dist.* 1. *De consecrat.* Et quamvis in prioribus casibus non sine culpa admissa violetur ecclesia, in his tamen posterioribus violari potest per tales sepulturas ecclesia, etiamsi nulla culpa admittatur.

Quinto denique volunt aliqui violandam ecclesiam, si ab episcopo notorie excommunicato sit consecrata, vel benedicta; verius tamen est, illam non pollui per taliter excommunicati consecrationem, aut benedictionem, cum de hoc nullum in iure fundamentum habeatur, et violatio posterior sit consecratione, et consequenter non poterit talis simul ecclesia consecrari, et violari. Plura de his theologi morales.

Ex rituali autem romano patet, reconciliationem talis ecclesiae violatae fieri debere, si consecrata ea fuit, per episcopum, aut ex commissione papae, per simplicem etiam sacerdotem, prout colligitur ex *c. Aqua*, 9. *h. t.* ita tamen, ut aqua, per quam fit reconciliatio, cum vino, cinere, et sale mixta ab episcopo sit benedicta, ut habet rituale romanum. Si vero eccle-

sia, quae hic, et nunc violata fuit, non sit consecrata, sed benedicta tantum ab episcopo, aut ad publicum divinum cultum per eum deputata, potest etiam per simplicem sacerdotem, aspersione aquae lustralis, a simplici sacerdote benedictae, reconciliari, prout colligitur ex *c. ultim. h. t.*

§. IV. *De consecratione, et execratione, ac violatione altaris.*

Altare, quod non ligneum, aut terreum esse debet, sed lapideum, et consecratum ab episcopo, aut ex speciali privilegio pontificis, ab alio privilegiato sacerdote, duplex communiter habetur, aliud est mobile, seu portatile, quod etiam viaticum dicitur, et ab uno loco in alium transfertur, ac moveri potest; aliud est fixum, stabile, seu immobile, certo alicui loco, seu basi, calce aut alio modo affixum; illud per se consecratur, et constare debet ex unico lapide integro tantae magnitudinis, ut pedem calicis cum patena, saltem quoad maiorem partem capere possit: hoc non consecratur per se, sed quatenus basi affixum est, et illius saltem superior mensa debet esse lapidea: et hinc de utriusque execratione pariter iudicandum est: 1. scilicet, quod execretur, si mensa superior, sive lapis superpositus, vel ipse lapis altaris portatilis sit enormiter, seu notabiliter fractus, itaut ad usus, ad quos est consecratus, sit inutilis, et propter fracturam, aut nimis deforme sit, aut in nulla sui parte integra, calicem, cum patena, quoad maiorem saltem partem, continere possit. 2. Execratur altare fixum, ut nova consecratione indigeat, si lapis, seu mensa superior, a basi, seu inferiori structura, cui est defixa, amoveatur, cum consecratio talis altaris consistat in consecratione superioris mensae, et inferioris structurae, cui saltem immediate superior mensa cum structriga inferiore, cui immediate innititur, tota de loco in locum moveatur, vel si lapides quidem illam immediate attingentes, immoti maneant, inferius tamen lapides aliqui auferantur, vel addantur, ut altare fiat vel humilius, aut altius, vel ad latera adiungantur lapides aliqui, ut latius altare fiat, non execratur illud, et nulla nova consecratione indiget, cum a basi sua in tali casu non amoveatur. 3. Putant aliqui execrari altare, et perdere suam consecrationem, sive fixum, sive mobile illud sit, si sepulchrum altaris, sive loculus ille, in quo sacrae reliquiae reponi solent, frangatur, vel spolietur, quod tamen, quia ex iure non satis probatur, et probabile est de essentia altaris consecrati non esse reliquias, aut loculum talem, et si quid praeceptum aliquando fuit de reliquiis altari consecrando inferendis, per contrariam consuetudinem iam abrogatum videatur, cum nimia multitudo altarium portatilium, vix praesumere liceat, reliquias approbatas semper inseri, probabile etiam videtur per fractionem talem, aut spoliationem loculi talis non amittere suam consecrationem altare, servanda tamen est loci consuetudo. 4. Denique potest altare consecrationem suam retinere, quamvis ecclesia, in qua altare tale fixum est, suam perdat, cum diversae sint altarium, et ecclesiae consecrationes, et altare integrum permanere possit, etiamsi tota ecclesia destruatur, vel per parietum abrasionem exsecretur, neque enim ex eo contra hoc aliquod probari potest, quod polluta ecclesia, ut reconciliari debeat, etiam polluantur in ea fixa altaria, ergo pari modo, execrata ecclesia, etiam execrabuntur

altaria fixa in ea, ut nova consecratione indigeant: concesso enim antecedente negatur consequens, quia pollutio ecclesiae totum illud corpus afficit, ergo quidquid est de corpore huius ecclesiae, uti sunt altaria, pollutum censeri debet, hoc autem non fit in execratione ecclesiae, quae quoad hanc, sicuti peculiarem ab altaribus consecrationem habet, sic potest hac privari, quin illa tamen priventur.

§. V. *De consecratione, pollutione, et reconciliatione coemeterii.*

Coemeterium aliud non est, quam locus auctoritate episcopi ad corpora fidelium sepelienda deputatus, et praesumitur cum ecclesia, cui coniunctum est, consecratum, vel benedictum, quamvis neutrum necessarium sit, cum sola episcopi deputatio sufficiat. Polluitur, et violatur regulariter iisdem modis, quibus ecclesia polluitur, violatur, et reconciliatur, ita tamen, ut, polluta ecclesia, censeatur etiam pollutum coemeterium, si contiguum ecclesiae sit, non autem, si sit separatum, cum in illo casu habeatur ut accessorium, consequenter polluto principali censetur, et ipsum pollutum *c. Si ecclesiam, unico h. t. in* 6.

TITULUS XLI.

DE CELEBRATIONE MISSARUM, ET SACRAMENTO EUCHARISTIAE, ET DIVINIS OFFICIIS.

Quae in hoc titulo pluribus capitulis deciduntur, rectius ex rubricis missalis, et breviarii, ac theologia peti possunt.

TITULUS XLII.

DE BAPTISMO, ET EIUS EFFECTU.

Videatur de materia huius tituli theologia moralis.

TITULUS XLIII.

DE PRESBYTERO NON BAPTIZATO.

Non baptizatus baptismo fluminis salvari potest, per baptismum sanguinis, aut flaminis, ordinari tamen valide non potest, iuxta huius tituli decisiones; et hinc, si ordinatus aliquis fuit, et postea innotescat baptizatum eum non fuisse, baptismo fluminis, baptizari hoc baptismo debet, et denuo ordinari, quia prior ordinatio, non baptizato bona quidem fide collata, invalida tamen fuit, ut habetur *in c.* 1. *et* 3. *h. t.*

TITULUS XLIV.

DE CUSTODIA EUCHARISTIAE, CHRISMATIS, ET ALIORUM SACRAMENTORUM.

Eucharistiam, et sacrum chrisma fideliter custodienda ex *cap.* 1. habetur, et nulla facile suppellectilia clericorum, aut laicorum in ecclesia asser-

vanda, nisi gravis necessitas belli, aut incendii v. gr. urgent, *ex cap.* 2. *h. t.* patet.

TITULUS XLV.

DE RELIQUIIS, ET VENERATIONE SANCTORUM.

Duo sunt, quae in hoc titulo deciduntur: 1. Quod nullus publico cultu, ut sanctus sit colendus, nisi a summo pontifice fuerit canonizatus, sive quod idem est, nisi post praemissam diligentem, et accuratam examinationem super vitae, morumque probitate, et miraculorum, sine quibus nulla fit canonizatio hodie, veritate, a summo pontifice albo Sanctorum adscriptus fuerit, ac ut sanctus ab omnibus colendus, declaratus, *c.* 1. *h. t.* vel certe de personae talis sanctitate per traditionem, et universalem ecclesiae consensum constet, quae solet esse aequivalenter canonizatio. Et hinc habetur, quod soli summo pontifici, non autem episcopo, nec pro sua dioecesi canonizare hodie concessum sit (quidquid olim praxis habuerit) ob multas fraudes cavendas, et plures alias rationes, quae cuivis facile occurrent. 2. Deciditur etiam, quod Sanctorum reliquiae non tantum non debeant venales exponi (quia res sacrae non sunt pretio temporali aestimabiles), sed nec passim, et indifferenter ostendi; et si antiquae sint, extra capsam, cui sunt inclusae, non sint ostendendae, ne detur scilicet pluribus maledicis occasio, scabiose, et irreverenter de Sanctis loquendi, aut videantur haec talia fieri quaestus causa etc. Si vero de novo sint inventae, publice non exponantur, nisi auctoritate summi pontificis sint approbatae *c.* 2. *h. t.* aut nisi certo constet illas, quae de novo repertae sunt, esse alicuius Sancti iam olim ab ecclesia approbati; quarum tamen, antequam publice exponantur, recognitio ab episcopo fieri debet, ut vult *Trident. sess.* 25. *in Decret. de invocation. et reliq. Sanct.* quia hac in re, quae plurium saepius haereticorum ludibria patiatur, caute agendum vult ecclesia.

TITULUS XLVI.

DE OBSERVATIONE IEIUNIORUM.

Examinatur etiam huius tituli materia sufficienter a theologia morali, cui ea relinquitur.

TITULUS XLVII.

DE PURIFICATIONE POST PARTUM.

In antiqua lege praeceptum erat de facienda post partum purificatione, post 40. vel 80. dies a partu, ante quod tempus non poterat templum ingredi puerpera: hodie tamen in nova lege evangelica tale praeceptum non extat, improbanda tamen devotio non est, ut ait pontifex *in c. unic. h. t.* si quae velit aliquamdiu ob reverentiam, ab ingressu ecclesiae, ante purificationem publice factam, abstinere.

TITULUS XLVIII.

DE ECCLESIIS AEDIFICANDIS, VEL REPARANDIS.

§. I. *De ecclesiis aedificandis.*

Potest quidem quilibet in proprio fundo novam ecclesiam aedificare, duae tamen conditiones illi observandae sunt. 1. Ut per hoc alteri ecclesiae non inferatur praeiudicium. 2. Ut interveniat legitimi superioris, episcopi scilicet, si in loco non exempto aedificat, auctoritas vel consensus (saltem tacitus, et subsequens), etiamsi persona exempta sit, quae aedificat; vel summi pontificis, si locus, in quo aedificatur, exemptus sit, *can. Nemo*, 9. *dist.* 1. *de consec. c. Ad haec*, 4. *de religiosis domibus*, *capit. Auctoritate*, 4. §. *Prohibemus insuper, de privilegiis, in* 6. Immo intra fines alterius parochiae nova ecclesia parochialis, cum consensu episcopi, aedificari potest, non quidem ob solam populi multitudinem, sed si nimia sit distantia pro divinis officiis, et sacramentis, aut aliae magnae difficultates antiquam ecclesiam parochialem frequentare facile non permittant, ut constat ex *cap. Ad audientiam*, 3.*h.t.* vel in usum leprosorum *c. Cum dicat*, 2. *h.t.* quia in his casibus urget necessitas, aut sanitas novam ecclesiam parochialem aedificare.

§. II. *Quaenam praeter legitimam causam conditiones necessario requirantur ad construendam novam ecclesiam parochialem?*

1. Requiritur, ut in illo districtu, ubi nova ecclesia parochialis erigenda est, saltem decem sint parochiani, *argu. can. unic. caus.* 10. *quaest.* 3. *iunct. gloss. verbo Mancipia.* 2. Ut fiat ab episcopo cum consensu sui capituli, quia circa reditus prioris ecclesiae fit alienatio quaedam, aut certe unio unius ecclesiae cum altera, quae nec ipsa sine consensu capituli fieri potest, nisi in exstruenda tali nova ecclesia procedat episcopus, ut delegatus pontificis, in casu scilicet, in quo non potest, ut ordinarius, procedere, in loco v. grat. exempto novam ecclesiam aedificando. 3. Requiritur, ut citentur, et audiantur rector ecclesiae matricis, sive antiquae, et quorum interest haec scire, quamvis enim etiam illis invitis procedere possit episcopus, ut constat ex *citat. capit.* ex Tridentino, non tamen illis non auditis, ob pleniorem scilicet informationem. 4. Requiritur, ut ecclesiae novae competens dos assignetur pro sustentatione necessariorum ministrorum, et sumptibus necessariis talis ecclesiae, ita tamen, ut dos ista ex redditibus ecclesiae antiquae desumi possit, si abundantes illi adeo sint, ut utrique ecclesiae tam antiquae, quam novae sufficiant, et nisi alius adsit, qui velit eam dotare; vel si reditus illi pro utraque ecclesia non sufficiant, et nemo eius novam dotare velit, populus novae ecclesiae ad necessaria subministranda ab episcopo cogatur, vel illi praelati, quorum iurisdictioni haec ecclesia subest in temporalibus, aut in horum defectum episcopus providebit, permittendo etiam parocho novo, ut propriis manibus, ex honesto, et statui suo conveniente artificio, sustentationem suam quaerat, *can.* 3. *et* 4. *distinct.* 91. 5. Requiritur, ut ius ad novam hanc parochiam praesentandi reservetur illis, quibus de iure debetur, qui fundando scilicet, aedificando,

aut dotando ecclesiam hanc erexerunt; vel si ex redditibus prioris ecclesiae dotatio, aut aedificatio novae ecclesiae facta est, patronus erit, praeter eum, qui fundum v. gr. dedit, ecclesia antiqua, aut eius rector, prout ex relato *capit. Ad audientiam* patet. 6. Requiritur, ut honor competens antiquae ecclesiae servetur, vel certum censum in signum subiectionis eidem solvendo, vel servando illi sepulturae, baptismi, scrutinii etc. ius.

§. III. *Quinam, et ex quibus redditibus teneantur ecclesias reparare?*

Ecclesiae parochiales de iure antiquo *in cap.* 1. *et* 4. *h. t. et arg. c. Si episcopus*, 6. *de off. ord. in* 6. ex redditibus suis ad fabricam deputatis reparari debent, si tales redditus habeant; vel si redditus tales non habeant, aut non habeant sufficienter, cogi debent ecclesiarum talium rectores, et beneficiati, ad contribuendum pro reparatione ecclesiae, si redditibus ecclesiasticis fruantur, et ultra sustentationem necessariam beneficiatus supersit; vel denique in defectum praedictorum parochiani, qui in talibus ecclesiis divina percipiunt, non tantum plebei, sed etiam nobiles, cum omnibus ecclesia illa servire debeat, et sentire onus debeat, qui commodum sentit. Si vero ius Tridentini attendere velimus *session.* 21. *capit.* 7. *De reform.* hic ordo servandus est, ut parochialium ecclesiarum, quamvis patronatae sint, si reparari, et refici ea debeant, fiat reparatio ex fructibus, et proventibus quibuscunque, ad easdem ecclesias quomodocunque pertinentibus, qui si non sint sufficientes, omnes patroni, et alii, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, concurrere teneantur, et in horum tandem defectum parochiani, quacumque appellatione, exemptione, et contradictione remota, cogendi sunt. In his tamen omnibus observari debet consuetudo, quae in primis inspicienda est, et tenenda: sicuti etiam circa illam quaestionem, quid nomine ecclesiae veniat, et utrum sub ea appellatione etiam veniat domus parochialis: et quamvis patronus, qui fundavit, dotavit, aut aedificavit ecclesiam, ad contribuendum pro ecclesiae reparatione de iure non teneretur, nisi certam sibi pensionem ab ecclesia solvendam reservasset, uti facile ex Tridentini verbis probari potest, attendenda tamen est consuetudo, hac etiam in quaestione.

§. IV. *De mutatione ecclesiae saecularis, in regularem, et destructione eiusdem.*

Quod ecclesia collegiata saecularis mutari possit in aliam collegiatam, seu conventualem regularem cum consensu ordinarii, modo canonicis saecularibus, qui supersunt, nullum fiat praeiudicium, ex *cap. Ad audientiam*, 5. *h. t.* et alibi dictis patet, ac favor religionis, quae strictior est, quam status clericorum saecularium meretur. Destrui tamen non possunt ecclesiae (praesertim si consecratae sint) ut lapides, et ligna illarum ad profanos laicos usus applicentur *can. lign.* 38. *iunct. gloss. verbo Ad profectum, dist.* 1. *de consecrat.* quod enim semel Deo dicatum est, non est ad usus profanos ulterius transferendum *arg. reg.* 51. *de reg. iur. in* 6.

TITULUS XLIX.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM, COEMETERII, ET RERUM AD EAS PERTINENTIUM.

Immunitas ecclesiastica, de qua hic sermo est, aliud non est, quam *ius, quo ecclesiae res, vel personae ecclesiasticae ab oneribus, vel etiam officiis saecularibus liberae, et exemptae sunt;* triplex autem communiter haec immunitas est, localis scilicet, quae ecclesiis, et aliis locis ecclesiasticis competit; realis, quae rebus, seu bonis ad ecclesiam, vel clericos pertinentibus concessa est; et personalis, qua gaudent personae ecclesiasticae. Sit ergo

SECTIO I.

De immunitate locali, quae competit ecclesiis, et aliis locis ecclesiasticis.

§. I. *Quaenam loca ecclesiastica immunitate gaudeant?*

Gaudent immunitate hac locali primo ecclesiae non tantum consecratae, sed etiam quae auctoritate episcopi benedictae, aut ad publicum usum divinorum deputatae sunt, *cap. Ecclesiae*, 9. *h. t.* quia talis locus ex sola tali auctoritativa deputatione sacer censetur, etiamsi officia divina nondum in tali loco celebrentnr: et hinc etiam interdictae ecclesiae, ecclesiae pollutae, nondum reconciliatae, et quae adhaerent ecclesiis, sacristia v. gr. porticus, atrium, turris, tecti pars etiam superior, ecclesiae sine superioris auctoritate destructae, et quarum reparandarum spes est, gaudent hac locali immnnitate, quia in materia hac favorabili nomine ecclesiae veniunt. Secundo competit locale hoc immunitatis privilegium coemeteriis *c. ult. h. t.* quae eisdem privilegiis cum ecclesiis gaudent; oratoriis, in aedibus etiam privatorum auctoritate episcopi, ad divinum cultum deputatis; et universim, quae de iure canonico religiosa loca censentur, uti hospitalia auctoritate episcopi erecta, monasteria cum toto ambitu claustri.

§. II. *An in ecclesiis, aut aliis locis sacris, vel religiosis, iudicia exercere sit contra immunitatem ecclesiasticam?*

Non tantum iudicia criminalia, in quibus agitur de fusione sanguinis, aut poena corporali, in ecclesiis, aut aliis eiusmodi locis sacris exerceri non possunt, sub poena excommunicationis *cap. Cum ecclesia*, 5. *h. t.* sed nec civilia saecularia, non quidem, quae sunt mere voluntariae, sed quae sunt contentiosae iurisdictionis, ita ut nulla sint, et irrita, processus, et sententia in ecclesia instituta, prout statuitur *in cap. Decet*, 2. *h. t. in* 6. absurdum enim est, ut ait circa criminalia pontifex, ibi iudicium sanguinis, (vel civile) exerceri, ubi est tutela refugii constituta, non tantum delinquentibus, sed etiam contra civilia debita, ut videbimus. Iudicia tamen ecclesiastica in ecclesia etiam exerceri posse valide, ac licite, docet glossa communiter recepta *in citat. c.* 2. *verbo Saecularium*, et satis probari potest ex *cap. Qua fronte*, 25. *De appellat.* tum quod maiorem rationem

suorum iudiciorum habere debeat ecclesia, quam mere saecularium; tum quod ut sic clericorum etiam honestati consulatur melius: negari tamen non potest magis fortasse decens, et conveniens esse, ut etiam tales clericorum causae, potius in palatio, aut consistorio episcopali, quam in ecclesia expediantur, prout praxis habet, cum ecclesia sit domus orationis, non iurgiorum.

§. III. *Quinam praeterea actus prohibiti sint exerceri in ecclesiis, vel aliis locis ecclesiasticis, propter reverentiam loci?*

Contractus fieri, et negotiationes exercere in ecclesiis prohibetur *in citat. cap.* 2. (nisi ea tantum venderentur, et emerentur, quae mox ad cultum divinum comburenda essent, uti sunt cerei v. gr. aut talia ad pietatem fidelium iuvandam conducentia. Secundo prohibentur in *eodem cap.* in ecclesiis fieri publica communitatum concilia, et parlamenta de rebus mere temporalibus. Tertio vult in *cit. cap.* 2. pontifex, ut in ecclesiis cessent vana, et magis foeda, et profana colloquia, cessent consultationes quaelibet, et quaecunque alia, quae divinum officium turbare possent, cum ecclesia sit locus divino cultui deputatus: praecipiens etiam ordinariis locorum, ut haec talia faciant observari, et contravenientes debitis poenis coerceant. Quarto etiam prohibentur in ecclesiis ludi theatrales profani *c. Cum decorem*, 12. *de vita, et honest. cleric.* Quinto prohibentur convivia in ecclesiis *can. Non oportet*, 4. *dist.* 42. Sexto denique prohibetur omnis violentia ecclesiis facta, ut constat ex pluribus *can. caus.* 17. *q.* 4. ob reverentiam scilicet loco sacro debitam, haec omnia prohibente ecclesia.

SECTIO II.

De iure, sive immunitate asyli, quod competit ecclesiis, et aliis locis ecclesiasticis.

§. I. *Quo iure asylum, sive ius hoc immunitatis sit constitutum, et quinam rei criminis ad ecclesiam confugientes gaudeant immunitate asyli?*

Ius asyli aliud non est, quam privilegium, quo gaudent ecclesiae, ut confugientes ad illas, velut ad asylum per vim extrahi non possint; quod ius, sive privilegium non est introductum iure naturali, vel iure divino positivo, sed humano tantum, canonico, et civili; neque enim, aut intrinsece malum est, reos ex templis extrahere, si fiat hoc cum debita reverentia, neque in nova lege haec immunitas concessa divinitus ecclesiis legitur, sicuti in utroque iure tam canonico, quam civili conceditur *toto titulo C. de his qui fugiunt ad ecclesiam c. Inter alia*, 6. *h. t.* et pluribus *canon. caus.* 17. *q.* 4. ex quibus iuribus etiam habetur, quod haec asyli immunitas, non tantum ecclesiis, monasteriis, et eiusmodi locis piis concessa sit, sed ea etiam gaudeant alicubi aedes episcopales, aedes cardinalium, aedes intra 20. aut 40. passus iuxta ecclesias sitae, statuae principum, sacerdos sacratissimum venerabile portans etc. prout pluribus disputant theologi morales, et consuetudo, ac recepta praxis docet, quae de aedibus intra 20. aut 40. passus ab ecclesia sitis, vix novit aliquid.

Gaudent autem hac immunitate asyli omnes rei, qui ad ecclesiam confugiunt, nisi de iure, vel aequivalente consuetudine excipiantur; cum enim iura universaliter reis ad ecclesiam confugientibus privilegium hoc concedant, consequenter, quorumcunque criminum illi rei sunt, hoc immunitate gaudent, nisi ius ipsum crimina quaedam, quae maxime noxia sunt reipublicae, excipiat, prout *in citat. capit.* inter alia excipiuntur publici latrones, *die Strassenrauber*, et nocturni depopulatores agrorum, et *in cap. Immunitatem, ult. h. t.* excipiuntur, quo minus hac immunitate gandeant, qui in ipsis ecclesiis gravia crimina committunt (cum frustra legis auxilium imploret, qui deliquit in legem, et huiusmodi personae dignae non sint in venerabili loco munimen habere, quem ipsi per scelus proprium despexerunt (vel qui spe immunitatis ex proposito, et data opera, prope ecclesiam deliquerunt, vel qui in una ecclesia delinquunt, postea tamen confugiunt ad aliam, vel qui existentes in ecclesia, alios foris existentes, globo v. gr. vel telo emisso occidunt, aut mandant occidi, vel qui extra ecclesiam quidem existentes, occidunt tamen iacto v. gr. telo alios in ecclesia existentes, vel certe mandant hos occidi etc. Quia hi omnes graviter delinquunt in ecclesiam, et reverentiam ecclesiis debitam non observant. Similiter etiam excipiuntur ab hac immunitate *c.* 1. *de hom.* qui committunt homicidia proditoria, et in bulla Gregorii XIV. *Cum alias*, 1591. *edita*, qui rei sunt assassinii: qui criminis laesae maiestatis, in personam principis commissi, sunt rei: qui rei sunt haeresis etc. et quamvis per iura civilia plura adhuc crimina excepta habeantur, quo minus immunitate ecclesiastica gaudeant, quia tamen relata bulla Gregorii XIV. ad unam formam bullae illius totam hanc immunitatis materiam reducit, et criminum horum per iura civilia exceptorum nulla fit mentio, consequenter hodie non tam iura civilia, quam dicta bulla observanda est, ut adeo, quamvis gravissimorum criminum rei aliqui sint, si tamen nullum crimen in bulla illa exceptum commiserunt, et ad asylum confugerunt, uti et illi, qui ex ipsis carceribus, vel arresto, vel capitis iam condemnati, ad asyli locum confugiunt, immunitate hac gandeant, extendendo scilicet hoc asyli privilegium, ob favorem ecclesiae. Sunt tamen qui putant consuetudine, cum consensu etiam pastorum ecclesiae, introductum iam esse, ut fures, simplices etiam, non gaudeant immunitate ecclesiarum propter frequentiam scilicet huius criminis, de quo proinde loci consuetudo consulenda est.

§. II. *Utrum omnes homines, sive liberi, sive servi, laici, vel clerici religiosi, fideles, vel infideles gaudeant immunitate asyli in casibus iure concessis; et an etiam debitor ex causa civili?*

Respond. 1. omnes fideles laicos, sive liberi sint, sive servi, etiam excommunicatos, et personaliter interdictos gaudere in casibus non exceptis hac immunitate, uti constat ex *caus.* 17. *quaest.* 4. *et cap. Inter alia* §. *si vero servus h. t.* ita tamen, ut servus (sive proprie dictum mancipium) si ob crimen aliquod a iudice puniendum ad ecclesiam confugit, absolute gaudeat, respectu iudicis, immunitate asyli, si vero negligentiam admisit a domino puniendam, domino restituendus sit ad poenam, promissa tamen a

domino, vitae, et membrorum impunitate; nisi propter magnam saevitiam domini ad ecclesiam fugerit, quo in casu non debet quidem domino restitui, cogi tamen hic potest ad servum talem vendendum, prout etiam iura civilia statuunt. Quod autem excommunicati etiam, et personaliter interdicti hac immunitate gaudeant, nisi propter crimina excepta censuram talem incurrissent (quo in casu non tam propter censuram, quam propter crimen admissum censura tali notatum, asyli ius amitterent) satis probat, quod in iure nullibi legatur censuratos tales immunitate non gaudere.

Respond. 2. Quod clerici, et religiosi in criminibus, de quibus apud saeculares etiam magistratus conveniri possunt, gaudeant immunitate asyli in ecclesiis, ad quas confugiunt contra iudices tales saeculares, cum in his casibus instar laicorum habeantur: utrum autem contra proprios suos praelatos, et iudices ecclesiasticos, immunitate asyli gaudeant in ecclesiis, ad quas confugiunt, propter delicta non excepta, in utramque partem probabiliter discurritur, et consuetudo recepta habet, quod contra hos non gaudeant immunitate, sed extrahi possint ab his, et in carcerem detrudi, vel puniri. Spectato tamen iure communi probabilius videtur etiam hos clericos, et religiosos, si ob delictum commissum ad ecclesiam confugiant, gaudere hac immunitate etiam contra ecclesiasticos suos iudices, ut inviti ab his ecclesiis extrahi non possint, cum canones hoc asylum statuentes universaliter loquantur, non distinguendo inter laicos, et clericos, ut patet ex *citat. caus.* 17. *quaest.* 4. *et ex citat. cap. Inter alia*, et privilegium hoc defendendi dicto modo confugientes directe concedatur locis sacris ob horum reverentiam non autem directe personis: sicuti autem per hanc sententiam non impediuntur praelati regulares, quo minus suos religiosos intra septa sui monasterii puniant, si deliquerunt, vel ad arctius etiam monasterium transmittant, ut poenitentiam in illo agant, cum hoc modo non extrahantur ab asyli loco, sed vel in hoc puniantur, vel ad alium locum immunitatis tantum transmittantur, ita possunt etiam episcopi clericos sibi subiectos, vel in ecclesia, ad quam confugerant, punire, vel ad carceres intra septa ecclesiae existentes dimittere.

Resp. 3. De infidelibus, paganis v. g. iudaeis, et gentilibus etc., quod non gaudeant, indistincte loquendo, immunitate asyli in ecclesiis, ad quas confugerunt, probabilius esse (quamvis aliqui non improbabiliter contrarium etiam sentiant, si non tam timore poenae, quam zelo fidei verae amplectendae, ad quam ante commissum delictum iam inclinaverunt, ad ecclesiam post delictum commissum confugerint *lege* 1. *C. de his, qui ad eccles. conf.*) quia non est conveniens eum ab ecclesia defendi, qui eam non agnoscit: videtur tamen in hac quaestione, episcopi iudicio relinquendum, utrum ad ecclesiam talis confugiens serio animo baptismum, ac veram fidem petat, an vero animo tantum simulato ad evadendas poenas delicto tali statutas. Haeretici vero, quamvis propter alia crimina non excepta, si ad ecclesiam fugiant, gaudere possunt asyli immunitate, cum nullibi legatur, eos esse hoc asylo privatos, non tamen gaudent hac immunitate, si propter crimen haeresis ad ecclesiam confugiant, quia in eo, quod condemnant ecclesiam, illius favoribus indigni sunt, ut in eo etiam puniantur, in quo delinquunt.

Resp. 4. Rei debendi, sive debitores, qui confugiunt ad ecclesiam, ob

debitum ex causa civili contractum, gaudent immunitate, ut inviti ab ea extrahi non possint, prout etiam sumitur ex *l.* 1. *c. De his, qui ad eccles.* et ex eo etiam probatur, quod etiam hi reorum nomine veniant, quibus immunitas universim conceditur, si non ut criminum rei, saltem ut rei debendi, nisi casus tales sint excepti, aut recepta etiam post constitutionem Greg. XIV. consuetudo aliud alicubi habeat.

§. III. *Quinam sint effectus, seu commoda immunitatis, quae habent rei confugientes ad ecclesias, vel alia loca sacra?*

Primus, et praecipuus effectus est, quod inviti, seu per vim, aut dolo malo extrahi ab ecclesia, seu loco asyli non possint, iuxta iura citata, ita ut restitui etiam debeant, si violenter extracti fuerint, nisi in casibus exceptis, in quibus non gaudent immunitate, extracti fuissent, ubi ius commune concedit, hanc extrahendi licentiam, non quidem sine licentia episcopi, aut eius officialis, si bulla Gregorii XIV. etiam quoad ultimam sui partem alicubi recepta est, ubi requiritur, ut extractio talis fiat, cum licentia episcopi, aut eius officialis, interveniente persona ecclesiastica, auctoritatem ab eo habente, quae constitutio utiliter legi potest, et observanda venit, nisi praxis, et consuetudo quoad haec ultima sit alicubi contraria.

Secundus effectus est, quod reo in ecclesia non possit alio modo violentia inferri, capiendo eum, vinculis constringendo etc., ne ex ecclesia carcer fiat.

Tertius effectus est, quod non possit reus, dum in ecclesia subsistit, per sententiam ad mortem, aut aliam poenam corporalem, triremium, exilii etc. condemnari.

Quartus effectus est, quod quamvis ecclesiam, ad quam confugit reus, magistratus saecularis, apposita custodia, obsidere possit, non potest tamen prohibere, vel impedire, quo minus necessaria ad victum, et vestitum reo deferantur, ne videatur ex defectu talium cogi ad exeundum.

Quintus denique effectus est, quod res, aut bona, quae secum ad ecclesiam detulit reus, non debeant per vim extorqueri, aut ei auferri, nisi res alteri obligatas ad ecclesiam, vel locum asyli secum detulisset reus, cum in tali casu non committatur spolium, ob quod prohibetur bonorum ablatio.

§. IV. *Quale crimen committant, et quam poenam incurrant iudices, per vim extrahentes reos ex ecclesia?*

Qui reum extrahit invitum, et absque legitima praelati ecclesiastici auctoritate, ubi haec necessaria est, non tantum violando immunitatem ecclesiasticam, sacrilegium committit, et ad restitutionem rei taliter extracti obligatur, ut dictum (quia illata ecclesiae iniuria aliter resarciri non potest), sed ad omnia etiam alia damna, quae reo eveniunt ob talem extractionem resarcienda obligatur, cum omnium horum iniusta causa fuerit; et totus processus, qui post violentam talem extractionem est institutus, nullius est ipso iure, cum ipsum iudicii talis fundamentum nullum sit: et quidem iuxta ius civile, cum incurrat taliter extrahens crimen laesae maiestatis, ultimo supplicio afficiendus esset (quae tamen poena non est in usu,) et iuxta ius canonicum debet excommunicari.

SECTIO III.

De immunitate, et exemptione rerum, seu bonorum ad ecclesias, et ecclesiasticas personas pertinentium, a saecularibus oneribus, et tributis

Bona ecclesiastica sunt triplicis generis, alia enim consecrata, benedicta, vel certe ad divinum cultum, tanquam eius instrumenta, ab episcopo deputata, uti sunt ipsae ecclesiae, coemeteria, vasa sacra, et vestes sacrae etc., et haec immunia ab his oneribus esse nemo dubitat, cum nullum temporalem usum pretio aestimabilem habeant. Alia sunt bona ecclesiastica, quae spectant quidem ad ecclesiam, consecrata tamen non sunt, uti sunt fundi ecclesiarum, ecclesiarum praedia, aut alia mobilia ecclesiarum. Alia denique sunt bona clericorum, et quidem, vel ex temporali titulo, haereditate v. g. donatione, contractu etc., acquisita, quae etiam patrimonialia dicuntur; vel ex titulo spirituali beneficiorum, aut talium functionum spiritualium acquisita, et magis proprie ecclesiastica dicuntur. Onera autem, de quibus hic quaeri potest, etiam sunt triplicia: quaedam dicuntur mere realia, quae ipsis rebus, vel bonis quia talia sunt, sine respectu ad personae qualitatem, sunt imposita, iure perpetuo, et invariabiliter, ita ut tamdiu durent, quamdiu res ipsae durant. Quaedam vero dicuntur mere personalia, quae personis subditis, sine respectu ad bona patrimonialia, quae fortassis nulla habent, imponuntur, prout etiam est capitationis exactio. Quaedam denique mixta sunt, quae imponuntur personis subditis, cum respectu tamen ab bona eorum, ita ut immediate quidem personis imposita sint tributa talia, mediate vero bonis, quae habent. De his ergo sunt sequentes §§.

§. I. *An bona ecclesiarum, et personarum ecclesiasticarum sint immunia, et exempta a saecularibus oneribus, seu tributis mere realibus, ordinariis, ac perpetuis?*

Bona, quae ad fundationem, aut dotationem ecclesiae pertinent, quod sint ab omnibus oneribus laicalibus mere realibus immunia, ex *c. Sancitum,* 1. *de censibus*, patet, si cum consensu dominorum, quibus ex antiquo bona talia tributalia fuerunt, in ecclesiae dotem v. g. translata sunt, cum in tali casu ius suum remittere censeantur hi tales; et absolute in aliis etiam casibus, circa dotem v. g. talem, regula illa, quod res cum onere suo transeat, ob speciales rationes locum non habeat. Illa vero bona, quae ad ecclesiam ex aliis titulis, sive causis, vel ad ecclesiasticos, ex titulis civilibus v. g. pervenerunt, si antequam in ecclesiam, vel ecclesiasticos translata fuerunt, onere aliquo mere reali, et perpetuo, ex vi proprie dicti dominii imposito, onerata fuerunt, manent ad tale onus perferendum obligata, etiam, postquam ad ecclesiam, vel ecclesiasticos pervenerunt, cum in tali casu, nulla sit specialis exceptio, quare res cum suo onere non transeat, neque enim in favorem causae piae debet ordo iustitiae interverti, et alter privari iure suo. Si tamen sine onere reali prius imposito, bona ad ecclesiam, vel ecclesiasticos pervenerunt, non possunt, sub ecclesiae iurisdictione iam constituta, novo onere reali, a saeculari magistratu affici *cap. Non minus*, 4.

h. t. cum nulla amplius saecularium talium in rem hanc, ecclesiasticae iurisdictioni iam subiectam, sit iurisdictio. Quin etiam immunia sunt ab illis oneribus talia bona, ubi ad ecclesiam, vel ecclesiasticos pervenerunt, quae prius a principe v. gr. saeculari, non quidem vi dominii proprie dicti, sed ex potestate iurisdictionis supremae, lege ordinaria, ac perpetua, fuerunt imposita, quia talia onera non sunt mere realia, sed imponuntur rebus cum respectu ad personas subiectas, quo modo saeculari magistratui subiectae non sunt ecclesiae, aut ecclesiasticae personae: et consequenter iuxta regulam receptam, cum personae sint exemptae, etiam res illarum, ac bona exempta erunt: et per mutationem personae mutabitur etiam qualitas, seu conditio rei adhaerenti personae.

§. II. *An bona ecclesiarum, et personarum Ecclesiasticarum, sint immunia, et exempta ob oneribus, seu tributis etiam novis, et extraordinariis?*

Respondetur bona talia, quamvis in territorio principis v. gr. saecularis existant, sive sint proprie ecclesiastica, sive sint patrimonialia, sive mobilia sint, sive immobilia, de iure communi tam civili, quam canonico sunt immunia, et exempta a novis his extraordinariis tributis, collectis etc., exactionibus, gabellis, et vectigalibus, quae principes saeculares a suis subditis exigunt, vel bis imponere solent ratione bonorum, quae possident *cap. Non minus*, 4. *et cap. Adversus*, 7. *h. t.* (ubi sub excommunicatione haec talia fieri prohibentur, *cap. Nonnulli h. t. in* 6. *cap. Quamquam*, 4. *de censibus in* 6. *authent. Item nulla. Codice de episc. et cler.* talium enim onerum exactio, et impositio, cum sint actus iurisdictionis, principi autem saeculari, nulla in clericos, aut ecclesias iurisdictio competat, consequenter nulla etiam operum talium exactio, aut impositio, cum ut apostolus dicit ad *Rom.* 13. ideo praestent illi, ad quos scripsit, tributa, quia subditi sunt: quae omnia bulla sua Urbanus VIII. confirmat, edita 1641. die 23. Septembris, quae incipit, *Romanus pontifex:* quae autem in contrarium ex utroque iure nonnunquam afferuntur, vel tantum loquuntur de facto, sive de eo quod fit, non autem de iure, prout plurima hodie contra hanc immunitatem fiunt, de quibus, utrum iuste fiant, Deo reddenda erit aliquando ratio; vel de mere realibus oneribus loquuntur; vel de temporibus gentilium imperatorum, ubi non tantum bona, sed sanguis etiam christianorum patiebatur; vel per leges contrarias abrogata sunt etc., et quamvis hodie etiam multa fiant contra haec immunitatis privilegia, ut contraria consuetudine videri possint illa privilegia abrogata, saniores tamen theologi, et canonistae fatentur, per nullam etiam immemorialis temporis consuetudinem, exactiones has cohonestari posse, cum non tantum ab oecumenicis conciliis, sed ab ipsis etiam Imperatoribus hae tales exactiones damnentur, et reprobentur. Ut ne tamen in publicis necessitatibus, ubi tam de clericorum bonis, quam de laicorum, aequale periculum est, bonum commune, ob exemptionem talem patiatur, fiunt suae exceptiones, in allatis iuribus, ubi ostenditur, quando etiam clerici ex suis bonis, etiam ecclesiasticis, ad communem necessitatem sublevandam concurrere debeant. De quibus mox.

§. III. *Quaenam conditiones requirantur, ut clerici aliaeve personae ecclesiasticae etiam regulares teneantur, immo licite possint contribuere: et quando etiam novae, et extraordinariae collectae, seu contributiones illis imponi, vel ab iis exigi possint?*

Plura requiruntur, ut licite fiat contributio clericorum, et talium personarum. Primo quidem, ut in casu communis periculi, et necessitatis, in quo casu etiam personas ecclesiasticas collectari posse, concedunt iura *in cit. cap. Non minus, et in cit. c. Adversus:* requiritur iuxta haec *cit. cap.* ut episcopus, et clericus (putant tamen aliqui sufficere capitulum cathedrale cum episcopo) deliberent, an et quantum laicis concurrendum sit. Secundo requiritur, ut necessitas sit non tantum communis laicis, et clericis, sed sit valde magna, aut evidens utilitas subsit, cui relevandae saltem communes laicorum facultates non sufficiant. Tertio requiritur, ut contributiones ab ecclesiasticis fiant sponte, et absque ulla (saecularium scilicet) coactione, et exactione. Quarto ut prius de tali contributione consulatur summus pontifex, et huius habeatur licentia, ita ut clerici prius contribuere non possint, quam summi pontificis habeatur licentia (nisi urgeret ipsarum etiam ecclesiarum, aut personarum ecclesiasticarum nimia necessitas, et in mora periculum esset); cuius est privilegium collectandi, etiam clericos, saecularibus principibus concedere, nisi in prima fundatione, aut bonorum in ecclesiam donatione, translatione etc., collectandi ius in talibus bonis sibi reservaverint tales fundatores, aut donatores etc.

§. IV. *An clerici teneantur contribuere pro necessitatibus vel utilitatibus publicis communibus laicorum, et clericorum?*

Pro reparandis pontibus v. gr. fontibus, muris civitatis, viis publicis reficiendis, arcendis fluviorum alluvionibus cum damno agrorum tam ad clericos, quam ad laicos spectantium etc. De his ergo.

Respondetur probabilem quidem sententiam esse, quod ad tales contributiones teneantur etiam clerici, cum contributiones tales non imponantur subditis, titulo iurisdictionis, sed sint communes omnibus civibus; pro communibus utilitatibus, quarum commodis fruuntur: probabiliorem tamen sententiam esse, quod neque ad has communes necessitates contribuere possint, aut debeant, nisi servatis conditionibus priore §. relatis, cum relata iura, tam civilia, quam canonica, ab his etiam contributionibus eximere videantur; si enim milites v. gr. et magistratus, ac alii saepe laici, ab his oneribus eximuntur, quia publico bono aliis in negotiis deserviunt, cur non etiam clerici sint exempti, qui in bonum spirituale laicorum etiam occupati sunt, et laborant? et quamvis membra sint eiusdem communitatis, et communibus his communitatis talis commodis gaudeant, sunt tamen membra privilegiata multum a saecularium civilibus occupationibus distincta; facilior tamen semper erit harum contributionum collatio, et exactio, modo fiat a magistratu ecclesiastico, et serventur aliae conditiones a iure praescriptae.

§. V. *De immunitate, et exemptione clericorum a tributis, aliisque oneribus mere personalibus.*

Primo, quod clerici sint exempti a tributo capitationis, si princeps saecularis v. gr. illud imponat, in utroque iure allato decisum habetur, et constat etiam ex *lege* 1. *c. De episc. et cler.* tum quod hoc tributum titulo iurisdictionis personis iurisdictioni tali subiectis imponatur, qualiter subiectae non sunt personae ecclesiasticae; tum quod actiones illae lucrosae esse debeant, ratione quarum capitationis tributum imponitur, clericorum autem actiones non sunt ad lucrum temporale faciendum, sed ad divinum, et animarum cultum, ratione quarum iusta illis, et congrua sustentatio debetur; tum quod denique plus gravarentur ut sic clerici, quam laici, cum illi ad charitativum subsidium suis episcopis saepe obligentur, non autem laici.

Secundo, quod sint immunes clerici ab oneribus personalibus sordidis, et vilibus, cloacarum v. gr. purgandarum, calcis coquendae, arenae fodiendae etc., neque teneantur ipsi per se ire ad bellum, ut pugnent contra hostes, neque ordinarie cogi possint ad murorum custodiam contra hostes (nisi magna necessitas defendendi civitatem contra hostes infideles urgeret *c. Pervenit*, 2. *h. t.*) neque cogi possint, ut hospitium militibus praebeant in domibus suis, etiam patrimonialibus etc., probant iura, et rationes allatae, ac status clericorum, qui divinis rebus occupari debet, et absque periculo incurrendae irregularitatis vivere. Illa tamen civilia munera, quae honesta de se sunt, et statui clericali non contrariantur, uti sunt tutelae proximiorum consanguineorum, aut miserabilium personarum, vel earum curatelae etc., possunt etiam clerici in se suscipere, cum talia munera sint opera pia.

§. VI. *Quinam gaudeant privilegio immunitatis, seu exemptionis ab oneribus, et tributis impositis per principes saeculares?*

Potissima quaestio est de clericis in minoribus constitutis, aut prima tantum tonsura initiatis, non coniugatis, et de colonis, ac emphyteutis laicis in emphyteusim v. g. aut locata ecclesiae bona, et fundos habentibus, utrum hi scilicet immunes sint circa bona talia ecclesiastica sibi elocata, a tributis, et oneribus per principes saeculares impositis: quod enim clerici in maioribus constituti, quamvis excommunicati sint, suspensi, interdicti, irregulares, aut verbaliter degradati, immunitatum talium privilegiis gaudeant, certum videtur, cum nullibi taliter censuratis, vel notatis privilegia haec adimi legatur: et sicut per tales censuras, aut similia, clericatum non amittunt, ita nec amittunt privilegia haec immunitatum clericatui annexa: coniugatos vero clericos (in nostra saltem latina ecclesia) quamvis cum unica, et virgine contraxerint, et privilegio fori gaudeant, iuxta *cap. unic. De cleric. coniug. in* 6. si conditiones ibi positas observent, hac tamen immunitate non gaudere ex *cit. cap. iuncta glossa verbo In caeteris* probatur. De illis ergo non coniugatis clericis, qui in minoribus consistunt, aut prima tonsura tantum initiati sunt, potissima quaestio est, utrum immunitatis huius privilegio gaudeant, putant aliqui post *Trident. sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* eos privilegio hoc non gaudere, si conditiones ibi requisitas non habeant; alii

tamen probabilius, et universalius respondent, eos privilegio hoc immunitatis gaudere, etiamsi conditiones illas a Trident. requisitas non habeant, cum privilegium hoc omnes clericos absolute a tributis talibus, et oneribus exemptos faciat, et nullibi in iure legatur, excipi ab hoc privilegio clericos in minoribus, aut tantum tonsuratos: Tridentinum autem certas ibi positas conditiones tantum requirat, ut tales in minoribus, aut prima tantum tonsura initiati, gaudeant privilegio fori.

Ad colonos quod attinet, et emphyteutas laicos, qui ecclesiarum agros elocatos colunt, utrum immunes sint a tributis, et gabellis per principes saeculares impositis; de emphyteutis quidem dicendum est, qui ecclesiae fundos, et praedia in emphyteusim ab ecclesia obtinent, quod ad solvenda onera, quae ratione talium fructuum imponuntur, obligentur, cum enim dominium utile talium fundorum, ratione cuius onera talia imponuntur, totum ad illos pertineat, ac persona emphyteutae subiecta sit iurisdictioni imponentis tributa, consequenter ad haec obligabuntur. Inter colonos vero distinguendum est, utrum sint hi scilicet coloni adscriptitii, quia terrae tali colendae in perpetuum sunt adscripti, ita ut recedere non possint; vel utrum sint coloni partiarii, ita ut certa pars fructuum ad illos, et certa alia ad ecclesiam pertineat: prioris casus coloni immunes sunt a solvendis talibus oneribus ex fundis ecclesiae, quos colunt, cum omne dominium utile ad ecclesiam, vel clericos, pertineat, certa tantum pensione colonis talibus in laboris mercedem soluta; posterioris casus coloni, quoad partem quidem, quae tota ecclesiae est, immunes sunt ab oneribus talibus, ne ecclesia onerari videatur, non tamen immunes sunt quoad eam partem, quae ipsorum propria est, cum enim personae tales sint laicae, laicae iurisdictioni subiectae, et totum dominium partis talis ad illas pertineat, nec ecclesia huiusmodi tributis gravetur, non videtur, ex quo capite, aut iure ob oneribus laicalibus videantur immunes.

§. VII. *De poenis violantium immunitatem ecclesiasticam exigendo, vel imponendo ecclesiis, aut ecclesiasticis personis, collectas, vel alias exactiones.*

In *c. Non minus*, 4. §. *Si autem h. t.* excommunicantur hi tales, ita ut tam ipsi, quam fautores eorum, dictam excommunicationem ipso facto incurrant, si moniti desistere nolint, nec absolvi possint, nisi competentem satisfactionem fecerint; et in *cap. Adversus h. t.* non tantum statuitur, nulla esse mandata, et decreta, a saeculari magistratu contra clericos collectandos edita, (cum talia a non competente iudice facta sunt) sed statuitur etiam, ut excommunicatus ob praedicta etiam post officium depositum, tam ipse, quam eius successor, nisi hic intra mensem satisfecerit, excommunicatus maneat, donec competenter satisfactionem fecerit, saltem ex bonis illius universitatis, cuius commodo collectae tales cesserunt. Gravioribus verbis hanc excommunicationis poenam urget *c. Clericis*, 3. *h. t. in* 6. in omnes laicos, cuiuscunque conditionis, aut praeeminentiae sint, etiamsi sint imperatores, aut reges, qui onera talia ecclesiis, aut ecclesiasticis personis imponunt, aut exigunt; vel qui consilio, favore, aut auxilio ad haec talia iuvant, sub

interdicti etiam poena communitatibus haec talia prohibens, et quamvis poenae in hoc c. illis ecclesiasticis impositae, qui solvunt haec talia laicis onera, revocatae sint in *Clement. Quoniam h. t. et in Extravag. Quod olim eodem inter communes*, ob multa incommoda, quae ex illa constitutione sequebantur, quantum quoad solventes talia ecclesiasticos, poenalis erat, manet tamen illa in suo vigore, quoad exigentes, et imponentes talia laicos. Vide plura de talibus poenis, quarum exigua hodie est observatio, apud auctorem Methodi loco citato, et apud actores qui in bullam *Coena* scripserunt.

TITULUS L.

NE CLERICI, VEL MONACHI SAECULARIBUS NEGOTIIS SE IMMISCEANT.

Dum prohibetur clericis, ne se negotiis saecularibus immisceant, prohibita illis etiam censetur negotiatio, et ut nihil commune velint habere cum publicis actionibus, et ad curiam saecularem pertinentibus, prout etiam habetur *in lege Placet* 17. *cap. De episc. et cleric.* Sit proinde.

§. I. *Quaenam negotiatio clericis saecularibus, et regularibus sit permissa, vel prohibita?*

Negotiatio alia est minus proprie dicta, qua res empta, per industriam, aut artem mutata, et melior reddita, venditur, lucri faciendi causa, ut si ex lana empta conficiuntur panni, et venduntur etc., alia est negotiatio proprie dicta, in qua res emuntur v. gr. et non mutatae carius venduntur, ad lucrum comparandum. Utraque negotiatio haec mere lucrativa prohibita est clericis, et religiosis, prout patet ex pluribus iuribus, *dist.* 88. *et ex c. ult. De vit. et honest. cleric. et ex c. Secundum*, 6. *h. t.* sive per se, sive ut probabilius docent multi, per alios eas exerceant, cum non deceat lucris eos terrenis captandis inhiare, cum periculo multorum periuriorum, fraudum, et iniustitiarum; si tamen una tantum aut altera vice negotiaretur aliquis clericus, graviter non peccaret, cum talis dici non possit negotiator, aut mercator, quae nomina frequentiam requirunt; vel si tantum exerceret etiam propter necessariam sustentationem sibi comparandam, quo in casu necessitas non habet legem, et si ratione huius necessitatis concedatur clericis honesta quaedam artificia exercere; non videtur prohiberi illis posse ad hunc finem honestam negotiationem exercere: vel si propriorum praediorum, aut propriorum pecorum foetus, aut fructus, immutatos etiam, ex uvis v. g. propriarum vinearum vinum conficiendo, ex hordeo propriorum agrorum cerevisiam coquendo, et lana propriarum ovium pannos conficiendo, in pascuis propriis pecora sua nutriendo, et postea lucri causa vendendo etc., cum in his casibus nulla negotiatio exerceatur, sed industria tantum ad res suas sibi utiliores reddendas etc., quomodo etiam licet clerico res ad initium v. g. anni emptas pro domus suae, ut tum videbatur, necessitatibus, sub finem anni, si praeter opinionem multa adhuc supersint, iterum vendere, cum talem venditionem exigat hic, et nunc industria oeconomica, et vendantur talia non tam lucri causa principaliter, quam ut ne pereant cum damno aliquo familiae.

§. II. *An omnibus clericis interdicta sit negotiatio, et quam poenam incurrant clerici, ac religiosi, qui in casibus non permissis negotiantur?*

Respondetur primo omnibus clericis, etiam in minoribus constitutis, etiam non beneficiatis, interdictam esse negotiationem (tum quod canones prohibentes universaliter loquantur, tum quod ratio prohibitionis pro omnibus probat, quod nemo scilicet militans Deo, se immisceat negotiis saecularibus, praesertim si tendant tantum ad privatum lucrum) nisi sustentationem sufficientem, nec ex patrimonialibus suis, nec ex beneficiis habeant, cum necessitas talis legem non habeat.

Resp. secundo poenam clericorum proprie negotiantium (extra casus necessitatis) esse poenam excommunicationis maioris, ferendae tamen sententiae: et quod possint etiam suspendi ab officio, ac deponi a gradu, ac ordine clericali; et quod teneantur ad vectigalia, portoria etc., in rebus, in quibes negotiantur, sicuti laici, et ex aliis etiam bonis propriis; si ter moniti ab episcopo non desistant; uti sumitur ex *c. ult. De vita et honest. cleric.* et quod denique omnia per talem negotiationem prohibitam acquisita, sint spolia, ad fiscum, seu cameram apostolicam spectantia, et eidem non obstante testamenti dispositione, cum licentia facta, applicari debeant, saltem post sententiam iudicis: quia tamen nos Germani parum de his spoliis scimus, suo fortassis fisco poterit episcopus, aut aliis piis causis talia a clericis per negotiationem illicitam acquisita, applicare.

§. III. *An clerici licite possint tractare, et iudicialiter cognoscere causas criminis?*

Respondetur negative prout habetur ex *c. Clericis*, **5.** *et ex c. Sententiam*, **9.** *h. t.* ubi expresse prohibetur episcopis, praelatis, aliisque clericis (etiam in minoribus constitutis) etiamsi iurisdictionem temporalem habeant, ne cognoscant, aut tractent causam sanguinis, ferendo sententiam, aut condemnando ad mortem, vel mutilationem membrorum, dictando aut scribendo sententiam mortis, dando consilium, aut praestando auxilium, aut praecipiendo talem sanguinis effusionem (auctoritative scilicet) vel auctoritatem praestando per solam praesentiam etc., ut ne contrahant irregularitatem, si mors, vel mutilatio sequatur: et quia decens non est, ut illi, qui ad ministerium salutis vocati sunt, iudicio sanguinis se immisceant, *c. Saepe*, **29.** *caus.* **23.** *q. ult.* conceditur tamen in *c. Episcopus ult. h. t. in* **6.** et aliis pluribus, eiuscemodi praelatis temporalem iurisdictionem habentibus, ut in casu commissi v. gr. homicidii, aut alterius maleficii morte puniendi, in suo territorio, laico alicui delegare possint iurisdictionem, ad inquirendum de veritate, et ad iustitiae (vindicativae) debitum exsequendum, absque irregularitatis incurrendae periculo, etiamsi ex sententia laici mors postea, aut mutilatio rei sequatur, ut ne scilicet iustitia vindicativa patiatur: consultius tamen est, ut episcopus, vel alius praelatus, habens iurisdictionem temporalem, non specialiter, sed generaliter committat laico potestatem cognoscendi causas sanguinis, et faciendi vindictam de omnibus malefactoribus.

§. IV. *Quaenam praeterea ministeria aut officia saecularia prohibita sint clericis?*

In pluribus capitulis huius tituli varia saecularia ministeria clericis prohibentur, ne scilicet sint laicorum ministri, negotiorum gestores, procuratores, officiales iustitiarii, vicecomites, aut praepositi in villis, et castris saecularium, quibus committatur iurisdictionis saecularis exercitium, nec praesint machinis bellicis dirigendis, aut viris sanguinum, militibus scilicet, tanquam duces, ne exerceant chyrurgiam, in quantum adustionem, vel incisionem haec requirit, ne exerceant officium tabellionis, vel notarii in civilibus etc., ob indecentiam scilicet aut periculum irregularitatis etc. quorum tamen omnium qualis sit observatio, praxis et usus docere pebet, vide auct. Meth. hoc, et sequenti §.

§. V. *Quaenam studia, et sub qua poena sint religiosis prohibita iure canonico, et an eadem studia sint etiam prohibita clericis saecularibus?*

Ad mediciuam, aut leges civiles audiendas, ex suis monasteriis, ut egrediantur religiosi *in c. Non Magnopere, et cap. Super specula, 10. h. t.* probibetur (ut ne scilicet viri religiosi mundanis his actionibus involvantur ita ut certae etiam poenae in utroque capitulo statuantur, nisi taliter egressi infra duorum mensium spatium (a tempore exitus e monasterio computandum) ad monasterium suum redeant, ex quibus tamen huius prohibitoriae, et poenalis constitutionis verbis, quae rigidam requirunt explicationem, bene colligitur, nihil agere contra has constitutiones, neque poenas illarum incurrere, qui ad docendas has scientias extra monasterium morantur, vel qui in monasterio tantum his talibus studiis se tradunt; vel si exeant quidem ex monasterio, ad has scientias audiendas, non tamen extra morantur, sed semper ad suum monasterium, post auditas tales in academia v. g. publicas lectiones redeunt, cum poenalia verba utriusque huius constitutionis dicant, si exeant extra monasterium ad has scientias audiendas, et intra duorum mensium spatium non redeant ad monasterium. Neque tamen sufficit ad evadendum has poenas licentiam praelati sui habere, ad audiendum tales scientias, et morandum propterea extra monasterium (nisi speciali privilegio a pontifice concesso muniti hi sint) cum inferior in lege superioris dispensare non possit.

Extenditur autem constitutio poenalis concilii Turonensis in cit. cap. 3. relata, etiam ad archidiaconos, decanos, plebanos, praepositos, cantores, et alios clericos personatum habentes, nec non ad omnes presbyteros, ut neque his liceat medicinam, et leges civiles audire (quo maiorem curam theologicis, et canonicis studiis sibi magis necessariis impendant) ita ut si intra duos primos menses a praedictis prohibitis studiis non desistant, poenas relatarum constitutionum incurrant: qua tamen lege sicuti clerici inferiores, diaconi v. gr. subdiaconi, et qui in minoribus constituti sunt, qui dignitatem aut personatum non habent, non comprehenduntur, ita nec comprehenduntur illi, qui specialiter privilegiati sunt a summo pontifice, vel qui in academiis specialiter ad hoc privilegiatis student.

§. VI. *De poenis statutis in mocachos seu religiosos, qui habitum religiosum dimittunt, vel ad studia sine licentia accedunt, vel sunt incorrigibiles.*

Qui habitum suae religionis (saltem totum temere, et sine iusta ac rationabili causa, scienter, et malitiose dimittunt, vel certe ita occultant, ut exterins nihil appareat, incurrunt poenam excommunicationis ipso facto *c. Ut periculosa, 2. h. t. in* 6. (ut ne dimisso taliter habitu vagandi occasio sit religiosis), et quamvis dimissio habitus talis regularis ad breve tantum tempus, non inducat excommunicationem, neque tamen requiritur etiam ad hanc inducendam perpetua dimissio, cum ex illa dimissione non detur multa occasio vagandi, detur tamen, etiamsi talis dimissio perpetua non sit.

Qui vero sine praelati sui licentia ad studia accedunt, ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt, inxta *cit. cap.* 2. ad quecunque denique studia accedant, non quidem si aliud eiusdem ordinis monasterium adeat religiosus, ex quo possit ad lectiones publicas exire, redditurus iterum ad monasterium, lectionibus talibus finitis, quo in casu sufficit praelati licentia, nihil requisito capitulo, sed si ad studia abeat, habitando extra claustrum, quod auctores prohibitum putant sine consensu capituli.

Denique si incorrigibiles sint, qui saeculariter vivendo alios suo exemplo corrumpunt, nec ad observationem disciplinae regularis per censuras etiam compelli possint, eiectis illis, monasterium tale reformari debet per alios eiusdem ordinis religiosos, vel cum licentia papae per alterius ordinis religiosos.



LIBER QUARTUS

DECRETALIUM.

TITULUS I.

DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIIS.

SECTIO I.

De sponsalibus de futuro.

§. I. *Quid sint sponsalia, et qua forma, seu modo contrahantur?*

Sponsalia (proprie loquendo) communiter a iurisperitis definiuntur, quod sint futurarum nuptiarum mentio, et repromissio, ita ut promissio talis, et repromissio non debeat mere interna esse, sed aliquo signo externo manifestari, cum sponsalia talia sint contractus inter homines, ad quos sola interior mens, et intentio non sufficit.

Secundo non debeat esse simplex tantum ex parte unius promissio, sed mutua, sive reciproca, ex parte utriusque contrahentis; neque sufficiat ad sponsalia contrahenda propositum tantum, aut alterius promissionem acceptatam quidem esse, non tamen factam illi futuri etiam matrimonii repromissionem.

Tertio debeat esse sufficienter deliberata, ea scilicet deliberatione, quae sufficit ad peccandum mortaliter (cum utique plus non requiratur ex parte deliberationis ad obligandum se homini, quam requiratur ad obligandum se daemoni) non ficta, cum ficta promissio non sit seria promissio, neque talis habeat animum se obligandi.

Contrahuntur autem sponsalia per verba, et signa quaelibet, quibus secundum communem modum loquendi, et usum patriae, ac secundum praesentes circumstantias exprimitur mutua promissio de matrimonio contrahendo, ita ut si verba dubia sint, in foro quidem conscientiae, standum sit intentioni contrahentium, iuxta quam verba suam explicationem recipiunt, in foro tamen externo non statur intentioni contrahentium, quae saepius latet, sed communi, et recepto verborum sensui, quem verba communiter ex usu patriae ingerere solent.

§. II. *Quinam sint habiles, vel inhabiles ad sponsalia contrahenda?*

Generatim loquendo ab iis solis contrahi possunt sponsalia, inter quos aliquando (adveniente aetate) consistere potest licite, et valide matrimonium, quibus enim non licet contrahere matrimonium, illi nec promittere possunt contrahendum olim inter se matrimonium, cum promissio rei illicitae nulla sit. In specie vero sponsalia ab amentibus perpetuo, et furiosis contrahi non possunt, cum nullus illorum sit deliberatus consensus, *cap. Dilectus*, 24. *h. t.* nisi lucida intervalla habeant, et tempore talium intervallorum sponsalia

contrahautur: quod si tamen sensibus aliquibus tantum destituti sint aliqui, ita ut surdus v. gr. tantum, vel tantum mutus, vel simul surdus, et mutus sit aliquis, et ex probabili etiamsi simul caecus sit, valida contrahere hic potest sponsalia, cum ad ea contrahenda non formalia, et expressa verba requirantur, sed signa quaecunque exteriora sufficiant, quibus internus consensus exprimitur, uti colligunt communiter ex *cap. Tua*, 25. *h. t. iuncta gloss. v. Sine verbis.*

§. III. *Quomodo, et quando obligent sponsalia, et an etiam obligent, si gravi metu extorta sint ?*

Obligant sponsalia sub culpa mortali ad matrimonium contrahendum, (tempore praefixo, vel si nullum praefixum est, exigente altero, cum commode fieri potest) etiamsi clam, sine arrbis, et testibus contracta sint, non minus ac alii contractus in materia gravi obligantes (et hinc lex civilis, desponsatae dans libertatem reuuntiandi, et nubendi alii, per ss. cauones est correcta) ita ut a iudice ecclesiastico vi *c. Ex literis*, 10. *h. t.* etiam post canonicam monitionem censuris compelli possit ad contrahendum matrimonium qui non vult sponsalium fidem implere (nisi gravia scandala, perpetua iurgia etc. ex coactis talibus nuptiis timerentur *c. Requisivit*, 17. *h. t.*) non tantum in casu, quo iurata fuerunt sponsalia, sed etiam in eo casu, quo nullo iuramento firmata fuerunt, cum iustitia hoc exigat, et quamvis de matrimonio statutum sit, quod gravi metu extortum, aut clam contractum, nullum sit, de sponsalibus tamen hoc statutum non fuit, et hinc sponsalia gravi etiam metu extorta valida sunt, donec a iudice ecclesiastico rescindantur, cum ratio, quae pro matrimonio indissolubili urget, non urgeat pro sponsalibus, quae facile auctoritate ecclesiastica dissolvi possunt.

§. IV. *An sponsalium contractui adiici possit poena, vel arrha ?*

Arrhae in contractu sponsalium de utroque iure intervenire possunt, ita ut talem arrham amittat, qui dedit eam, et sponsalia tamen sua culpa implere non vult, ac iniuste resiliens in duplum, vel etiam triplum etc. restituere teneatur de suo patrimonio, vel si utraque pars arrhas dedit alteri, iniuste resiliens suas perdat, et acceptas restituere teneatur: poena autem proprie dicta, quae cousistit in proprio peculio, seu patrimonio v. gr. imminuendo, solvenda per eum, qui fidem culpabiliter non servat, utroque iure nulla est, *l. Mulier*, 6. §. *fin. cod. de sponsal. et c. Gemma*, 29. *h. t.* sive per ipsos sponsos, sive per consanguineos sit adiecta, ita ut probabile sit, sponsos inducendos ad contractum matrimonii, ob reverentiam scilicet consanguineorum, et ob metum, ne consanguinei poenam solvere teneantur, quae ratio, cum non urgeat contra omnino extraneos, hinc ab his solvenda poena, sponsalibus adiecta, non reprobatur; sicuti nec reprobatur lucrum amittendum ab alio adiectum, si cum hoc, vel illo non contraxerit, quia talis lucri amissio non tam vera poena est, per quam imminuitur patrimonium, quod de facto obtinetur, quam invitatio ad certum matrimonium. Cur autem arrhae licitae sint in contractu sponsalium, non autem poena proprie dicta, difficile quidem est disparitatem assignare, probabiliter tamen dici-

tur, quod arrhae plerumque non in tanta quantitate consistant, in qua poenae, et consequenter non tam difficilis sit earum amissio, quam poenae solutio, et quod facilius illae iam datae negligantur, quam ut patrimonium de novo imminuatur, quod fieret per solutam poenam.

§. V. *Utrum sponsalia clandestina iure novo sint irrita et quomodo transeant in matrimonium?*

Quod sponsalia clam etiam contracta, sine testibus, et parocho valida sint, et per se loquendo etiam licita, dictum superius, et docent communiter omnes, neque enim decretum Tridentini, clandestina matrimonia annullantis, extendendum est ultra casum expressum, cum sit correctorium iuris communis, et consequenter strictae explicationis; et quamvis prohibito absolute matrimonio, etiam ea prohibeantur, per quae ad matrimonium perveniri solet, non tamen haec prohibentur, si matrimonium tantum certo modo contrahendum prohibeatur; quod tamen decenter non fiant clandestina talia sine testibus sponsalia, facile conceditur.

Transeunt quidem de iure antiquo canonico haec sponsalia, etiam clam contracta, in matrimonium, per secutam copulam carnalem, *c. Veniens*, 15. *et c. Is qui*, 30. *h. t.* eo quod ecclesia consensum coniugalem in tali copula praesumat ad evitandum peccatum. Hodie tamen in locis, ubi Tridentini constitutio annullantis matrimonia clandestina, legitime recepta est, non habent locum haec matrimonia praesumpta, neque transeunt sponsalia in matrimonium per solam talem carnalem copulam.

§. VI. *De impedimento publicae honestatis, proveniente ex sponsalibus de futuro?*

Impedimentum publicae honestatis est *quaedam quasi affinitas, aut propinquitas iure ecclesiastico introducta, proveniens ex sponsalibus de futuro; ob publicam morum honestatem*, hac scilicet exigente, ne cum consanguineis matrimonium contrahere possit, qui cum aliqua ex consanguineis sponsalia iam contraxerat, ita ut hoc publicae honestatis impedimentum etiam ille contrahat, qui maior septennio cum puella proxima septennio, in qua malitia supplet aetatem, sponsalia de futuro contrahit, *c. Iuvenis*, 3. *h. t.* hoc autem impedimentum publicae honestatis de iure antiquo quidem decretalium ad quartum usque gradum se extendebat, et oriebatur non tantum ex sponsalibus validis, sed etiam invalidis, modo non invalida fuerint ex defectu consensus, et pura illa fuerint, ac certa, cum determinata persona; vel si conditionalia fuerunt, fuerit tamen conditio iam impleta, *c. Ex sponsalibus, unico h. t. in* 6. per concil. tamen Trident. *sess.* 24. *c.* 3. *De reformat.* multa correcta fuerunt, ita ut hodie hoc impedimentum non oriatur, nisi ex sponsalibus validis, et non extendatur ultra primum gradum consanguineitatis, tam in linea recta, quam laterali; ne nimium scilicet ob impedimenta dirimentia, restringatur matrimoniorum valor.

—

SECTIO II.

De dissolutione sponsalium.

§. I. *Ob quas causas dissolvi possint sponsalia de futuro?*

Primo dissolvi possunt sponsalia puberum mutuo, et libero contrahentium consensu, per quae enim res aliqua nascitur, per eadem etiam (caeteris paribus) dissolvitur *cap.* 1. *De reg. iuris,* quamvis iuramento firmata sint sponsalia talia; iuramentum enim promissorium, appositum contractui tanquam accessorium, sequitur eius naturam, et conditiones *c. Quem admodum*, 25. *De iure iurand.* Secundo solvi possunt sponsalia lapsu temporis ad matrimonium contrahendum praefixi, *c. Sicut*, 22. *h. t.* Si tamen ad finiendam obligationem tempus praefixum sit, quo in casu saltem ille libere resilire potest a talibus sponsalibus per quem non stetit, quo minus matrimonium intra praefixum tempus contraheretur, uti colligitur ex *c. Sicut*, 22. *h. t.* Tertio solvuntur sponsalia per discessum in longinquas terras sponsi v. g. sine licentia sponsae, vel longam illius absentiam, ita ut nulla spes sit breviter redituri, *cap. De illis*, 5. *h. t.* eo quod taliter discedens videatur renuntiare sponsalibus: quod si tamen in propinquo haereret, monendus, et requirendus de reditu videretur, prout etiam expectari deberet, si negotiorum tantum aut ex alia necessaria causa discessisset, animo brevi rediturus: et quamvis putent aliqui, quod leges civiles, dum volunt biennio eum expectandum, si intra provinciam absit, vel triennio, si extra provinciam absit, per iura canonica sint correctae, ob universalia nimis verba *cit. cap. De illis*, rectius tamen, et probabilius alii hoc negant, cum correctio talis ex nullo capite appareat, et decisio legum civilium in hac re bonum politicum concernente, sit valde consona aequitati, quamvis iudici ecclesiastico non negetur tempus hoc, si videatur expedire animae bono, restringere.

§. II. *An, et qua ratione dissolvantur priora sponsalia de futuro per ingressum religionis; vel susceptionem ordinis sacri?*

Quarto quod per professionem religiosam in religione approbata solvantur sponsalia de futuro, certum est; (si enim matrimonium ratum dissolvitur per talem professionem, uti habetur in *c. Ex publico*, 7. *De conver. coniugat.* multo magis sponsalia de futuro) utrum autem per solum ingressum in novitiatum sponsalia talia de futuro solvantur, dubitatur; qua tamen in re certum quidem est, quod ex parte illius, quin saeculo manet, sponsalia talia dissolvantur statim, ac alter novitiatum ingressus est (nisi aliter conventum fuisset) ita ut ad alia vota sine scrupulo transire possit, cum difficile illi foret, expectare illius professionem, aut maritum habere, ex religioso novitiatu exeuntem; de illo tamen qui novitiatum (bona fide) ingressus est, utrum etiam ex parte illius sponsalia prius inita dissolvantur, ut rediens ad saeculum non teneatur amplius ad eam ducendam, cui prius per sponsalia fidem dedit, etiamsi vellet haec eum maritum, dubitatur; sunt qui probabiliter affirmant, dissolvi etiam ex parte huius sponsalia priora; sunt

qui probabilius negant, cum nec ex natura rei, nec ex iure positivo haec dissolutio probari possit. Per votum tamen profitendi in religione penitus sponsalia ex parte utriusque dissolvi, probabilius est (cum enim per tale votum illicitum sibi reddat sponsus v. gr. matrimonii contractum, consequenter sponsalia, quae sunt promissio rei licitae, subsistere amplius non possunt) nisi necessitas aliqua urgeret talem prius contrahere matrimonium, et postmodum, hoc nondum consummato, ingredi religionem, iuxta quam explicationem fortassis etiam intelligi potest *cap. Commissum*, 16. *h. t.* ubi pontifex dicit, tutius fore, si sponsalia fuerint iurata, prius contrahere matrimonium, et postmodum ante huius consummationem profiteri in religione. Quod in eo etiam casu dicendum est, quo quis sub spe matrimonii corrupit eam, cum qua sponsalia contraxerat, aut si ex occasione non contracti matrimonii gravem famae iacturam pateretur foemina v. gr. quae damna non nisi per contractum matrimonium reparabilia essent.

Quinto solvuntur sponsalia de futuro per susceptionem ordinis sacri, qui non tantum illicitum matrimonii contractum facit, sed inhabilem etiam eum reddit ad contrahendum matrimonialiter, qui ordinem sacrum suscepit, cum ordo sacer sit impedimentum dirimens. Per votum autem suscipiendi sacros osdines non dissolvi sponsalia prius contracta, saltem ex parte voventis (cum qua enim contracta sunt sponsalia, illa liberatur a sponsalium talium obligatione, si sponsus votum v. g. faciat suscipiendi sacros ordines, eo quod taliter vovens videatur renuntiare prioribus sponsalibus) probabilius est, cum in grave alterius praeiudicium votum hoc non videatur acceptare Deus.

§. III. *Utrum priora sponsalia de futuro solvantur per posteriora iuramento firmata; vel per matrimonium cum alia contractum, et an etiam per subsequentem fornicationem?*

Respondetur primo, non solvi priora sponsalia per posteriora de futuro, quamvis haec iuramento firmata sint, cum posteriora haec sponsalia invalida, et nulla sint, tanquam de re alteri iam obligata, et quamvis ipsis accedat iuramentum, non minus tamen hoc iuramentum invalidum est, tanquam accedens contractui invalido, cum quo velut accessorium cum suo principali corruit. Quod si tamen carnalis copula cum posteriore sponsa, priorum sponsalium ignara, intervenerit, quamvis in rigore loquendo priora sponsalia (saltem ex parte decipientis) non dissolvantur, et damnum illatum per talem copulam debeat aliter compensari, potest tamen nonnunquam evenire, ut ob iniuriam ignoranti illatam ad posteriora haec sponsalia servanda obligatus maneat corruptor.

Respondetur secundo, solvi priora sponsalia de futuro, per subsequentia sponsalia de praesenti, sive per subsequens matrimonium, illicite quidem, non tamen invalide contractum *cap. Si inter*, 31. *h. t.* quia fortius vinculum, quale est vinculum matrimonii, praevalet minus forti sponsalium de futuro vinculo, ita ut priorum sponsalium obligatio in tali casu omnino extinguatur, ex parte utriusque, prout etiam colligitur ex *cap.* 1. *De sponsa duorum*, *et can. ult. caus.* 27. *quaest.* 2. quamvis damnum, si priori sponsae in tali casu aliquod evenit, compensari debeat ab eo, qui fidem fefellit.

Respondetur tertio, solvi sponsalia etiam iurata per sequentem fornicationem tam sponsi, quam sponsae, ita ut innocens ius habeat ea rescindendi, non tamen nocens, tum quod ob notabilem mutationem in tali casu, fidem frangenti merito fides non teneatur; tum quod ex iniquitate sua commodum habere non debeat nocens: et quamvis quoad actualem fornicationem pari iure gaudeant in ordine ad dissolvenda contracta sponsalia sponsus, et sponsa, facilius tamen conceditur sponso resilire a sponsalibus, quamvis actualis fornicatio non intervenerit, ob vitam sponsae minus pudicam, aut quod vi oppressa fuerit etc.

§. IV. *An, et qua ratione praeterea dissolvantur sponsalia ob supervenientem notabilem mutationem ex parte sponsi, vel sponsae?*

Si notabilis mutatio, aut nova causa rationabilis, post contracta sponsalia superveniret, ob quae notabiliter difficilior redditur status matrimonii, solvuntur sponsalia, prout habetur *in cap. Quemadmodum*, 25. *De iure iurando*, ita ut in utroque foro fides habeatur sponso, et sponsae asserenti, se non contracturum fuisse sponsalia, si ab initio talis causa fuisset, modo ex circumstantiis verisimilis assertio haec videatur: in specie autem enumerantur passim hae mutationes, ob quas a sponsalibus resiliri potest (nisi, post cognitam illam mutationem, copula haberetur, quo in casu censentur iuri suo ad resiliendum renuntiare) si notabilis superveniat deformitas, nares v. gr. amittendo, aut oculum etc. si morbo contagioso, vel incurabili, lepra v. gr. morbo gallico, epilepsia etc., alteruter inficiatur; si alteruter incurrat gravem infamiam, aut detegatur corruptorum morum homo, ebrietati, et lusui deditus etc., si saevitia viri detegatur; si gravem fortunarum etiam iacturam alteruter patiatur; si dotem nolint, aut non possint dare parentes; si graves, et capitales inimicitiae oriantur inter sponsos, aut eorum parentes, vel consanguineos; si vagari incipiat sponsus etc., si superveniat impedimentum iuris dirimens etc.

SECTIO III.

De matrimonio secundum se, eiusque essentiam.

§. I. *Quid sit matrimonium, et quotuplex?*

Communiter ex iure definitur matrimonium, quod sit *maris, et foeminae coniunctio, individuam vitae consuetudinem retinens;* sicuti tamen aliae iuris definitiones non sunt semper ad dialecticae regulas exactae, sed multa subintelligi volunt, ita etiam haec iuris definitio; clarius loquuntur, qui dicunt, *matrimonium esse contractum legitimum, et indissolubilem, quo vir, et foemina sibi mutuam tradunt, et acceptant, corporis potestatem, per signa exterius expressa in ordine ad prolis generationem.* Dividitur autem matrimonium in legitimum, ratum, et confirmatum. Legitimum dicitur illud, quod legitimo consensu, inter personas habiles, iuxta leges contractum est, quale etiam inter infideles habetur: ratum est, quod legitimum (id est, iuxta leges, et ss. canones inter personas habiles contractum est) et insuper sacramentum est, nondum tamen carnali copula consummatum; quae si in-

tervenerit post matrimonium contractum, consummatum dicitur, perfectum, et completum.

§. II. *De matrimonio, quatenus est sacramentum.*

Matrimonium in lege naturae, et veteri, quamvis verissimum fuerit matrimonium, sacramentum tamen proprie loquendo non fuit, sicuti modo est, quod in nova lege evangelica inter fideles contrahitur, a Christo ad dignitatem sacramenti elevatum, prout pluribus probant *controv.* ac fides nos docet, ita ut hodie inter fideles baptizatos contrahi non possit verum matrimonium, quin sit sacramentum, et privata saepius errantium ob suam peculiarem haeresim intentio, per generalem, et universalem faciendi, quod Christus instituit, corrigatur: prout pluribus videre est apud theologos, quos de aliis etiam circa materiam, et formam, circa ministrum huius sacramenti, circa institutionem huius sacramenti, etc. videre potes, vel *auct. Meth. hic.* Illud fortassis hic adhuc dubitabis, utrum matrimonium per procuratorem, vel per epistolam contractum sit validum, et sacramentum. Cui dubio communissima hodie praxis respondet, quod validum sit matrimonium, et sacramentum, quamvis per procuratorem, vel per epistolam inter absentes contractum sit, cum matrimonii contractus, quem ad dignitatem sacramenti elevavit Christus, non aliter se habeat, quam alii contractus, qui per procuratores, et epistolas valide contrahuntur; ita tamen, ut de iure tam antiquo in *c. ult. De procurat. in* 6. quam Trident. plures conditiones ad valide matrimonialiter per procuratorem contrahendum requirantur. Primo, ut speciale mandatum habeat procurator ad contrahendum taliter, et quidem cum certa persona. Secundo, ut per se ipsum hoc negotium peragat procurator, neque alium substituat, nisi expresse sit hoc ipsi concessum. Tertio, ut mandatum intermedio tempore non revocetur, prout ex alibi dictis iam patet. Quarto, ut consensus contrahentium per procuratores tanquam interpretes, coram parocho, et testibus exprimantur ad vitandam matrimonii damnatam clandestinitatem; non quidem quasi constitutio procuratoris coram parocho, et testibus fieri debeat, modo aliunde sufficienter probari possit; nec quod tum temporis, quando procurator consensum sui principalis in tale matrimonium explicat, debeat principalis hic sibi praesens esse, et usu rationis frui, cum tali tempore fortassis dormire possit, sed quod constituendo procuratorem compos rationis fuerit, et libere egerit, nec mandatum revocaverit, ac procurator hic, et nunc, dum coram parocho, et testibus consensum sui principalis explicat, ratione utatur, et libere agat.

§. III. *De consensu requisito ad matrimonium.*

Quod ad valide contrahendum matrimonialiter, utriusque contrahentis in obligationem coniugalem de praesenti, consensus, et acceptatio (saltem moraliter simultanea) requiratur, per verba ordinarie, aut signa exteriora, iuxta morem patriae explicanda, si dubia sint, seu obscura, certum est, et constat ex *c. Ex literis*, 7. *c. Ex parte*, 9. *h. t.* quamvis aliae consuetudines patriae non serventur *c.* 1. *h. t.* quae de solemnitate quidem accidentali matrimonii nonnunquam esse possunt, non autem sunt de substan-

tia matrimonii, de qua disponere non possunt tales privatae consuetudines, sed ius naturale, vel iura ecclesiastica, etc.

§. IV. *Utrum ad valorem matrimonii contracti a liberis, necessarius sit consensus parentum: et an patria potestas se extendat ad retinendas uxores filiorum?*

Respondetur primo, non requiri ad valorem matrimonii a liberis utriusque sexus contracti, consensum parentum, uti constat ex *c. Cum virum*, 12. *de regularibus*, *et ex Tridentin. sess.* 24. *c.* 1. *De reformat.* cum in illis, quae ad status electionem pertinent, sui iuris, et liber sit quilibet, praesertim ad gravia onera matrimonii in se suscipienda; quamvis negari non debeat, de honestate, et decentia esse, in re tam ardua, parentum etiam voluntatem exquirere, quod solum etiam ss. canones innuunt, qui ita leges civiles plus fortassis requirentes corrigunt, ut tamen decentiae, et reverentiae erga parentes nihil derogent, dum ad consilium saltem parentum audiendum inducunt liberos, saepius etiam peccaturos, si sine consensu eorum matrimonium ineant.

Ad reddendas autem filiis suas, quas duxerunt uxores, cogi possunt, et debent parentes, censuris etiam ecclesiasticis, si iniuste eas retineant, *c. Non est*, 11. *h. t.* quamvis enim per contractum matrimonium non eximantur liberi patria potestate, §. *final. institut. de patria potestate*, non tamen potestati soceri subiiciuntur uxores filiorum, neque patria potestas ad haec spiritualia se extendit, *c. final. de iudiciis*, *in* 6.

SECTIO IV.

De matrimonio ficto, seu simulato, et coacto.

§. I. *An matrimonium ficte contractum sit validum, et ad quid obligetur, qui ficte contraxit?*

Quod matrimonium ficte contractum invalidum sit (quamvis ex parte unius tantum fictio intervenerit) ex defectu consensus, clare patet, et desumitur ex *c. Tua nos*, 26. *h. t.* ita tamen, ut in foro nonnunquam exteriore, ubi fictio probari non potest, pro matrimonio valido iudicetur, neque credatur asserenti fictionem in praeiudicium alterius; et in foro etiam interno grave peccatum iniustitiae, et sacrilegii taliter ficte contrahens committat, ob deceptam turpiter alteram, cum qua ficte contraxit, et laesam graviter sacramenti reverentiam, ad quam verus consensus requiritur. Et hinc fieri etiam potest, ut cum deceptor aliter damnum personae illatum, cum qua ficte contraxit, reparare non possit, obligatus maneat ad vere consentiendum, et valide contrahendum, nisi cum alia iam contraxisset vero consensu matrimonium; vel nisi et illa, cum qua ficte contractum est, decepisset ficte contrahentem, cum in tali casu deceptio deceptione compensetur: vel nisi ob inaequalitatem personarum incommoda alia plura, et infelices exitus, etc. timeri ex tali matrimonio possent.

§. II. *An matrimonium ex metu contractum sit validum?*

Quod matrimonium ex metu gravi, iniuste, et ad extorquendum matrimonium incusso contractum, nullum sit, saltem de iure positivo ecclesiastico, *ex tit.* 40. *lib.* 1. *Decretal.* iam patet, ubi etiam §. 1. dictum, quis metus gravis habeatur, et §. 5. quae conditiones aliae requirantur, ut matrimonium gravi metu extortum nullum sit, cum enim matrimonium sit indissolubile, et consequenter semel valide contractum, rescindi non possit, prout possunt alii contractus, ergo ut consulatur gravem metum passo, debuit nullum declarari matrimonium, quod metu gravi extortum est. Vide *auct. Meth. hic, vel in tit.* 40. *citat. l.* 1. *Decretal.* Si tamen metus ille gravis iniuste, ab extrinseco, et directe ad obtinendum matrimonium incussus fuit, prout etiam habetur ex *c. Cum locum*, 14. *et c. Veniens*, 15. *h. t. et ex c.* 2. *De eo, qui duxit, etc.*

§. III. *An si mulier invita cum aliquo matrimonium contraxit, nec in eum postea consensit, valeat matrimonium si alteri postea nubat. Item an matrimonium, metu gravi contractum, per spontaneam cohabitationem ratificetur, et convalescat?*

Resp. 1. *ex c. Veniens*, 13. *h. t.* quod, si mulier coacta, seu invita in uxorem ducta fuit, et postea alteri nubat, posterius hoc matrimonium valeat, cum prius gravi metu iniuste extortum nullum fuerit, nisi per spontaneam cohabitationem metus ille purgatus fuerit, antequam secundum matrimonium contractum fuit, de quo mox.

Resp. 2. *ex c. Ad id*, 21. *h. t.* quod matrimonium metu gravi contractum per spontaneam subseqnentem cohabitationem utriusque coniugis convalescat, et ratificetur, quia talis mutua cohabitatio est sufficiens signum spontanei consensus, postmodum habiti, qui solus requirebatur ad valorem matrimonii. Plura tamen adhuc requiruntur, ut cohabitatio talis vim habeat spontanei consensus in foro externo, primo scilicet ut sciat ille, qui per cohabitationem talem ratificare censetur matrimonium, quod matrimonium hoc suum nullum fuerit, ne ex errore tantum, quem incorregibilem putat, cohabitare alteri videatur. Secundo ut cohabitatio talis diuturna moraliter fuerit iuxta prudens iudicis arbitrium. Tertio ut omnis timoris causa cessaverit, et omnino spontanea haberi possit talis cohabitatio etc.

§. IV. *An si mulier neget, se in matrimonium consensisse, sit ei fides habenda: vel si probare velit, se per metum gravem sibi illatum consensisse, sit audienda?*

Ad utramque hanc quaestionem respondet pontifex in *c. Consultationi*, 28. *h. t.* quod nempe mulier audiri non debeat, negans, quod iu matrimonium consenserit, si legitimis testibus contrarium probet sponsus, neque enim simplex illius assertio, ad multas fraudes cavendas, praevalere debet legitimis probationibus. Quod si tamen ante carnalem copulam, vel immediate post illam, accepta quidem benedictione, a sponsis tamen aufugiant tales mulieres, dicentes se nunquam in matrimonium consensisse, sed metum sibi

illatum fuisse, vult pontifex, non negandam illis audientiam, sed diligenter inquirendum (ab episcopo scilicet) qualis metus ille fuerit, et si probatum fuerit, quod metus fuerit (respective saltem) gravis, audiendas illas esse, et a viris separandas, et declarandum irritum esse matrimonium.

§. V. *Utrum matrimonium ex metu levi initum sit nullum, et an contractum ex metu reverentiali?*

Ad priorem quaestionem ut respondeatur, probabilius est, non esse taliter ex metu levi contractum matrimonium invalidum, sed validum, prout probatur a contrario sensu ex *c. Veniens*, 15. *et c. Consultationi*, 28. *h. t.* et habetur etiam ex *l. Nec timorem*, 7. §. 1. *ff. de eo, quod met. caus.* et probatur etiam ex cavendarum litium multitudine, quae merito timeri posset, si metui etiam huic nullitas, aut rescissio contractus concederetur.

Ad posteriorem quaestionem satis iam videtur responsum *in cit. tit.* 40. *lib.* 1. *decretal.* §. 1. quem vide.

§. VI. *An matrimonium gravi metu initum confirmetur per iuramentum adiectum, vel per copulam subsecutam?*

Quod per adiectionem iuramenti non fiat validum, si gravi metu iniuste incusso etc. contractum fuit, ex *c.* 2. *De eo qui dixit*, patet, et defectus spontanei consensus probat, quem iuramentum adiectum, eodem modo extortum, non supplet, quod iuxta naturam actus, cui adiicitur, explicandum est, *c. Quemadmodum, de iureiurand.* Quod autem per copulam subsequentem non ratificetur, aut validum fiat, si gravi metu hoc extorqueatur, idem defectus liberi consensus probat, quem taliter extorta copula non supplet, et quod eadem incommoda sequantur ex matrimonio tali metu extorto, et consummato, quae sequuntur ex matrimonio gravi metu extorto, et non consummato, si ergo hoc iuxta ecclesiae constitutionem, nullum est, erit et illud nullum, et copula taliter extorta fornicaria.

SECTIO V.

De unitate, et indissolubilitate matrimonii.

§. I. *An matrimonium sit necessario unius viri cum una foemina, et an, ac quo iure polygamia sit prohibita?*

Successive plura matrimonia contrahere, et mortua priore coniuge, aliam ducere, semper licitum fuit; 1. *ad Corinth.* 7. Simul tamen ut vir unus plures habeat uxores, est contra primaevam institutionem matrimonii, et iure naturae nullum, nisi divina dispensatio interveniat, prout probatur ex *c.* 2. *Genes.* et notat etiam pontifex *in c. Gaudemus*, 8. *de divort.* cum haec pluralitas, saltem secundario fini matrimonii, pacificae scilicet coniugum cohabitationi, et gubernationi domesticae etc. adversetur.

Polygamia antem unius uxoris cum pluribus viris, adeo iuri naturae, etiam contra primarium finem matrimonii, quoad prolis generationem, contraria est, ut nunquam permissa legatur (quamvis probabilius sit, quod etiam haec polygamia per absolutam Dei potentiam concedi possit) unius

vero viri cum pluribus uxoribus polygamia, olim quidem, in veteri testamento, ex dispensatione divina licita fuit aliquibus, hodie tamen in novo testamento, de hac etiam polygamia, et dispensatione nihil scimus, cum ad primaevam suam institutionem matrimonium revocatum sit, et unam Christi sponsa unica coniunctionem significat.

§. II. *Qualis certitudo sit necessaria de morte prioris coniugis, ut possit superstes coniux licite ad alias nuptias transire ?*

Non sufficere moralem tantum probabilitatem, sed requiri moralem certitudinem de morte alterius, ut superstes ad secunda vota transire possit *ex c. In praesentia*, 19. *h. t. et c.* 2. *De secundis nuptiis*, patet. Cum enim ad secunda vota transire non liceat, nisi certus sit aliquis (saltem moraliter, quia in rebus humanis communiter maior haberi non solet, quam certitudo moralis, ad plurima licite agenda) de morte alterius, diuturna autem absentia v. gr. alterius coniugis, vitam quidem illius dubiam reddat, et probabilem faciat mortem, non vero certam, consequenter prioris etiam vinculi ad mortem usque alterutrius indissolubilis obligatio, censeri non potest soluta, ut ad vota secunda transire liceat, sed manet illa in sua possessione, ita ut non liceat ab obligatione recedere. Et quamvis *in c. Quoniam*, 5. §. *Si autem. Ut lite non contestata etc.* dicatur sufficere verisimilem praesumptionem, ut permitti possit coniugi superstiti alterum matrimonium inire, videtur tamen textus hic aliquibus in posterioribus iuribus magis declaratus, vel etiam correctus (quod certissimum est, de correctione iuris civilis, ex diuturna v. gr. annorum absentia, mortem praesumentis, et ad secunda vota transitum concedentis), vel de casu quodam loqui, ubi tantum praeiudicium non infertur, si ad alia vota conceditur transitus. Quando autem moralis certitudo habeatur, si testes sufficientes de visu deponentes non adsint, ex pluribus circumstantiis a prudenti iudicio iudicis ecclesiastici dependet, et desumi potest.

§. III. *An, et quo iure matrimonium sit indissolubile ?*

Matrimonium semel legitime contractum indissolubile esse quoad vinculum, non quidem iure naturae, sed iure naturali divino, probatur etiam ex *c. unico, De voto in* 6. *et ex Tridentin. sess.* 24. *de sacram. matrimon. et ex evangelista Matthaeo*, 19. exigente hanc indissolubilitatem, non tantum prolis generatione, sed vel maxime bona prolis educatione; omnimodam tamen indissolubilitatem consummati matrimonii inter fideles baptizatos, praeceptum Christi etiam probat, prohibentis *Matth.* 19. ne separet homo, quod Deus coniunxit, et *Marci* 10. *v.* 11. absolute dicentis, adulterium committere, qui dimiserit uxorem, et aliam duxerit.

§. IV. *An, et quibus modis dissolvatur matrimonium ratum, et non consummatum ?*

Quod per professionem religiosam dissolvatur, etiam quoad vinculum, ratum matrimonium, nondum tamen consummatum, ex *tit.* 32. *prioris libri decretal.* patet; quod autem per dispensationem pontificis matrimonium

ratum, nondum consummatum, inter fideles dissolvi quoad vinculum possit, negant quidem multi, plures tamen, et communior affirmat, et ex praxi, ac facto summorum pontificum probatur, tum quod matrimonium ratum non omnimodam insolubilitatem Christi cum ecclesia significet, sed Christi cum anima tantum fideli, quae saepius per peccatum dissolvitur; prout habetur ex c. 1. *Debitum*, 9. *de bigam. non ordinand.* tum quod indirecta in iure divino dispensandi potestas videatur pontifici necessaria ob bonum totius ecclesiae.

SECTIO VI.

De impedimentis matrimonii.

§. I. *De impedimentis matrimonii in genere.*

Impedimenta matrimonii sunt in duplici differentia, alia dicuntur impedientia tantum, quae impediunt, quominus licite, non tamen quominus valide matrimonium contrahatur, alia dicuntur dirimentia, non quod matrimonium semel valide contractum, si illi superveniant, dirimant, sed quia impediunt, ne valide matrimonium contrahatur. Talia impedimenta statuere, sive impedientia illa sint, sive dirimentia, inter fideles posse ecclesiam, seu summum pontificem, ex iusta causa, ex *Tridentin. sess.* 24. *De sacrament. matrimon. can.* 3. *et* 4. patet, non quidem quod immutare possit materiam, et formam huius sacramenti, sed quod contractum humanum irritum faciendo impediat, ne contractus talis sit sacramenti huius materia; aut personas aliquas ex iusta causa inhabilitet ad contrahendum matrimonium. Et quamvis, seclusis ecclesiae constitutionibus, quilibet etiam laicus princeps, qui potestatem habet ferendi leges, impedimenta talia pro suis subditis constituere posset, cum matrimonium sit contractus civilis, eorum directioni, et potestati non minus subiectus, quam sint alii contractus civiles, quia tamen ad dignitatem sacramenti contractus hic inter fideles elevatus est, consequenter ecclesia sibi reservavit impedimenta statuendi potestatem, ita tamen, ut consuetudo legitime introducta talia iuris ecclesiastici impedimenta iterum abrogare possit.

§. II. *De quibusdam impedimentis matrimonii contrahendi in specie, de quibus agitur in hoc titulo.*

Potissima titulorum huius libri materia est, explicare impedimenta matrimonii. Sunt tamen aliqua, de quibus in specie hoc titulo mentio fit, et quidem hoc in §. generalia quaedam de impedimentis asseruntur. Primo quidem, quod unius etiam testimonium de illicito concubitu, qui affinitatis radix est, cum persona aliqua, habito, affirmantis impediat, quo minus valide matrimonium cum hac persona ab eo contrahi possit, qui in secundo saltem gradu consanguineus est, illi, qui illicitam copulam habuit cum persona tali c. *Praeterea*, 12. *h. t. et c. Super eo*, 22. *De testibus*, quia in tali casu agitur de peccato vitando, ad quod unius etiam testimonium (caeteris paribus) sufficit, modo talis, ut testis, deponat, et non tantum denuntiet, iuret etiam, et non tantum de auditu deponat, nec sit vilis tantum persona.

Secundo si fama sit impedimenti inter eos, qui contrahere volunt, intercedentis, et fama plene probetur in publico iudicio, vel notorie de ea constet, sufficit ea ad impediendum matrimonium, ne contrahatur, *c. Cum in tua*, 27. *h. t.* nisi contraria probatio, quae contra famam hanc affertur, fortior sit probatione famae, et hanc elidat. *Gloss. Hic v. Famam.* Ad quam elidendam admittitur etiam iuramentum consanguineorum contra famam negantium se, aut hos consanguineos esse, si tamen putet iudex, personas tales esse, quae ad iurandum admitti possint, cuius arbitrio res haec permittitur.

Tertio, quod lite pendente super priore matrimonio, illicite quidem contrahat, qui lite taliter pendente contrahit, si tamen postmodum appareat, nullum fuisse prius matrimonium, potest, et debet in hoc secundo suo matrimonio permanere, qui lite pendente taliter contraxit, separandus tamen ab hac posterius ducta, si pro valore prioris matrimonii pronuntiatum fuit, prout colligitur ex *c. Cum in apostolica*, 18. *h. t.* neque enim a iure canonico sola litis pendentia super priore matrimonio impedimentum dirimens est, quamvis prohibeatur talis contrahere, ob periculum peccati, quod potest subesse, si prius matrimonium validum esset.

§. III. *De impedimento erroris personae.*

Error circa substantiam personae, iure naturae reddit matrimonium irritum ob defectum consensus in hanc personam, circa quam substantialiter errat, sive error hic sit antecedens, sive concomitans, cum ille contractum matrimonii cum hac determinata persona faciat involuntarium; hic vero concomitans error faciat contractum cum hac determinata persona saltem non voluntarium, auferens positivum consensum in hanc determinate personam, qui tamen requiritur. Quodsi tamen error sit tantum circa qualitates personae, cum qua quis contrahit, putans ex errore nobilem illam, divitem, formosam, etc. cum tamen plebeia illa tantum sit, mediocrium, vel etiam nullarum divitiarum, et pulchritudinis, etc. quamvis error talis det causam contractui, et ex dolo contrahentis proveniat, non irritat quidem, nec invalidum facit matrimonium cum tali errore, et per dolum alterius contractum, cum taliter contractum matrimonium tantum involuntarium sit secundum quid, circa qualitates aliquas accidentales, quae se tantum habent per modum alicuius causae impulsivae; potest tamen per accidens fieri, ut nullum taliter contractum matrimonium sit, si scilicet qualitas, circa quam erratur, expresse apponatur per modum conditionis, cuius intuitu in matrimonium tale consentiat alter; expresse asserens, se non consensurum, nisi conditio talis subsit. Et secundo si error circa qualitatem redundet in errorem personae. Prout pluribus explicant theologi morales, qui videri possunt.

§. IV. *De impedimento matrimonii orto ex cultus, sive religionis disparitate.*

Disparis cultus, et religionis censetur illud matrimonium, quod a fideli baptizato, cum infideli non baptizato contrahitur: esse autem hanc cultus disparitatem impedimentum dirimens matrimonii, iure ecclesiastico introdu-

ctum, ita ut nullum sit tale matrimonium fidelis baptizati cum infideli non baptizato, communissima praxis ecclesiae docet, ex traditione apostolorum, in vim legis obligante, quibus videbatur inconveniens, a fideli contrahi matrimonium, quod non est sacramentum. Quod si vero persona catholica cum haeretica contrahat, illicite quidem facit (nisi iusta dispensatio, vel communissima praxis, et recepta consuetudo, ubi haeretici cum catholicis permixtim vivunt, ut fit in nostris partibus septentrionalibus, licita talia faciat) sine perversionis periculo, et liberorum in haeresi educandorum conditione contrahantur, validum tamen est illius (caeteris paribus) matrimonium.

§. V. *De dispensatione impedimentorum matrimonii.*

In impedimentis, iure naturali, vel divino matrimonium dirimentibus, proprie dispensare nec summus pontifex potest, cum inferior non possit legem superioris tollere; in impedimentis tamen, solo iure ecclesiastico matrimonium dirimentibus, potest dispensare summus pontifex, valide quidem etiam sine iusta causa, non tamen licite sine iusta causa, prout probat ratio superioritatis in lege propria dispensare potentis; ordinarie tamen sine speciali a summo pontifice concessa licentia, dispensare in his non potest episcopus, nisi extraordinaria necessitas cogeret, quae moram non pateretur, cum in tali casu non videatur sibi reservasse dispensandi potestatem summus pontifex. Communiter autem plures referuntur causae, ob quas dispensari potest a pontifice. Prima est extinctio gravis discordiae, et gravium scandalorum evitatio. Secunda est, quando non reperitur in ea vicinia matrimonium aequale, nisi cum consanguineis, vel affinibus. Tertia est conservatio amplissimarum opum, vel illustris sanguinis in eadem familia. Quinta merita petentium, etc.

SECTIO VII.

De mutua coniugum obligatione quoad cohabitationem, alimentorum praestationem, liberorum educationem, et de obligatione coniugum ad debitum coniugale.

§. I. *An teneantur coniuges simul cohabitare, et mutuo sibi praestare alimenta, et quae sit obligatio coniugum ad alendos, et educandos liberos?*

Quod simul ut plurimum habitare teneantur coniuges, non tantum in eadem domo, sed eadem etiam mensa, et thoro utentes, patet *ex c.* 1. *et* 2. *De coniug. lepros. et ex c.* 2. *Genesis*, ita ut uxor teneatur sequi virum, tanquam caput familiae, domicilium mutantem, nisi in pactis matrimonialibus aliter cautum esset, aut sine periculo gravi sequi virum non posset; vel certe longam peregrinationem instituentem sine magno suo incommodo comitari non posset; vel post contractum matrimonium vagari vir inciperet, ad quod uxor inscia non se obligavit, etc.

Tenetur etiam vir ordinarie uxorem, et familiam alere, quia dotis fructus ideo percipit, nisi uxor a viro sine huius culpa, aut iusta causa discedat, aut dos promissa quidem, soluta tamen non sit. Dictum tamen ordinarie, si enim pauperem, et indotatam duxerit, alere eam tenetur,

etiamsi nullos fructus dotis percipiat; sicuti etiam uxor dives maritum pauperem alere debet, uti ratio naturalis etiam probat.

Ad filios tamen ex se natos, si indigeant, sustentandos, et pie ac honeste educandos, uterque parens tenetur, uti ex apostolo etiam patet *ad Ephes. c.* 6. *et* 1. *ad Corinth.* 12. maxime pater, qui est caput familiae, ita ut obligatio haec ob inopiam parentum ad avos etiam paternos, et maternos transire possit; et cura illegitimae prolis alendae primo triennio matri competat: et quamvis ius civile hac in materia rigidus videatur loqui, prohibens alimenta praeberi a parentibus, spuriis, seu ex damnato coitu natis *authen. Ex complexu. Cod. de incestis nuptiis, etc.* mitius tamen est ius canonicum, rigorem iuris civilis corrigens, ita ut iuxta illud parentes quicunque filiis etiam illegitimis alimenta moderata praestare debeant, *c. Cum haberet*, 5. *De eo, qui duxit, etc.*

§. II. *De obligatione mutua coniugum ad usum, seu actum coniugalem.*

Satis multa de hac materia, quae tota prope ad forum conscientiae pertinet, agunt theologi morales, qui passim consuli possunt.

TITULUS II.

DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

§. I. *Quae aetas requiratur ad sponsalia de futuro?*

Ad contrahenda sponsalia de futuro requiruntur septem anni completi, tam in maribus, quam in foeminis, prout sumitur ex *c. Literas*, 4. *et c. Accessit*, 5. *h. t.* ob usum rationis, communiter cum hac aetate plenum; et hinc non tantum iuxta *l. In sponsalibus*, 14. *ff. De sponsalib.* si in tali aetate usus rationis non habeatur, nulla erunt sponsalia, ob defectum usus rationis, sed etiam, si septennium nondum completum sit (nisi malitia suppleat aetatem) quamvis una tantum dies deesset, ita tamen, ut in favorem matrimonii ultima septennii dies inchoata habeatur pro completa, *argum. l. A qua aetate*, 5. *ff. Qui testamenta facere possunt*, et quae ante septennium completum, nulla fuerunt, ita ut nec impedimentum publicae honestatis produxerint, rata sint, si post septennium completum expresse, vel tacite ratificentur.

§. II. *An sponsalia ab impuberibus contracta dissolvantur per solum dissensum alterius, postquam pubes factus est?*

Si ab impuberibus, septennio tamen maioribus, sponsalia contracta fuerunt, neuter resilire potest, ante pubertatem, (ne propter aetatis inconstantiam saepius contrahant, et saepius resiliant) post pubertatem tamen uterque potest, (ne cogantur approbare, quod non satis firma aetate fecerunt) *c. De illis*, 7. *h. t.* ita ut qui prius pubes factus est, statim resilire possit a sponsalibus, nec teneatur expectare, donec etiam alter pubes factus fuerit, quia frustra expectatur eventus, cuius nullus est effectus, *c. Cum conting.*, 36. *De offic. iud. deleg.* neque tamen, si pubes cum impubere contraxit,

illi resilire licet, quamvis impuberi, qui cum tali pubere contraxit sponsalia, resilire liceat, ut patet ex *cit. c.* §. *Mulier*, quia contractus potest in favorem minoris claudicare, modo resiliat in continenti, ut iura loquuntur, id est, intra triduum, saltem post adeptam pubertatem.

Quod si tamen iuramento haec impuberum sponsalia, maiorum tamen septennio, et proximorum pubertati, confirmata sint, vel si impuberes de praesenti contraxerunt, de iure antiquo, per copulam habitam; probabilius est, neutri licere pubertatem adepto resilire, uti probari potest ex *c. Ex literis*, 10. *de sponsal.* (quia talibus periculosum est contra iuramenta sua venire) et ex *c. A nobis* 8. *h. t.* cum talis coniunctio per copulam facta saltem habeat vim verorum sponsalium.

§. III. *Utrum sponsalia inter impuberes, vel inter impuberem, et puberem inita sint valida, vel nulla, et qua ratione convalescant?*

Ad primam quaestionem ex dictis iam patet responsio, quod scilicet, si impuberes, vel impubes unus, et septennio minor, alter vero pubes sponsalia contraxerint, vel parentes eorum, horum loco, non tantum nulla sint, ut dictum, sponsalia talia, sed neque per lapsum temporis convalescant, nisi appareat liquido, verbo, vel facto ipsorum, eos post septennium etiam in eadem voluntate contrahendi sponsalia perseverare, *c. Si infantes, unico, h. t. in* 6. Convalescunt autem verbo, si se invicem sponsos vocent; vel facto, si vel mutuo se, ut sponsos osculentur, vel cohabitent invicem etc., vel si malitia suppleat aetatem, id est, si ea praediti sint, etiam ante septennium, discretione, et usu rationis, ut intelligant, quid agant, et quam sibi obligationem imponant, uti etiam ex *cit. l. in sponsalibus* probari potest.

Quod si tamen tales impuberes, vel impubes cum pubere de praesenti contrahant sponsalia, quae in aliis legitimis casibus verissimum matrimonium est, si nec proximi sint pubertati, nec malitia suppleat aetatem, contractus ille ex iuris fictione vim quidem sponsalium de futuro habet, et impedimentum publicae honestatis parit, matrimonium tamen ob defectum legitimae aetatis non est, nec lapsu tantum temporis, si aetas v. g. compleatur, in matrimonium de praesenti convalescit, iuxta *reg.* 18. *Non firmatur,* nisi per novum consensum praestitum, expresse, vel tacite ratificetur, approbetur.

§. IV. *An, et quatenus filii, ex sponsalibus per patrem pro se contractis, obligentur?*

Si parentes, pater scilicet, vel mater, pro filiis sufficientiem aetatem, et usum rationis habentibus, sive puberes illi sint, sive impuberes, contrahant, ita ut hi expresse consentiant, vel saltem tacite, non contradicendo, cum tamen possent, et praesentes fuerint, valet (caeteris paribus) matrimonium tale, vel sponsalia talia, et ex illis oritur publica honestas; non tamen valet contractus talis a parentibus factus, si factus fuit, absentibus liberis, et ignorantibus factum parentum, etiamsi postmodum, quando factum suorum parentum resciunt, taceant, et nihil contradicant, sed ad valorem taliter contractorum sponsalium, aut matrimonii requiritur expressus, vel tacitus saltem absentium liberorum consensus, iuxta *cit. cap. unicum in*

6. *h. t.* §. *Porro*, videatur etiam c. *Tua*, 1. *h. t.* et quae habet auctor Method. tam in hoc, quam sequentibus duobus §. §. *ex c. Continebatur*, 6. *et c. Ex literis*, 11. *h. t.* et pluribus aliis sufficienter iam explicatis, et post Tridentinum vix alicuius usus.

§. V. *De aetate requisita ad matrimonium contrahendum, et de pubertate, et quando malitia suppleat aetatem?*

Matrimonium valide contrahere non possunt, qui nondum ad legitimam aetatem a canonibus praescriptam perveuerunt, ita ut nullum sit matrimonium ex defectu aetatis, quod contrahitur a foemina ante duodecimum aetatis annum completum, a masculo vero ante decimum quartum aetatis annum completum, qui anni de iure communi in utroque sexu anni pubertatis habentur, nisi in casu causae urgentissimae cum illis, qui proximi sunt pubertati, ab episcopo v. g. dispensatum fuerit, vel malitia suppleat aetatem, prout sumitur ex *c. Ubi non est, et ex c. De illis*, 9. *h. t.* censetur autem malitia supplere aetatem, si potentiam habeant ad generandum, et rationis iudicium sufficiens ad cognoscendum statum coniugalem, et eius perpetuum, ac indissolubile vinculum.

TITULUS III.

DE CLANDESTINA DESPONSATIONE.

§. I. *Utrum matrimonia clandestina iure antiquo non solum fuerint prohibita, sed etiam invalida, et qua ratione potuerint iure novo ab ecclesia irritari?*

Quae matrimonia clam sine parocho, et testibus contrahuntur, dicuntur matrimonia clandestina: ea semper quidem in ecclesia prohibita fueruut, et illicita, ob multa, et gravia incommoda, non fuerunt tamen ante concilium Tridentinum invalida, prout certa, et communis sententia habet, iuxta *can. Nullus*, 2. *caus.* 30. *q.* 5. *et c.* 2. *h. t. et Trident. sess.*24. *c.*1. *De reformat.* hodie tamen post *concil. Trident. l. c.* sunt invalida, si aliter quam praesente parocho, (quamvis hic sacerdos non sit, modo sit alterutrius sponsi parochus), vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, ac duobus, vel tribus testibus (quales illi sint, modo advertant, quid agatur) contrahant, ad plurima scilicet gravissima incommoda praecavenda, invalidante ecclesia matrimonia talia clandestina, non quidem per se, et directo annullando sacramentum, quod in ecclesiae potestate non est, sed indirecte tantum, et per accidens, annullando scilicet contractum civilem, et humanum immediate, et per consequens irritum etiam faciendo sacramentum. Quae irritatio clandestinorum taliter acceptorum matrimoniorum adeo certa est, ut in ecclesiis, ubi promulgatum decretum illud Tridentini fuit, etiam illi, qui decretum hoc invincibiliter ignorant, nulliter clandestine contrahant, quia lex irritans etiam ignorantes in ordine ad nullitatem actus obligare potest; uti et qui clam, aut praesente quidem maiore viciniae parte, absente tamen parocho, contrahunt, in articulo v. g. mortis, aut alia quacunque

necessitate, cum deficiente forma substantiali ad valorem actus requisita, sicuti requiritur ad validum matrimonium, parochi v. g. et testium praesentia, actus subsistere non possit; quod si tamen in casu, quo in facie ecclesiae, coram parocho scilicet, et testibus matrimonium contractum est, ob impedimentum tamen occultum invalidum, cessante postmodum, et sublato legitime impedimento revalidetur, non est necessarium, ut coram parocho, et testibus, haec revalidatio fiat, si de impedimento tali publice non constet, cum incommoda, ob quae clandestina matrimonia irrita facta sunt, factis in tali casu caveri possiat.

§. II. *An etiamnum in locis, ubi decretum concilii Tridentini non est receptum, aut promulgatum, matrimonia clandestina sint valida?*

Respondetur affirmative, sive deinde locus ille, ubi decretum hoc Tridentini promulgatum, sive receptum non est, sit catholicus, sive haereticus, quia concilium expresse dicit, decretum hoc suum invalidans matrimonia clandestina, robur suum non habere, nisi in parochia aliqua publicatum illud fuerit, et quidem post triginta dies a die factae primae promulgationis; et hinc non tantum certum est, quod christiani apud turcas v. g. captivi, aut mercatores v. g. inter infideles viventes etc., possint valide in illis locis clam contrahere, sine praesentia parochi, et testium, etiamsi in loco domicilii Tridentinum sit receptum, sed probabile etiam est, eos etiam, qui ad terras tales, ubi Tridentinum promulgatum, aut receptum non est, animo contrahendi clandestine discedunt, valide contrahere clandestine, cum peregrini legibus illius patriae, praesertim circa contractus, accommodare se possint, (nisi peculiaris aliqua lex obstet,) et qui ex patria discedunt, ubi Tridentini decretum hoc receptum non est, non possint in loco, ubi receptum Tridentinum, quoad hoc decretum, est valide clandestine contrahere, cum plerumque in materia contractuum eius loci leges, et solemnitates servare debeant contrahentes, ubi contrahunt. Vide plura de his apud theologos morales.

§. III. *Utrum necessarium sit ad valorem matrimonii, ut assistat proprius utriusque contrahentis parochus, et intra propriam parochiam, et qualis praesentia parochorum, aut testium requiratur?*

Ad primam quaestionem iam responsum fuit, sufficere scilicet, si alterutrius sponsi scilicet, vel sponsae, parochus, vel ordinarius assistat, quamvis sit excommunicatus, suspensus, vel irregularis, modo actualiter non sit depositus, et quamvis titulum tantum coloratum habeat cum communi errore etc., tum quod idem utriusque sponsi, quoad hunc actum, huius sacramenti censeatur parochus, tum quod sacerdotii qualitas in parocho non petatur a concilio, tum quod censurae illae non tollant rationem parochi proprie dicti, et assistentia talis non tam sit actus iurisdictionis, quem fortasse taliter censuratus exercere non potest; sed sit actus testimonii, ex dispensatione iuris ad valorem matrimonii requisitus, ad quod sufficit etiam titulus tantum coloratus cum communi errore. Immo vagi contrahere possunt valide, et licite coram quolibet parocho, iuxta probabilem sententiam; probabilius tamen est, quod coram eo parocho legitime tantum contrahant, in

cuius parochia tum versantur, cum alia etiam sacramenta ab hoc petere, et percipere debeant: quicunque tamen parochus vagos tales coniungit, diligenter praestare debet quae ipsi a *Tridentino sess.* 24. *c.* 7. *De reformat.* iniunguntur, ut tales scilicet non coniungat, nisi diligentem prius inquisitionem de statu illorum, et habilitate fecerit, ac licentiam ab ordinario obtinuerit, ob periculum, ne tales cum impedimento dirimente nulliter contrahant.

Ad secundam quaestionem respondetur validum fore matrimonium, cui parochus alterutrius sponsi, vel sponsae scilicet assistat, etiamsi assistat extra propriam parochiam, aut in aliena etiam dioecesi; cum haec assistentia, ut dictum, non sit actus iurisdictionis, saltem fori contentiosi, qui extra propriam dioecesim exerceri non possit; probabile tamen est, quod talis parochus extra propriam parochiam assistens matrimonio, si solemniter assistat sine licentia ordinarii, vel parochi loci, peccet, et puniri possit, propter scandalum, quod potest dare, involando in officium alterius.

Ad tertiam quaestionem etiam iam responsum, moralem et humanam debere esse praesentiam parochi, et testium in casu validi matrimonii, ut sciant scilicet, et advertant, quid agatur; sive casu tantum intervenerint, sive volentes, sive inviti intersint, sive proprio sensu hoc, quod agitur, advertant, sive per interpretem intelligant, ita ut non sufficiat sola physica praesentia, quae nihil eorum, quae aguntur, advertit, neque enim in iure censetur praesens, qui non adest more humano intelligens, vel iudicans quid fiat.

§. IV. *An, et qua ratione denuntiationes publicae praecedere debeant ante matrimonium?*

Denuntiationes, seu proclamationes sunt monitiones quaedam, quae praemittuntur matrimonio contrahendo, ut si quis canonicum impedimentum inter sponsos sciat, illud intra terminum competentem aperiat, v. g. parocho, ut hic ulterius rem hanc deferre, vel de veritate indagare possit, ac non assistat, si probabilis coniectura sit de impedimento interveniente: et quamvis hae denuntiationes de essentia matrimonii non sint, cum hoc validum sit, omissis etiam illis, ut ex Trident. colligitur, quod praecipit quidem denuntiationes, non irritat tamen, non possunt sine peccato gravi tam a parocho assistente, quam a sponsis contrahentibus omitti, nisi super his sit dispensatum, ex iusta causa ab episcopo (cuius prudentiae res haec a concilio committitur) vel eius vicario, vel in quibusdam casibus, ex commissione, a loci parocho, ita tamen ut in quibusdam casibus nonnunquam fieri debeant etiam post contractum matrimonium denuntiationes istae, ante matrimonii consummationem, de quibus plura theologi morales, quos consule.

§. V. *De probatione matrimonii clandestini, et eius publicatione.*

Materia huius paragraphi, cum hodie in partibus nostris, ubi Tridentini decretum promulgatum, et acceptum est, vix utilis sit, legi potest *in c. Si quis*, 1. *et c. Quod nobis*; 2. *h. t.*

§. VI. *De poenis matrimonii clandestini, et clam contrahentium, vel ei assistentium.*

Duae potissimum poenae sunt matrimonii clandestini. Prima est, quod filii ex eo geniti sint illegitimi, quamvis bona fide, ignorantes sui matrimonii nullitatem, parentes contraxerint, licet enim in aliis casibus, ubi propter impedimentum dirimens matrimonium, invalide quidem, bona tamen fide coniugum, aut unius coniugis, suum impedimentum ignorantium, praemissis tamen denuntiationibus, contractum fuit, liberi ex tali matrimonio geniti legitimi habeantur, in favorem bonae fidei, iuxta *c. Ex tenore*, 14. *Qui filii sint legitimi*, in casu tamen, quo clandestine contractum fuit (omissis scilicet denuntiationibus) favor hic non conceditur liberis ex eo matrimonio genitis, cum parentes eo ipso, quod clam contrahere voluerint, videantur sibi male conscii fuisse, et non bona fide egisse, cum neglexerint ulteriorem veritatem inquirere.

Secunda poena est, quod separandi sint a se invicem hi tales putatitii coniuges, et spe dispensationis impetrandae careant, si in gradibus prohibitis scienter contraxerint (ita statuente Tridentino ob contemptum ecclesiae) et poena etiam arbitraria tam ipsi clam contrahentes, quam testes huic clandestino matrimonio (sine parocho scilicet, aut debito testium numero) assistentes puniendi sunt. Parochus vero, vel alius sacerdos ex licentia parochi, sine testibus requisitis assistens, per triennium ab officio suspendendus est, gravius etiam puniendus, si culpae qualitas postulaverit. *c. Cum inhibitio*, 3. §. *final. h. t.* quam tamen triennalem suspensionem sublatam hodie per Tridentinum (quod poenam arbitrariam statuit) putat Sanchez, in casu quo sine sufficientibus testibus assistit matrimonio parochus, quae poena arbitraria saepius etiam imponenda est contrahentibus, quamvis coram parocho, et testibus contrahant, si denuntiationes tamen culpabiliter omiserunt.

TITULUS IV.

DE SPONSA DUORUM.

§. I. *Si quis bina sponsalia cum diversis contraxerit, quaenam sint servanda?*

Si quis sponsalia de praesenti, sive matrimonium, contraxit successive cum duabus, debet adhaerere primae; si vero prius contraxit sponsalia de futuro cum una, et postea per verba de praesenti matrimonium cum altera, debet adhaerere secundae, prout sumitur ex *c. Duobus*, 1. *h. t.* in priore enim casu non poterat cum posteriore matrimonium contrahere, priori iam legitimo vinculo obligatus matrimoniali; in posteriore vero casu, cum priori vinculo sponsalium de futuro, novum, et fortius vinculum sponsalium de praesenti, sive matrimonii superveniat, consequenter ad hoc posterius tenebitur, non autem ad prius.

—

§. II. *An sponsalia de praesenti dissolvantur per sequens matrimonium consummatum ?*

Respondetur negative, iuxta *c. Licet*, 3. et iuxta *c. Tuas*, 5. *h. t.* cum enim vi primi matrimonii, quamvis ratum illud sit tantum, dominium corporis ad potentiam copulae translatum iam sit in uxorem, consequenter non potest vir v. g. qui iam non est dominus sui corporis ad potentiam generandi, in aliam transferre ad hunc finem: et hinc, quamvis per sponsalia de futuro alicui obligata, possit cum tertio contrahere de praesenti, cum vinculum illud indissolubile non sit, licet propter fidem fractam poena affici possit, et obnoxia fieri restitutioni alicui; non potest tamen, quae de praesenti desponsata alicui per verum matrimonium fuit, cum ullo altero, vivente priore marito, contrahere; et si contraxit de facto cum aliquo, ab hoc separari debet, et nec post mortem prioris mariti huic nubere potest, ne occasio captandae mortis prioris mariti detur, si tamen cum posteriore hoc accesserit copula, prout requirit impedimentum criminis; de quo infra.

§. III. *An appellans in causa matrimoniali, possit, lite pendente, aliud matrimonium contrahere ?*

Affirmatum hoc iam est in *tit.* 1. *huius libri*, *sect.* 6. §. 2. sub debitis limitationibus, quae ibi videri possunt, cum litis pendentia non sit impedimentum dirimens. Videatur etiam *c. Tua fraternitas*, 4. *h. t.* ex quo etiam habetur, quod separari quidem hi taliter contrahentes debeant, ne multorum adulteriorum detur occasio, si postmodum appareat, quod prius matrimonium, de quo mota fuit lis, validum sit, absolute tamen invalidum hoc non est, ut novo postmodum consensu indigeat, si prius matrimonium nullum fuisse constet.

TITULUS V.

DE CONDITIONIBUS APPOSITIS IN DESPONSATIONE, VEL IN ALIIS CONTRACTIBUS.

§. I. *Quid sit conditio, et quotuplex ; quid modus, causa, et demonstratio, quae matrimonio, aliisque contractibus opponuntur ?*

Conditio proprie dicta, prout hic accipitur, est dispositionis, sive actus, vel contractus suspensio in futurum tempus, et eventum incertum (et hinc conditio de praesenti, aut praeterito, non facit proprie conditionatum contractum) quae communiter explicatur, per particulam *si*, ut consentio in tuas nuptias, si pater tuus consenserit. Modus est qualitas adiecta dispositioni, sive adiectio oneris, ad quod obligare volumus contrahentem, et communiter explicatur per particulam *ut*, duco te v. gr. ut honorem, et divitias acquiram. Causa dicitur, quando denotatur causa, propter quam contrahitur, et explicatur per dictionem *quia*, contraho tecum, v.g. quia dives es, quia pulchra es etc. Demonstratio denique fit, quando exprimitur illa qualitas, quae determinat hanc personam, v.g.duco te, quae libera es, quae virgo es etc. Conditiones aliae sunt generales, quae cuilibet contractui insunt, etiamsi non

exprimantur, si vixerimus v. g.; aliae sunt speciales, et quidem aliae intrinseeae taii contractui, necessario scilicet ad iilum contractum reqnisitae, ut, duco te, si non sis sanguine mihi iuncta etc., aiiae extrinsecae, sine quibus contractus talis esse potest, ut dnco te, si dives es; et harnm iterum aiiae necessario eventnrae, ut duco te, si cras soi oriatur; aiiae contingentes, et possibiles, duco te, si pater tuus consentiat; aliae impossibiles, duco te, si aureum montem in dotem dederis; aliae honestae, aiiae turpes, aliae indifferentes, ct inter turpes aliae contra substantiam matrimonii, contra triplex sciiicet bonum matrimonii; fidei sciiicet, duco te, si aduiterandam te exponas; generationis, duco te, si generationem proiis impediveris; et indissoiubiiitatis denique, duco te, si iterum discedere velis, qnando te pulchriorem reperero etc., aliae vero turpes quidem sunt, non tamen contra substantiam matrimonii, ut ducam te, si fornicata mecum fueris etc.

§. II. *An conditio contractui matrimoniali apposita illum vitiet, vel suspendat?*

Si matrimoninm contrahatur sub conditione Improprie dicta, ad praesens tempus, aut praeteritum relata, nec snspenditur, nec vitiatur contractus taiis, sed matrimonium statim subsistit, aut non subsistit, pro ratione conditionis praeseotis, vel praeteritae, §. *Conditiones*, *instit. de V. O.* dependet enim taiis contractus a conditione taii, quae si existit, vel extitit, contractum vaiere facit; si vero non existit, vei non extitit, facit eum non vaiere. Quod si autem matrimoninm contrahatur sub conditione de futuro, possibiii, honesta, et contingente, ut cum dico, duco te, si pater tuns consenserit, suspenditur ad eventum usque conditionis talis, taie matrimonium, iuxta naturam conditionis taiis appositae, pront probatur etiam ex *c. De illis*, 3. *h. t.* et meiius ex *c. Super eo*, 5. *eodem.*

§. III. *An conditio de futuro necessaria, vel impossibilis, adiecta matrimonio, illud vitiet, vel suspendat?*

Si matrimonium contrahatnr sub conditione de futuro necessario eveniente, ut contraho tecum, si cras sol oriatur, non suspenditur, nec vitiatur per conditionem adiectam, sed statim vaiidum est tale matrimonium, perinde, ac si nuila conditio adiecta fuisset, et absoiute fuisset contractum (quia qui sub conditione stipnlatur, quae omnino extitura est, pure videtur stipuiari, *l. Si pupillus*, 9. §. 1. *ff. de novat.*) nisi contrahentes putarent conditionem talem adiectam contingentem tantum esse, vei si adderent taiem ciausulam ad definiendum tempus, quo contractus ceiebrandus esset.

Si vero contrahatur matrimonium sub conditione impossibili, vel turpi de futnro, et haec non repugnet substantiae, aut bonis matrimonii, habetur conditio taiis pro non adiecta, ita ut matrimonium taliter contractum statim valeat; non valet autem matrimonium, sed ipso iure irritum est, si conditio turpis ab initio adiecta repugnet substantiae, sive bonis matrimonii, fidei sciiicet, generationi, aut indissolubilitati, prout statuitur in *c. Si conditiones*, 7. *h. t.* sicuti enim in priore casu uihil in pactum deducitur, quod snbstantiali obligationi, in matrimonio essentialiter inclusae, repugnat, ratione eu-

ius nullum esset matrimonium, ita in posteriore casu in pactum deducitur tale quid, quod substantiae matrimonii repugnat, et cum quo consistere non potest consensus matrimonialis; si tamen in tale pactum uterque contrahens consentiat: quod si enim unus pacto tali expresse, vel tacite non consentiat, sed contradicat, validum esset matrimonium, cum eo ipso, quod alter non consenserit, censeatur a pacto tali recessum. Quod autem conditio turpis, aut impossibilis, sub qua matrimonium contrahitur, si non repugnet bonis matrimonii, pro non adiecta habeatur, et nihil vitiet contractum, in favorem matrimonii specialiter constitutum est, *argum.* §. *Impossibilis. Institut. de haered. instituend. iuncta glossa v. Impossibilis.* Si tamen contrahentes sciant adiectam conditionem impossibilem, aut turpem esse, et ius tales conditiones pro non adiectis in contractu matrimoniali habere, vel saltem dubium sit de tali scientia, cum ut sic ecclesia praesumat, loco tantum conditionem talem adiectam fuisse, quae tamen praesumptio locum non habet, si de alia contrahentium mente constet, quo in casu ex defectu consensus nullum erit sub conditione tali turpi, vel impossibili contractum matrimonium, quamvis conditio illa turpis non sit contra substantiam matrimonii.

§. IV. *Proponuntur, et resolvuntur aliae nonnullae quaestiones circa sponsalia, vel matrimonia sub conditione contracta.*

Quaeritur primo, an contractum de praesenti sub conditione contingente, ac honesta matrimonium novo consensu indigeat, ut validum sit, post conditionis eventum. Respondetur probabile esse, quod non indigeat, modo contrahentes in eadem prima voluntate permaneant, cum etiam alii contractus sub conditione honesta contingente de futuro contracti validi sint, post eventum conditionis, absque novo contrahentium consensu, prout passim canonistae docent, et patet *ex l. Potior*, 11. *ff. Qui potior in pig.*

Quaeritur secundo, utrum post Tridentinum non tantum contractui matrimoniali de praesenti, sub conditione tamen pendente, parochus, et testes adesse debeant, sed etiam impletioni conditionis? Respondetur; probabiliter affirmant aliqui, probabilius tamen videtur, quod non absolute impletioni tali adesse debeant, sed per contrahentes de ea impleta certiores fieri, neque enim alias de eo absolute contracto in foro externo testari possunt: tutius tamen est ad multa incommoda cavenda, ut in casu talis conditionati matrimonii, quod raro concedendum est, novus consensus coram parocho, et testibus a contrahentibus, post conditionem impletam, adhibeatur.

Quaeritur tertio, de obligatione eorum, qui de iure quidem impediti, sponsalia tamen de futuro, sive matrimonium, contrahunt sub conditione dispensationis papalis. Respondetur primo, non tantum licita per se esse sponsalia talia de futuro sub dicta conditione, sed inducere ea etiam obligationem, ut eventum conditionis exspectent, qui taliter contraxerunt, cum adiecta haec conditio sit honesta. Respondetur secundo, probabile etiam esse, quod contractum matrimonium sub tali conditione inter impeditos, impedimento ecclesiastico, absque novo consensu post purificatam conditionem, in absolutum matrimonium transeat, ut ex 1. quaesito huius §. patet; et quod tu-

tius si post impetratam dispensationem coram parocho, et testibus novum consensum ponere, prout probabilius esse etiam Layman fatetur.

Quaeritur quarto, quae sponsalia valida sint, et servanda, si quis cum duabus sub conditione honesta, et contingente contrahat. Respondetur, si sponsalia de futuro cum duabus contracta dicto modo fuerint, priora valida erunt, etiamsi posteriorum conditio prius purificetur, quia taliter contrahens nec licite, nec valide potuit posteriora sponsalia contrahere, ad conditionis eventum expectandum per priora sponsalia obligatus, nisi illa prorsus dissoluta fuissent. Si vero matrimonium de praesenti, sub conditione tamen honesta, et contingente cum duabus contraxit, illud validum erit, cuius conditio prius impletur, modo contrahens consensum in alterum matrimonium, ante eventum illius conditionis, non revocaverit, quamvis enim licite non agat, taliter cum duabus sub conditione tali successive contrahendo, valide tamen hunc contrahere negari non potest, et quia consensus absolutus praevalet consensui conditionato, per eventum autem conditionis factus fuit consensus absolutus, consequenter hic praevalet consensui sub conditione, quae nondum evenit, adhuc pendenti. Quod si tamen simul impleatur utraque conditio, neutrum matrimonium valet, cum in tali casu consensus non adsit in determinatam personam, sed tam in illam, quam in hanc feratur. Haec tamen omnia vitari facile possunt per assistentiam prudentis parochi, tales conditiones in contractu matrimonii non permittentis.

§. V. *An causa, demonstratio, vel modus adiectus contractui matrimoniali ipsum vitiet, vel suspendat?*

Respondetur, si causa, vel demonstratio adiiciatur tali contractui matrimoniali, sive turpis illa, sive honesta sit, sive repugnet substantiae matrimonii, sive non, sive vera, sive falsa sit, per se nunquam suspendit, aut vitiat matrimonium, sed semper habetur pro non adiecta, et matrimonium valet; neque enim per adiectionem talis causae, aut demonstrationis tollitur consensus necessarius ad contractum matrimonialem, cum ea non se habeat per modum obiecti (quo in casu esset error personae) sed tantum declarat, quam opinionem habeat de persona, cum qua contrahit: modus vero adiectus contractui matrimoniali non vitiat quidem, nec suspendit illum, nisi sit contrarius substantiae, aut bonis matrimonii, cum per talem modi adiectionem obligatus quidem maneat contrahens ad modum illum praestandum, non tamen contractum suspendat; vel si turpis ille sit, aut impossibilis, pro non adiecto habeatur, saepe tamen, quod aliis modus habetur, aliis est conditio, de qua loquendum erit, prout de conditionibus dictum est.

§. VI. *De conditionibus adiectis in aliis contractibus.*

Variae sunt conditiones, quae hinc inde contractibus adiungi possunt, et si verae conditiones de futuro sint, saepe usque ad eventum conditionis contractuum firmitatem suspendunt. De quibus hinc inde in variis titulis agitur. Illud hic advertendum adhuc ex *c. Verum*, *4. h. t.* saepius conditionem poni in iure pro modo, prout *in relato c.* fit, ubi dicitur, si ecclesiae aliquid donetur sub conditione (id est certum modum addendo, quem donans observari

vult ab ecclesia) revocari non posse donationem talem (ob favorem ecclesiae, aut piae causae, cui donatio cum tali modo adiecto facta fuit) si postmodum conditio (modus scilicet) non impleatur, nisi expresse cautum sit de revocanda donatione, si modus non impleatur.

TITULUS VI.

QUI CLERICI, VEL VOVENTES MATRIMONIUM CONTRAHERE POSSUNT.

§. I. *Utrum ordo sacer dirimat matrimonium, et quo iure ?*

Dirimi matrimonium per ordinem sacrum, subdiaconatus, diaconatus, et presbyteratus ex *Trident. sess.* 24. *De sacro matrimon. can.* 9. *et ex cap.* 1. *h. t.* patet, ita ut nullus horum valide matrimonium contrahat, (nisi per illatam vim, aut gravem metum, vel ante pubertatis annos, vel aliter invalide ordinatus fuisset) et consequenter liberi eorum sint illegitimi, et irregulares, quia condecet, ut ait pontifex, Dei sacerdotes, nec non levitas, continentes esse, ob reverentiam etiam ministeriorum, et officiorum illis commissorum: quae tamen constitutio extendenda non est ad minores ordines inferiores subdiaconatu, quibus initiati valide (caeteris paribus) matrimonium contrahere possunt, cum illis nullum votum ad continentiam obligans annexum sit ex constitutione ecclesiae.

Multo autem probabilius est, quod impedimentum hoc dirimens ordinis sacri, non ex iure naturali, vel divino, sed solo ecclesiastico proveniat, cum graecis sacerdotibus usus matrimonii, ante susceptum presbyteratum contracti, non tollatur per ordinem sacrum susceptum ; neque uilibi ius divinum hoc prohibens habeatur ; et matrimonium etiam contractum ante susceptos sacros ordines, nondum tamen consummatum, non dissolvatur per ordinum talium susceptionem, iuxta *Exravag. Antiquae, inter extravag. Ioan. XXII. De voto.*

§. II. *An, et quo iure votum solemne castitatis per profesionem, matrimonium postea initum dirimat, et an etiam votum simplex castitatis impediat matrimonium, atque dirimat ?*

Quod votum solemne castitatis in religione approbata per professionem emissam, irritum reddat matrimonium subseqnens, et consequenter tale votum impedimentum dirimens sit, ex *Tridentin. l. citat.* habetur, *et ex capit. Meminimus*, 3. *h. t.* ex quo cap. etiam habetur, quod votum simplex castitatis (qualia sunt vota qualiacunque castitatis, quae non sunt professio religiosa, aut ordini sacro annexa) aut solum votum ingrediendi religionem ex iure communi non sint impedimenta dirimentia, sed contractum cum talibus votis matrimonium, quamvis contrahens peccaverit, validum sit, prout etiam habetur *in c. Rursus*, 6. *h. t.* cum impedimenta matrimonii veint odiosa extendenda non sint ultra iuris (saltem positivi) constitutiones, et hinc per solum habitus regularis, etiam professorum assumptionem, non impeditur, quominus valide matrimonium contrahatur, uti habetur ex *cap. Consuluit*, 4. *h. t.* si sine promissione alicuius ex substantialibus ordinis approbati fiat : quamvis enim votum simplex, et votum solemne castitatis ex natura rei non differant, differunt tamen ex ecclesiae constitu-

tione, cum huic annexum sit impedimentum dirimens matrimonium de iure ecclesiae, non autem illi, uti constat etiam ex *cap. unic. De voto in* 6. Religiosi tamen societatis ex speciali constitutione Gregorii XIII. etiam per vota simplicia impediuntur, quominus valide matrimoninm post vota illa, quamvis simplicia contrahant.

§. III. *An per votum simplex castitatis dirimantur praecedentia sponsalia de futuro ?*

Ex dictis fere iam patet responsio; quod enim ob votum simplex castitatis, praecedens sponsalia, nulla haec sint postmodum contracta, ex eo patet, qnod sint promissio de re illicita, alteri iam obligata, et consequenter nulla sint. Qnod autem ex parte alterius, qui votum non fecit, solvantur sponsalia, altero votum faciente, mutatio notabilis facit, et quod fidem non teneat ei servare, qui datam mihi fidem non servavit; ntrum autem ex parte etiam voventis priora sponsalia dissolvantur, in utramque partem probabiliter disputatur, et affirmativa pars videtur etiam probari posse ex eo, quod fides Deo data per votum simplex castitatis videatnr praeferenda fidei, alicui homini per sponsalia de futuro datae. Negativa tamen sententia, quae probabilior videtur, probari etiam potest ex *c. Veniens*, 5. *h. t.* et ex eo, quod Deus non acceptet tale votum in praeiudicium priorum sponsalium.

TITULUS VII.

DE EO, QUI DUXIT IN MATRIMONIUM, QUAM POLLUIT PER ADULTERIUM.

Agitur in hoc titulo de impedimentis criminis, adulterio scilicet, occisione coniugis etc., explicando, quando haec sint impedimenta dirimentia.

§. I. *An, et quando adulterium dirimat matrimonium subsequens ?*

Si quis vivente adhuc legitima uxore, cnm alia, quam adulterio polluit, de praesenti clandestine, et nuliiter de facto contrahit, vel huic adulterae promissionem facit post mortem legitimae coniugis ducendi eam, incurrit impedimentum criminis, ut hanc adnlteram post mortem legitimae coningis ducere non possit, ne ob promissionem, et spem matrimonii futuri, captetur occasio occidendi priorem coningem. Ut autem impedimentnm hoc incnrratur, debet matrimonium prins contractum fuisse validum (invalidum enim si prins matrimoninm fnit, non dirimit matrimonium postea cum ea contrahi, cui per adulterium existimatum cognitae, promissio de futuro matrimonio facta est) et ab adultera sciente prioris coniugis vitam, adulterium fuisse commissum, ac fides de futuro matrimonio recepta, sive haec post adulterium commissum data fuerit, sive ante, modo data sit durante eodem legitimo matrimonio, et recepta, cum in utroque casu detur occasio captandae mortis. Et quamvis sola promissio de futuro matrimonio, aut solus de praesenti contractus matrimonialis, vivente adhuc legitima coninge, cum altera invitus non sufficiat ad impedimentum dirimens hoc incurrendum, sed debeat insnper intervenire adulterinm ex utraque parte cognitum, passim tamen omnes docent, nullam esse promissionem talem, ob periculum ca-

ptandae mortis, uti colligitur ex *cap. Si quis*, 8. *h. t. et argum. cap.* 2. *De concess. praebend.* et qui contrahere de praesenti cum nduitera, vivente legitimn uxore, attentat, nou tantum aduiteram hanc post mortem suae iegitimae coningis ducere non posse, sed nec uiinm alinm, iuxta *cap. Cum haberet*, 5. *h. t.* graviorem scilicet poenam imponente ecclesia graviori delicto.

§. II. *Quaenam conditiones requirantur, ut adulterium dirimat matrimonium inter adulteros?*

De his priore §. iam satis colligi potest, modo adhuc advertatur, quod promissio facta debeat esse pura, et nbsoiuta, vei saltem, ut ante mortem coniugis fuerit purificata, ut prnebeat scilicet captandae mortis occasionem.

§. III. *An, et quando crimen homicidii, seu machinationis mortis alterius coniugis dirimat matrimonium subsequens?*

Occisio coniugis, vei mnchinatio facta in mortem coniugis, cum proposito contrahendi matrimonium postea cum alio superstite, est etiam impedimentnm criminis dirimens contrahendum matrimonium cum ea, quae ad occisionem innocentis iuvit; vel si nihil ad occisionem innocentis iuvit, aduiterium tamen cum eo, qui postea innocentem coniugem occidit, commisit, sciens legitimam illius uxorem adhuc vivere, ita ut inter huius et primi §. impedimentum, hoc intersit, quod in hoc §. ad incurrendum hoc impedimentum dirimens non requiratur promissio ab aduitero v. gr. data, et recepta ab nduitera v. gr. de futuro matrimonio, sicuti requiritur in casu primi §.; sed sufficiat nduiterium commissum, et occisam v. g. ab adultero coniugem, vel utrumqne in mortem aiterius innocentis, etiam sine aduiterio moraliter snltem machinatum fuisse, cum proposito ineundi postmodum matrimonii, prout haec colliguntnr ex *cap. Significasti*, 6. *h. t.* ad impediendam scilicet mortis captandae occasionem.

TITULUS VIII.

DE CONIUGIO LEPROSORUM.

§. I. *An per lepram supervenientem praecedentia sponsalia de futuro dissolvantur, vel etiam matrimonium praecedens?*

Sponsaiia de futuro dissoivi per supervenientem lepram ex *c. Literas*, 3. *h. t.* patet, si aiter sponsus, qui immunis est a lepra, hoc petat; et probat notabiiis, quae in tali casu, post contracta sponsalia de futuro intervenit, mutatio: matrimonium tamen contractum de praesenti, per supervenientem lepram non dissolvitur, qnoad vinculum *cap. Pervenit*, 1. *h. t.* quia matrimonii vinculum indissolubile est usque ad mortem, nisi, in quantum in casu rati tantum matrimonii in favorem religiosae professionis, aut ex dispensatione pontificia hoc permittitur, ut dictum.

§. II. *Aliae nonnullae quaestiones circa coniugia leprosorum proponuntur, et resolvuntur?*

Tria adhuc quaeri possunt, quae omnia ex *cap. Quoniam*, 2. *h. t.* re-

solvenda sunt. Primo, an propter lepram coniux a coniuge quoad thorum sit separandus, et respondetur negative, quia a Christo sacramenti matrimonii institutore, propter fornicationem, sive adulterium tantum separatio quoad thorum conceditur. Secundo, an leprosi contrahere matrimonium possint, et respondetur affirmative, quia nullo iure matrimonium eis prohibitum est. Tertio, an coniuges leprosi debeant sibi invicem reddere debitum coniugale, et iterum respondetur affirmative, iuxta generale praeceptum *Apost.* 1. *ad Corint.* 7. quo uxori vir debitum reddere praecipitur, et similiter uxor viro, nisi ex iudicio fortasse medicorum, in notabile damnum alterutrius partis hoc cederet, cum obligatio haec locum non habeat, nisi salva maneat individui reddentis incolumitas.

TITULUS IX.

DE CONIUGIO SERVORUM.

§. I. *An servus possit licite, et valide contrahere matrimonium invito, vel ignorante domino; et qua ratione error status, seu conditionis servilis dirimat matrimonium, et quo iure?*

Conditionem servilem impedimentum dirimens esse, quominus cum libera v. gr. a servo matrimonium contractum valeat, si conditionem servilem illa ignoret, colligitur ex *cap. Proposuit*, 2. *h. t.* cum enim error conditionis servilis valde repugnet bonis matrimonii, noluit ecclesia talia matrimonia valida esse, si ignoretur conditionis servilis status a contrahente, libera v. g., quamvis si utraque contrahentium pars servilis conditionis sit, valeat matrimonium, invito etiam et contradicente domino contractum, uti patet etiam ex *t.* 1. *h. t.* cum concessum iure naturae matrimonium ob bonum tam publicum, quam privatum, negari his non debeat, qui ad servitia consueta adhuc obligantur dominis suis, et sic matrimonium tale nemini praeiudicans sit; et valeat etiam matrimonium, quod libera cum servo contrahit, quem scit servum esse, cum in tali casu scientiae suo iuri, et praeiudicio cedere videtur; noluit tamen eorum matrimonia valere ecclesia, quae liberae v. gr. ignorantes servilem conditionem alterius, cum quo contrahunt, inire attentant, ut ne graviter huic ignoranti per tale matrimonium praeiudicetur, et bonum etiam publicum patiatur.

§. II. *An, et quando proles quoad libertatem, et servitutem sequitur conditionem non matris, sed patris?*

De iure quidem communi partus sequitur conditionem matris, quoad libertatem, et servitutem *cap. fin. de serv. non ordinand. et instit. De iure personarum* §. *Servi autem;* valet tamen etiam statutum, vel consuetudo legitime praescripta, ut patris conditionem, quoad libertatem, et servitutem, sequatur proles *cap. Licet*, 3. *h. t.* quia cum res haec tota descendat ex iure humano, potest ei derogare consuetudo; quin etiam in dubio semper pro libertate, favore libertatis, iudicandum est, cum favor libertatis sit maximus *cap. fin. De re iudicat.*

TITULUS X.

DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

Natum ex libera matre, liberum esse de iure communi, modo ante dicto, quod idem dicendum est de nato ex liberta, *cap. Inducens unico h. t.* et quamvis quoad familiam, nobilitatem, dignitatem etc., patris conditionem sequatur filius *l. Cum legitimae*, 19. *iuncta gloss. ff. De statu hominum*, cum proles a patre tanquam causa principali esse habeat; quoad statum tamen libertatis, aut servitutis, matris conditionem sequitur proles, defectum hunc patiens a causa minus principali. Sufficit autem ad prolis libertatem, si mater tempore conceptionis, vel tempore nativitatis, vel intermedio aliquo tempore, quo proles in utero ferebatur, fuit libera, exigente hunc fovorem favore libertatis.

TITULUS XI.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

§. I. *Quid sit cognatio spiritualis, unde oriatur, et inter quas personas contrahatur?*

Cognatio spiritualis est propinquitas quaedam personarum, quae ex statuto ecclesiae oritur ex administratione, seu collatione, et susceptione sacramenti baptismi, et confirmationis; sicuti enim per carnalem generationem homo nascitur naturaliter, et postea corporaliter roboratur, sic per baptismum regeneratur homo spiritualiter, et per confirmationem spiritualiter roboratur; sicuti ergo generari, et roborari naturaliter, et corporaliter inducit cognationem naturalem, ita regenerari, et roborari spiritualiter infert cognationem spiritualem perpetuam; non quidem ex iure naturali, cum sacramentorum ratio nullum iure naturali fundamentum habeat, sed ex iure ecclesiastico; et quamvis de antiquo iure decretalium triplex fuerit huius cognationis species, paternitatis scilicet, compaternitatis, et fraternitatis, hodierno tamen iure standum est dicendis §. sequente.

§. II. *Quaenam circa cognationem spiritualem, sive paternitatis, sive compaternitatis, sive fraternitatis, iure antiquo decretalium statuta sint, et inter quas personas impediat ea matrimonium contrahendum, vel dirimat iam contractum?*

Materia huius §. cum hodie in usu vix sit, rectius ea ex *auct. Method. hoc* §. vel ex variis iuris, et huius tituli capitulis c. 1. 2. 3. 5. 6. et 7. etc. intelligi poterit, quam ut pluribus ea hic examinetur.

§. III. *An per catechismum praecedentem baptismum contrahatur cognatio spiritualis impediens, ac dirimens matrimonium?*

Etiam haec §. huius materia nullius hodie usus est, postquam, quod olim impedimentum impediens erat, baptizandi instructio, sive catechismus, hodie desiit. Videatur *c.* 5. *h. t. et* 2. *in* 6. *eodem.*

§. IV. *An plures possint intervenire patrini, seu susceptores in baptismo, et confirmatione de iure antiquo, et an inter omnes, si plures sint patrini, contrahatur cognatio spiritualis ?*

Vide de hoc antiquo iure *c. Quamvis,* 3. *h. t. in* 6. nobis hodie servit ad banc cogaationem spiritualem, ut impedimeatum dirimens est, conciiium Tridentinum, quod multa antiqui iuris circa hoc impedimentum statuta, correxit. De hoc proinde Tridentino sit

§. V. *Inter quosnam contrahatur cognatio spiritualis in baptismo, et confirmatione de iure novo concilii Tridentini ?*

De iure novo conciiii Tridentiui *in sess.* 24. *c.* 2. *De reform. matrimonii,* duae tantum sunt species cognationis huius spiritualis ex baptismo, et confirmatione ortae. Prima est paternitatis, quae inter baptizantem, aut confirmatum ex altera parte contrahitur, cum iili proprie loquendo sint patres spirituales baptizati huius, aut confirmati; altera est compaternitatis, quae intercedit inter baptizantem, vel confirmantem, ac susceptores ex una parte; et inter patrem, et matrem naturalem baptizati, aut confirmati ex altera parte, cum ad vitam tam naturalem, quam spiritualem dandam proli hi utique concurrant.

§. VI. *Quae conditiones requirantur ad munus patrini, et ad contrahendam cognationem spiritualem in baptismo, et confirmatione ?*

Pertinebat olim ad patrinum in vita christiana instituere eum, cuius in baptismo patrinus est, praesertim docendo eum symbolum apostolorum, et orationem dominicam, et quamvis hodie ab hac obligatione liberi sint patrini, cum parentibus, aut ludi moderatoribus haec obligatio incumbat, debet tamen etiam hodie, qui patrini munus suscipit, usum rationis habere, esse baptizatus, et intentionem habere munus patrini exercendi; sicuti autem ad hanc cognationem spiritualem contrahendam requiritur, ut sacramentum baptismi, aut confirmationis valide conferatur; ut patrinus teneat, vel tangat baptizatum, aut confirmatum, dum haec sacramenta conferuntur; vel immediate eum ex manibus baptizantis, vel confirmantis suscipiat, animo obeundi munus patrini; vel certe per procuratorem teneat, quem ipse principalis constituit, ita nec fidelis cum infideli cognationem spiritualem hanc contrahit, etiamsi infideiis filium baptizet, aut teneat fideiis v. gr., cum cognatio haec sit reciproca, et vel ab utraque parte contrahatur, vel a nulla.

§. VII. *Proponuntur, et resolvantur aliae nonnullae quaestiones circa cognationem spiritualem ortam ex baptismo, et confirmatione.*

Quaeritur primo utrum contrahat cognationem hanc spiritualem, qui infantem in necessitate non solemniter baptizatum, ut patrinus tenet. Resp. affirmative, quamvis probabiliter contrarium teneant alii, cum enim vere hic patrinus sit, et hoc animo infantem teneat, consequenter cognationem banc spiritualem, et alias patrini obligationes contrahat, quamvis enim in tali pri-

vato baptismo patrinus necessarius non sit, si tamen quis patrini officium subire velit, non reiicitur.

Quaeritur secundo an contrahat cognationem hanc spiritualem laicus christianus, si baptizet in necessitate infantem aliquem? Resp. Affirmative, quia de iure tantum expressum est, quod cognatio haec, et impedimentum oriatur ex vero baptismo, qualis in hoc casu administratur. Excusat tamen extrema necessitas, aut iuris huius ignorantia patrem, quominus cognationem hanc, et impedimentum cum sua coniuge contrahat, et usum matrimonii sui habere non possit, si infantem suum, aut communem utique in tali necessitate, aut cum tali ignorantia baptizet, aut teneat *canon. Ad limina*, 7. *caus.* 30. *quaest.* 1.

Quaritur tertio, an haereticus sit capax huius cognationis. Resp. affirmative, cum ecclesiae legibus subiectus sit: immo consuetudo illa nostrae Germaniae, ubi catholici patrini existunt liberorum ex haereticis parentibus natorum, et ab haeretico ministro baptizatorum, improbari non debet, modo baptismus conferatur in nomine, et forma sanctissimae Trinitatis, cum patrinus talis, nec cooperetur haeresi in tali casu, quia baptismus hic in vera fide confertur, nec communicet illicito modo cum excommunicato, *post Extravagant. concil. Constant.* Neque tamen tam facile concedi debet, ut haereticus patrinus catholici parentis a catholico sacerdote baptizatos liberos teneat, cum hic patrinus non sit idoneus ad instruendam prolem susceptam in vera fide, quod tamen munus per se patrini est; ad multa tamen incommoda devitanda absolute, ex causa gravi, etiam hoc permitti potest, modo nulla de instructione fiat promissio, et multum fortasse ad omne scandalum devitandum iuvabit, si publice protestetur baptizans, quod infantem hinc in fide catholica baptizet, et instruendum fore in illa fide, nihil in contrarium obstante.

TITULUS XII.

DE COGNATIONE LEGALI.

Cognatio legalis potissimum oritur ex adoptione, ideo huius etiam aliqua explicatio hic necessaria videtur.

§. I. *Quid, et quotuplex sit adoptio?*

Adoptio, prout communiter definitur, est *extranea personae* (quae non est in potestate adoptantis, aut ex huius descendentibus) *in filium, aut filiam, nepotem, vel deinceps in pronepotem v. g., abnepotem, legitima assumptio:* requiritur ad eam legitime faciendam iuxta legum constitutiones, ut adoptans sit sui iuris, sit masculus (foeminis enim non conceditur ius adoptandi §. *Foeminae, institut. de adopt.*) ut sit maior 25. annis, ad generandos filios naturales non impotens, et maior sit 18. annis adoptato, et sic pater illius naturalis ratione aetatis esse possit; ut adoptatus sit praesens adoptanti, cum adoptatur, et in adoptionem consentiat. Duplex autem est adoptio, una perfecta, quae etiam arrogatio dicitur, vi cuius in potestatem adoptantis transit adoptatus, et fit necessarius illius ex testamento haeres,

ut filius naturalis. Altera imperfecta, simplex, et specialis dicitur, per quam non transit adoptatus in adoptantis potestatem, nec fit necessarius illius ex testamento haeres; sicuti autem illa non fit, nisi principis rescripto, ita haec etiam ab inferiore magistratu fieri potest. Vide plura de utraque hac adoptione apud civilistas.

§. II. *Quid sit cognatio legalis, et quot eius species, et ex qua adoptione oriatur impedimentum hoc dirimens matrimonii ?*

Cognatio legalis, est *propinquitas personarum de iure ecclesiastico, approbante iure civile, ex adoptione proveniens.* Est autem triplex huius cognationis legalis species, prima inter adoptantem, et adoptatum, et descendentes adoptati, si in illius potestate existant, et haec est quasi linea recta cognationis huius legalis. Secunda species est, quasi linea transversa inter adoptatum, et filios, ac nepotes, aliosque descendentes saltem legitimos adoptantis. Tertia species est, per modum affinitatis alicuius inter adoptantem, et uxorem adoptati, et e converso inter adoptatum, et adoptantis uxorem. Sicuti autem certum est, quod oriatur hoc impedimentum dirimens matrimonii ex adoptione perfecta, ita valde probabile est, quod non oriatur ex imperfecta tantum adoptione; cum enim simplex haec, et imperfecta adoptio, in rigore non veniat sub nomine proprie, et rigide dictae adoptionis, impedimenta autem matrimonii, velut odiosa, restringenda potius sint quam extendenda, nisi iura aliud iubeant, nullibi autem ius ad adoptionem imperfectam impedimentum hoc extendat, neque ex hac adoptione imperfecta ea pericula oriantur, quae ex perfecta adoptione, ubi adoptatus cum liberis naturalibus adoptantis cohabitare solet, consequenter non videtur asserendum, quod ex tali imperfecta adoptione hoc dirimens impedimentum oriatur.

§. III. *An omnes tres species cognationis legalis impediant, ac dirimant matrimonium, et inter quas personas ?*

Prima species lineae rectae ascendentium quasi, et descendentium, inter adoptantem v. g., adoptatum, et adoptati filias, neptes, et proneptes, absolute, et indistincte dirimit in perpetuum matrimonium; cum hi omnes non minus sint in potestate adoptantis, ac filii, et filiae naturales. Secunda species linae transversae inter naturales adoptantis liberos, et adoptatum, dirimit quidem matrimonium, si inter hos durante adoptione contrahatur; si tamen contrahatur inter hos, postquam vel per mortem adoptantis, vel per emancipationem cessavit adoptio, valide subsistit tale matrimonium, uti colligitur ex *cap. unic. h. t.* Tertia denique species, quae se habet per modum affinitatis, inter adoptatum, et uxorem adoptantis, ex una parte, et inter adoptantem, et uxorem adoptati, ex altera parte, dirimit perpetuo matrimonium inter hos contrahendum, etiamsi adoptio per mortem verb. grat. adoptantis, aut adoptati, vel per emancipationem huius cessaverit, ita ut nunquam cum uxore adoptantis contrahere possit adoptatus, vel cum uxore adoptati adoptans, prout communiter Auctores colligunt ex generali tituli huius rubrica. Prohibente scilicet ecclesia matrimonialem hanc coniunctionem in prima, et tertia specie ob reverentiam, perpetuo durantem, quae ab adoptato, ab huius uxore,

ac posteris debetur adoptanti : in secunda vero specie, prohibente coniunctionem talem ecclesia, ob interpretativam aliquam fraternitatem inter adoptivum, et liberos naturales adoptantis, quae sicuti non perpetuo durat, ita nec impedimentum hoc in tali casu perpetuum est.

TITULUS XIII.

DE EO, QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUAE, VEL SPONSAE.

Agitur in hoc titulo de impedimento dirimente affinitatis, quae oritur ex copula consanguinea suae uxoris, vel sponsae, ut videbimus.

§. I. *An incestus, sive copula carnalis habita cum consanguinea uxoris suae impediat, vel dirimat matrimonium?*

Respondetur dirimere quidem contrahendum, non tamen contractum; ita ut, qui nondum contracto matrimonio, copulam perfectam cum aliqua habet, non possit consanguineam illius in certo gradu, valide in matrimonium ducere, ob affinitatis contractae impedimentum; si vero, contracto iam valide matrimonio, incestuosam, et adulterinam copulam scienter habet cum suae uxoris consanguinea, inter gradus prohibitos, amittat quidem ius petendi debitum, et aliud post mortem suae uxoris matrimonium licite contrahere non possit (saltem de iure antiquo), si contrahat tamen cum aliqua, non affine in gradibus prohibitis, matrimonium tale non dissolvatur, prout statuitur in *cap. Si quis*, 1. *h. t. et cap. Transmissae*, 4. *eorum*, ac magis ex dicendis patebit.

§. II. *Utrum affinitas superveniens etiam per copulam illicitam dissolvat sponsalia de futuro, vel etiam sponsalia de praesenti, sive matrimonium nondum consummatum?*

Respondetur primo, dissolvi ipso iure prima sponsalia de futuro, per copulam illicitam cum consanguineis sponsae v. g. (in certo gradu) ut habetur ex *cap. Veniens*, 2. *h. t.* ob impedimentum affinitatis superveniens. Resp. secundo non dissolvi tamen sponsalia de praesenti, sive matrimonium, quamvis nondum consummatum sit per copulam talem illicitam, cum consanguineis uxoris, ut ex dictis iam patet, et ex *cap. Discretionem*, 6. *h. t.* cum matrimonium etiam ratum sit indissolubile, extra casus a iure concessos, prout ex dictis iam patet.

§. III. *An impedimentum affinitatis dirimens matrimonium contractum probatur per assertionem unius, vel confessionem utriusque?*

Ex *cap. De illo*, 3. *et ex cap. Super eo*, 5. *h. t.* habetur, quod nec unius, nec utriusque assertio ad dirimendum matrimonium sufficiat, si nullum illud esse praetendant ratione affinitatis ante contractum matrimonium contractae; tum quod unus testis sufficiat quidem ad impediendum matrimonium contrahendum, ut ex dictis patet, ob periculum peccati, non tamen ad dirimendum contractum, ob periculum dissolvendi insolubilis vinculi; tum quod in casu, quo uterque asserit affinitatem contractam, timeri possit col-

lusio, si ad solam illius assertionem dissolveretur contractum matrimonium; quin etiam quamvis confessioni tali rumor viciniae (pars scilicet aliqua viciniae) accedat, de affinitate contracta, matrimonium tamen non dirimitur, cum nondum adsit sufficiens probatio ad negotium tam arduum, quale est dissolutio matrimonii.

§. IV. *Utrum praedictum impedimentum affinitatis oriatur etiam ex copula carnali attentata cum puella impubere; et an etiam ex incestu cum cognata legali, aut spirituali; ac denique ad quotum gradum extendatur hoc impedimentum affinitatis, ortum ex illicita copula cum consanguinea alterius coniugis habita?*

Ad primam quaestionem responsio colligitur ex *cap. Fraternitatis*, 7. *h. t.* (saltem a contrario sensu) negativa, cum impedimentum hoc non oriatur, nisi ex perfecta copula carnali, qualis cum tali impubere haberi non potest.

Ad secundam quaestionem Resp. iterum negative, cum nullo iure probari possit ex tali copula oriri impedimentum dirimens affinitatis.

Ad tertiam quaestionem de iure quidem antiquo respondendum luxta *cap. Discretionem*, 6. *h. t.* eodem modo extendi affinitatis impedimentum ex copula illicita, quo modo extenditur ex copula licita, ad quartum scilicet gradum, ita ut talis illicitam copulam habens, non possit ob impedimentum affinitatis ullam ducere in matrimonium, quae in quarto saltem gradu coniuncta sanguine illi est, cum qua rem illicitam habuit, sicuti non potest ullam ducere in quarto gradu suae uxori, cum qua licitam copulam habuit, sanguine iunctam; per Tridentinum tamen hodie hoc impedimentum ex licita copula ortum restrictum est, itaut tantum extendatur ed secundum gradum *sess.* 24. *c.* 4. *De reform. matr.* ne scilicet ob nimiam impedimentorum talium multitudinem difficilia reddantur matrimonia.

§. V. *Proponuntur, et explicantur aliqua capitula huius tituli.*

Vide de his auctorem Meth. cum vix alia a dictis in relatis hoc §. capitulis afferantur.

TITULUS XIV.

DE CONSANGUINITATE, ET AFFINITATE.

SECTIO I.

De consanguinitate.

§. I. *Quid sit consanguinitas, et quid linea, ac gradus consanguinitatis, et quomodo sint computandi.*

Consanguinitas communiter definitur, *quod sit vinculum personarum, quae ab eodem stipite, seu progenitore, eoque propinquo per carnalem propagationem descendunt;* non tantum quoad similitudinem specificam, prout omnes ab Adamo descendimus, sed quoad similitudinem etiam quasi individualem, quoad complexionem scilicet, mores, et saepe etiam vultus simili-

tudinem, quae quo remotior est, eo magis dissipatur, ut iam non consanguinei dici possint.

Linea consanguinitatis est ordinata series, seu connexio personarum sanguine iunctarum, quae ab eodem stipite descendunt, gradus varios continens, quibus cognationes distinguuntur. Est autem triplex linea, una ascendentium, in qua continentur omnes illae personae, a quibus aliae originem ducunt, ut pater, avus, proavus etc. Altera descendentium, in qua continentur illae personae, quae ab ascendentibus originem ducunt, uti sunt filii, nepotes, pronepotes etc. quae duae lineae etiam rectae vocantur. Tertia est linea ex transverso, sive collateralis, in qua ponuntur eae personae, quae quidem non a se invicem descendunt, omnes tamen ab uno aliquo communi stipite originem ducunt, uti sunt fratres, sorores, patrui, consobrini etc. quae transversa linea iterum subdividitur in aequalem, et inaequalem; in linea aequali laterali ponuntur eae personae, quae aequali gradu distant a communi stipite, uti frater, et soror etc. In linea inaequali dicuntur illae personae collocatae, quarum una magis quam altera a communi stipite distat, uti filii, et patrui, cum patrui uno tantum gradu a communi stipite distent, filii vero cum patruo comparati, duobus gradibus a communi stipite, avo scilicet horum, distent.

Gradus autem consanguinitatis dicuntur distantia unius personae ab altera sanguine iuncta, in eadem linea, qua cognoscitur, quae persona sit stipiti propinquior. Ad hos autem gradus computandos tres communiter afferuntur regulae, quarum prima est pro linea recta ascendentium, et descendentium, ab utroque iure recepta, iuxta quam tot sunt gradus in linea ascendente, vel descendente, quot sunt personae, una dempta; et hinc pater, et filius in primo gradu coniuncti sunt, una enim persona dempta, remanet tantum una, et consequenter uno tantum gradu a se invicem distant; avus vero, et nepos, duobus distant gradibus, quia tres personae numerantur in linea ascendentium, et descendentium, avus, pater, nepos (avi scilicet) ex quibus si unam demas, remanent duae personae, et consequenter duo gradus etc. Secunda regula est pro linea transversa aequali, iuxta quam duae personae ab uno communi stipite descendentes, ita ut neutra tamen ab altera descendat, tot gradibus a se invicem distant, quot gradibus distant a communi stipite; et hinc frater, et soror in primo gradu a se distant, nepos, et neptis ex eodem avo duobus gradibus distat etc., quia illa tantum uno gradu a communi stipite, hi vero duobus gradibus a communi stipite distant etc. Tertia denique regula est pro linea transversa inaequali, iuxta quam duae personae sanguine iunctae inter se distant tot gradibus, quot remotior earum personarum distat a communi stipite; sic filius et neptis ex sorore verb. gr. distant inter se duobus gradibus, quia in linea transversa inaequaliter distant, et remotior quidem, a qua gradus supputatio desumitur in tali casu, duobus gradibus a communi stipite etc., et hae quidem regulae subserviunt pro computatione canonica graduum in ordine ad contrahendum matrimonium; de computatione enim civili in ordine ad haereditarias successiones, vide civilistas.

§. II. *Quinam gradus consanguinitatis, et quo iure matrimonium dirimant?*

In primo gradu lineae rectae inter patrem, et filiam v. g. iure naturae matrimonium nullum esse, communissima docet, et eo quod ex natura rei foedum sit de iure omnium cultiorum gentium commercium carnale inter has personas, et contra reverentiam debitam ascendentibus (nisi extrema, et publica necessitas conservandi genus humanum, talem coniunctionem excusaret) quin probabilius est, quod in secundo etiam gradu, et quovis ulteriore, in linea recta, sit ipso iure naturali, non tantum usque ad quartum gradum, sed in infinitum, nullum inter ascendentes, et descendentes contractum matrimonium, iuxta *l. Nuptiae*, 53. *ff. De ritu nuptiarum, et l. ultim. ff. Eodem*, quae leges per ius canonicum revocatae non sunt, cum *c. Non debet, h. t.* tantum loquuntur de linea transversa, non autem de linea recta.

Probabilius est, quod etiam in primo gradu consanguinitatis lineae transversae, inter fratrem scilicet, et sororem, iure naturae prohibitum sit matrimonium *argum. cap. Gaudemus*, 8. *De divortiis.* Quamvis contrariae etiam sententiae sua non desit magna probabilitas, quae illicitum quidem fatetur tale matrimonium, non tamen iure naturae invalidum; contrahi tamen matrimonium tam in hoc, quam in aliis gradibus ulterioribus prohibitis, de iure ecclesiastico, nulliter, fatentur libenter omnes: et quamvis olim irritum fuerit matrimonium inter consanguineos contractum usque ad septimum gradum, in linea transversa, prout ex pluribus decretorum iuribus *caus.* 35. patet; de iure tamen recentiore decretalium restricta fuit haec nimia extensio, et impedimentum dirimens matrimonium, ex consanguinitate ortum, intra quartum gradum constitutum fuit, *cap. Non debet*, 8. *h. t.* ubi plura etiam impedimenta talia antiqui iuris sublata fuerunt, et id tantum impediebatur, ne valide inter se contraherent, qui intra quartum gradum sanguine iungebantur: et hinc, si duae personae consanguineae inaequaliter a se invicem distantes, ita ut una intra quartum gradum consanguinea sit, altera vero in quinto, vel sexto gradu, matrimonium contrahant, validum erit harum matrimonium, prout expresse habetur *in c. Vir qui*, 9. *h. t.* cum remotior, a quo sumitur distantiae ratio, ultra quartum gradum a communi stipite distat: et falsum etiam est, quod omnes gradus consanguinitatis *Levit.* 18. expressi, sint iure naturae dirimentes, cum nullibi in novo testamento huius prohibitionis habeatur auctoritas.

SECTIO II.

De affinitate.

§. I. *Quid sit affinitas, et qua ratione contrahatur, et inter quas personas?*

Affinitas est *propinquitas personarum ex carnali copula proveniens*, qui enim copulam carnalem perfectam, ad generandam prolem sufficientem cum una aliqua persona habet, fit affinis omnibus illius consanguineis, sive licita illa copula fuerit, sive illicita, sive cum dormiente, invita, et coacta, ebria, insana, etc. fuerit habita copula, etc. in eo autem gradu sunt ma-

rito v. gr. affines consanguinei uxoris v. gr. et uxori v. gr. affines sunt consanguinei mariti, in quo gradu marito, vel uxori consanguinei sunt, ita ut soror v. gr. uxoris in primo gradu affinis sit marito, et frater mariti in primo gradu affinis sit uxori, quia in primo gradu sanguine innecti sunt illis, inter quos copula intercessit. Vocant quidem etiam consanguinei utriusque coniugis se invicem affines, affinitas tamen haec vulgaris tantum est, et nihil impediens, aut dirimens inter consanguineos utriusque coniugis matrimonium; et hinc possunt duo fratres cum duabus sororibus (coeteris paribus) contrahere, potest pater contrahere eum matre, et filius patris huius, cum filia huius matris, si personae tales ex alio matrimonio genitae fuerunt, etc. et quamvis asserant aliqui triplicem speciem affinitatis, iuxta quaedam antiqui iuris capitula, certum tamen est hodie, nullam affinitatem inducere impedimentum dirimens, nisi quae est maritum inter v. gr. et consanguineas personas uxoris, ac uxorem inter et consanguineos mariti; aut fornicantem inter, et consanguineos eius, cum qua fornicatus est, ac huius fornicariae, et consanguineos illius, cum quo fornicatio commissa fuit. Quae ad multas confusiones cavendas bene notanda sunt. Videantur plura de his apud auct. Metho. vel theologos morales.

§. II. *Quousque, et quo iure affinitas dirimat matrimonium?*

Sicuti consanguinitas, ita etiam affinitas, ex copula legitima, et coniugali matrimonium dirimit in linea transversali usque ad quartum gradum inclusive, *c. Non debet*, 8. *h. t.* si vero oriatur affinitas ex copula fornicaria, vel illicita, iure novo Tridentini concilii dirimit matrimonium usque ad secundum gradum inclusive, ut dictum. Probabilius autem est, quod in primo gradu affinitatis lineae rectae, si iure naturae irritum matrimonium inter vitricum v. gr. et privignam, inter privignum, et novercam, etc. et quamvis multam etiam probabilitatem habeat contraria sententia, quae asserit non tantum in aliis gradibus prohibitis affinitatis lineae transversae solo iure ecclesiastico matrimonium dirimi, sed etiam in primo gradu lineae rectae, negari tamen non potest coniunctionem talem suam habere contra ius naturale indecentiam, ut quamvis in reliquis gradibus saepius dispensaverint romani pontifices, nunquam tamen in primo gradu lineae rectae.

§. III. *Utrum affinitas superveniens dissolvat sponsalia, de futuro, et an infideles coniuncti in gradu iure canonico prohibito, post baptismum debeant separari?*

Ad primam quaestionem certa est responsio affirmativa, quod enim dirimit matrimonium contrahendum, utique etiam sponsalia de futuro tollit, cum haec ad contrahendum matrimonium obligent, prout etiam habetur in *c. Super eo* 2. *h. t.* uti supra dictum.

Ad secundam vero quaestionem satis clare respondet pontifex in *c. De infidelibus*, 4. *h. t.* quod contractum ab his infidelibus in gradu, iure canonico prohibito, matrimonium non debeat dissolvi, si postmodum ad fidem hi convertantur, eum enim tales infideles non subsint, dum infideles non sunt, iurisdictioni ecclesiae, consequenter nullo ligabuntur impedimento pare

ecclesiastico, et consequenter validum erit illorum in infidelitate contractum matrimonium, quos autem Deus coniunxit, homo non separet, dicit pontifex in *cit. cap.*

§. IV. *Quae poena sit contrahentium matrimonium in gradu consanguinitatis, vel affinitatis prohibito?*

In *Clement. Eos qui, unica h. t.* excommunicantur, et denuntiari iubentur, qui scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, constitutione canonica prohibitis, matrimonium contrahunt: sicuti autem haec excommunicatio non incurritur per sponsalia tantum de futuro, cum tali impedimento contracta, ita non requiritur ad incurrendam hanc excommunicationem, consummatum fuisse matrimonium, sed sufficit ad eam incurrendam, contractum fuisse cum tali impedimento scienter matrimonium, cum huic poena haec, non autem sponsalibus de futuro, aut consummato matrimonio imponatur. Dixi tamen scienter contractum fuisse tale matrimonium; si enim ignorans impedimentum tale contraxit aliquis, sive facti, sive iuris illa ignorantia sit, quamvis etiam sit culpabilis, modo non sit affectata, matrimonium tale non incurrit hanc excommunicationis poenam, cum iura requirant ad illam incurrendam scientiam. Vide de aliis poenis *gloss. hic v. Iuribus in fine.*

SECTIO III.

De dispensatione in impedimentis consanguinitatis, et affinitatis dirimentibus matrimonium; et de impedimento publicae honestatis.

§. I. *Quousque summus pontifex dispensare possit in gradibus consanguinitatis, et affinitatis?*

Quod in omnibus gradibus consanguinitatis et affinitatis solo iure ecclesiastico matrimonium dirimentibus dispensare possit summus pontifex dubitandum non est, cum hic superior sit omni iure ecclesiastico; et quamvis Tridentinum *sess.* 24. *c.* 5. *De reform.* velit, ut in secundo gradu (lineae transversae) nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam; benignitas tamen pontificis, cui a concilio manus ligatae non sunt, dispensat nonnunquam etiam cum inferioris conditionis hominibus ob causam urgentem et privatam, praesertim si inter ignorantes matrimonium iam contractum fuit. Negari tamen non debet, difficiliorem fore dispensationis impetrationem, quo maior inter personas, quae contrahere volunt, est sanguinis, vel affinitatis coniunctio, ad quas dispensationes expediendas multum saepe facit personarum, cum tali dispensatione contrahere volentium, qualitas.

§. II. *An in dispensatione aliquibus concessa in linea laterali inaequali attendendus sit, et exprimendus gradus consanguinitatis, vel affinitatis remotior, an vero propinquior?*

Si duo sanguine iuncti in diverso tamen gradu, in linea laterali, a communi stipite distantes, matrimonium contrahere velint, remotior quidem

nd computnndos distantiae gradus nttendi debet, ut dictum; ad dispensationem tamen validnm obtinendam necessarium est, ut si eorum alter uno tantum gradu n communi stipite distet, non tantum remotioris v. gr. in tertio gradu distantiae mentio fiat, sed insuper, quod unus eorum in primo gradu a communi stipite distet, prout volnit Pius V. in Bulla *Ascendens per quandam*, 1566. 26. *Augusti*. Aliae vero dispensationes in nliis gradibus valebunt, si remotioris tantum mentio fiat, obtentis tamen postea super propinquiore gradu literis declaratoriis, ut noverit scilicet, in quo dispenset summus pontifex, et reverentln primo gradul debita observetur.

§. III. *An dispensatio obtenta a papa contrahendi matrimonia inter consanguineos in gradu prohibito valeat, si in ea falsa causa expressa sit?*

Decisio huius quaestionis satis quidem haberi posset ex *l.* 1. *Decretal. tit. De rescriptis:* videri tamen etiam de ea potest *c. Quia circa*, 6. *h. t.* et auct. Metho. circa huius cnpituli explicationem hoc §.

SECTIO IV.

De impedimento publicae honestatis orto ex matrimonio rato, et nondum consummato

De hoc impedimento, quatenus oritur ex sponsalibus de futuro, dictum *tit* 1. *huius libri sect.* 1. §. 6. quateuns vero oritur ex matrimonio rato, et nondum consummato, hic de eo agendum, qua in re certum est, quod ex matrimonio rato, et nondum consummato, etinmsi hoc irritum fuerit (nisi irritum sit ex defectu consensus) oriatur impedimentum hoc dirimens cum consanguineis sune uxoris matrimonium, usque ad quartum gradum inclusive; neque enim inris antiqui constitutiones correxit Tridentinum, quoad hoc pnblicae honestatis impedimentum ex matrimonio rato, prout declnravit Pius V. *in sua Bulla, Ad romanum* 1568. 21. *Iulii* data, et consequenter, quod de iure antiquo statutum fuit circa impedimentum hoc ex sponsalibus de futuro, circn hoc impedimentum ex mntrimonio rato omnino observandum est, cum correctio circa illud, quatenus ex sponsalibus de futuro oritur, ad hoc impedimentum, quatenus ex matrimonio rato oritur, extendendn non sit.

TITULUS XV.

DE FRIGIDIS, ET MALEFICIATIS, ET IMPOTENTIA COEUNDI.

Impotentln, de qua hoc titulo agitur, et non tantum sterilitas est prolis generationem impediens, quae nec impediens, nec dirimens impedimentum est; sed idem dicit, ac non posse copnlnm perfectam maritnlem hnbere, et impedimentum dirimens est, alia est natnralis, orta scilicet ex naturali aliquo defectu; alia ex maleficio diabolico; alia perpetua, quae sine miraculo, aut per consuetos ecclesiae exorcismos, vel sine peccnto, illicitne v. gr. incantationis, gravis periculi vitae, aut damni corporalis, etc. tolli non potest; alia temporalis, quae per licita, et ordinaria remedin, nntu-

ralia, vel spiritualia, etc. tolli potest; alia est absoluta, quae respectu cuiuscunque personae impotentem aliquem facit; alia respectiva, qua quis respectu certae tantum personae impotens est; alia praecedit matrimonium; alia illud contractum subsequitur, etc.

§. I. *Quinam sint impotentes ad matrimonium contrahendum*, *vel non?*

In genere dici potest, quod impotentes illi sint ad matrimonium contrahendum, qui sunt impotentes ad perfectam copulam maritalem, unde demum impotentia haec proveniat, *cap. Quod sedem*, 2. *h. t.* cum enim matrimonium ex natura sua institutum sit ad prolis generationem, haec antem naturaliter sine copula perfecta haberi non possit, consequenter, ubi est dicta impotentia, de iure naturae matrimonium subsistere non potest. Ex qua doctrina in specie sequitur primo eunuchos, seu spadones, et utroque testiculo castratos, aut carentes, non posse contrahere matrimonium. Secundo sequitur, senes etiam decrepitos matrimonium contrahere posse, quamvis enim senectus saepius sterilitatem inducat, non tamen impedit perfectum actum coniugalem. Tertio sequitur mulieres, quae non possunt parere sine vitae periculo, vel non nisi foetum mortuum pariunt, matrimonium tamen contrahere posse, si alias ineptae non sint ad perfectam copulam coniugalem. Quarto sequitur, quod etiam in articulo mortis constitutus valide matrimonium contrahere possit, cum potentia ad actum coniugalem in tali per se non deficiat, quamdiu vivit.

§. II. *An*, *et qualis impotentiae coeundi dirimat matrimonium?*

Impotentia perpetua, et absoluta respectu omnium, si praecedat matrimonium, dirimit illud iure naturae, sive impotentia haec a contrahentibus cognita fuerit, sive fuerit ignorata; neque enim potest talis corpus suum tradere alteri ad actum sibi absolute, et perpetuo impossibilem. Quod si tamen per miraculum v. gr. talis impotentia postmodum curaretur, matrimonium illud absolute nullum, per novum postea supervenientem consensum, validum fieri posset. Si vero impotentia illa respectiva tantum sit, et perpetua, nulliter quidem contrahitur cum ea, respectu cuius impotentia adest, non autem cum aliis; cum respectu illius quidem certae personae impossibilis sit actus coniugalis, non autem respectu aliarum. Et denique si temporalis tantum impotentia sit, quae per media licita, et ordinaria, sive spiritualia, sive naturalia, tolli potest, non dirimitur matrimonium subsequens, cum tales non sint absolute impotentes ad actum coniugalem, sed tantum ad tempus; sicuti enim ad solvendum obligare se potest, qui in praesenti quidem, non tamen absolute ad solvendum est impotens, ita etiam in nostro casu fieri potest.

§. III. *Referuntur*, *et explicantur varii casus in specie*, *in quibus propter impotentiam coeundi*, *matrimonium dissolvitur*, *vel separatur*, *aut non separatur.*

Videatur de his, quae in variis capitulis, tam hoc, quam sequenti §. et §. 5. examinantur, auctor Meth. ubi etiam multa referuntur, de pro-

batione huius impotentiae, de triennio experientiae, de iuramento coniugis, et propinquorum, de impotentia, quae supervenit matrimonio contracto, et hoc nunquam dissolvit, quamvis copulam faciat illicitam, de incisione ferenda, ratione arctitudinis, quae omnia cum sint valde caute intelligenda, ob gravia praeiudicia, rectius auctoribus variis relinquuntur, quam ut in compendium deducantur.

TITULUS XVI.

DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIAE.

§. I. *An, et qua ratione matrimonium contractum contra interdictum ecclesiae dirimatur, vel impediatur?*

Interdicit, seu prohibet ecclesia nuptias, nonnunquam per canonem, sive legem ecclesiasticam; prout certis temporibus prohibentur fieri non tam matrimonium, quam nuptiales solemnitates, tempore adventus v. gr. tempore quadragesimae, etc. nonnunquam interdicit seu prohibet matrimonii contractum iudex ecclesiasticus, qui ob legitimam causam, ne matrimonium contrahatur, prohibet, eo quod priora v. gr. sponsalia dissoluta nondum sint, vel quod subesse impedimentum timeatur. Tertio nonnunquam parochus ipse contrahentium tale matrimonium prohibet, eo quod v. gr. videatur inter contrahentes aliquod impedimentum esse. Quod si contra prohibitionem ab ecclesiastico iudice, vel parocho factam, matrimonium contrahatur, validum quidem illud erit, illicite tamen contractum, cum prohibitio talis non sit impedimentum dirimens, sed impediens tantum, et si fiat talium coniugum ad tempus separatio, haec non fiat, quoad vinculum, sed tantum quoad thorum.

§. II. *De aliis impedimentis, quae non dirimunt, sed impediunt tantum matrimonium contrahendum.*

Plura communiter enumerantur, quorum tamen plerorumque nullus hodie usus, et praxis est, consuetudine contraria licita faciente matrimonia, etiam cum illis impedimentis impedientibus contracta. Sic primo impedimentum catechismi, ex instructione scilicet parvuli in ordine ad baptismum proveniente, aut quod aliquis in catechismo tali pro parvulo respondeat, olim quidem impediebat matrimonium inter tales spirituali cognatione coniunctas personas, hodie tamen nulla illius praxis est. Sic secundo sunt varia crimina, quae olim impediebant, in poenam scilicet, matrimonia, quale crimen fuit levasse seu suscepisse propriam prolem de fonte sacro, in fraudem debiti coniugalis; patrinum confirmatione propriae prolis fuisse, animo subterfugiendi debiti coniugalis; sacerdotem iniuste occidisse; solemnem, et publicam poenitentiam agere; sacrilege, et scienter cum moniali contraxisse matrimonium; uxoricidium commisisse; sponsam alienam rapuisse; incestum cum consanguineis propriae uxoris, adhuc viventis, commisisse, cum matre aut filia fornicatum fuisse, etc. hodie tamen horum impedimentorum impedientium nulla est praxis, et nihil contrahenda matrimonia (coeteris paribus) prohibent, vel impediunt. Impediunt tamen etiam hodie prohibitio a iudice

ecclesiastico facta, sponsalia priora nondum dissoluta, votum simplex castitatis, et nuptiales solemnitates, prohibet etiam tempus sacratum prout ex dictis iam patet.

TITULUS XVII.

QUI FILII LEGITIMI?

§. I. *De filiis legitimis, et illegitimis in genere.*

Quod filiorum alii legitimi sint, alii illegitimi, communissima docet; legitimi, vel sunt legitimi tantum, quales sunt filii adoptivi, non natura, sed ex sola lege filii, vel sunt legitimi naturales, qui ex legitimo matrimonio, et iustis nuptiis, veris, vel putativis, nati sunt. Illegitimi dicuntur, qui nati sunt non ex legitimis, et iustis vere, aut putative nuptiis, et horum alii sunt naturales, qui nati sunt ex parentibus, inter quos poterat esse matrimonium ex solutis v. gr. canonice non impeditis, etc. Spurii vero dicuntur, qui nati sunt ex parentibus inter quos non poterat conceptionis tempore esse matrimonium ob impedimentum dirimens, quorum aliqui dicuntur etiam ex damnato coitu geniti, qui nati scilicet fuerunt ex copula, quae a iure civili etiam punitur: alii spurii simpliciter dicuntur, nati scilicet ex copula quidem illicita, cui tamen a iure civili nulla poena posita est, prout sunt nati ex coniugato v. gr. et concubina, aut soluta.

§. II. *Quinam in specie iudicandi sint filii legitimi?*

Ex *c. Cum inter duo, h. t.* habetur, quod filii ex parentibus nati, qui publice in facie ecclesiae (praemissis scilicet denuntiationibus, coram parocho, et testibus) ac sine contradictione, bona fide utriusque, vel saltem alterutrius, matrimonium contraxerunt, quamvis postmodum ob impedimentum cognitum, nullum fuisse illorum matrimonium, per sententiam declaretur, et ipsi sibi mutuo cohabitare non permittantur, legitimi sint, si ante talem sententiam concepti, vel nati fuerint: quia in commodum ac favorem talium liberorum, et in honorem publice ac in facie ecclesiae, bona fide, contractarum nuptiarum, legitima proles talis habetur, ex ecclesiae constitutione, prout etiam habetur *c. final.* §. *Si quis de clandest. despons. iuncta glossa v. Si ambo parentes.*

Ex cap. Perlatum, 8. *h. t.* habetur, quod illi etiam filii pro legitimis habendi sint, qui post probatum impedimentum dirimens, et separationem ab ecclesia factam, cum licentia ad alia vota transeundi, ex alio matrimonio, ad cuius copulam auctoritate ecclesiae transivit v. gr. uxor, geniti sunt: quamvis processus, ex quo sententia lata fuit, ratione ordinis non servati, et neglectarum iuris solemnitatum ad processum iudicialem requisitarum, nullus fuerit, cum independenter a processu valido, aut vitioso, in favorem liberorum hoc statuat pontifex.

Ex c. Quod nobis, 9. habetur, quod legitimi etiam illi habeantur, qui ex matrimonio quidem clandestino, quod postea tamen per ecclesiae auctoritatem approbatum, et publicatum est, sunt nati (quia approbatio ab ecclesia postmodum superveniens retrotrahitur, ac si ab initio adfuisset, in

favorem scilicet prolis, et matrimonii), etiamsi postmodum detecto impedimento separarentur a se invicem tales coniuges.

Ex c. Gaudemus, 15. *h. t.* habetur, quod infidelium filii, quamvis in secundo, aut quarto gradu matrimonium contraxerint, post fidem receptam, legitimi censendi sint, publica utilitate hoc suadente, cum in tali casu nec impedimentum iuris naturae matrimonio illorum obsit, nec iuris ecclesiastici impedimentis teneantur, si, in sua adhuc infidelitate constituti, contrahant.

§. III. *Quinam in specie reputandi sint filii illegitimi?*

Ex *c. Referente*, 10. *h. t.* habetur, quod illegitimi sint, qui ex matrimonio nati sunt, cum impedimento publicae honestatis, contracto; impedimentum enim publicae honestatis impedimentum dirimens est, et matrimonium cum tali impedimento contractum nullum est.

Ex *cap. Causam quae*, 4. *h. t.* habetur illegitimam esse illam prolem, quae ex adulterio uxoris, matrimonialiter, sed nulliter vivente primo marito, alteri copulatae, nata est, cum proles talis nata sit ex matrimonio, ob impedimentum vinculi, nullo. Vide etiam *c. Causam quae*, 7. *h. t.* quae videtur esse pars prioris capituli.

§. IV. *Coram quo iudice saeculari in ecclesiastico tractari debeat, vel possit quaestio nativitatis, seu natalium?*

Quod coram iudice ecclesiastico tractari ac cognosci ea debeat, ex *cap. Lator*, 5. *h. t. et ex c. Tuam*, 3. *de ordin. cognit.* patet, quia causa natalium est mere spiritualis, cum sit accessorie annexa ipsi matrimonio, quod est spirituale, ita ut si causae principali, quae coram iudice saeculari legitime mota est, incidat causa natalium, ad iudicem ecclesiasticum haec remittenda sit, et interim coram iudice saeculari suspensa maneat causa principalis, usque dum haec incidens natalium quaestio a iudice ecclesiastico decisa sit, si tamen haec dependeat a quaestione iuris, utrum validum v. g. fuerit matrimonium, ex quo natus est, de cuius natalibus dubitatur.

§. V. *De legitimatione prolis illegitimae per subsequens matrimonium.*

Prolem talem, si ex solutis nata sit, inter quos tempore generationis non erat impedimentum dirimens, per subsequens suorum parentum matrimonium, quamvis hoc putative tantum validum sit, bona fide tamen, et publice contractum iuxta supra dicta, legitimari, et omnia iura legitimorum obtinere, ex *c. Conquestus*, 1. *et ex c. Tanta*, 6. *h. t.* patet, (eo quod scilicet iuris fictione in favorem talium liberorum subsequens matrimonium retrotrahatur ad tempus conceptae talis prolis), et quamvis de iure civili ad legitimandam prolem talem requiratur, ut interveniat instrumentum dotale, *instit. De nupt.* §. *final.* de iure tamen canonico, necessarium hoc non est, cum vim hanc legitimandi ius hoc tribuat soli matrimonio. Interim tamen sicuti necessarium non est ad prolem talem legitimandam, ut immediate matrimonium inter prolis talis parentes intercedat, sed legitima proles talis habebitur, quamvis mediate tantum parentes talis prolis, vel etiam in articulo mortis contrahant: et sicuti ex probabili valde sententia sufficit ad prolem talem per

subsequens matrimonium legitimandam, quod matrimonium inter tales parentes esse potuerit tempore natae prolis (quamvis, verba iuris proprie explicando, probabilius sit, quod tempore conceptae prolis debuerit omne abesse impedimentum dirimens ad matrimonium inter has personas contrahendum) ita favor hic prolem legitimandi non conceditur matrimonio postmodum contracto, si spuria fuerit, et ex damnata de iure copula generata haec proles, prout pontif. *in citat. c. Tanta*, expresse statuit.

§. VI. *De legitimatione illegitimorum facta per privilegium, sive concessionem papae.*

Per rescriptum principis supremam potestatem habentis, non tantum naturales filii illegitimi, sed spurii etiam, et ex damnata copula geniti legitimari possunt, et ad omnia iura legitimorum restitui (cum enim defectus legitimorum natalium sit tantum iuris humani, consequenter per voluntatem principis tolli potest), et quidem a summo pontifice, non solum quoad ordines ecclesiasticos, dignitates, et beneficia, sed etiam quoad haereditatis successionem in bonis temporalibus, et quoad officia saecularia, non tantum in terris iurisdictioni suae temporali subiectis, sed ubique terrarum, dispensando in radice matrimonii; abrogando, et revocando legem canonicam statuentem tale impedimentum dirimens, et retrotrahendo talem dispensationem in tali casu ad initium matrimonii contracti, in ordine ad damna omnia tollenda, quae ob illegitimitatem illata fuerunt, legitimari saltem indirecte quoad effectus civiles, posse illegitimos, ex *c. Per venerabilem*, 13. *h. t.* patet; cum enim indirecte dispensare possit in radice matrimonii, ubique terrarum consequenter taliter potest.

§. VII. *De potestate legitimandi illegitimos, quae competit saecularibus principibus.*

Potestatem legitimandi ad officia, et actus saeculares esse penes imperatorem, et alios principes, qui in temporalibus superiorem non habent, ex *Authent. Quibus modis natu. affici etc.* ac etiam penes inferiores, ut ad certa quaedam iura fiant illi habiles, prout episcopi etiam dispensare possunt ad ordines minores, et simplicia beneficia, passim conceditur. Ad talem autem legitimationem a supremo principe in foro suo expediendam requiritur primo, ut exprimatur qualitas legitimandi, utrum scilicet naturalis ille, vel spurius sit, utrum sit natus adulterio simplici, vel duplicato; ex incestu, et quali; ex sacrilegio, etc. Secundo requiritur, ut fiat legitimatio talis, vocatis etiam illis, quorum interest, et in quorum praeiudicium, ratione portionis legitimae imminutae, cedere posset talis legitimatio, vel certe, vivente parte, qui petit legitimationem, mentio fiat in tali petitione filiorum naturalium, et legitimorum.

§. VIII. *De probatione legitimitatis natalium.*

Potest, ac debet, qui asserit se legitimum filium esse, probare hoc primo, si doceat parentes suos contraxisse publice in facie ecclesiae. Secundo si probet, quod communi opinione viciniae habebantur, quod essent

maritus, et uxor. Tertio si probet, quod parentes se tractabant, ut maritus, et uxor; et quamvis putent aliqui solam famam sufficere ad probandam legitimitatem, saltem mortuis parentibus, negant tamen hoc alii, videatur *c. Transmissae*, 3. *h. t.* ubi assertioni parentum statur contra legitimos natales, et *c. Per tuas*, 12. *eodem*, ubi testium depositioni magis defertur, quam famae viciniae, et quae dicta sunt de probatione filiationis in *l. secunda*, *decret. tit.* 19. §. 7.

TITULUS XVIII.

QUI MATRIMONIUM ACCUSARE POSSINT, VEL CONTRA ILLUD TESTIFICARI.

§. I. *Quinam admittantur ad accusandum matrimonium, vel testificandum contra illud?*

Si agatur contra matrimonium ad separationem thori propter adulterium, solus ad accusandum admittitur coniux innocens, quia huius tantum, non autem alterius interest. Si vero agatur ad separationem vinculi matrimonialis, ob huius scilicet nullitatem, propter impedimentum consanguinitatis v. gr. primo omnium admittuntur parentes ad accusandum, et his deficientibus proximiores consanguinei, ac post hos etiam extranei, praesertim maturiores, et antiquiores viciniae; et si coniugum tantum intersit valere, vel non valere matrimonium, vel si impedimentum sit, in quo se ipsos iuvare possunt coniuges, uti est impedimentum erroris, impotentiae v. gr. soli coniuges ad accusandum admittuntur, cum hi possint, si non velint ut coniuges, saltem ut frater, et soror cohabitare. Omnes autem, qui admittuntur ad accusandum, admittuntur etiam ad testificandum pro, vel contra matrimonium, dummodo alias sint idonei testes, ita tamen ut etiam parentes, et consanguinei, etc. in causa consanguinitatis v. gr. testificari possint, prout sumitur etiam ex *c. Videatur*, 3. *h. t.* (cum tales praesertim genealogiam suam possidere videantur, et idem possit esse testis, qui fuit accusator, aut denuntiator, prout ex variis iuribus *caus.* 35. *q.* 6. patet).

§. II. *Quinam ab accusatione matrimonii sunt repellendi?*

Respondetur, repelli debent primo ab accusando matrimonium, qui propter quaestum accusationem intentant, *c. Significante*, 5. *h. t.* cum talis accusatio non fiat ex bono zelo, et collusionibus obnoxia sit. Secundo repelli debent, ad multas fraudes cavendas, qui tempore praemissae denuntiationis scilicet impedimentum tacuerunt, nisi postmodum probent suam de denuntiationibus ignorantiam, aut iurent, quod in notitiam impedimenti primum post denuntiationes illas factas, et contractum matrimonium venerint, neque quidquam malitiose contra matrimonium obiiciant, *c. Cum in tua*, 6. *h. t.* sunt autem tres casus, in quibus regulariter praesumitur ignorantia eorum, quae palam fiunt in civitate. Primo si quis existat tum temporis extra dioecesim. Secundo si quis tunc erat in tenera adhuc aetate. Et tertio si ex infirmitate patiebatur defectum usus rationis.

§. III. *Proponuntur, et resolvuntur nonnullae quaestiones occurrentes circa tria capitula huius tituli.*

Videantur c. relatum 1. *h. t. c. A nobis*, 2. *eodem et c. Insuper*, 4. *eodem*, quae rectius etiam videri possunt apud auctor. Meth. quam ut eorum mens hic referatur.

§. IV. *Quis sit iudex competens causarum matrimonialium?*

Triplices sunt causae matrimoniales; quaedam sunt omnino politicae, seu civiles, ut de dotibus, haereditatibus, et successionibus, etc. et hae ad saecularem, seu politicum magistratum pertinent, uti probat illius iurisdictio. Quaedam sunt pure spirituales, ut de partibus sacramenti, de benedictione sacerdotali, etc. et hae pertinent ad ecclesiasticum magistratum. Quaedam sunt partim spirituales, ut de gradibus consanguinitatis, divortiis, et impedimentis, etc. et hae possunt quidem ad saecularem magistratum pertinere, praesertim si tantum quaestio facti sit, semper tamen cum subordinatione ad ecclesiasticum magistratum; prout in Tridentino *sess.* 24. *can.* 12. definitum est, (cum matrimonium novae legis sit sacramentum), et quidem ad episcopum, vel alium inferiorem praelatum, ex illius delegatione, vel ex privilegio, quia causae matrimoniales inter arduas numerantur, ut saepe dictum.

TITULUS XIX.

DE DIVORTIIS.

§. I. *An, et qua ratione licitum sit coniugi instituere divortium ob alterius adulterium?*

Divortium, de quo potissimum in hoc titulo agitur, non est dissolutio matrimonii quoad vinculum, qualis dissolutio fieri potest ob impedimentum dirimens perpetuum inter coniuges putativos intercedens, sed est separatio coniugatorum quoad thorum, et cohabitationem, etc. ita ut manente vinculo coniugali inter legitimo matrimonio coniunctos, sibi tamen nec in thoro, nec in domo cohabitare teneantur taliter coniugati, quale divortium inter coniugatos fieri posse ab innocente, ob adulterium, aut illicitum concubitum cum altera persona, ab altero coniuge commissum, si moraliter certus sit innocens coniux de talibus ab alio coniuge commissis ex sacris literis etiam patet *Matth.* 5. *v.* 32. *et ex c. Significasti*, 4. *h. t.* neque enim frangenti fidem fidem innocens tenetur servare: si tamen, quae innocens prius fuerat, et a marito v. gr. ob adulterium huius discessit, postea et ipsa adulterium committat, tenetur ad priorem maritum redire, et eidem matrimonialiter cohabitare, quia censentur in tali casu paria delicta mutua compensatione tolli, *c. penult. de adult. iuncta gloss. in notatis, et c. Ex literis*, 5. *h. t.*

§. II. *An, et in quibus casibus non liceat divortium instituere propter coniugis adulterium?*

Ex triplici potissimum capite non potest institui divortium ob coniugis

adulterinm. Primo scilicet, quia uterque conlux eiusdem criminis reus est, ob mutuam delictorum compensationem, ut dietum. Secundo, si culpa vacet adulterium, quia ubi nulla est culpabilis fidei violatio, separatio locum non habet. Tertio denique, si coniux innocens iniuriam sibi per adulterium illatam expresse, vel tacite (ut si coninx innocens conscius adulterii alterius, sponte, et omnino libere copulam carnalem cum adultero coniuge habeat, aut alios actus coniugibus concessos admittat) remisit, et quasi condonavit.

§. III. *An, et qua ratione coniuges propter adulterium separati, si postea reconciliati unus vel uterque relabatur in adulterium, possint denuo divortium instituere?*

Posse iterum ab innocente, si post reconciliationem alter eorum in adulterium relabatur, divortinm institui, ratio, et auctoritas supra relata probat, quia praecedens venia, et reconciliatio ad praeterita quidem delicta, non autem ad futura se extendit. Sieuti tamen communiter, et per se non tenetur in conscientia separare se ab adultero innocens, cum separatio talis permissa quidem sit a Christo, non tamen praecepta, et possit innocens quocunque tempore adulterum v. gr. dimissum repetere, modo neuter coniugum statum mutaverit; ita, si innocens prius post sententiam divortii latam, adulterium committat, ex probabili sententia non tenetur redire ad coniugem, a quo propter huius adnlterium, per sententiam separata pars ista fuit, cum per sententiam divortii liberata sit haec pars prius innocens, ab obligatione cohabitationis matrimonialis, et alter nullum ius habeat repetendi coningem, cum per adulterium, post sententiam separationis latam, non censeantur compensari delicta.

§. IV. *An vir possit dimittere uxorem sine iudicio ecclesiae etiam propter publicum, ac notorium impedimentum parentelae, seu cognationis?*

Rectius fortassis haec questio mota fuisset *in tit.* 14. *supra*, ubi actum est de consanguinitate, et affinitate, quia tamen in *hoc tit. c. Porro*, 3. pontifex hanc quaestionem decidit, placuit auctori Method. hic eam referre; respondet ergo *in citat. c.* pontifex, absque iudicio ecclesiae talem non posse propria auctoritate uxorem dimittere, cum qua matrimonium in facie ecclesiae contraxit, ob reverentiam scilicet tanti sacramenti, etiamsi impedimentum sit notorium (publica scilicet fama), quia multa dicuntur notoria, eo quod publica de illis fama sit, quae tamen notoria non sunt; et hinc *c. subsequens*, *Significasti*, ubi dicitur, cogi non debere eum ad coningem recipiendam, quam propter adulterium notorium, sine auctoritate tamen ecclesiae, dimiserat, non contradicit priori *c. Porro*, cum in posteriore capitulo notorium dicat, quod nulla tergiversatione negari, aut excusari potest, in priore vero capitulo, notorium, non omne dubium, et in contrarium exceptionem, excludat.

—

§. V. *Utrum, et quando ob adulterium spirituale, sive ob lapsum in haeresim, vel apostasiam a fide alterius coniugis, liceat catholico instituere divortium, et an rei reverso ad fidem debeat conciliari, seu ad eum redire?*

Quod possit propter lapsum in haeresim, vel apostasiam a fide alterius coniugis, si pertinax pars haec sit, innocens coniux divortium facere, ex *apostolo Paulo ad Titum*, 3. *et ex c. Quaesivit*, 2. *h. t.* ac pluribus aliis iuribus patet: si enim in carnali adulterio, favor hic separationis faciendae concessus est innocenti, negari non debet propter adulterium spirituale; et quamvis propter alia coniugis nocentis crimina non possit divortium celebrare innocens coniux, uti colligitur ex *cit. c. Quaesivit*, utrumque tamen hoc tam carnale, quam spirituale adulterium excipitur, illud quidem ob fidem thori fractam, hoc ob periculum perversionis. Quod si tamen uxor a viro in haeresim lapso, propria anctoritate divertit, compelli potest, ut ad eam, si fidem iterum amplectatur, redeat; si vero per iudicium ecclesiae ab eo seperata fuit, compelli non potest, ut ad eum conversum redeat, *cap. De illa*, 6. *h. t.* posito quod religionem ingressa, et professa fuerit, (ut ne scilicet textus *huius c. De illa*, et sequentis capituli contradicant sibi), quod facere libere potest.

§. VI. *An sicut coniugale vinculum non dissolvitur, altero coniugum fidelium in haeresim, vel infidelitatem lapso, ita etiam si unus ex infidelibus coniugibus convertatur ad fidem, dissolvatur vinculum coniugii, et conversus aliud matrimonium inire possit?*

Respondetur per hoc, quod unus fidelium in haeresim, vel infidelitatem labatur, non dissolvi vinculum matrimoniale, ut ex dictis iam patet, patet tamen etiam ex *c. Quanto*, 7. *h. t.* quod si ex coniugibus infidelibus, alter ad veram fidem convertatur, et transeat, altera in sua infidelitate permanente, et vel omnino non, vel non sine blasphemia divini nominis cohabitare volente, vel ut pertrahat conversum ad peccatum mortale, ac pervertat, poterit conversus ad secunda vota transire, relicta pertinaci, et perversa coniuge in sua infidelitate; quod hodie etiam in casu praeceptum est, quo infidelis coniux cohabitare vellet coniugi fideli, etiam sine iniuria creatoris, et sine inductione ad peccatum grave, ob periculum saltem seductionis, sive deinde hoc snbsit ex propria fragilitate, sive ex malitia infidelis, concedente domino hanc matrimonii dissolutionem in favorem fidei. Probabilius tamen est, quod matrimonium in tali casu fidelis taliter conversi cum infideli non dissolvatur ipso iure, per solam conversionem, sed tum demum, quando conversus aliud matrimonium inivit, qnia si velit relicta in sua infidelitate uxor v. gr. sequi postea maritum, et ad fidem etiam converti, vel saltem cohabitare illi sine iniuria creatoris, et siue inductione ad peccatum mortale, tenetur eam fidelis maritns, si nondum alias nuptias contraxit, recipere, in baptismo enim non coniugia, sed crimina solvuntur.

§. VII. *Proponuntur, et resolvuntur aliae quaestiones circa matrimonium infidelium conversorum ad fidem christianam, et divortium inter illos instituendum.*

Ex *c. Gaudemus*, 8. *h. t.* habemus primo, quod infideles in gradibus a iure canonico tantum prohibitis matrimonialiter coniuncti, non debeant a se invicem separari, si postmodum ad fidem convertantur, cum illi in sua infidelitate constituti legitime contraxerint, nullo impedimento pure canonico eorum matrimonia dirimente, eo quod ecclesia nullam in illos habeat tum temporis iurisdictionem, et eorum in infidelitate contracta matrimonia, verissimum fiant sacramentum, per baptismum ab illis susceptum, quamvis nullus novus expressus consensus in hoc sacramentum interveniat.

Secundo habemus ex *cit. c. Gaudemus*, quod infideles ad fidem conversi, si plures prius in sua infidelitate habuerint uxores, primae adhaerere debeant, dimissis aliis, quia nulli unquam licuit plures simul habere uxores, nisi, cui divina revelatione hoc fuit concessum, prout in antiqua lege concessum legimus patriarchis.

Tertio habemus ex *eodem c. Gaudemus*, quod paganus, si repudiata sua uxore, ad fidem conversus aliam duxerit, cum tamen illa ad fidem etiam conversa maritum sequatur, repudiatam talem in infidelitate uxorem recipere debeat in matrimonii consortem, et ab illa, quam post repudiatam primam duxerat, recedere, etiamsi haec repudiata cum alio iam contraxisset, cum enim hoc legis evangelicae tempore libellum repudii dare nulli ex lege divina concessum sit, consequenter nulla fuit repudiatio illa, sed vinculum legitime contracti matrimonii indissolutum permanebat; ergo si ad fidem utraque pars convertatur, ad se invicem, ut veri conjuges redire debent, non obstante, quod in infidelitate alia matrimonia contraxerint, quae ob vinculum prioris matrimonii nondum dissolutum, nulla fuerunt.

§. VIII. *An ecclesia dispensare possit, ut infideles conversi ad fidem contrahere possint matrimonium cum relicta uxore fratris sui defuncti?*

Prohibetur quidem a pontifice in *c. Deus qui*, 9. *h. t.* ut ne tales deinceps, postquam fidem christianam susceperunt, sibi matrimonialiter copulentur; quodsi tamen in infidelitate adhuc positi talia matrimonia cum relictis fratrum suorum uxoribus contraxerunt, non prohibet illos manere in suo coniugio, et hoc uti, si tamen fratres illis sine prole ex tali coniuge decesserint, id quod iuxta legem mosaicam antiqui testamenti iudaeis licebat, ad hos etiam extendente ecclesia.

§. IX. *Quae sit poena mulieris insidiantis vitae mariti sui, si inde homicidium sit secutum?*

Ex dictis, et ex *c. Si qua*, 1. *h. t.* iam patet, quod mulier talis excidat in poenam commissi viricidii omni spe matrimonii contrahendi post mortem sui mariti, ita ut non tantum uxoricidium, sed etiam viricidium impedimentum impediens, de antiquo iure sit, hodierna tamen consuetudo non observat hoc impedimentum impediens, modo non interveniat impedimentum

criminis dirimens matrimonium cum illo, qui in necem innocentis mariti cum coniuge machinatus est.

§. X. *An propter alias praeterea causas divortium inter coniuges possit institui?*

Temporale divortium, sive ad tempus separationem a coniuge, donec emendetur v. gr., potest coniux propria etiam auctoritate facere, si de salute animae suae graviter periclitetur, ob multam, et gravem ad varia peccata inductionem, si ob saevitiam viri merito timeat grave corporis periculum ex cohabitatione, si perpetuae, et graves inter eos sint rixae, quae nimium molestam reddunt cohabitationem, si alter coniux sit omnino furiosus, aut lepra, vel alio morbo contagioso infectus etc.

TITULUS XX.

DE DONATIONIBUS INTER VIRUM, ET UXOREM, ET DE DOTE POST DIVORTIUM RESTITUENDA.

§. I. *An, et qualis donatio inter coniuges sit invalida; et in quibus casibus sit valida, et licita, vel prohibita?*

Donatio inter coniuges alia simplex est, quae fit ex mera donantis liberalitate; alia fit ob causam aliquam, qualis est donatio propter nuptias, quae fit a marito uxori propter matrimonium, in compensationem dotis sibi datae. Donatio simplex inter virum, et uxorem, constante matrimonio facta, ordinarie invalida est (ne mutuus amor inter coniuges venalis videatur, et refrigescat, si donationes cesserint) ita tamen, ut morte donantis, nisi expresse, vel tacite revocata fuerit a vivente donante, prout libere revocare potest, confirmetur; et quamvis alii contractus inter coniuges valeant, venditio v. gr. permutatio etc. cum aequivalens rei v. gr. venditae pretium pars altera obtineat, uti et legatum, quod refertur in tempus dissoluti matrimonii, simplex tamen donatio, ex qua pars una pauperior, cum diminutione v. gr. sui patrimonii, quod de facto habet, altera vero locupletior evadit, firmitatem non habet, ut ait pontifex in *c. ult. h. t.* (censetur autem omnino revocari talis donatio, ut nec morte donantis confirmetur, si divortium inter coniuges fiat, nisi aliunde constaret, velle donantem non revocatam per hoc donationem; si alteri eadem res vendatur, legetur, donetur, pignori detur etc.; si coniux donatarius mores mutet, in detrimentum donantis; si prius moriatur donatarius; et denique, ut multi volunt, si donatario ante mortem donantis rei donatae non fuit facta traditio. Plura de his vide apud civilistas, qui plures etiam casus afferunt, in quibus simplex etiam donatio inter virum, et uxorem, stante matrimonio facta, valet.

§. II. *Quaenam praeterea donationes inter coniuges valeant, vel non?*

Primo validae sunt factae inter coniuges donationes remuneratoriae, quia remuneratoria donatio non est mere liberalis donatio, et non fit mere gratis, sed in compensationem praestiti alicuius obsequii, et meritorum in-

tuitu etc. ergo per talem donationem non fit venalis amor mutuus matrimonialis etc.

Secundo valida est donatio mortis causa facta, ita tamen ut non transferatur rei taliter donatae, et traditae dominium in donatarium, donec mors donantis intervenerit, et semper donatio talis revocari possit, ne sub nomine donationis inter vivos veniat.

Tertio valida non est donatio, quae fit inter putativos tantum coniuges, si tamen bona fide legitimum suum matrimonium putent, quia ut lex ait, *non quasi ad extraneam, sed quasi ad uxorem fecit*. Si tamen vel uterque coniux sciat matrimonium suum esse nullum, vel donatarius saltem nullitatem talis matrimonii sciat, donans vero sit in bona fide validi matrimonii, tunc in priore casu donans quidem repetere non potest rem donatam, neque tamen haec donatario acquiritur, in poenam scienter, et nulliter contracti matrimonii, sed fiscus eam vindicare sibi potest; in posteriore vero casu donatio nulla est, et donanti, vel eius haeredibus res donata restitui debet, quia ob errorem donantis, consensus huius in tali donatione non censetur intervenisse. Quod si vero donans scivit quidem nullitatem sui matrimonii, donatarius tamen nescivit, sed bona fide putavit validum illud esse, legatum quidem tali parti factum valet, et probabiliter etiam donatio, ita ut filius in tali immiscere se non possit, cum argumentum ab ultimis voluntatibus ad alios contractus (caeteris paribus) valeat. Vide civilistas.

§. III. *Quibus modis donatio invalida inter coniuges confirmetur?*

Tribus modis de iure canonico confirmari talem donationem de se invalidam, communiter tradunt auctores: primo per iuramentum tali donationi, de non revocanda ea, additum, cum enim tale iuramentum servari possit, sine dispendio aeternae salutis, et donationes tales inter virum, et uxorem, non tam ratione boni publici prohibitae sint, sed praecise ratione privati coniugum boni, consequenter hi suo iure cedere possunt, et iuramentum illud servari debet. Secundo confirmantur tales donationes per mortem naturalem donantis, nisi ante mortem expresse, vel tacite revocata fuisset, ut dictum §. 1. ubi aliae etiam conditiones videri possunt ad hanc confirmationem requisitae. Tertio confirmantur etiam per mortem civilem donantis, prout videre est apud civilistas.

§. IV. *Quaenam praeterea statuta sunt circa donationem propter nuptias in hoc titulo?*

Donata propter nuptias a marito uxori, si postea ob impedimentum dirimens matrimonium reperiatur nullum, restitui marito debent, cum nec dos, nec donatio propter nuptias in tali casu nullius matrimonii locum habeat. *Cap. Et si necesse sit*, 5. *h. t.* Videatur etiam *c. Nuper*, 6. *h. t.* ubi quaeritur, quantum, et quid de terra, cuius usum fructum quis habet, aut quae in feudum ipsi concessa est, uxori suae in dotem, aut donationem propter nuptias dare possit.

§. V. *De restitutione dotis.*

Si matrimonium ex licita causa, et sine culpa uxoris separatum fuit, dos est restituenda uxori, ut habetur in *c. Mulieres*, 1. *h. t.* cum enim dos sit accessoria matrimonio, vel certe ad sustinenda matrimonii onera detur, in tali autem casu, vel nullum sit matrimonium, ob impedimentum dirimens, vel saltem quoad thorum, et cohabitationem separatum sit, consequenter, vel nullus erit locus dotis constituendae, vel nulla necessitas, sed in priore casu nullius matrimonii tota dos uxori restituenda est, et in casu posteriore divortii facti, restitui debet quantum a marito commode potest. Quod si tamen scienter cum impedimento dirimente contrahere tentaverunt, in poenam taliter attentati matrimonii fisco dos acquiritur. Quin immo dissoluto per divortium matrimonio, omnia etiam bona, seu lucra, quae constante matrimonio communiter utrique parti acquisita fuerunt, ex donatione v. g. ex haereditate delegata, utrique communiter factis, per emptionem ex communibus utriusque bonis factam etc. aequaliter inter eos dividenda sunt *c. Significavit*, 2. *h. t.* (cum matrimonium sit consortium omnis vitae, et divini, ac humani iuris communicatio) nisi consuetudo loci aliud iubeat, aut respectu uxoris turpis quaestus praesumptio.

Iudex tamen ecclesiasticus, qui cognovit de matrimonio, potest et debet etiam simul de dote cognoscere *c. De prudentia*, 5. *h. t.* Quamvis enim dotis causa in se sit mere saecularis, et inter personas laicas ad saeculares iudices pertineat, si principaliter de ea agatur, si tamen incidenter tantum de ea agatur, et accessorie dependenter a valore matrimonii, potest etiam iudex ecclesiasticus, qui de matrimonio cognovit, de dote cognoscere, et solutionem, aut restitutionem illius praecipere.

§. VI. *De amissione dotis propter adulterium uxoris.*

Amittere mulierem propter adulterium dotem, et donationem propter nuptias, vel eius pretium, ac aestimationem, eaque post sententiam iudicis virum lucrari ex *c. Plerumque*, 4. *h. t.* probatur, quamvis putativum tantum matrimonium, bonae tamen fidei, ex utraque parte fuerit, nisi tacite saltem, actionem ad petendum divortium, et privationem dotis remiserit maritus v. g. aut liberis legitimis ex matrimonio habitis ea acquirantur.

§. VII. *An viro qui ad inopiam vergit, ac petit dotem, ea tradenda sit sub conditione?*

Quamvis uxor, si maritus vergat ad inopiam etiam sine sua culpa, vel incipiat dissipare bona sua, iisque male uti, possit non tantum agere contra maritum, ac dotem repetere, sed multo magis contra eum, dotem petentem excipere, quia periculum est, ne in his casibus dos consumetur; si tamen cautionem idoneam praestet (fidem iussoriam scilicet vel pignoratitiam de dotis securitate) potest haec illi tradi, vel si cautionem idoneam praestare non possit, apud mercatorem aliquem per iudicem deponi, a quo maritus tantum lucri honesti accipiat, quantum ad ferenda onera matimonii est necessarium: uti habetur in *c. Per vestros*, 7. *h. t.* ut ne scilicet dos omnino marito

subtrahatur non sine damno, et praeiudicio tam illius, quam uxoris, in adulteria incidentium. Vide plura de dote apud civilistas, ad quos potissimum haec materia spectat.

TITULUS XXI.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

§. I. *An coniux dubius de morte alterius coniugis possit transire ad secundas nuptias?*

Post mortem primae coniugis, non tantum secundas, sed etiam post mortem secundae coniugis, tertias, et post mortem huius quartas, et ulteriores nuptias licitas esse, certa catholicorum sententia docet, prout constat etiam ex apostolo *c.* 7. *Ad Romanos.* Ut autem hic transitus liceat, debet constare, et moralis certitudo haberi de morte alterius coniugis, prout dictum supra *in tit.* 1. *huius libri sect.* 5. §. 2. ita ut, quamvis bona fide contraxerit matrimonium, sufficientem, ut putabat, de morte prioris coniugis certitudinem habens, si tamen postea certior fiat de vita prioris coniugis, statim, quam secundo duxerat, relinquere debeat, ne in adulterium, et poenas adulterorum incidat, excommunicationis etiam censura cogendus, ad priorem ut redeat.

§. II. *An si mulier post mortem viri transeat ad secundas nuptias intra annum luctus, incurrat infamiam, vel alias poenas iuris?*

Quod de iure canonico mulier, post mortem viri ad secundas nuptias transiens, intra annum luctus, nullam incurrat infamiam, ex apostolo habetur, *et ex c. Super illa,* 4. *et c. Cum secundum,* 5. quidquid sit de legibus civilibus, quae quoad hanc infamiam correctae videntur. Inter alias poenas a iure civili statutas secundo nubentibus, distingui debet utrum scilicet illae statutae sint praecise in odium secundo nubentium intra annum luctus, vel utrum decretae sint in favorem filiorum prioris matrimonii; illae per ius canonicum sunt abrogatae, cum enim prohibitio matrimonii intra annum luctus sit abrogata, consequenter etiam poenae ei annexae, sunt abolitae, cum sublato principali, cadere etiam censeatur accessorium: alia vero, quae statuta sunt in favorem liberorum prioris matrimonii, et proprie loquendo non dici debent poenae, neque tantum cadunt in secundo nubentes intra annum luctus, sed etiam observari debent circa secundo nubentes post annum luctus, in utroque foro tam canonico, quam civili, suum robur obtinent, cum per ea favor quidem liberórum attendatur, libertas tamen contrahendi matrimonii non tollatur. Vide civilistas, vel Sanchezium in suis de matrimonio libris fuse de his rebus disputantem.

§. III. *An secundae nuptiae sint benedicendae, et quam poenam incurrat sacerdos benedicens?*

Benedictiones nuptiales a proprio viri, vel mulieris contrahentium parocho, vel ab alio sacerdote, cum illius licentia fieri debere, et recipi ex praecepto, satis ex Tridentino *sess.* 24. *c.* 1. *De reform. matr.* §. *Praeterea*

patet, et ex pluribus iuribus antiquorum decretorum, ac continua praxi, et consuetudine ecclesiae. Secundae tamen nuptiae non benedicuntur, si uterque benedictionem iam recepit, vel saltem una persona iam prius benedicta, secundas nuptias contrahens, *c. Capellanus*, 1. *et c. Vir autem*, 3. *h. t.* neque enim benedictio nubentium iterari debet, ne fiat priori sacramento iniuria, et quod indecens sit, ut solemnes benedictiones iterentur. Poena autem, quam incurrit sacerdos secundas nuptias benedicens, est suspensio ab officio, et beneficio, a iudice imponenda, uti desumunt communiter AA. ex *c.* 1. *citat.* vel arbitraria pro loci consuetudine, et qualitate delicti. Videtur tamen hac in materia loci attendenda consuetudo, iuxta quam tum tantum videtur secundarum nuptiarum benedictio prohiberi, quando uterque coniux illam iam accepit in primis nuptiis.



LIBER QUINTUS

DECRETALIUM.

TITULUS I.

DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS, ET DENUNTIATIONIBUS.

§. I. *Quid sit accusatio, et quae sit forma, sive quae conditiones ad eam requirantur?*

Accusatio est *alicuius criminis apud iudicem competentem ad vindictam publicam legitime facta delatio.* Est autem accusatio alia publica, quae scilicet tendit ad vindictam publicam criminis, ad poenam scilicet corporalem, vel pecuniariam, fisco publico applicandam, uti descriptio modo allata insinuat; alia est privata, quae fit ob privatam iniuriam vindicandam, et ad poenam parti laesae applicandam. Ad utramque spectato iure communi requiritur, primo ut fiat in libello scripto (quamvis hodierna consuëtudo sufficere putet, verbalem etiam accusationem coram notario, eam in scriptum redigentem factam). Secundo requiritur, ut exprimatur annus, et dies oblati libelli, nomen accusatoris, et accusati, nomen iudicis, species delicti, super quo accusatoris intentio fundatur, locus, et tempus delicti commissi, sive mensis, et annus, ut de competentia iudicis v. gr. accusatoris etc. aut de incertitudine aliqua possit fieri postmodum exceptio. Tertio ut fiat subscriptio accusantis, qua se inscribat ad poenam talionis, sive similem, si non probaverit accusationem; et promittat, se illam prosecuturum, usque ad finem, ad refraenandam temeritatem accusatorum (quamvis hodierna consuetudine de iure civili, nulla amplius inscriptio locum habeat, cum in illo foro non tam per viam accusationis, quam inquisitionis plerumque procedatur, vel per simplicem querelam, ubi nec scriptura, nec inscriptio necessaria est, ad iudicem punienda crimina deferantur) et in iure canonico adhuc locum habet, si per viam accusationis procedatur, *c. Super his*, 16. *et c. Qualiter*, 24. *h. t.* nisi etiam de hoc iure ob levitatem v. g. materiae, aut ex alio capite, de quibus *glossa in cit. cap. Super his v. Oportet*, aut quod per modum simplicis querelae procedatur, nulla sit necessaria inscriptio.

§. II. *Quinam ad accusandum admittantur, et qui ab eo repellantur?*

Generaliter loquendo non tantum ad suam, suorumque iniuriam prosequendam, quilibet accusare potest, sed etiam ad vindictam publicam, nisi specialiter, et expresse reperiantur iure prohibiti, qualiter prohibentur primo clerici accusare criminaliter ad vindictam publicam laicos, non tantum ob

irregularitatis periculum, si poena sanguinis afficiatur accusatus, sed quod reverentia status etiam exigat, his odiosis litigiis, et minus laudabilibus accusationibus se non immiscere; si tamen accusando suam, suorumque, vel ecclesiae suae iniuriam prosequatur, nullum periculum subit irregularitatis incurrendae, etiamsi accusatus poena sanguinis afficeretur, modo contra protestetur talis accusans clericus, quod hic, et nunc non velit agere ad vindictam publicam, sed ad suum tantum, aut suorum, aut suae ecclesiae interesse. Secundo prohibentur laici de crimine ad vindictam publicam accusare clericos *c. Cum*, §. 10. *h. t.* tum propter reverentiam, quae a laicis debetur clericis, tum quod saepius praesumi possit, ex odio, quo laici in clericos feruntur, provenire talis accusatio. Tertio prohibentur ob defectum aetatis, pupilli v. gr. Quarto ob sexus verecundiam, et fragilitatem foeminae. Quinto infames, et criminosi, iuris quidem infamia infames ab utroque iure repelluntur, facti tamen infamia infames, saltem de iure canonico. Sexto repelli etiam potest ab accusando excommunicatus maiore excommunicatione. Septimo liberi contra parentes ad accusandum non admittuntur, uti et liberti contra suos patronos, ob reverentiam scilicet, quae his ab illis debetur. Octavo non admittuntur contra christianos ad accusandum pagani, et gentiles, nec haeretici contra catholicos, nec pauperes (nisi honestae vitae hic sit) nec accusati criminaliter, ad reaccusandum suum accusatorem, pendente accusatione; uti et plures alii, de quibus tamen saepe conceditur, quod in criminibus exceptis laesae v. g. maiestatis, simoniae etc. aut si suam, suorumque iniuriam prosequantur, ad accusandum admitti possint, et debeant.

§. III. *Qua ratione repellatur quis ab accusando ob inimicitiam?*

Inimicitia, quam quis habet cum altero, si gravis est, ab accusando ordinarie repellit, (eo quod talis potius vindictae causa, quam iustitiae zelo ad accusandum moveri videatur) non tantum eum, qui talem inimicitiam gerit, sed etiam ei cohabitantes, familiares, saepius cum talibus inimicis conversantes, qui pro inimico testimonium tulerunt, ob affectionem scilicet nimiam, quam praesumuntur ad invicem habere, et hinc non tantum ab accusando repelluntur, sed etiam ab exceptione voluntaria, et spontanea, si contra talem inimicum excipiant. *c. Meminimus*, 13. *h. t.*

§. IV. *An monachi, seu religiosi possint criminaliter accusare suum praelatum?*

Respondetur affirmative, iuxta *c. Ex parte*, 11. *h. t.* quia taliter accusando censetur religiosus procurare utilitatem monasterii, cuius interest non habere praelatum malum, ita ut, si proprium peculium non habeat accusator, ex rebus monasterii expensae ad litem talem suppeditari debeant. Sicuti autem ab obedientia accusati non absolvitur per talem accusationem accusator, ita nec admitti debet ad accusandum, nisi post praecedentem summariam causae cognitionem, ut appareat, quo zelo ad accusandum moveatur, alios vero extraneos accusare non possunt monachi, nisi monasterii intersit, et licentiam habeant praelati.

§. V. *An iudex ex officio repellere possit accusatorem inhabilem, seu non idoneum, etiamsi pars nihil contra illum excipiat?*

Respondetur affirmative iuxta *c. Si legitimus*, 1. *h. t.* et hinc ante omnia inquirendum videtur de habilitate personarum, quae litigare volunt in iudicio; et quamvis iudex ex officio in bonum reipublicae repellere possit tales inhabiles, non potest tamen episcopus familiares suos, qui ipsum accusare volunt, per exceptionem criminis repellere, si eos, antequam se ab eis accusandum cognosceret, a sua familiaritate non amovit, ne videatur iam reprobare eorum mores, quos prius approbavit *c. Nulli*, 5. *h. t.* si tamen nec per officium iudicis, nec per exceptionem accusati repulsus fuit ab accusando inhabilis de se accusator, processus accusationis tenet, et effectum habebit, ut testatur communis opinio.

§. VI. *An quis obligetur ad accusandum, et utrum accusator desistere possit ab accusatione inchoata?*

Ad primam quaestionem *Resp.* posse interdum contingere, ut si crimen in spirituale, vel temporale damnum reipublicae vergat, quod per iuridicam, seu canonicam denuntiationem v. g. averti non potest, ad accusandum aliquis teneatur, si crimen legitime probare possit, ne suspicioni calumniae se obiiciat (cum pars teneatur, etiam cum proprio incommodo aliquo, bono communi prospicere) de aliis vero criminibus, quae non tendunt in damnum publicum reipublicae, nemo cogitur invitus accusare.

Ad secundam quaestionem *Resp.* posse quidem accusatorem ante litem inchoatam, in causa criminali, ab accusando desistere, casu quo accusare non tenetur: non posse tamen licite post litem inchoatam, per libelli oblationem, sine consensu iudicis, saepe ipsius etiam rei, (quia post coeptam accusationem obligatus manet ad probandum, vel ad poenam subeundam) nisi postmodum se errasse deprehendat, falso putando reum esse criminis alterum, qui tamen non est; ita tamen, ut si semel ab accusando destitit, non audiatur amplius, si de eodem crimine reum accusare postmodum velit, *cap. Licet*, 14. *h. t.*

§. VII. *De personis, quae criminaliter accusari possint, vel non possint.*

Generaliter loquendo, omnes delinquentes, de criminibus quibuscunque accusari possunt, tam liberi, quam servi, sine sexus differentia, tam puberes, quam impuberes, modo usum rationis habeant ad delinquendum, nisi vel ratione absentiae, vel ratione supremae dignitatis, vel saltem ad tempus accusari prohibeantur (bono publico generalitatem illam exigente) ita tamen, ut accusatus de aliquo crimine, et postmodum absolutus, non possit de eodem hoc crimine iterum accusari, *c. De his*, 6. *h. t.* ne semper in periculo versetur suae innocentiae impugnandae accusatus, et absolutus, nisi tantum ab observatione iudicii absolutus fuisset, propter ineptitudinem libelli, aut illegitimum accusatorem, quo in casu alius accusator admittitur; prout etiam admittitur alius accusator de eodem crimine, si probaverit primum cum accusato collusisse, et sic absolutionem obtentam fuisse; aut si suam, suo-

rumque iniuriam prosequatur secundus accusator, et probet, saltem per iuramentum primam accusationem se ignorasse; vel si criminaliter ad vindictam publicam agat secundus accusator, cum primus tantum civiliter ad proprium interesse egerit, etc. plures casus videri possunt apud auctorem h. §.

§. VIII. *An in causis, et iudiciis criminalibus procurator admitti possit, ac debeat ?*

Regulariter non admittitur procurator, si criminaliter agatur, ad accusandum (quamvis enim poena talionis in accusatore deficiente hodie non sit in usu, puniri tamen potest iuxta arbitrium iudicis, accusator calumnians, aut deficiens) immo nec ad defendendum admittitur, *can.* 2. *cau.* 5. *q.* 3. *et c. Veniens*, 15. *iuncta glossa v. Criminali h. t.* si agatur ad poenam capitalem, vel aliam corporalem, quam reus, si de crimine condemnetur, subire debet, ne iudicium tale reddatur elusorium. Ad excusandam tamen principalis absentiam, et dilatorias exceptiones opponendas, quae ante litis contestationem proponuntur, admitti potest, ut ex *cit. c. Veniens* colligitur. Prout etiam admitti potest in causis criminalibus, in quibus non infligenda venit poena corporalis, sed pecuniaria, relegationis, incarcerationis, aut alia similis; vel si ob impossibilitatem facti, aut iuris impedimentum, reus principalis per se comparere coram iudice non potest. Videantur alii casus apud auctorem h. §.

§. IX. *De modo procedendi observando in iudicio criminali accusatorio.*

Si utraque pars tam accusator, quam reus, sit praesens in iudicio, eodem modo proceditur in causa criminali, quomodo in civili, nisi quod in libellis accusatoriis, non sit necessaria conclusio ad certam poenam, ut alibi dictum, et evidentiores requirantur probationes in criminalibus, ac maior reo concedatur defendendi suam causam libertas, etiamsi appareat, eam iniustam esse, etiam postquam in causa conclusum est. Quomodo autem contra reos contumaciter absentes in causis criminalibus procedatur, de iure canonico, ab ea potissimum distinctione dependet, utrum lis contestata fuerit, vel utrum non fuerit; si contestata iam fuit, potest communiter contra reum contumaciter absentem, si de delicto liqueat, ad sententiam condemnatoriam procedi, si sententia in absentem executioni mandari possit, prout est sententia privationis, depositionis, suspensionis ab officio, etc. Si vero lis contestata non fuit, vel non liquet de delicto, nec ad testium receptionem, nec ad sententiam condemnatoriam procedi potest, ne pars inaudita condemnetur, sed per excommunicationis censuram ad comparendum cogi potest, et si intra annum non comparuerit, pro convicto habebitur.

§. X. *De effectibus accusationis, et poenis reo imponendis.*

Principalis effectus est accusationis, ut reo legitime convicto, vel ordinaria poena, et certa, a iure statuta, vel alia condigna, arbitraria, et extraordinaria, per iudicis sententiam condemnatoriam infligatur, prout variae poenae hoc etiam titulo pro variis delictis feruntur; ubi in *c. Omnipotens*, 4. *h. t.* etiam ille effectus poenalis accusationi refertur, quod accusatus,

vel denuntiatus, ad honores, seu dignitates promoveri non possit, sive deinde sint illae ecclesiasticae, sive saeculares (cum ex tali accusatione, vel denuntiatione, saltem existimatio talis hominis sit gravata), nisi per ipsum non steterit, quominus per annum causa decisa fuerit, hoc enim in casu post annum promoveri potest.

§. XI. *Qualiter, accusatore non probante, vel non comparente, reo infamato de crimine indicenda sit purgatio canonica?*

Vide de hoc *c. Accedens*, 23. *h. t.* et quae infra *tit.* 34. *de purgatione canonica* dicentur.

§. XII. *Quibus modis tollatur, et extinguatur accusatio criminalis?*

Tollitur primo per praescriptionem, post elapsum tempus viginti annorum, a die commissi criminis, quo tempore regulariter, et ordinarie praescribitur omnis accusatio criminalis, si delictum semel patratum, totum iam transierit, et non habeat continuam successionem, uti habet crimen haeresis, apostasiae, matrimonii contra ss. canones contracti, etc. quibus in casibus praescriptio locum non habet, nisi a tempore cessantis criminis.

Secundo extinguitur accusatio criminalis per mortem accusatoris ante latam sententiam, ita ut haeredes eam prosequi non possint, sed iudex tantum ex officio.

Tertio extinguitur per mortem rei delinquentis, ita ut poenam corporalem haeredes rei condemnati non teneantur, nec ad pecuniariam fisco applicandam, si reus ante sententiam condemnatoriam criminis moriatur, nisi inter excepta crimina numeretur illud, de quo reus accusatus est, quo in casu etiam lite non contestata cum defuncto, contra haeredes proceditur; vel ex delicto civiliter tantum conventus fuerit, ad poenam pecuniariam parti laesae applicandam, quo in casu iterum haeredes ex bonis defuncti tenebuntur.

SECTIO II.

De inquisitionibus.

§. I. *De inquisitione in genere, et potestate inquirendi.*

Inquisitio in genere dici potest, *esse alicuius criminis manifesti, ex bono, et aequo a iudice competente, legitime* (secundum iura, et canones) *facta investigatio.* Et quamvis iudex condemnare non possit aliquem, sine accusatore, non debet tamen semper esse accusatio formalis, sed sufficit saepe accusatio virtualis, per publicam infamiam, indicia, etc. quae locum faciunt inquisitioni.

Est autem triplex inquisitio; alia simpliciter generalis, sive generalissima, quae fit ex mero officio iudicis, neque persona aliqua certa, neque certo crimine expresso; an non committantur v. gr. delicta quaedam in civitate aliqua, etc. Alia est inquisitio mixta partim generalis, quoad personas, partim specialis quoad delicta, vel e converso; utrum Titius v. gr. flagitia quaedam patrarit, vel a quo homicidium, quod commissum est, sit commissum. Alia denique est simpliciter specialis, tam quoad personam scilicet,

quam quoad delictum, ut cum inquiritur, utrum Titius hoc homicidium commiserit; quae inquisitio nonnunquam fit ex mero officio iudicis, nonnunquam ad quereiam alicuius, qui tamen accusatoris partes subire non vult, nonnunquam ad denuntiationem publici officialis ad denuntianda delicta deputati. Potest autem quilibet iudex, sive ecclesiasticus, sive civilis sit, inquirere, modo sit iudex competens, et reus, contra quem inquiritur, sit saltem quoad illum articulum, super quo inquiritur, illius iurisdictionis. Et quamvis de iure civili putent aliqui inquisitionem fieri non posse ex officio a iudice, nemine denuntiante, aut querelante, ne videatur remedium extraordinarium, qualis est inquisitio, remedio ordinario, qualis est accusatio, praeponi; de iure tamen canonico, uti etiam hodie ex consuetudine de omnibus delictis per viam inquisitionis procedere possit iudex, et factum iam sit remedium inquisitionis remedium ordinarium.

§. II. *An ad inquisitionem omnino generalem, vel mixtam requiratur, ut praecedat infamia criminis, vel personae?*

Ad inquisitionem omnino generalem, uti in genere tantum inquiritur, utrum in tali loco vigeant aliqua crimina, nulla praecedens infamia necessaria est, sed potest eam iudex praecise ex officio suo instituere, *c.* 1. *de offic. iud. ord. c.* 5. §. *Sane, de censib. in* 6. *sicut olim* 25. *h. t.* quia talis inquisitio cum non datur contra certam personam, sed praecise ad emendandos mores, et purgandam rempublicam, publica auctoritate, nulli iniuriosa est; et hinc non tenetur interrogatus vi illius inquisitionis manifestare occulta crimina eorum, qui nulla laborant infamia, aut quae probare non potest, etiamsi sub iuramento interrogetur, ad cavenda plurima incommoda inlustissimarum infamationum, nisi manifestatio talis ad emendandum tantum criminosum iudici, ut patri facta, necessaria esset, aut ad avertendum grave damnum.

In mixta vero inquisitione, si crimen quidem certum est, et publicum, auctor tamen illius nescitur, et de hoc inquiritur, tum nulla praecedente fama de persona aliqua particulari, non potest fieri specialis contra certam personam inquisitio, sed generaliter tantum inquirendum est, quis illud commiserit, ut reipublicae scilicet per generalem talem inquisitionem consulatur, nulla tamen in specie fiat iniuria, si nulla laboret de tali crimine perpetrato publica infamia.

§. III. *An, et qua ratione ad inquisitionem generalem contra personam aliquam particularem requiratur, ut praecedat illius infamia; et quomodo in tali inquisitione sit procedendum?*

Plurima de utraque hac quaestione statuuntur in *c. Qualiter, et quando,* 24. *h. t.* quod videri potest, uti et quae circa illa plurima annotat in hoc §. auctor Method. quorum omnium brevis epitome esse potest primo, quod contra personam particularem, specialis inquisitio fieri non possit, nisi praecedat publica illius personae circa delictum tale infamia, ut dictum. Secundo, quod hoc vel maxime attendi debeat, si contra praelatos, aut publicos magistratus fiat inquisitio. Tertio, quod inquisitio facienda sit in loco, ubi est in-

famatus. Quarto, quod fama, se sola, nec in civilibus, nec in criminalibus plenam probationem faciat, et saepe in criminalibus nec semiplenam, nisi orta sit talis fama ex verisimilibus causis, et coniecturis, et verisimilibus aliis coniecturis munita. Quinto, quod sit clamorosa fama, quae saepius ad iudicis aures pervenit, et ortum habeat non a vilibus, sed honestis personis, et si contra praelatum sit facienda inquisitio, ut praecedat talis contra eum infamia, quae sine scandalo dissimulari non possit. Sexto, quod praesens debeat esse, contra quem fit inquisitio (nisi per contumaciam se absentet), et capitula, circa quae futura est inquisitio, illi exponantur, ac testium, qui audientur, nomina, ut defensionis, et exceptionis copiam habeat, et servetur debitus legitimae correctionis ordo, ut primo quidem reprehendatur, deinde increpetur cum comminatione poenae, ac postmodum suspendatur ab officio, vel beneficio, et tandem excommunicetur, prout praescribitur in *cit. c. Qualiter*, ex quo capitulo etiam habetur, praelatum, si per inquisitionem reus deprehendatur, non facile ab ordine deponendum, sed ab administratione tantum amovendum, nisi delicti ratio, et infamationis periculum aliud iubeat.

§. IV. *In quibus casibus non requiratur necessario ad specialem inquisitionem contra personam particularem de aliquo crimine, ut praecedat illius infamia?*

Primo non requiritur haec praecedens, de aliquo particulari, infamia, si alia sufficientia, et legitima indicia contra eum pugnent, talia enim indicia saepe fortiora sunt, quam ipsa praecedens infamia, ex levioribus saepius coniecturis orta. Secundo non requiritur, si fiat inquisitio ad denuntiationem publici officialis. Tertio, si pars, contra quam fit inquisitio, sine ulla praecedente infamia, aut contra quam a principe fieri mandatur motu proprio, aut ex certa scientia, inquisitio nihil opponat, nec reclamet, cum tamen sciat, contra se fieri inquisitionem, quia censetur talis favori, pro se principaliter introducto, cedere, ut disponitur in *cap.* 6. *Si is*, *h. t. in* 6. Quarto, quando inquisitio fit non ad effectum puniendi crimina, sed ad effectum corrigendi ob bonum animae, qualiter fieri solet in visitationibus, in episcoporum promotionibus, in ordinandis etc. Quinto, quando inquisitio fit in crimine laesae maiestatis, in crimine haeresis, et in similibus gravibus, et periculosis criminibus, in damnum grave reipublicae, aut animarum tendentibus etc.

§. V. *Quaenam praeterea iure canonico statuta sint circa modum procedendi per inquisitionem specialem?*

Primo statuitur in *c. Qualiter*, 17. *h. t.* ut ordo iuris in inquisitione servetur, qui in duobus potissimum consistit, primo, ut regulariter non fiat inquisitio, nisi contra infamatum, uti prioribus §§. dictum. Secundo, ut postquam de infamia constat, per testes, publicam famam, aut alia sufficientia indicia etc., inquiratur de veritate criminis, ut ne scilicet inde nascantur iniuriae, unde iura nasci oportet.

Secundo statuitur in *c. Cum dilecti*, 18. *h. t.* ut non recipiantur excu-

sationes super confessione facta, si iuravit prius confitens, quod plenam et meram veritatem sit dicturus; recipiantur vero super confessis excusationes, si iuravit tantum confitens, quo velit ad interrogata respondere, et excusationes tales non perimant confessionem, sed eam tantum explicent, et declarent; cum iuramenti religio in posteriori casu patiatur confessorum explicationem, non autem in priore casu, ubi ab initio statim omnis veritas dicenda est.

Tertio statuitur in *cap. Cum oporteat*, 19. *h. t.* quod inimici partis, contra quam fit inquisitio, sicuti ad accusandum non admittuntur, ita nec admittendi sint ad inquisitionem prosequendam, et testificandum; et cui simpliciter commissa est inquisitio super crimine, illi (tacite saltem) commissa etiam censeatur inquisitio super fama, quae quasi praeambula est ad inquisitionem, et consequenter, cui principale commissum est, censebitur etiam commissum hoc accessorium, nisi in commissione a principe facta, assertive etiam narretur, quod de fama sibi iam constet, ut supra dictum.

Quarto denique in *cap. Ad petitionem*, 22. *h. t.* statuitur, quod nec legatus a latere immiscere se possit speciali a papa factae commissioni de inquirendo contra aliquem, ut dictum, et quod quibet de universitate aliqua, contra quam inquisitio demandata est, singulariter excipere possit, si de quolibet in particulari, inquisitio fiat; a toto fere collegio, sive a maiore illius parte, si contra totum collegium communiter iniquisitio fiat, cum in priore casu cuiuslibet in particulari interesse agatur, in altero vero casu totius tantum communitatis.

§. VI. *Quaestiones nonnullae circa modum procedendi per inquisitionem a concilio Lateranensi praescriptum occurrentes proponuntur, et resolvuntur.*

Pleraque de primis tribus quaestionibus, quas habet auctor, ex dictis iam patent, vel speciale nihil asserunt: ultimum quaesitum est, quaenam specialia sint observanda in inquisitione facta contra regulares. Respondetur, tria potissimum observanda esse, ut patet ex *cit. cap. Qualiter.* Primum est, quod ordo iuris non sit in inquisitione tali contra regulares quoad subtilitates, seu iuris solemnitates exactissime semper servandus, sed sufficiat veritatis probationem certam haberi. Secundum est, quod facilius praelati regulares ab administratione removeri possint, quam praelati saeculares. Tertium est, quod contra regulares non tot exceptiones reperiantur, et admittantur, sicuti contra saeculares, cum regulares in schola potius virtutum, quam in puncto, et solemnitatibus iuris versati esse debeant.

§. VII. *Qualiter puniendum sit crimen per viam inquisitionis probatum?*

Condemnatus, et convictus de crimine per viam inquisitionis non punitur poena ordinaria, statuta a lege, pro illo crimine, sicuti punitur damnatus, et convictus per viam accusationis, sed punitur (saltem de iure canonico) mitiore poena, et arbitraria (ut inquisitus, qui in eo gravatur, quod contra eum sine accusatore procedatur, in alio, in poena scilicet mitiore, relevetur) nisi crimen, quod per viam inquisitionis probatum fuit, tale crimen sit, ut

etiam post poenitentiam peractam impediat ordinis snscepti executionem, aut beneficii retentionem, qualia crimina sunt, quae irregularitatem secum trahunt, crimen simoniae in acquirendo beneficio commissum etc., qnibus in casibus, eadem poena etiam in iure canonico taliter iuquisito imponenda est, quae imponitur per viam accusationis convicto, et damnato, *cap. Inquisitionis*, 21. *h. t.*

SECTIO III.

De denuntiationibus.

§. I. *Quid, et quotuplex sit denuntiatio, et in quibus casibus possit iudex procedere per denuntiationem iudicialem ?*

Denuntiatio in geuere dici potest, *quod sit alicuius criminis delatio, seu manifestatio superiori legitime facta.* Est autem denuntiatio dnplex: alia evangelica, quae etiam charitativa dicitur, si scilicet ad emendationem, et correctionem, ac poenitentiam, inxta formam a lege evangelica Matth. 18. introductam, denuntiatio ad superiorem ut patrem fiat: alia iudicialis, si crimen deferatur ad superiorem, ut iudicem, ob publicam vindictam, aut privatam pnnitionem, ut per punitionem delinquentis satisfiat commnnitati, aut parti laesae; et hiuc snbdividitur haec iudicialis denuntiatio in pnblicam, seu criminalem, quae fit ad publicam vindictam; et in privatam, seu civilem, quae privatum interesse attendit; in canonicam, quae fit contra praelatum v. gr. et in regularem, qnae expeditur secundum diversas regulas diversarum religionum etc.

Potest autem iudex in foro saeculari ex officio procedere, si denuntiatio indicialis facta fuit per eos, qui publica auctoritate deputati sunt ad denuntiandum; vel etiam iuxta receptam consuetudinem, ad denuntiationem cuiuslibet privati, cum publico bono plurimnm intersit, ne delicta maneant impunita quocunque modo eorum malitia ad iudicem legitime perveniat: de iure tamen canonico non tenetur index ecclesiasticus quamcnnque denuntiationem iudicialem admittere, nisi clericus sit, vel regularis, qui denuntiatur, crimen tamen, de quo denuntiatur, sit natura sua ecclesiasticum, simonia v. gr. haeresis etc., vel nisi denuntiatio fiat ob defectum iustitiae in foro saeculari; vel ratione pacis violatae, aut iuramenti non servati a laicis.

§. II. *Utrum ante denuntiationem iudicialem semper praecedere debeat secreta monitio, et an etiam aliae iuris solemnitates in ea servandae sint, et quinam ab hac denuntiatione repellantur ?*

Ad denuntiationem iudicialem, sive generalis haec sit, et publica, sive privata, et specialis, non praerequiritur in foro saeculari nlla praevia monitio; praerequiritur tamen haec in foro canonico, seu ecclesiastico (saltem si sit specialis denuntiatio) prout habetur etiam ex *c. Si quis*, 2. *h. t.* cum in hoc foro non tam vindictae publicae, quam charitativae emendationi locus paretur; et hinc non tenetur denuntiator ad poenam talionis subeundam se inscribere, uti habetur in *c. Super is*, 16. *h. t.* quamvis aliae iuris solemnitates, quae in libello accusatorio requiruntur, etiam in hac iudiciali denuntiatione servandae sint, ad clariorem magis denuntiationem, et fraudulentas

denuntiationes devitandas, ob quam etiam causam a denuntiando iudicialiter repelluntur, (sive per se, sive per procuratorem denuntiare velint, quod absolute fieri potest), concubinarii publici, excommunicati, qui conspirarunt ad denuntiandum, vel prius eum de crimine non admonuerunt, contra quem denuntiationem faciunt, *c. Cum dilectus*, 20. *h. t.* et universim criminosi, *c. Cum in tua*, 27. *de sponsal.* nisi suam suorumque prosequantur iniuriam *arg. can.* 2. *cau.* 4. *q.* 6. etc.

§. III. *An pendente inquisitione, ad denuntiationem contra superiorem, seu praelatum a subditis factam, superior hic procedere possit in causis motis contra subditos?*

Quamvis pendente inquisitione contra praelatum denuntiatum a suis subditis, in omnibus causis aliis contra subditos hos suos procedere possit praelatus denuntiatus, et hi illi obedire teneantur, cum per denuntiationem non amiserit suam iurisdictionem, prout colligitur ex *c. Olim*, 26. *h. t.* super quo denuntiatus est, et ab hoc dependentibus, nihil potest, et suspensa circa hoc est eius iurisdictio, ita ut pendente inquisitione debeat denuntiatus talis praelatus abstinere ab omni processu, per quem negotium inquisitionis posset impediri, cum totum iudicium hoc per denuntiationem legitimam ad superiorem iudicem delatum sit.

§. IV. *Quomodo procedendum sit, quando crimen opponitur per modum exceptionis, et quomodo super crimine notorio?*

De utroque hoc quaesito hinc inde actum iam est, et quia nihil de his loquitur rubrica tituli huius, ulterior illorum disputatio huius loci non est. Videatur de primo quaesito *c. Super his*, 16. §. *Cum autem h. t.* de posteriore autem *c. Evidentia*, 9. *h. t.*

TITULUS II.

DE CALUMNIATORIBUS.

§. I. *Quis dicatur calumniator, et quid sit calumniari; et quali poena sit afficiendus?*

Calumniari aliud non est, *quam falsa crimina proponere*, et calumniator proprie loquendo dicitur ille, *qui falsum crimen alicui in iudicio imponit*, ita tamen, ut alia calumnia sit vera, quando quis scienter, et per dolum, falsum alicui crimen obiicit; alia vero sit praesumpta, quando quis crimen, de quo accusavit aliquem, aut denuntiavit, non probat, aut in probatione deficit; praesumitur enim hic talis, animo calumniandi, litem movisse, nisi ex quibusdam indiciis appareat, eum probabiliter litigasse.

Calumniator autem, qui scienter et per dolum falso accusavit alium, punitus olim fuit poena talionis ordinaria, hodie tamen puniri solet poena extraordinaria, ad arbitrium iudicis, varias circumstantias attendentis; uti colligitur ex *c. Super his*, 16. *de accusat. et c. Cum fortius*, 1. *h. t.*

§. II. *An, et ob quas causas excusetur accusator a calumnia, eiusque poena, et an etiam denuntiator puniatur, tanquam calumniator, si in probatione criminis deficiat?*

Excusatur a calumnia, etiam praesumpta, accusator, si iusta causa, et errore probabili ductus accusavit, etiamsi postmodum in probatione criminis deficiat, ut constat ex *l.* 1. *Sed non utique ff. Ad senatus consultum Turpillanum*, ita ut nec ad expensas solvendas condemnari possit. Sunt autem causae iustae excusantes eiusmodi plures, ut si semiplene saltem probavit; si fuit a testibus deceptus etc. Neque tamen publici denuntiatores, qui publica auctoritate ad denuntiandum crimina constituti sunt, aut ad probandum denuntiatum crimen obligantur, aut si in probatione deficiant, poena aliqua puniuntur, ex praesumpta aliqua calumnia, modo nominent testes de delictis verosimiliter informatos, aut alia indicia aperiant, quibus iudex ex officio moveri possit ad ulteriorem inquisitionem; cum esset in talibus calumniae praesumptio, qui ex necessitate officii denuntiant: subinde tamen ad poenam calumniantium evitandam, si non sufficienter probant, quod denuntiant, probare debent, saltem per iuramentum proprium, quod non animo calumniandi denuntiaverint, ut ne denuntiatores cum boni publici periculo sibi semper timere debeant de poenis calumniantium.

TITULUS III.

DE SIMONIA, ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR, VEL PROMITTATUR.

SECTIO I.

De simonia in genere, eiusque divisione.

§. I. *Quid si simonia?*

Simonia communiter definitur, *quod sit studiosa voluntas* (*actio scilicet deliberate voluntaria*) *emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum*, (contractu scilicet oneroso) *pro temporali aliqua re;* vel ut Suarez clarius fortasse definit, *est sacrilegium, quod committitur in emptione, et venditione, vel quovis alio simili contractu, quo res spiritualis, ut talis est,* (*aut spirituali annexa*) *pro re temporali commutatur, aut comparatur;* veniunt autem in his definitionibus sub nomine rei spiritualis, res vel intrinsece quoad substantiam sacrae, et supernaturales, uti sunt gratia sanctificans, virtutes theologicae, et morales divinitus infusae, dona Spiritus Sancti, gratiae gratis datae etc., vel causaliter spirituales, ordinatae scilicet ad causandam gratiam, aut alios actus supernaturales, uti sunt sacramenta, officia ecclesiastica quaedam etc., vel res, quae sunt effectus rerum supernaturalium, ut sunt baptizare, ordinare, divina officia celebrare, praedicare verbum divinum, miracula facere etc. Spirituali autem rei annexa dicuntur, quae quidem in se sacra non sunt, ab his tamen non dependent, et quidem vel antecedenter, quia tanquam praevia et praesupposita ordinantur ad spiritualia, uti sunt sacra vasa, altaria etc., (ad sacrificium missae ordi-

nata), et secundum aliquos ius patronatus, electiones, collationes beneficiorum etc., quae se habent per modum causae respectu beneficii etc.; vel concomitanter, quae sunt coniuncta cum spiritualibus functionibus, uti est labor corporis, qui in administratione talium functionum spiritualium intervenit etc., vel denique consequenter, velut effectus suarum causarum, uti sunt beneficia, sive ius percipiendi redditus temporales propter officium spirituale etc. Ex quibus omnibus colligitur simoniae specificam malitiam proprie in hoc consistere, quod tanquam rem profanam, et vilem, cum re profana comparandam, et compensandam, aestimet rem spiritualem et supernaturalem, quae utique gravis deformitas est, ita ut in *can. ult. caus.* 1. *q.* 7. dicatur: omnia crimina ad comparationem simoniacae haeresis, quasi pro nihilo reputari, et non detur in eo peccato parvitas materiae.

§. II. *Quotuplex sit simonia, sive quomodo dividatur?*

Simonia alia est iuris divini, et naturalis, prohibita, quia mala est, et utrique iuri, tam divino, quam naturali repugnat, uti est venditio v. g. rerum proprie sacrarum, venditio hostiae consecratae, venditio sacramentorum etc., alia est iuris positivi ecclesiastici, mala, quia prohibita est, quae secundum se, nec divino, nec naturali iuri repugnat, prohibetur tamen ab ecclesia, ob multas inconvenientias, et incommoda, qualis simonia committitur, si beneficia cum beneficiis illicite permutantur sine superioris auctoritate, *c. Quaesitum*, 5. *et c. Cum olim*, 7. *de rerum permut.* Si vendantur res per se quidem temporales iuxta materiam suam, hic, et nunc tamen spiritualizatae, uti est sacrum oleum, chrisma etc., *cap. Non satis*, 8. *h. t.* Si vendantur officia quaedam, ad rerum spiritualium (vel temporalium ecclesiae, ut putant aliqui) administrationem ordinata, officium v. gr. advocati, syndici, oeconomi, custodis, sacristae etc., hanc autem iuris ecclesiastici simoniam non esse proprie dictam simoniam putant aliqui, fatentur tamen hi ipsi speciem quandam sacrilegii ex genere suo mortalis, propter ecclesiasticae legis prohibitionem, ob reverentiam his etiam rebus spiritualibus conservandam, hanc quasi simoniam esse.

Dividitur etiam simonia in mentalem, conventionalem, et realem. Mentalis simonia hoc loco dicitur non nudum tantum internum propositum committendi simoniam, sed ea etiam, quae opus externum adiunctum habet, quod tamen nullo signo externo apparet simoniacum, ut si quis rem spiritualem, velut ex iustitia debitam, alteri conferat, ob obsequium aliquod temporale sibi exhibitum, ita tamen, ut pravam hanc intentionem, compensandi ex iustitia obsequium temporale per rem spiritualem datam, exterius non manifestet, nullo pacto, aut conventione exterius interveniente. Conventionalis simonia est, quae verbis, vel signis exterius manifestatur, per mutuum scilicet pactum, expressum, vel tacitum, ita tamen, ut nec datum aliquid sit, nec acceptum, sed sola facta promissio. Realis denique dicitur illa, quae ex parte utraque est executioni mandata, per universalem traditionem rei sacrae, et acceptationem pro ea temporalis pretii.

SECTIO II.

De materia simoniae, sive rebus, in quibus committi potest hoc crimen contra ius divinum, vel humanum ecclesiasticum.

§. I. *De simonia, quae committitur circa res mere, ac intrinsece spirituales, et imprimis circa gratiam, sacramenta, et sacramentalia.*

Ex dictis iam patet, quod simoniam iuris divini committat ille, qui vendit, vel emit pro pretio temporali gratias spirituales, ut gratiam sanctificantem, gratias gratis datas, donum scilicet prophetiae, donum linguarum, sanitatis, vel aliorum miraculorum (sive deinde in concreto haec talia emat, aut vendat; emendo v. gr. cariore pretio rem aliquam temporalem, quae pretiosa tamen est ob talem gratiam annexam; sive in abstracto talia vendat vel emat, emendo scilicet potestatem ministerialem talia conferendi, quod Simon Magus oblata apostolis pecunia, obtinere voluit), qui emit vel vendit sacramenta, sacrificium missae etc., nisi extrema necessitas urgeat, contra eum, qui non vult gratis administrare haec talia, non tam, ut ematur sacramentum, quam ut removeatur impedimentum pravae voluntatis, et avaritiae alterius. Et denique qui emit, aut vendit sacramentalia, ritus scilicet aut caeremonias pro administratione sacramentorum institutas, consecrationes, benedictiones etc., temporale aliquid, ut pretium pro illis exigendo, aut dando, nisi praecise in sacramentalibus permanentibus materia, cui consecratio supervenit, pretio aestimabilis, ut talis vendatur.

§. II. *De simonia, quae committitur circa ordines, eorumque collationes, et praesentationes ad ordines.*

Etiam haec emere, vel vendere esse iuris divini simoniam, ex dictis patet, cum sint actus quidem naturales, ex institutione tamen Christi ad ordinem, et finem supernaturalem ordinati, et principium insuper habent, ex quo procedunt, supernaturale, ita ut nec episcopi pro ordinibus conferendis, nec eorum ministri (saltem de iure ecclesiastico) pro instrumentis, et literis desuper conficiendis, aut alii quicunque pro praesentatione ad ordines, quidquam ex pacto possint exigere, et iuxta Tridentinum pro his functionibus, uti et pro literis dimissorialibus concedendis, nihil, gratis etiam oblatum, accipere, ad tollendam scilicet omnem avaritiae suspicionem ab ordine ecclesiastico, ut ait *Trident. sess.* 21. *c.* 1. *De reform.* ubi tamen etiam notarii excipiuntur, quibus decima pars unius aurei pro singulis testimonialibus, aut dimissorialibus scribendis conceditur, in illis tamen locis, ubi laudabilis consuetudo, ut ait concilium non viget, nihil accipiendi, et ubi constitutum salarium non habent pro officio suo exercendo.

§. III. *De simonia, quae committitur circa divina officia, ac officium praedicationis, et an ecclesia emi, vel redimi possit?*

Emere haec talia divina officia, uti sunt etiam orationes publicae, publicae processiones, litaniae publicae etc., officium praedicationis, vel exhortationis spiritualis, temporale aliquid pro his ut pretium, ex pacto dando,

vel accipiendo etc. simonia iuris divini est: sed nec ecclesia, aut iura illius emi dicto modo, aut redimi possunt absque simoniae vitio *c. Querelam*, 15. *h. t.*

§. IV. *De aliis variis actibus, et rebus spiritualibus, vel spiritualibus annexis, pro quibus temporale dare aliquid, aut accipere, etiam specialiter prohibitum de iure canonico.*

Ex *cap. Non satis*, 8. *h. t.* habetur, quod ab illis, qui in religionem transire volunt, nulla pecunia ex pacto exigenda sit, pro admissione; nec prioratus, aut capellaniae monachorum, vel clericorum, annua distractione vendi possint; nec ab eo, cui regimen talium committitur, pretium pro tali commissione exigi, et pro sepultura, chrismatis aut olei benedictione, nulla cuiusquam pretii exactio attentari possit. Quae ipsa etiam sub simoniae peccato, uti ne quidquam pro immissione in possessionem ecclesiarum, ac beneficiorum, per modum pretii, et ex pacto accipiatur, in aliis variis capitulis prohibetur. Videatur *c. Cum in ecclesia*, 9. *c. Cum sit*, 10. *cap. Ea quae*, 16. *c. In tantum*, 36. *h. t.*

§. V. *An exigere aliquid temporale pro re spirituali ratione consuetudinis excusari possit a vitio simoniae?*

Quod nulla consuetudine excusari possit, ut pro spirituali, temporale aliquid, ex pacto, per modum pretii exigatur, vel accipiatur, certum est; cum hoc sit contra ius naturale, et divinum: quod autem piae consuetudines observandae sint, et per episcopum compesci debeant illi, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem mutare ex *c. Ad apostolicam*, 42. *h. t.* habetur, et consequenter, ubi pia fidelium consuetudo, erga sanctam ecclesiam devota, introduxit, ut illis qui divina administrant, temporale aliquid, in subsidium saepius sustentationis, libere, et sponte offeratur, ac detur, observanda illa est, et ab episcopo etiam observatio talis urgeri, vi iuris ab ecclesia acquisiti, ex assistentia ss. canonum, ita tamen, ut non valeat consuetudo, per quam tempore collationis sacramenti v. gr. vel alterius rei spiritualis ab initio detur aliquid, ne detur occasio negandi talia spiritualia, si talia temporalia non dentur, quae simoniaca esset avaritia; et ne videatur a talibus exactionibus introducta fuisse talis consuetudo, quae et ipsa simoniaca esset, cum initium haberet simoniacum; et ne videantur temporalia talia pro spiritualium administratione ab invitis extorqueri, quod iterum simoniam sapit, de quibus consuetudinibus iura loquuntur, cum consuetudines prohibent, et reprobant, quibus pro spiritualibus, temporalia exiguntur, aut accipiuntur.

SECTIO III.

De simonia, quae committitur in actibus iurisdictionis ecclesiasticae, et in ingressu sive admissione ad religionem.

§. I. *An actus pertinentes ad iurisdictionem spiritualem, seu ecclesiasticam fori interni, vel externi sint materia simoniae?*

Affirmative, et primo quidem simonia est iuris divini, et naturalis, dare vel accipere pretium, vel aliquid temporale, pro actu quolibet fori in-

terni conscientiae, seu pertinentis ad curam animarum, pro absolutione v. g. impertienda confessis, pro audiendis confessionibus etc., prout sumitur ex *c. Nemo*, 14. §. *Nec quemquam h. t.* sive deinde ex delegata potestate talis tantum egerit, sive ex ordinaria, sive pro delegatione talis potestatis fuerit pretium, aut temporale quid exactum, sive pro ipsa absolutione, sive fuerit exactum tale quid pro absolutione a peccatis, sive pro absolutione a censuris, *cap. Ad aures*, 24. *h. t.* sive pro concedendis indulgentiis, pro dispensationibus in praeceptis ecclesiae etc., exigatur aliquid temporale, ut pretium.

Secundo simonia est iuris divini, et naturalis, iurisdictionem ecclesiasticam fori externi, sive delegata illa sit, sive ordinaria, pro pretio temporali emere, aut vendere, uti colligitur ex *c. Consulere*, 38. *h. t.* et ratione probatur, quod tali casu spirituale aliquid, sive supernaturale ratione finis, ad quem ordinatur, vendatur vel ematur. Immo simonia est, pro quolibet actu iurisdictionis ecclesiasticae voluntariae pretium accipere, pro dispensatione v. gr. in voto, iuramento, impedimento matrimonii etc., quia etiam haec potestas dispensandi, spiritualis est; et hinc quod nonnunquam iuxta stylum curiae romanae pro his dispensationibus, praesertim circa impedimenta matrimonii, exigitur, exigitur non in pretium dispensationis, sed per modum mulctae v. gr. per quam compensetur recessus a lege communi, ad piam causam applicandae, aut in vim sustentationis, et onerum ferendorum etc.

Tertio simonia est, si pro actibus iurisdictionis contentiosae ecclesiasticae, pretium detur vel accipiatur, uti patet ex *can. Vendentes*, 10. *caus.* 1. *q.* 3. nisi praecise detur tale aliquid ad redimendam iniustam vexam, cum in tali casu non tam detur pro actu spirituali, quam pro tollenda iniusta vexatione.

Quarto denique simonia est iuris divini, exigere aliquid temporale pro actibus iurisdictionis ecclesiasticae, qua talis, etiamsi hi versentur circa materiam mere temporalem, et politicam, super lite v. gr. inter clericos mota, cum etiam hi actus ab ecclesiastica, et spirituali potestate procedant.

§. II. *An sit simonia, pretium, vel aliud quid temporale dare, vel accipere pro omissione actus iurisdictionis ecclesiasticae, vel alterius actus spiritualis?*

Dare alicui temporale aliquid, ut abstineat ab actu spirituali, quem iniuste, sacrilege vel simoniace positurus esset, non est simonia, cum talis pretio non inducat alterum ad aliquid spirituale agendum, sed tantum ad aliquam iniustitiam verb. gr. omittendam: et hinc non est simoniacum, dare electoribus pecuniam, ne indignum praelatum eligant. Quodsi pretium temporale detur, propter omissionem spiritualis iurisdictionis hic, et nunc necessario ponendae, dependenter a potestate ecclesiastica, ad omittendam v. g. absolutionem, post auditam alterius confessionem, simonia est, iuxta *cit. cap. Nemo*, 14. *h. t.* quia moraliter loquendo talis non tam omittit actum absolutionis, quam ligatum retinet, et redrobatum declarat, qui sunt actus iurisdictionis, iuxta *reg. iuris* 121. *in ff.* ubi dicitur, *qui non facit quod facere debet, videtur facere adversus ea, quia non facit etc.* Si tamen pro

omissione actus spiritualis, non tamen iurisdictionis spiritualis detur, aut accipiatur aliquid, quamvis ex officio ad illud faciendum teneretur aliquis, ita tamen, ut omissio talis nullum effectum spiritualem moraliter post se relinquat, ut cum datur sacerdoti pecunia ad omittendas horas canonicas, ad non audiendas confessiones etc., non est simonia, cum omissio talis non sit sacrum aliquid, vel spirituale.

§. III. *Utrum dare vel accipere aliquid temporale pro ingressu, sive admissione in religionem sit simonia?*

Dictum iam supra, iuxta *c. Non satis*, 8. *h. t.* simoniam esse dare, vel accipere aliquid, ut pretium, pro ingressu, sive admissione ad religionem, interveniente pacto aliquo, cum ingressus hic, tam ratione principii admittentis ad religionem, quam ratione finis, quia ordinatur ad salutem animae, sit spiritualis; admittere tamen aliquid, vel etiam exigere temporale aliquid a persona ingrediente, ratione sustentationis, nec illicitum, nec simoniacum est, si monasterium v. gr. inopiam patiatur, et regula ordinis hoc non prohibeat; et quamvis putent aliqui, si monasterium v. gr. dives sit, sine simoniae (saltem iuris ecclesiastici) vitio nihil, etiam ratione sustentationis, peti posse, *c. Veniens*, 19. *et cap. Dilectus*, 30. *h. t.* putant tamen alii, consuetudinem contrariam non reprobandam, ut simoniacam, cum sit consuetudo pia, et utilis ad plures in obsequio religionis alendos, prout etiam colligi potest ex *Extravag. Sane*, 1. *h. t. inter communes*, ubi tantum abusus aliqui, qui saepius in admissione tali interveniunt, in prandiis, seu caenis instruendis, pecuniis distribuendis, etc. reprobantur.

§. IV. *De aliis modis, quibus committitur simonia in ingressu religionis, eiusque poenis.*

Videantur de his *c. Veniens*, 19. *c. De regularibus*, 25. *c. Dilectus*, 30. *cap. Quoniam*, 40. *h. t. et Extravag. Sane*, 1. *eodem inter communes*, ubi plura de poenis simoniae taliter commissae in admissione, et receptione ad religionem statuuntur, quorum usus quin rarus est, explicata haec capitula videri possunt apud auct. Metho. hoc §.

SECTIO IV.

De simonia, quae committitur in beneficiis ecclesiasticis, et circa officia ecclesiae temporalia.

§. I. *Utrum simonia, quae committitur in venditione beneficiorum ecclesiasticorum sit contra ius divinum, an vero solum contra ius positivum seu ecclesiasticum?*

Duo in beneficiis distingui debent, ius exercendi spiritualia ministeria, quod proprie officium vocatur; et ius percipiendi fructus, seu emolumenta temporalia, quod communiter praebenda dicitur, ita ut beneficii nomine saepius utrumque hoc ius contineatur. Ius exercendi spiritualia ministeria emere vel vendere pro pretio temporali iuris divini simoniam esse, nemo dubitat; ius tamen percipiendi reditus, seu emolumenta temporalia beneficii, officio

annexum, dicto modo emere, aut vendere, putant aliqui, iuris tantum ecclesiastici positivi simoniam esse. Probabilius tamen videntur sentire cum s. Thoma communiter theologi, emere vel vendere hoc ius etiam percipiendi temporales redditus beneficii, quatenus annexum est iuri spirituali, ministeria spiritualia exercendi, simoniam iuris divini esse, ita ut nec in tali emptione, aut venditione dispensare possit summus pontifex, nec ipse talem venditionem facere possit, prout non tantum plura ss. canonum iura probant, sed ratio etiam communiter recepta, quod ius scilicet percipiendi taliter redditus, sit quidem secundum se temporale quid, et pretio aestimabile, quia tamen fundatur in officio spirituali, et huic ita annexum est, ut nulli alii nisi clerico ad spirituale ministerium destinato competere possit, tanquam debitum sustentationis stipendium, consequenter qui vendit illud ius temporale, vendit etiam hoc ius spirituale, sine quo alterum non obtinetur, et quod consequenter priori annexum est, ita ut tali casu illa iuris regula locum habeat ex *can. Si quisq. caus.* 1. *q.* 3. desumpta; *Quisquis horum alterum vendit, sine quo alterum non provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Quod tamen ita intelligi debet, nisi iurium horum per legitimam auctoritatem fuerit facta separatio; si enim summus pontifex, qui solus, tanquam supremus beneficiorum ecclesiasticorum administrator separare haec iura a se invicem potest, redditus, sive ius ad hos redditus, non iam ut fructus debitos pro sustentatione officiis ecclesiasticis occupati, sed propter aliam civilem, et politicam causam, alicui concedat, quod facere potest absque simoniae periculo, censetur iura haec separasse, et consequenter unum, quod temporale est, vendi poterit in tali casu, vel emi absque eo, ut alterum, quod spirituale est, vendi, aut emi censeatur.

§. II. *Quibus modis committitur simonia in collatione beneficiorum, electione ad praelaturas, et alia beneficia ecclesiastica?*

Primo certum est, quod committatur simonia, si pro beneficii ecclesiastici collatione, inductione, sive immissione in possessionem collati beneficii pro institutione in beneficio, exigatur, aut detur pecunia, vel aliud quid temporale, cum actus hi sint actus ministerii spiritualis ecclesiastici, et dando pecuniam non redimatur vexa iuris spiritualis iam quaesiti, sed quaerendi primum, prout habetur etiam ex *c. Audivimus*, 41. *et ex c. Ne Dei*, 43. *h. t.*

Secundo patet ex *c. Diligenti*, 17. *h. t.* homagium praestare pro beneficio obtinendo, simoniacum esse, cum res temporalis, obsequia scilicet, pro spirituali detur. Neque huic obest, quod omnes clerici, quando recipiunt a praelatis beneficia, fidelitatis iuramentum eis praestare debeant, quia per tale iuramentum non obligatur clericus ad servitia temporalia praestanda praelatis, sicuti obligatur per homagium, quo fit vassallus, et subditus illius, cui homagium praestat.

Tertio committitur simonia, si pro temporali obsequio promittitur beneficium ecclesiasticum, *cap. Cum essent*, 12. *h. t.* quamvis enim spe obtinendi ab aliquo beneficii, aut praesentationis, servire possit alicui aliquis, modo nulla pactio interveniat, ob promissum tamen beneficium obtinendum servire alicui, simoniacum est, cum sine pacto vendendi taliter, et emendi

pro obsequio temporali beneficium spirituale, hoc non fiat. Quarto committitur simonia in electionibus ad praelaturas, non tantum, si pecunia detur pro electione certae, ac singularis personae, quamvis illa dignissima esset, sed etiam, quando ex pacto dant sibi invicem mutua suffragia, quando pecunia alicui datur, ne consentiat in electionem alicuius (non quidem, quando praecise datur, ne eligatur indignus, quia ut sic nihil temporale datur pro spirituali, sed procuratur tantum bonum ecclesiae) quando pecunia datur pro obtinenda confirmatione, praesentatione, etc.

§. III. *Quomodo simonia committitur in receptione canonicorum?*

Bona sua offerre ecclesiae, cum pacto, ut recipiatur in canonicum, et bonis his, ut canonicus, frui possit, dum vivit pro praebenda, simoniacum est, *c. Tua nos*, 34. *h. t.* si vero pure, et sine pacto, bona sua ecclesiae quis offerat, et roget tantum humiliter, ut in canonicum se recipiant, et sibi haec bona, dum vivit, pro praebenda relinquant, receptio talis in canonicum simoniaca non est, (nisi intentio prava offerentis simoniam faciat) cum in priore casu ex pacto in canonicum talis, pro re temporali oblata, recipiatur, non autem in posteriore casu: et quamvis de iure etiam alia prohibeantur in admissione ad canonicatum, ea tamen multum urgere, esset damnare receptam in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis nostrae Germaniae consuetudinem, quae viget scientibus, et tacentibus episcopis.

§. IV. *An electio, praesentatio, confirmatio, collatio, vel quaevis alia provisio beneficii simoniaca, sit ipso iure irrita?*

Electio, praesentatio, collatio, confirmatio, seu quaevis alia beneficii provisio, per simoniam facta, non quidem iure naturae irrita est, sed iure ecclesiastico, sive simonia ab ipso electo, sive ab alio, electo tamen v. gr. sciente, et non contradicente, facta sit, *c. Matthaeus*, 33. *h. t.* immo ex *c. Ex insinuatione*, 26. *h. t.* patet, irritam esse provisionem talem simoniacam (de iure ecclesiastico) si ignorante etiam electo facta sit, prout etiam probatur ex *c. Nobis*, 27. *h. t. et Extravag. Cum detestabile*, 2. *h. t. inter communes*, cum in tali casu puniatur non tam simoniace promotus, qui de simoniaca hac sibi facta provisione, tum nihil scivit, quam simoniaca provisio.

§. V. *Quando electio, vel collatio beneficii simoniace facta ignorante electo, vel proviso, non est irrita?*

Duo communiter casus referuntur, in quibus electio v. gr. simoniace facta, ignorante tamen electo, non est ipso iure irrita. Primo scilicet, si ab alio, ignorante electo, pecunia v. gr. promissa, aut data est in fraudem eligendi, ut ne scilicet electio illius vim aliquam haberet, *iuxta cit. cap. Nobis,* cum in tali casu malitiis hominum indulgendum non sit, et nemo alterius odio praegravari debeat. Secundo, si electus v. gr. contradicat promissioni, aut dationi simoniacae ab aliis, ignorante tamen eo, factae, *cap. Sicut*, 33. *h. t.* ne alterius factum, quod non scivit, et sufficienter contradicendo praecavere studuit, illi praeiudicet.

§. VI. *An, et quatenus licitum sit dare, vel accipere pecuniam ad redimendam vexationem in beneficiis, vel non sit licitum?*

Tres communiter regulae ad hanc rem conducentes traduntur a DD. Prima est, quod post ius acquisitum in beneficio per legitimam electionem, postulationem, confirmationem, institutionem, vel collationem, non sit simonia, pecunia, vel alia re pretio aestimabili redimere vexationem, quae ad ius in beneficio tollendum iniuste infertur, quia qui dat in tali casu pecuniam, non dat illam pro re spirituali obtinenda, quam iam habet, sed pro tollenda ininsta vexatione, uti colligitur ex *c. Dilectus*, 28. *h. t.* Secunda regula est, quod pro iure nondum acquisito in beneficio, sed primum acquirendo, non liceat, absque simoniae vitio, pecunia oblata, redimere vexationem, etiam iuinstam, ab eo, qui non tantum obesse, sed etiam prodesse potest, dando scilicet, iuxta potestatem, quam habet spirituale illud, quod acquirendum erat, quia talis intendit rem spiritualem sibi acquirere per temporale medium, et viam sibi per hoc temporale aperire ad spirituale acquirendum, pront colligitur ex *cap. Matth.*, 23. *h. t.* quod si tamen, quae tertia regula est, talis, cui pretium temporale ad vexationem iuiustam impediendam datur, obesse quidem posset, nihil tamen ad spirituale acquirendum prodesse, seu conferre, non esset simoniacum, dare illi pecuniam, v. gr. ut nocere desinat, quia in tali casu famam tantum tuam v. gr. conservare, et iniustas praecise machinationes contra te impedire velle, censendus esses.

§. VII. *De simonia confidentiali, sive quae committitur in resignationibus, et provisionibus beneficiorum, spe, et confidentia factis.*

Simonia confidentialis est certa species simoniae ab aliis distincta, a spe, et fiducia, quae ei snbest, sic dicta, et iure humano positivo inducta, a snmmis pontificibus Pio IV. et V. in materia beneficiorum, quae tum committitur, cum quis procurat alicui beneficinm ecclesiasticum, cnm certa confidentia, ex pacto scilicet expresso, vel tacito, quod postmodnm hoc ipsnm beneficium sit ipsi procuranti, vel alteri, cni voluerit procurans, cessurus, ant pensionem aliquam, sive fructus ex eo praestiturus. Potest autem talis in beneficiis simonia confidentialis triplici adhnc modo committi. Primo per accessum, quando quis beneficium resignat, aut procurat alteri, ut obtineat illud, dum alter, cui beneficium hoc collatum vellet, ob defectnm aetatis, aut alterius impedimenti canonici, cuius modo capax non est, aetatem requisitam acquirat, aut impedimentnm amoveretur, ita ut hic inhabilis modo postmodum ius habeat, propria auctoritate beneficium illud accipiendi: Secundo per regressum, quando quis beneficium, quod modo possidet, cedit alteri, ea tamen conditione, ut sibi reservatum velit ius ad illud redenndi, si ille, cui cessio facta est, praemoriatur v. gr. Tertio per ingressnm, ut cum quis beneficium sibi collatum, nondum tamen possessum, renuntiat alteri, ea tamen conditione, et pacto, ut ius habeat illins beneficii possessionem ingrediendi, et capiendi, si alter huic beneficio cedere debeat. In quibus casibus, si quis ius ad tale beneficium accedendi, regre-

diendi, aut ingrediendi, sine expressa licentia papae sibi reservat, simoniam committit confidentialem, ita ut non tantum invalida sit collatio, seu resignatio talis beneficii, in quo commissa est talis simonia, sed simoniacus confidentialis privetur (post sententiam iudicis) omnibus beneficiis, et pensionibus prius obtentis, et ad quaevis alia beneficia obtinenda inhabilis sit.

§. VIII. *De simonia, quae committitur in pensionibus solvendis ex bonis ecclesiasticis.*

Sunt aliquae pensiones, quae ex bonis quidem ecclesiasticis eximuntur, et laicis propter ministerium aliquod temporale, vel propter aliam iustam causam conceduntur, has tamen, cum spirituale nihil contineant, emere, vel vendere, nulla simonia est. Quae vero clericis nonnunquam solvuntur, ob spiritualia quaedam ministeria, ab his praestanda capellanis v. gr. aut chori vicariis, etc. sine simonia pro pretio temporali vendi, aut emi non possunt, cum fundentur in spirituali obligatione, non minus, ac alia beneficia. Illae autem, quae clericis quidem, qua talibus, solvuntur, non tamen ob spirituale ministerium, sed ob aliam causam, parocho v. gr. seni, ad sustentationis auxilium, titulo eleemosynae, etc. quamvis de iure antiquo communi sine simoniae vitio emi, et vendi possent, spectando tamen stylum curiae romanae post bullam Pii V. simoniacum est, si emantur, aut vendantur illae, cum ex decreto Pii V. obligationem recitandi officii B. Virginis annexam habeant.

§. IX. *De simonia, quae committitur circa officia ecclesiae temporalia.*

Spectato iure naturali simonia non est talia officia pro pretio temporali sibi comparare, cum nihil in spirituale haec officia habeant, nec ordinentur ad spirituales actiones; de iure tamen ecclesiastico simonia est, haec talia pro pretio temporali emere, vel vendere, *c. Consulere*, 28. *h. t.* sunt enim coniuncta cum sacris, quae curant; si tamen solis clericis ea conferri soleant, et nisi per contrariam consuetudinem huic prohibitioni iuris canonici fuerit derogatum. Functiones tamen talium officiorum vendere, aut emere, simoniacum non est, cum nullum habeatur ius ecclesiasticum, talium functionum emptionem vel venditionem prohibens.

SECTIO V.

De pretio simoniaco, eiusque divisione.

§. I. *An pretium simoniacum necessario debeat esse temporale quid, non spirituale; et quando temporale, quod datur, habeat rationem pretii, respectu rei spiritualis, quae vicissim datur?*

Pretium simoniae, spectato iure naturali, et divino, necessario debet esse quid temporale, nec sufficit spirituale, quia malitia simoniae in hac iniuriosa rei temporalis cum spirituali comparatione, et aestimatione consistit; et hinc spirituale permutare pro spirituali non est simonia iuris divini, iure tamen ecclesiastico prohibita est sub simoniae peccato, permutare inter se propria voluntate beneficia ecclesiastica, sine superioris auctoritate, Ne-

que simonia est iuris divini, aut naturalis, si res pretio aestimabilis gratis, et liberaliter donetur illi, aut detur, qui spirituale beneficium, aut officium praestitit, uti habetur *in c. Licet*, 4. *can.* 1. *quaest.* 2. sive detur tale donum temporale post spirituale praestitum, sive detur ante illud, quia in tali casu non datur temporale, ut pretium rei spiritualis, et ex iniustitia debitum; sed ut donum liberale, et gratuitum, quamvis in foro externo, quando praecedunt temporalia munera, plerumque praesumatur simonia (licitum tamen non est, sed simoniacum, obligationem antidoralem gratitudinis in pactum deducere, specialiter promittendo implere illam) multo minus simonia est pro spiritualibus ministeriis accipere, aut dare aliquid temporale, pro sustentatione talis personae, quamvis ex pacto detur, quamvis ille, qui accipit, non indigeat hoc temporali tanquam sustentationis stipendio, cum ex suis patrimonialibus sufficienter instructus sit. Neque simonia est dare, aut promittere alicui temporale aliquid per modum retributionis, seu compensationis, ut indueat alterum ad spirituale aliquid, ut si quis promittat infideli, se daturum temporalia, si fidem veram suscipiat etc. neque enim in tali casu primum est, quod intenditur, rei temporalis cum spirituali comparatio, tanquam pretii convenientis, sed est liberalis donatio sub certo tamen modo, ad quem alter invitatur, facta. Neque denique simonia proprie loquendo est absque pacto expresso, vel tacito, temporale pro spirituali dare, vel accipere, cum possit in tali casu, tale quid admitti, ut eleemosyna etc.

§. II. *Quaenam circumstantiae considerandae sint, ut cognoscatur, an munus aliquod temporale habeat rationem simoniace dati pro re spirituali, vel non habeat?*

Ex *c. Etsi quaestiones*, 18. *h. t.* habetur, quod in foro externo ex circumstantiis diiudicandum sit, an temporale, quod datur, simoniace detur, maxime, si pactum intercesserit, et nulla causa subsit, ex qua cohonestari possit talis datio. Et hinc dicit pontifex in cit. cap. tria potissimum attendenda esse, ad dignoscendum, utrum gratuito, vel per modum pretii temporale datum sit. Primo qualitas personae dantis, et recipientis, an sit dives, an pauper, nobilis an ignobilis etc. (de illis enim gratuita donatio praesumi potest) ad quam praesumptionem multum etiam iuvat vitae integritas, morum honestas, vinculum amicitiae etc. Secundo putat pontifex considerandam circumstantiam quantitatis, magnum scilicet an parvum sit donum, respectu dantis, et accipientis etc. ita tamen, ut facilius excusent a simoniae praesumptione, comestibilia, aut potabilia, in modica quantitate data, quam pecunia. Tertio denique considerandam putat pontifex circumstantiam temporis, sive occasionem dationis, (si enim urgente necessitate temporale quid detur, ad subveniendum potius necessitati tale datum praesumitur, quam ad emendam rem spiritualem) utrum detur ante receptam rem spiritualem, vel in ipsa receptione, vel post illam receptam, ubi gratitudo locum habet, etc.

§. III. *Quotuplex sit pretium simoniacum?*

Triplex communiter in iure simoniae pretium asseritur, munus a manu,

munus ab obsequio, et munus a lingua. Munus a manu censetur pro spirituali dari, non tantum, quando ad hoc obtinendum pecunia, aut alia res materialis, sive mobilis illa sit, sive immobilis, sive corporalis, sive incorporalis, uti sunt varia iura etc. datur, sed etiam quando debitum remittitur, aut solutio huius differtur, quando mutuum datur, quando promittitur debiti remissio, aut solutionis dilatio etc. Munus ab obsequio censetur pro spirituali dari, quando servitia, seu obsequia temporalia pro spirituali obtinendo ex pacto praestantur. Neque tamen ad conciliandum illius gratiam, qui potest dare beneficium v. gr. vel aliud spirituale, si quis gratis ei inserviat, simoniam committit, etiamsi ille spirituale tale quid concessit ab obsequiis motus, modo nullum pactum (saltem implicitum) intervenit. Per munus denique a lingua intelliguntur, laudes, commendationes, et preces v. gr. quae pro aliquo apud principem v. gr. interponuntur, cum pacto, ut sibi pro talibus linguae commendationibus v. gr. spirituale quid detur.

SECTIO VI.

De iudicio, sive processu iudiciario in crimine simoniae.

§. I. *Quis sit iudex competens in crimine simoniae, et quis accusare possit de hoc crimine, et quis accusari; item quomodo crimen simoniae probetur?*

Iudex competens huius criminis iudicandi est solus iudex ecclesiasticus, etiamsi, qui crimen hoc commisit, sit laicus, cum crimen hoc sit mere ecclesiasticum, circa obiecta, et res spirituales versans, prout habetur etiam ex *communiter recepta glossa in cap. Cum sit*, 8. *de foro compet. v. Malefactores.*

Potest autem quilibet catholicus, etiam servus, et criminosus de hoc crimine simoniae quemlibet simoniacum, tam dantem, quam accipientem, modo non ignoraverit, aut invitus fuerit ad simoniam pro se faciendam, accusare, tum quod ob criminis huius atrocitatem, quilibet ad accusandum merito admittatur, tum quod hoc ipsum iura concedant, *c. Si Dominus*, 3. *h. t.* itaut pendente accusatione simoniae, accusatus de ea, celebrare non possit, donec de ea constiterit, *c. Accusatum*, 4. *h. t. et c. Quoties*, 5. *eodem.* Probatur autem simonia iisdem modis, quibus alia crimina probari solent, per simoniaci scilicet confessionem, per testes, et per instrumenta authentica, ita tamen, ut in hoc crimine sufficiant ad condemnandum probationes, quae fiunt per signa evidentia, et coniecturas, prout habetur *in c. Sicut*, 6. *h. t.* statuente hoc summo pontifice ob atrocitatem, et gravitatem huius criminis.

§. II. *An, et quando criminosi admittantur ad testimonium ferendum in crimine simoniae?*

Quod contra simoniacos in iudicio inquisitionis testes etiam criminosi admittantur, modo non sint inimicitiae capitales inter testes tales, et eum, contra quem de crimine simoniae, testimonium ferre debent, neque conspiraverint in hunc, ex *c. Licet Heli*, 31. *h. t.* patet, cum in simonia non ali-

ter, ac in haeresi procedatur, et in crimine laesae maiestatis, quae crimina tam in ordine ad accusandum, quam testificandum inter se aequiparantur. Clarus adhuc habetur, quod criminosi ad testificandum in crimine simoniae sint admittendi ex *c. Per tuas,* 32. *h. t.* videatur fusior utriusque huius capituli explicatio apud *auct. Meth. h. t.*

SECTIO VII.

De poenis simoniae, ac dispensatione in illa.

§. I. *An poenae iure decretae incurrantur propter quamlibet simoniam, et in quacunque materia fiat?*

Primo certum est, nullam poenam incurri propter simoniam mere mentalem, si ea pure interna sit, aut exterius non sit ex utraque parte completa, cum actus mere interni non cadant sub iurisdictione ecclesiae directe. Secundo satis certum est, nullam etiam iuris positivi poenam ipso facto incurri, propter simoniam mere conventionalem, quae scilicet non est completa ex utraque parte, excepta simonia confidentiali, sicuti enim ss. canones, dum poenas in simoniacos statuunt, non loquuntur de conventionibus tantum, sed de dantibus, et accipientibus temporale pro spirituali, neque sunt ultra verborum proprietatem in materia poenali extendendi, sic in simonia confidentiali etiam conventiones propria auctoritate factas suis poenis afficiunt pontifices. Nec propter simoniam realem ex utraque parte completam, incurruntur poenae a iure statutae, ipso facto, praeter illam, quae committitur in ingressu religionis, susceptione ordinum, aut admissione beneficiorum; quamvis enim in iure multae poenae statuuntur in simoniacos, non tamen omnes in quolibet casu ipso facto incurruntur, sed illi tantum iuxta clara verba iuris, qui simoniam committunt in ingressu in religionem, susceptione ordinum, vel beneficiorum. Comprehenduntur tamen poenis a iure statutis etiam illi, qui occultam simoniam committunt, iuxta *Extravagant. Detestabile,* 2. *h. t.* inter communes, et qui iuris ecclesiastici simoniam tantum committunt, quae fit in permutationibus beneficiorum sine superioris auctoritate factis, *c.* 5. *et* 7. *de rerum permutat. et c. De hoc,* 11. *h. t. et iuxta cit. Extravag. eodem.*

§. II. *An, et qualiter incurratur poena excommunicationis propter simoniam commissam in ordine, vel beneficio?*

Incurri ipso facto tam ab ordinante, quam ab ordinato, poenam excommunicationis papae reservatam, si ab his simonia realis, et completa in ordine conferendo committatur, ex *citat. Extravag.* 2. patet §. *Statuentes,* ita ut nomine ordinum in hac materia veniant tam minores, quam sacri ordines (cum iura universaliter loquantur de ordinibus) etiam prima tonsura, et si quae simonia committitur in impetrandis dimissoriis, quae sunt dispositiones ad ordines: qualis excommunicatio papae reservata etiam incurritur, propter simoniam realem, et utrinque completam, in beneficiis, electionibus, praesentationibus, collationibus, confirmationibus, etc. si tamen

beneficia proprie dicta illa sint, et non sint tantum pensiones, aut officia etc. et non excuset ignorantia.

§. III. *An, et qualis suspensio contrahatur per simoniam commissam in ordine, vel beneficio?*

Ordines conferens per simoniam completam, spectato iure commune decretalium, ipso iure est suspensus a collatione quorumcunque ordinum, saltem per triennium, ut patet ex *c. Si quis*, 45. *h. t.* et qui simoniam commisit praesentando ad ordines, ad certum tempus suspensus est ab executione ordinum; ordinatus vero per talem simoniam suspensus est ab ordine sic suscepto, donec a sede apostolica cum illo fuerit dispensatum, nisi sine culpa ab ipso commissa, simonia intervenisset *c. De simoniac.*, 22. *h. t.* cum nulla debeat imponi poena, ubi nulla culpa est. Severius adhuc simoniace ordinantes, et ordinatos punit Sixtus V. in suo motu proprio, et contra eos loquitur *glossa hic v. Remanere*, hodierna tamen praxis non videtur rigores hos recipere.

Qui vero beneficium obtinet per simoniam commissam, et completam, nullam quidem suspensionem proprie dictam incurrit, nec conferens illud, nec accipiens, cum in iure nulla expressa sit, quia tamen excommunicatus est, consequenter ab omni etiam officio, ordine, et beneficio suspensus est, donec ab excommunicatione absolvatur.

§. IV. *An praeter praedictas censuras sint aliae poenae canonico iure decretae in simoniacos?*

Sunt et aliae poenae, et quidem plures, quia tamen poenarum talium rara praxis est, eo quod simonia vix hodie locum pluribus videatur habere, hinc ad auct. Method. eum remitto, qui poenarum harum cupit habere notitiam. Uti etiam §. 5. videre est, quis in his penis dispensare possit.

SECTIO VIII.

De obligatione restituendi ea, quae per simoniam sunt accepta.

§. I. *An, et cui pretium simoniace acceptum sit restituendum?*

Qui accipit pretium temporale pro re spirituali, pro sacro v. gr. calice, reliquiis auro, et argento ornatis, simoniace quidem, non tamen iniuste, eo quod ius temporale annexum v. gr. spirituali, suam aestimabilem pro pretio commoditatem habeat, non tenetur de iure naturali, aut divino, ad ullam restitutionem faciendam, modo quod simoniace accepit, rei temporalis spirituali annexae aestimabilitatem non excedat, cum in tali casu graviter quidem contra religionem peccetur, non tamen contra iustitiam, obligatio autem restituendi oriatur praecise ex laesa iustitia. Si tamen non tantum simoniace, sed etiam iniuste (in casu scilicet in quo res spiritualis nullam commoditatem temporalem affert) pro temporali rem spiritualem vendidit, ille iure divino, et naturali ad pretium, quod accepit, restituendum, obligatur, non quidem praecise, quod simoniam commiserit, sed quod laeserit iustitiam commutativam (pretium accipiens pro re, cuius nulla temporalis commoditas est) ex qua oritur restituendi obligatio; et quidem in hoc casu

simoniae restitutio pretii iniuste accepti fieri debet, ante sententiam iudicis, iiii, qui dedit hoc pretium, cum ut sic iniuria alteri facta reparetur, ad cuius reparationem iustitia obligat; in priore vero casu simoniae admissae, potest simoniacus per iudicem ecclesiasticum condemnari ad restituendum pretium simoniace acceptum ecclesiae, vel aliis piis causis, prout etiam emptor rei spiritualis, qui pretium temporale pro re spirituali dedit, in poenam delicti, sive simoniae admissae, privari potest pretio solvendo per sententiam iudicis, et hoc ecclesiae, vel alii piae causae applicari.

§. II. *An pretium simoniace acquisitum contra prohibitionem iuris ecclesiastici restitui debeat in foro conscientiae, etiam ante sententiam, et condemnationem iudicis, et cui?*

Si quis pretium temporale accepit pro collatione, electione, confirmatione, vel renuntiatione, etiam ex vi iuris ecclesiastici ante omnem sententiam iudicis restituere acceptum pretium debet, *c. De hoc*, 11. *h. t.* (iure scilicet impediente, quo minus pretii sic accepti dominium acquirere possit) et quidem iuxta probabilem sententiam illi ecclesiae restitutio facienda est, in qua est beneficium simoniace collatum, cui per talem collationem v. gr. iniuria facta fuit.

Si tamen simonia commissa sit in admissione ad religionem, pretium datum, de iure positivo, ante sententiam iudicis, restituendum non est, si admissus in monasterio maneat, cum in tali casu retineri pretium datum a monasterio possit ratione alimentorum. In aliis vero casibus, in quibus etiam simonia committitur, saepe de iure naturae debet fieri restitutio; cui autem haec facienda sit, iudicis arbitrio ordinarie relinquitur.

§. III. *An vicissim res spiritualis, quae pro pretio simoniace data fuit, etiam debeat restitui danti?*

Ad hanc quaestionem, ut respondeatur, observari iterum debet, an simoniace, et iniuste res spiritualis acquisita sit, vel an acquisita sit simoniace quidem, non autem iniuste. In priore casu, si res iniuste, et simoniace accepta, sit permanens, non quidem res accepta, sed pretium accedens, quod pro spiritualitate v. gr., qua talis, datum est, restitui debet ei, qui ratione spiritualitatis hoc pretium dedit (quamvis in poenam deiicti per sententiam iudicis hoc privari possit); si vero res spiritualis simoniace quidem, non tamen iniuste acquisita fuit, nulla rei talis restitutio fieri debet, cum nulla sit laesa iustitia, quamvis etiam hic in poenam admissae simoniae re spiritualiter sibi comparata, privari possit, etc.

§. IV. *An simonia mentalis obliget ad restitutionem?*

Tres sunt hac in re sententiae. Prima absolute negat obligationem restitutionis, si mentalis tantum simonia commissa sit, dato quidem temporali, et accepto spirituali, sine pacto tamen, aut signo exterius simoniam manifestante, cuius sententiae fundamentum videtur *c. Mandato*, 46. *h. t.* ubi dicitur sufficere in tali casu, si delinquentes per suam poenitentiam suo creatori satisfaciant. Secunda distinguit, et concedit restitutionis obligatio-

nem in casu simoniae mentalis iure divino prohibitae, non autem in casu simoniae mentalis, quae committitur contra ius ecclesiasticum tantum, cum in illo casu ad acquirendum dominium reddatur inhabilis simoniacum pretium accipiens, non autem in hoc casu. Neutra tamen haec sententia placet, cum neutra satis efficaciter probetur, vel certe nimis universaliter probet. Tertia proinde sententia probabilior est, quae distinguit, utrum pretium in tali simonia mentali simoniace acceptum, annexam habeat de iure naturali iniustitiam, vel utrum simoniace quidem, non tamen iniuste acceptum sit, in illo priore casu admittit obligationem restitutionis, non autem in posteriore casu, ob rationem saepius allatam.

TITULUS IV.

NE PRAELATI VICES SUAS, VEL ECCLESIAS SUB ANNUO CENSU CONCEDANT.

§. Unicus. *An, et sub qua poena prohibitum sit praelatis ecclesiasticis, vices suas id est, iurisdictionem suam, sub annuo censu, sive pretio concedere; et an etiam proventus ecclesiarum sub annuo censu locari possint?*

De priore quaestione agitur *in c. Praeterea*, 1. *h. t.* ubi prohibetur episcopis sub poena privationis vendere pro certa pecuniae quantitate suam iurisdictionem episcopalem, cum haec iurisdictio sit spirituale quid, et consequenter sine simonia pro pretio temporali vendi non possit; quae tamen simonia non committitur ab episcopo vicario v. gr. constituto, ut vice episcopi iurisdictionem exerceat, si ab episcopo salarium accipiat, cum hic pro eo, quod locet suas operas episcopo, salarium aut stipendium pro his accipere possit. Videatur etiam *c. Quoniam*, 2. *et* 3. *h. t.*

De posteriore quaestione agitur in *c. Quaerelam*, 4. *h. t.* ubi concedi videtur, antiquum decretalium ius attendendo ad plures etiam annos infra decem, redditus ecclesiae, vel beneficii sub annuo censu elocari posse, quod tamen hodie non licet ultra triennium, ubi *Extravag. Ambitiosae de rebus ecclesiae alienand. inter communes*, recepta est, videatur etiam de hoc tit. ea quae in superioribus dicta sunt *tit.* 13. *lib. III. Decretal. de rebus ecclesiae non alienandis.*

TITULUS V.

DE MAGISTRIS, ET NE ALIQUID EXIGATUR PRO LICENTIA DOCENDI.

§. I. *An, et quinam magistri constituendi sint ad docendum in ecclesiis cathedralibus; et an licitum sit aliquid exigere, vel accipere pro licentia docendi?*

Ex *c. Quoniam*, 1. *h. t.* habetur, quod in qualibet ecclesia cathedrali, vel etiam collegiata, si sufficientes redditus adsint, constitui debeat, de una praebenda magister, qui clericos eiusdem ecclesiae, et pauperes scholares grammaticam gratis doceat; et quod pro licentia docendi, nullum pretium sit exigendum, neque idoneus, si petita licentia, docere velit, sit impediendus, (ne desit doctrina ignorantibus, aut pauperibus) sub poena privationis

beneficii ecclesiastici. Qualia praecepta, et prohibitiones etiam fiunt *in c.* 2. *et* 3. *h. t.* ac in *cap.* 4. insuper additur, ut in ecclesia metropolitana theologus constituatur, qui alios in sacra pagina doceat, et in his praecipue instruat, quae ad curam animarum pertinent, assignatis unius praebendae proventibus, quae constitutio confirmata etiam fuit a *Tridentino sess.* 5. *c.* 1. *De reform. et sess.* 23. *c.* 18. *De reform.* quod eam etiam extendit ad ecclesias cathedrales, si civitas sit insignis, quae autem praxis sit harum constitutionum, uti etiam ipsius Tridentini, docebit consuetudo.

§. II. *Quale privilegium iure canonico concessum sit theologiam, seu sacram scripturam publice docentibus, vel illi studentibus?*

Ex *c. Super specula*, 5. *h. t.* habetur, quod docentes theologum (aut ius canonicum, uti communiter docent omnes) vel in illis studentes, in celebri universitate, gaudeant privilegio percipiendi fructus beneficiorum suorum, etiamsi absint a suis ecclesiis, cum licentia tamen suorum praelatorum, etc. ita tamen, ut docentes quidem gaudere possint suorum beneficiorum fructibus, quamdiu docuerint, absque limitatione ad certos annos (nisi ex causa revocentur ad suas ecclesias); studentes vero in his facultatibus, hoc privilegio gaudeant ad quinquennium, cum hoc sufficere videatur his, ut docti possint evadere, docentibus vero nullum tempus limitatum est, cum semper promoveant utilitatem ecclesiae universalis. Videatur etiam *Clement. Inter*, 1. *h. t.*

§. III. *An accipere pecuniam pro doctrina theologiae sit simoniacum?*

Respondetur negative, sive deinde temporale accipias pro officio docendi theologiam speculativam, sive moralem, sive controversam; sive pro interpretatione sacrae scripturae, etc. cum tale munus, et officium docendi, non sit quid spirituale, aut supernaturale, naturalibus discursibus intellectum illuminans ad intelligenda ea, quae ex naturali luce, vel etiam ex suppositis fidei principiis, naturaliter deduci possunt; et quamvis *in c.* 1, 2. *et* 3. *h. t.* prohibeatur, ne pro danda docendi licentia accipiatur aliquid, hoc tamen non prohibetur, ut simoniacum (nisi ratione spiritualis suae iurisdictionis haec talia concederet aliquis pro pecunia, cum gratis ea concedere deberet, ne spirituali sua iurisdictione ad temporalia sibi comparanda videretur abuti) sed ut ex alio capite bono communi minus conveniens, et illicitum; quod ipsum etiam dici potest, de concedenda pro pecunia licentia, ad alias facultates docendas, prout ex relatis etiam capitulis colligi potest.

TITULUS VI.

DE IUDAEIS, ET SARACENIS, ET EORUM SERVIS.

§. I. *Quae, et in quibus casibus interdicta sit christianis communicatio cum iudaeis?*

Agitur in hoc titulo non tam de iudaeis, et paganis infidelibus, ad quos iurisdictio canonica se non extendit, cum non sint in ecclesia, quam de

prohibita communicatione fidelium cum infidelibus talibus, et poenis certis, quibus afficiuntur fideles, si contra prohibitionem cum illis communicent. Sic in *c. Ad haec*, 8. *h. t.* prohibetur omnibus christianis assidua conversatio, et familiaritas cum iudaeis, ne ad suam perfidiam simplicium animos inclinent; itaut nec servi iudaei, qui commorentur cum christianis familiariter, et domestici admittantur, ob gentis illius pertinaciam; nec liceat uti medicis iudaeis, aut medicinis a iudaeis praeparatis, nisi necessitas in defectu fidelium peritorum aliud permittat; nec liceat cum iudaeis lavare, sive balneum commune habere, extra casum necessitatis; nec licet eorum azymis vesci, ad eorum convivia accedere (quod ipsum prohibetur etiam respectu saracenorum, aut aliorum infidelium, ita tamen, ut illi excipiantur, qui ad eorum conversionem mittuntur) famulari iudaeis, horum filios nutrire, seu obstetrices, aut nutrices eorum agere, habitare cum illis etc. Itaut continua saltem cum illis familiaritas, ex tali cohabitatione, aut perpetuo servitio contracta, prohibeatur sub peccato mortali.

§. II. *Quaenam iudaeis, christianorum principum potestati, et imperio subiectis, iure tum canonico, tum civili sint interdicta?*

Prohibetur illis, ne officio aliquo publico fungantur, et iurisdictionem exerceant inter christianos, ne novas synagogas erigant, ne habeant nutrices, vel obstetrices, aut famulos, qui ipsis serviant, vel mancipia christiana, itaut si servitii causa, sit empta, nullo etiam dato pretio fiant libera, nisi infra tres menses venales exponantur; si vero negotiationis causa sint empta, a quolibet christiano datis 12. solidis saltem redimi possint; ne die parasceves ostia aut fenestras apertas habeant, ne toto tempore passionis dominicae, infra sacram scilicet hebdomadem, in publicum prodeant; et praecipitur etiam, ut distinguantur habitu a christianis. Vide plura per varia huius tituli capitula, et quae tam his duobus, quam sequenti §. habet auctor Method. ubi etiam quae ipsis permitti debeant, recenseutur, quae tamen consuetudo, et praxis multum variat.

§. III. *Quomodo, et a quo iudaei delinquentes possint, ac debeant puniri?*

Iudaei cum non sint subiecti iurisdictioni ecclesiae, non possunt, nisi a dominis suis temporalibus, poena temporali puniri, hinc iudaeus percutiens clericum, non incurrit excommunicationem quae est poena ecclesiastica, sed ab eo, cuius iurisdictioni temporali subiectus est, poena fortassis pecuniaria punietur.

§. IV. *Quaenam interdicta sint christianis iure canonico circa saracenos, seu paganos, aliosque infideles?*

In *c. Ita quorundam*, 6. *h. t. et c. Ad liberandum*, 17. *eodem*, varia prohibentur catholicis, ne saracenorum bellico, et piratico furori contra christianos serviant, praesertim ne arma, ferrum tam factum, quam infectum, ligna etc. ad eos deferant, ne vendant illis naves, machinas etc. quibus impugnent christianos; ne auxilium, aut consilium in dispendium terrae sanctae illis praebeant; ne naves eorum, vel machinas gubernent; ne deferant, et vendant

illis, quaecunque instrumenta militaria, ad offendendum conducentia; et ut in bulla Coenae prohibetur, ne quis ad eos deferat cannabin, funes, et quaecunque alia, ex quibus confici possunt instrumenta, quibus impugnari possint christiani etc. sub poena scilicet non tantum iuris communis, sed bullaris etiam excommunicationis, quae, quomodo observentur, praxis docet. Mercimoniorum tamen causa, et ad liberandos captivos in eorum terras excurrere non prohibetur. Videatur auctor Method. in hoc §.

TITULUS VII.

DE HAERETICIS.

SECTIO I.

De crimine haeresis, et haereticis in genere.

§. I. *De crimine haeresis, et quis dicatur haereticus?*

Haeresis communiter definitur, *quod si error* (sive iudicium erroneum intellectus) *voluntarius, quam quis pertinaciter tenet, contra aliquam veritatem fidei catholicae, quam suscepit, seu professus est*, et hinc habendus haereticus formalis non est, qui vel assensum erroneum contra fidem cognitam non habet, ignorans invincibiliter, quae verae fidei sunt, vel non libere, quamvis multas contra fidem patiatur invitus tentationes, vel non pertinaciter, paratus meliora sentire, si melius instruatur, vel negat fidem, quam nunquam suscepit, qui potius ad infidelium classem, quam ad haereticorum pertinet etc.

§. II. *De quibusdam, de quibus dubitari potest, an sint proprie dicti haeretici, necne?*

Qui positive dubitat de aliquo articulo fidei, quem scit ab ecclesia definitum esse, pertinaciter iudicans, non esse certam illius veritatem, vere ac proprie haereticus, vel infidelis est; cum enim sit de fide, quod omnes articuli fidei sint certissimi, hic autem de aliquo, quem scit articulum fidei, positive, et pertinaciter dubitet, an illi non subsit falsum, consequenter haereticus est, vel infidelis: si tamen negative tantum dubitet, suspendens omne iudicium, itaut nec assentiatur, nec dissentiat obiecto fidei, haereticus dici non debet, cum talis nullum iudicium habeat de articulo fidei proposito, et consequenter nec errorem habeat, modo suspensio talis non sit virtualis dissensus, nec dubium illius proveniat ex ignorantia vincibili. Plura de hac re etiam theologi suggerent.

SECTIO II.

De poenis haereticorum, et imprimis de excommunicatione eorum.

§. I. *De prima poena iure canonico decreta in haereticos, excommunicatione scilicet; et conditionibus requisitis ad illam incurrendam.*

Prima poena haereticorum est excommunicatio maior latae sententiae, quae ipso iure, seu facto ab ipsis incurritur, *c. Ad abolendum*, 9. *h. t.*

c. Excommunicamus, 13. *eodem*, et in bulla Coenae reservata est haec excommunicatio papae. Requiruntur tamen ad hanc excommunicationem incurrendam quatuor conditiones. Prima est, ut quis sit haereticus formalis, et verus, ac non tantum materialis, qui ignorantia invincibili aliquid contra fidem asserit, quales hodie multi sunt. Secunda est, ut quis haeresim internam,. sive mentalem, verbis, aut aliis signis externis manifestet, etiamsi occulte hoc, et nemine praesente faciat. Tertia est, ut actus externus, manifestativus haeresis internae, sit ex se moraliter malus. Quarta denique conditio est, ut (saltem virtualiter) exterius manifestetur haeresis interna animo eam profitendi. Videatur bulla Coenae, ubi plures alii haeresum fautores, aut legentes haereticos libros prohibitos etc. excommunicantur, iuxta *c. Fraternitatis*, 4. *h. t.* Quae tamen excommunicatio secundum talem rigorem aliquibus in nostra Germania non videtur esse recepta; ut nec recepta videtur, quae in indice librorum prohibitorum fertur, cum index hic in Germania a maiore populi parte non observetur.

§. II. *Quae communicatio catholicis cum haereticis sit prohibita, vel promissa, et an, ac quando sint vitandi, tanquam excommunicati?*

De iure divino prohibita est communicatio in divinis cum haereticis. Primo si excommunicatione tali grave scandalum oriatur apud catholicos, quasi haereticorum errores signo, vel facto a catholicis talibus approbentur. Secundo si ex tali communicatione periculum animae immineat communicanti. Tertio si catholicus cum haeretico in crimine haeresis, ob quam fuit excommunicatus, communicet, defendendo eum, qua haereticum, abscondendo etc., in aliis vero casibus vitandi non sunt, neque communicatio cum illis est prohibita ob *Etravag.* Martini V. *in concil. Constant. Ad evitanda*, nisi nominatim, et expresse sint denuntiati, prout pluribus etiam docent theologi morales, quos consule.

§. III. *An liceat disputare de fide cum haereticis, vel aliis, et quando, ac quomodo, et an etiam licitum sit laicis praedicare?*

Interdictum quidem est non tantum laicis, etiam si docti sint *c. Quinque*, 2. §. *Inhibemus h. t. in* 6. sed etiam clericis, cum haereticis disputare *can. De quibus*, 36. *caus.* 24. *quaest.* 3. (praesertim, cum illis, qui fuerunt magistri erroris, et plerumque valde pertinaces sunt in errore suo defendendo) ob periculum, ne simpliciores talem disputationem audientes ob haec haereticorum argumenta fatua quidem, saepe tamen splendida, de fide periclitentur; suis tamen limitationibus multis, haec prohibitio, sub poena excommunicationis posita, non caret: et sicut laicis de fide disputare prohibitum, ita multo magis prohibetur illis praedicare *c. Cum ex iniuncto*, 12. *h. t. c. Sicut*, 14. *eodem*, *et c. Excommunicamus*, 13. §. *Quia vero, eodem.*

§. IV. *An, et quando excommunicati propter suspicionem haeresis, tanquam haeretici condemnari possint?*

Suspecti de haeresi, nisi iuxta considerationem suspicionis, et qualitatem personae, debite se purgaverint, sunt excommunicandi, et si per an-

num in excommunicatione, aut contumacia perstiterint, ut haeretici sunt condemnandi, *c. Excommunicamus*, 13. *h. t. et c. Cum contumacia*, 7. *eodem in* 6. Quae tamen, quia in illis tantum terris locum habent, ubi inquisitores contra haereticam pravitatem constituti sunt, et maior cura habetur haeresis non admittendae, aut extirpandae, quam in nostra misera Germania, pluribus explicare nulla est necessitas, videatur auct. Meth.

§. V. *De absolutione ab haeresi, et excommunicatione ei annexa.*

Per se quidem excommunicatio, quae incurritur propter haeresim, et consequenter etiam crimen haeresis, reservata sunt, in ordine ad absolutionem summo pontifici, et quibus, vel a iure, vel a summo pontifice absolvendi licentia conceditur, cum peccatum, quod censuram habet annexam, ordinarie tolli non possit, nisi prius censura ablata sit; potest tamen sublata per legitimam potestatem censura, a quolibet deinde sacerdote, iurisdictionem legitimam habente, peccatum haeresis absolvi. Habent autem licentiam absolvendi ab haeresi, et excommunicatione ei annexa primo episcopi respectu suorum subiectorum, vi concilii Tridentini, ubi *sess.* 24. *cap.* 6. *De reformatione* illis conceditur, ut possint in dioecesi sua, per se (non tamen per vicarios suos) ab occulto crimine haeresis, et excommunicatione annexa, in foro conscientiae absolvere: occulti nomine intelligendo, quod non est publicum, notorium, et famosum, aut deductum ad forum contentiosum, per accusationem, denuntiationem, aut citationem rei a iudice factam. Secundo habent hanc licentiam vi privilegii religiosi quidam, prout ex privilegiis eorum patet.

Sicuti autem ex sententia probabiliore hae tales licentiae ad absolvendum ab haeresi, etiam publica, et excommunicatione annexa, quae in certis casibus, vi iuris communis conceduntur, per bullam Coenae revocatae non sunt, saltem respectu episcoporum, in regionibus ab urbe remotioribus, in nostra Germania v. gr. propter difficultatem adeundi pontificem pro absolutione, et multitudinem absolvendorum, ita ut, cum nulli sint in nostris partibus inquisitores haereticae pravitatis, vi iuris communis etiam absolvi a sua haeresi, et excommunicatione haeretici possint per episcopos nostros, aut ab illis deputatos; ita etiam videtur probabilius esse, sub generali concessione solvendi a reservatis in bulla Cruciatae, vel iubilaei, non comprehendi facultatem absolvendi ab haeresi, sed debere hanc facultatem specialiter exprimi iuxta *reg.* 81. *in* 6. *In generali concessione non veniant ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, qualiter verisimile non est, quod velit per generalem concessionem, tot legibus in favorem fidei datis derogare pontifex.

SECTIO III.

De aliis poenis haereticorum.

Plures aliae poenae per varia huius tituli capitula statuuntur, quae quia in nostra Germania parum observantur videtur, plerisque contraria consuetudo, aut foedera inter lutheranos, et catholicos v. g. inita, pro bono pacis, de-

rogasse, ut non sit necessaria ulterior eorum mentio. Videatur auct. Meth. per 9. huius sessionis §§. fusius eas explicantes.

§. I. *De relapsis in haeresim, eorumque poenis.*

Relapsi proprie, et rigide loquendo dicuntur illi, *qui postquam de haeresi, quam profitebantur, in iudicio convicti, aut confessi, illam abiurarunt, sive iuramento damnarunt, et execrati sunt, in eandem iterum inciderunt*, ita ut denuo in iudicio de illa convicti legitimis probationibus, vel confessi fuerint eam. Sunt quidem etiam alii modi, quibus relapsus aliquis, ex praesumptione saltem iuris censetur, de quibus videri potest h. l. auctor Method.

Et quamvis iuxta *c. Ad abolendam*, 9. §. *Illos quoque h. t.* poena relapsorum sit, ut sine ulla penitus audientia, saeculari iudici relinquantur puniendi quia peius, et periculosius est, reincidere in haeresim, quam primo incidere, *in c. Tamen super eo*, 4. *in* 6. non vult ecclesias illis negare sacramenta, si poeniteant postea, et manifesta dent signa poenitentiae, ac humiliter petant sacramenta.

SECTIO IV.

De filiis haereticorum, et de credentibus, receptatoribus, defensoribus, et fautoribus eorumdem, ac poenis.

§. I. *Quas poenas incurrant filii haereticorum?*

Resp. Plures quidem esse in iure statutas, cum tamen nulla earum plerumque sit observatio, nulla est etiam necessaria earum explicatio. Vide auctor. Method. hoc loco, ubi etiam, uti et §. 2. de poenis credentium, receptatorum, defensorum, et fautorum haereticorum agitur, et §. 3. de poenis eorum, qui sunt negligentes in puniendis, et exterminandis haereticis.

SECTIO V.

De iudicibus, et processu iudiciario observando in crimine haeresis.

Tota haec sectio per 7. §§. potissimum pertinet ad inquisitores haereticae pravitatis, quorum in nostra Germania, cum vix sit usus, sit autem multus in Hispania, et Italia etc., illis maior explicatio relinquitur. Videri tamen de his etiam potest auct. Method.

TITULUS VIII.

DE SCHISMATICIS, ET ORDINATIS AB ILLIS.

§. I. *Quid sit schisma, et quomodo ab haeresi differat, et quae sint poenae iure decretae in schismaticos?*

Schisma est *disiunctio, per quam quis se ab unitate ecclesiae separat, in quantum est corpus mysticum ex universis fidelibus, et romano pontifice tanquam capite constans*. Differt ab haeresi, quod haec directe opponatur fidei, fidei scilicet, doctrinam negando, schisma vero repugnet charitati,

ecclesiae unionem, quae in charitate consistit, scindendo, et quod omnis quidem haereticus schismaticus sit, non tamen omnis schismaticus haereticus sit, cum omnis ille, qui erroneam contra fidem doctrinam fovet, ab ecclesiae unione se separet, non autem, qui se separat ab ecclesiae unione, semper foveat erroneam contra fidem doctrinam, in quantum scilicet omnes quidem fidei articulos profitetur, et romanum pontificem etiam, ut caput ecclesiae agnoscit, ab obedientia tamen huius ex prava voluntate se subtrahit, non parendo v. g. eius praeceptis, quatenus vices Christi in terris gerit, et ecclesiae caput est.

Poenae schismaticorum eaedem prope sunt cum poenis haereticorum. Videatur de hac rari casus materia, et vix alicuius in partibus nostris usus, auct. Method.

§. II. *An ordinationes, aliique actus, sive gesta per schismaticos sint valida?*

Quae fiunt ex potestate ordinis sacramentalis a schismatico episcopo v. g. valida sunt, non quidem quasi licitam executionem daret, quod enim talis non habet, sicuti non habet ordinis sui licitam executionem, alteri dare non potest, sed quoad substantiam, ita ut characterem ordinis, et confirmationis, confirmati ab illo, et ordinati vere recipiant, (modo legitima forma, et materia horum sacramentorum fuerit servata) et quando ordinationes ab his factae dicuntur irritae, intelligi debent irritae, quoad executionem, et usum ordinum susceptorum.

TITULUS IX.

DE APOSTATIS, ET REITERANTIBUS BAPTISMA.

§. I. *De apostasia in genere, et in specie de apostasia a fide, eiusque poenis.*

Apostasia in genere est *defectio, et recessus a Deo,* triplex est, apostasia a fide, apostasia ab ordine clericali, et apostasia a religioso ordine; ut autem quis a fide apostata dicatur, in totum a fide Christi recessisse debuit, ut cum christianus factus est iudaeus, aut turca, et hinc quamvis omnis apostata a fide, haereticus etiam dici possit, iuxta s. Thomam, tres tantum infidelitatis species agnoscentem, paganismum, iudaismum, et haeresim, non tamen omnis haereticus, apostata a fide dici potest, sunt autem iisdem poenis hi apostatae a fide subiecti, quibus haeretici, cum sint vere haeretici.

§. II. *De apostatis ab ordine clericali, et a religione, ac poenis eorum?*

Apostata ab ordine clericali dicitur, qui post susceptos ordines sacros, et editum continentiae votum, in susceptione talium ordinum inclusum, vel si in ordinibus minoribus constitutus est, post acceptum beneficium ecclesiasticum, hoc retento, ad statum coniugalem, vel ad laicalem conversionem, dimisso habitu clericali, propria temeritate transit. Poenae horum apostatarum sunt excommunicatio ferendae saltem sententiae, infamiae, quam ipso facto incurrit, quamdiu in apostasia perdurat, amissio privilegii clericalis etc.

Apostata a religione dicitur, qui sine licentia sui superioris regularis ab ordine religioso, quem professus est, et quocunque alio instituto regulari, propria temeritate recedit, sine proposito redeundi, vel cum proposito nunquam redeundi ad ullum religiosum ordinem. Horum apostatarum poenae sunt excommunicatio saltem ferendae sententiae, suspensio ab ordinum in apostasia tali susceptorum executione etc.

§. III. *De reiterantibus baptismum, et eorum poenis.*

Reiterantes baptismum dicuntur illi, qui valide baptizatos rebaptizant iterum, vel rebaptizari se faciunt (prout faciunt hodie anabaptistae) quod *a can.* 112. *dist.* 4. *De consecratione*, inexpiabile facinus dicitur, poenae talium rebaptizantium, aut rebaptizari se sinentium, sunt irregularitas, si scientes haec talia fecerint, aut permiserint per culpam mortaliter malam, et delictum eorum sit publicum, et notorium *argum. c.* 2. *h. t.* et si clerici sint, deponnntur, si vero laici sint, excommunicantur, et iura civilia attendendo ultimo supplicio afficinntur.

TITULUS XI.

DE HIS, QUI FILIOS OCCIDERUNT.

Ex *c. Intelleximus*, 2. *h. t.* habetur, quod maritus ab uxore, quae filiam suam occiderat, separandus quidem non sit, quoad thorum, aut cohabitationem, curandum tamen sit, ut sui illa sceleris poenam luat in foro animae, *et in c. De infantibus*, 3. dicit pontifex, quod parentes non debeant esse sine poenitentia, si penes illos in eodem lecto iacentes infantes mortui reperiantur, neque tamen sciatur, an morte naturali defuncti fuerint, vel a parentibus oppressi, cum in *can. Consuluisti*, 2. *caus.* 2. *q.* 5. prohibitum sit parentibus, tenellos infantes in eodem secum lecto collocare.

TITULUS XI.

DE INFANTIBUS, ET LANGUIDIS EXPOSITIS.

§. I. *Quae sit poena parentum, qui filios exponunt ab aliis nutriendos, vel languidos, sive infirmos ab aliis curandos?*

Qui infra 7. aetatis annum infantem, languidum, et infirmum exponit, contra pietatis officium, hoc ipso infans talis a patria potestate liberatur, et si libertus sit, fit ingenuus, aut si servus sit, in libertatem vindicatur, et parentes insuper, quibus scientibus infans talis expositus est, si eos alere possint, obligantur ad alimenta restituenda, pro diversitate conditionis illius, vel loci, vel hominis, a quo alitur.

TITULUS XII.

DE HOMICIDIO VOLUNTARIO, VEL CASUALI.

SECTIO I.

De homicidio voluntario in genere, et in specie de homicidio voluntario iniusto.

§. I. *Quid sit homicidium in communi, et quomodo dividatur?*

Homicidium, proprie loquendo, est *occisio hominis ab homine facta*, si enim a fera homo occidatur, proprie non dicitur secundum iura homicidium, sed pauperies, iuxta *tit. instit. et ff. Si quadrupes pauperiem etc.*, et quidem corporale homicidium, de quo hic est quaestio, aliud est voluntarium, aliud involuntarium, seu casuale. Voluntarium subdividitur in illicitum, sive iniustum, et in licitum, sive iustum. Illicitum, sive iniustum aliud est directe voluntarium, quod est per se intentum, et fit animo deliberato occidendi hominem, aliud est indirecte voluntarium in causa scilicet per se intenta, ex qua moraliter certo homicidium est secuturum. Licitum vero homicidium est aliud necessarium, ac defensivum, cum quis se contra iniustum invasorem cum occisione illius legitime defendit, aliud vero est punitivum, quod publica auctoritate magistratus fit, ad punienda delicta. Casuale denique homicidium dicitur, quod casu praeter intentionem committentis, aut causam dantis contingit, et quidem si nullo modo sit voluntarium, ob nullam periculi fortassis praevisionem, et post sufficientem cautionem ad omne periculum avertendum adhibitam evenit, mere casuale dicitur, si tamen periculum praevisum est, cui non sufficienter cavebatur, casuale quidem dicitur, per accidens tamen, et indirecte volitum.

§. II. *Quae requirantur ad homicidium iniustum directe voluntarium, eiusque poenam incurrendam, et quae poenae iure sint decretae in homicidas?*

Requiritur primo, ut sit commissum per directam, ac expressam, et spontaneam voluntatem occidendi, vel in se, vel in sua causa, intendendo mortem alterius. Requiritur secundo, ut mors actu, et re ipsa sequatur, si enim mors non sequatur, sed per miraculum fortasse aliquod impediatur, poena ordinaria homicidii non incurritur, cum poena a iure decreta perfectum, et consummatum actum requirat, ut incurratur, nisi aliud in ipso iure expressum sit.

Sunt autem poenae in tales homicidas de iure canonico (quid enim statuat ius civile, civilistae re docebunt) statutae excommunicatio (quae mortis nomine in iure canonico venit, quia mortem animae affert) irregularitas, et si clericus sit, qui homicidium dicto modo commisit, deponendus est ab ordine, et officio, et post depositionem in arctum monasterium (iuxta antiqua iura) detrudendus est, ad agendam poenitentiam, vel ut volunt aliqui iuxta hodiernam consuetudinem, ad triremes mittendus in perpetuum, vel ad tempus, pro diversitate homicidii, et privandus est omnibus beneficiis ecclesiasticis, si quae habeat, neque potest etiam post peractam poenitentiam in ordinibus susceptis ministrare etc., attendendo tamen in his, ac aliis poe-

nis, alias etiam circumstantias, quae mitiorem nonnunquam cum hoc, quam cum alio procedendi modum requirunt.

§. III. *Quisnam tum in genere tum in specie propter homicidium voluntarium, et iniuste commissum, irregularitatem incurrat, aut alias poenas, in iure latas contra homicidas?*

In genere dici potest, quod illi irregularitatem hanc incurrant, qui per seipsos taliter iniuste occidunt alios (cum hi vel maxime sint homicidae) vel qui causam mortis alteri praebent cum intentione occidendi, cum damnum dedisse merito censeatur, qui causam efficacem damni dedit cum intentione prava nocendi. In specie vero irregularitatem hanc incurrit, primo qui foetus iam animati abortum procurat *c. Sicut*, 20. *h. t.* quia qui faetum animatum occidit, utique homicida est. Secundo qui lethaliter alium percussit, etiamsi hic ab aliis postmodum fuerit omnino interfectus, modo sufficientem etiam causam mortis dederit, cum intentione prava eum occidendi, ita ut abstinere etiam debeat, tanquam irregularis, ab officio sacerdotali, etiamsi dubitet, an ex suo ictu, vel potius posterioris, mortuus fuerit vulneratus. Tertio qui eum intendat ex proposito occidere Titium, ex casu tamen occidit Caium, quamvis enim casuale sit hoc homicidium respectu personae occisae, voluit tamen occidens occidere hominem.

§. IV. *An mandans aliquem occidi fiat irregularis, aliasque poenas homicidii incurrat.*

Mandans occidi aliquem, etiamsi expressum mandatum non sit de occisione, sed tacitum tantum, fit irregularis, si mors ex tali mandato sequatur, et ordinaria homicidii poena puniri potest; quamvis enim causa physica mortis alterius hic non sit, est tamen causa moralis, et quidem principalis: quin immo si mandatarius fines mandati excedat, occidendo v. g. eum, aut mutilando, quem alter verberari tantum mandavit, cum expressa intentione ne occidatur v. g. incurrit tamen mandans irregularitatem, si mors alterius vulnerati v. g. sequatur, et iniusta fuerit vulneratio, quam mandavit, *c. Is qui*, 3. *h. t. in* 6. cum mandando in culpa fuerit, et debuerit cogitare, hoc evenire posse, ut ait pontifex *in cit. cap.* quam etiam incurrit mandans, si praeter ipsius intentionem mandatarius occidatur, cum hoc praeter intentionem mandantis esse quidem possit, non tamen praeter praevisionem, tam periculoso casui exponendo mandatarium. Et quamvis si mors, vel simpliciter non sequatur, vel non sequatur ex mandato hoc, vel revocatum fuerit mandatum tale, et huius revocationis notitia ad mandatarium pervenerit, non incurratur ex homicidio irregularitas, cum rigor poenarum hanc extensionem non permittat, possunt tamen mandantes, praesertim si per assasinos infideles homicidia committi mandant, de aliis poenis a iure canonico statutis sibi subinde timere, iuxta *c. Pro humani*, 1. *h. t. in* 6.

—

§. V. *An sicut mandans, ita etiam consentiens in homicidium iniustum, vel illud approbans, seu ratum habens, incurrat irregularitatem, et alias poenas homicidii?*

Consentiens in caedem alterius, aut ratam eam habens, postquam commissa illa fuit, sine ulla tamen cooperatione, et quae nullo modo fit ex nomine consentientis, irregularitatem, aut alias poenas homicidarum non incurrit, cum talis nullo modo sit causa influens in homicidium, qualis tamen esset (et consequenter irregularitatem, ac alias poenas homicidarum incurreret) si consentiret in homicidium, ut ab alio quidem fieret, fieret tamen suo nomine, quo in casu causa moralis absque ulteriore mandato haberetur; et quamvis in casibus quibusdam ratihabitio mandato aequiparetur, in ordine tamen ad poenam incurrendam, causae physicae aut morali impositam, non potest aequiparatio locum habere, cum ratihabitio talis nullo modo in delictum commissum influat.

§. VI. *An consulens homicidium iniunctum incurrat irregularitatem?*

Si homicidium committatur ex vi dati consilii, in casu scilicet, quo qui consilium alterius audivit, non fuisset alterum occisurus, vel certe non ea celeritate, aut crudelitate, etc. nisi consilium tale datum fuisset, irregularis sit, casu quo mors alterius subsequatur, uti sumitur ex *can. Perniciose,* **22.** *dist.* **1.** *de poenitent. et can. Si quis,* **8.** *dist.* **50.** *ac c. Sicut dignum,* **6.** §. *Qui verum, et* §. *final. h. t.* quia talis est causa influens in tale homicidium. Quod si tamen consilium, quod dedit consulens, revocet ante eius executionem, non ideo statim liber est ab irregularitate, si mors illius, contra quem consilium datum fuit, sequatur, cum influere possit etiam consilium revocatum, et intellectus semel imbutus aliqua opinione, non facile ab illa dimoveatur, sed insuper debet consulens ad evadendam irregularitatem conari ad dissuadendum homicidium, ad quod prius consilio suo iuvit.

§. VII. *An qui cooperatur ad homicidium praestando opem, aut auxilium, sit irregularis?*

Si auxilium, vel opem ferens sit causa propinqua homicidii commissi, vel directe ad illud cooperando, percutiendo, et infligendo vulnera v. gr. vel indirecte, detinendo v. gr. eum, qui occiditur, ne fugiat, vel comitando occisorem, et sua praesentia animando, etc. irregularitatem incurrit, cum ad mortem alterius verissime, physice, vel moraliter cooperetur, uti colligitur ex *c. Sicut dignum,* **6.** *h. t.* Si vero plures ad occidendum aliquem concurrant, et dicto modo opem ferendo cooperentur, omnes fiunt irregulares, sive ex condicto, et proposito aggrediantur aliquem ad eum occidendum, sive subitae rixae v. g. occasione in unum aliquem insurrexerint plures, sive scienter eum vulneraverit aliquis, sive ignoranter, sive vulnus lethale inflixerit, sive non lethale, etc. quia omnes sunt velut una causa moralis occisionis talis.

§. VIII. *An non impediens homicidium, cum possit ac debeat, fiat irregularis?*

Si non impediens praecise teneatur ex charitate illud impedire, non fit irregularis in foro conscientiae, etiamsi non impediat ex odio interno, et desiderio mortis proximi, cum in tali casu non sit causa iniusta homicidii, nihil contra iustitiam peccans. Si vero ex iustitia teneatur impedire homicidium, et possit illud sine gravi suo incommodo impedire, nec tamen, et quidem voluntarie, impediat, irregularis est, si mors alterius sequatur, cum sit causa moralis iniusti, respectu ipsius, homicidii.

SECTIO II.

De homicidio casuali, et de omnino involuntario.

§. I. *An ex homicidio casuali, quod ex opere licito secutum est, contrahatur irregularitas?*

Casuale homicidium hic dicitur illud, *quod per se quidem, et directe in se volitum non est, indirecte tamen, et in sua causa volitum fuit:* casus enim, qui praeter intentionem operantis contingunt, et ab eo praevisi non sunt, imputantur tamen illi ad culpam, (saltem in foro externo) si ex opere illo per se, et necessario sequantur, vel saltem ut plurimum evenire soleant. Potest autem duplici modo contingere, ut homicidium casuale ad culpam alicui imputetur, si diligentia non adhibeatur sufficiens ad praecavendum illud, et si quis operam det rei illicitae.

Si proinde rei licitae operam quis dedit, et adhibuit sufficientem diligentiam ad cavendum homicidium, per accidens tamen, et praeter intentionem, aut praevisionem huius, homicidium ex parte tali sequatur, non contrahit ex eo irregularitatem, quia in tali casu nec ob negligentiam aliquam in praecavendo periculo, nec quod operam dederit rei illicitae, imputari potest ad culpam illi homicidium tale, prout probatur ex *c.* 9. 13. 14. 15. 16. 22. 23. *et* 25. *h. t.* Quod si tamen operam quidem dedit rei licitae aliquis, culpam tamen seu negligentiam in amovendo periculo homicidii committat eo secuto, incurrit irregularitatem *c.* 7. *et* 8. *h. t.* quia homicidium illi imputatur, qui periculum, ex quo facile homicidium, et saepe sequitur, non praecavet.

§. II. *An in dubio commissi homicidii, quis censendus sit irregularis, vel non?*

In dubio commissi homicidii, sive in dubio facti, ubi certum ius est de irregularitate statuta, dubium tamen est, utrum hic, vel ille homicidium commiserit, censendus est in utroque foro, talis dubitans irregularis, c. *Ad audientiam*, 12. *h. t.* quia debitam diligentiam hic non adhibuit ad praecavendum homicidium. Si vero sit dubium iuris, id est, si dubitatur, utrum pro hoc, vel illo casu irregularitas in iure statuta sit, in neutro foro censeri quis debet irregularis, *c. Is qui,* 18. *de sent. excomm. in* 6. cum irregu-

laritas non incurratur, nisi sit in iure statuta. Et quamvis in aliis etiam irregularitatibns praeter irregularitatem homicidii, nec in dubio facti, nec in dubio inris incurratur irregularitas, cum in dubio delicti favorabiliores rei partes semper sint ad absolvendum, quam ad condemnandum, et in materia odiosa ultra casus inre expressos non sit extensio facienda, (et hinc non debet inferri, quod etiam irregularitas incnrratur in dubio factae mutilationis (speciale tamen hoc a iure babet in dubio facti homicidii irregularitas, ubi tutior pars ad multa scandala, et iuconvenientia cavenda, observanda videtur.

§. III. *Qualis culpa, sive negligentia praecedere debeat ad incurrendam irregularitatem, quae oritur ex homicidio casuali facto ab eo, qui operam dedit rei licitae?*

Latam culpam iuridicam, seu crassam negligentiam sufficere ad incurrendam irregularitatem, docent plerique omnes, cum in casu talis negligentiae, quam bomines mediocriter prudentes adhibendam putant, satis voluntarium censetur homicidinm; et quamvis putent aliqni ex *c. Continebatur*, 8. *h. t.* de levi iuridica culpa etiam probari posse, quod, si ea in praecavendo homicidii periculo intervenit, irregularitas incurratur, et velint etiam ob culpam iuridicam levissimam, non quidem in omittendo, si tamen in committendo haec admittatur, incurri ex homicidio casuali irregularitatem; alii tamen probabilins pro irregularitate ex culpa levissima incursa, nihil in iure reperiunt, et sunt etiam, qui nec pro culpa inridica levi statutam irregularitatem putent, propter glossam in *c. Quaesitum, de poenitent.* v. *Negligentibus*, si quis operam dedit rei de se licitae, et velint ad incurrendam irregularitatem hanc in foro conscientiae reqniri veram culpam theologicam gravem intervenire, cum tales poenae spirituales non incurrantur a privatis, nisi propter peccatum grave.

§. IV. *An, et in quibus casibus is, qui dat operam rei illicitae, sive prohibitae, ex qua reipsa sequitur homicidium, fiat irregularis, quamvis omnem diligentiam adhibuerit ad illud vitandum?*

Sunt, qui putant, semper incurri irregularitatem ab eo, qui dat operam rei illicitae, et periculosae, si homicidium ex ea sequatnr, ob varia iuris capitula, et sunt, qui putant, nnnquam ab his incurri irregularitatem, si diligentiam debitam adhibuerint ad praecavendum homicidinm, qnamvis illud praeter opinionem agentis subsequatur, quia non apparet, quomodo in tali casn voluntarium dici possit homicidium tale. Probabilior tamen media sententia est, quae pro se iuris capitula habet, et rationem modo allatam, scilicet incnrri ab illis irregularitatem, qui operam dederunt rei illicitae ex se, et natura sua, cum propinqno periculo mortis coniuntae, quamvis debitam ah hanc praecavendam diligentiam adhibuerit, si mors ex ea actione sequatur: non fore autem irregulares illos, qui actioni quidem prohibitae operam dederunt, ex se tamen cnm periculo propinquo mortis non coniunctae, si diligentiam debitam ad banc praecavendam adhibuerunt, etiamsi per accidens aliquando mors ex tali operatione sequatur; sicut enim in priore casu satis

apparet, quomodo voluntarium sit illis, saltem indirecte homicidium, dum causam ponunt voluntarie, quae ex sua natura coniunctum habet mortis periculum, et propterea prohibita est; ita in posteriore casu non apparet, ex quo capite dici possit homicidium illis voluntarium, dum operam quidem rei illicitae dant, non tamen ex natura sua trahentis secum mortem alterius, neque propter coniunctum propinquum periculum mortis prohibitae, *c. Tua nos*, 19. *h. t.*

§. V. *De homicidio omnino involuntario, et inculpabili.*

De hac quaestione in *Clement. Furiosus, h. t.* statuitur, quod nullam incurrat irregularitatem furiosus, si durante furore, etiamsi sua culpa in hunc inciderit, occiderit aliquem: infans (ante septennium scilicet expletum) aut dormiens, si occiderit aliquem, cum hi usum rationis non habeant, nisi in hoc postremo casu sciat dormiens, quod in somno soleat surgere, arma arripere, ac obvios percutere, neque tamen ad praecavenda haec debitam diligentiam adhibuerit, et mors exinde alicuius sequatur, cum in tali casu homicidium hoc fuerit satis in causa illi voluntarium. De ebrio tamen dubitari potest, utrum occidens aliquem in ebrietate, irregularitatem incurrat, cum enim neque hic habeat tum temporis rationis usum, videatur eam non incurrere, sicuti prius relati; probabilius proinde ob hanc rationem videtur, non incurrere eum irregularitatem in foro canonico ob factam hominis caedem, nisi praevidens ante ebrietatem periculum occidendi inimici v. gr. in ebrietate, periculum tale debita diligentia non praecaverit, quia ut sic homicidium tale huic satis voluntarium est, sicuti de dormiente paulo ante dictum.

SECTIO III.

De homicidio necessario, sive ob defensionem facto, et irregularitate ex eo contracta.

§. I. *An qui ob defensionem suae propriae personae ac vitae alium occidit, vel ob defensionem proprii honoris, et famae, fiat irregularis?*

Qui occidit aliquem ob necessariam (ob quod etiam necessarium tale homicidium dicitur) corporis sui, seu vitae defensionem, servato moderamine inculpatae tutelae, non fit irregularis, fit tamen irregularis, si in modo defensionis notabiliter excedat, occidendo v. g. invasorem, quem aliis modis facile repellere potuisset, *Clement. cit. Si furiosus, etc.* quia contra iniustum invasorem vim vi repellere ob sui tutelam, iure naturae concessum est, et quamvis videatur etiam in hoc casu iniusti invasoris, vim vi repellendo occisi, *Trident. sess.* 14. *c.* 7. *De reform.* irregularitatem inducere, dum episcopis dat dispensandi in tali casu facultatem, intelligi tamen debet Concilium iuxta declarationem cardinalium de eo casu, quo quis excedit moderamen inculpatae tutelae, quod diligenter observandum est, ita ut etiam fugere teneantur, ad evitandam occisionem, cui fuga graviter dedecorosa non est.

Quod si vero propter defensionem proprii honoris, et famae occidatur alter, qui iniuste infamat, aut inhonorat, fit occidens irregularis, prout colligi videtur ex *cit. Clement.*, eos tantum ab incurrenda irregularitate exci-

piente, qui mortem aliter vitare non possunt: cum ergo fama laesa, aut laesus honor aliis mediis reparari possint, consequenter occisio infamantis, aut inhonorantis, magis ad vindictam videtur pertinere, quam iustam, et necessariam defensionem.

§. II. *An is, qui ob defensionem bonorum temporalium, quae possidet, occidit aliquem, fiat irregularis?*

Fieri irregularem talem, multi docent iuxta stylum curiae romanae, et ex multis iuris textibus probant: probabilis tamen etiam est sententia contraria, negans eum fieri irregularem, qui pro defendendis rebus sui magni valoris alium occidit, tum quod bona talia temporalia ad vitae sustentationem necessaria, quodammodo vitae compareutur; si ergo licita est defensio ad vitam conservandam, etiam cum occisione iniusti invasoris, servato tamen moderamine inculpatae tutelae, licitum etiam erit, ad res suas magni valoris defendendas, eodem moderamine servato, iniustum rerum suarum invasorem occidere, tum quod in iure nulla sit pro tali occisione statuta irregularitas, tum quod ea, quae ex iure afferuntur, vel tantum a contrario sensu probare videantur, quod tamen in materia poenali, praesertim in materia irregularitatis, non licet, vel disiunctive intelligenda sint, vel ostendant excessum inculpatae tutelae.

§. III. *Quae requirantur ad licitam defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, et quomodo puniatur excessus in defendendo sine hoc moderamine?*

Ut observetur moderamen inculpatae tutelae, requiritur primo, ut quis sit iniuste invasus, vel certe in continenti sit invadendus iniuste, ut occidatur, alias non esset defensio, sed aggressio. Secundo requiritur, ut defensio non possit fieri cum minore laesione proximi, et hinc si ad vim iniustam repellendam sufficeret vulnerare alterum, aut mutilare, non liceret talem occidere. Tertio requiritur, ut fiat talis defensio sine gravi culpa, ne transeat in aggressionem potius, quam licitam defensionem. Quarto requiritur, ut alius modus honeste evadendi iniusti aggressoris manus, non supersit, de quo iudicabit prudentis viri aut iudicis arbitrium. Quod si tamen moderamen hoc inculpatae tutelae in sui, vel rerum suarum magni valoris defensione excederet, occidendo, cuius iniustam vim alio modo repellere posset incurrere hic occidendo irregularitatem, *c. Significasti*, 18. *h. t.* Cum in tali casu ad culpam ipsi potius imputaretur tale homicidium, et consequenter etiam ad poenam irregularitatis.

SECTIO IV.

De homicidio publica auctoritate a iudice, et eius ministris, et irregularitate ex eo contracta.

§. I. *Utrum omnes, qui iuste, et licite cooperantur ad prolationem sententiae sanguinis, seu mortis, vel ad executionem illius, sint irregulares?*

Quod ex iusta etiam, et licita hominis occisione, per iustam sententiam iudicis facta, publica auctoritate, quamvis nullum crimen interveniat, sed

actus sit iustitiae vindicativae, irregularitas, quam vocant ex defectu lenitatis, contrahatur, certum est, eo quod iudicet ecclesia, non posse satis lenitatem, et mansuetudinem Christi, summi sacerdotis, repraesentare eum, qui tali etiam iustae occisioni ex officio cooperatur, ut adeo haec irregularitas non tam sit poena, ob culpam aliquam praecedentem, qualis nulla est in tali casu administratae ex officio iustitiae vindicativae, sed macula aliqua moralis, et inhabilitas ad ministerium altaris ob defectum mansuetudinis.

Incurrit autem hanc irregularitatem ex defectu lenitatis, in primis iudex, summo pontifice inferior, sive clericus, sive laicus ille sit, qui fert sententiam mortis, aut praecipit, talem determinate morte puniri, modo effectus sequatur, *can.* 1. *dist.* 51. *iuncta glossa v. Ad sacerdotium, c. Ex literis,* 10. *de excessibus praelat.* Deinde assessores, consultores, notarii, et omnes alii, qui cum iudice concurrunt ad ferendam mortis sententiam, vel ad eius executionem, non autem qui delegat tantum iurisdictionem criminalem in genere, ad cognoscendas omnes causas criminales, vel etiam in specie ad cognoscendam hanc causam v. g. homicidii, etc. (quo modo praelati ecclesiastici delegare criminales has causas cognoscendas solent, qui per delegationes tales aliud non intendunt, quam iustam gubernationem, sive exercendam iustitiam) aut qui remote valde ad talem iustam punitionem cooperatur; et hinc opifices, qui gladios carnifici conficiunt, aut funes, vel qui furcam fabricarunt, scalam, aut ligna attulerunt, etc. ad suspendendum, vel comburendum, vel plectendum reum, non sunt, ex hoc capite, irregulares, cum nimis remote, et non ex officio concurrant.

Inquisitores tamen haereticae pravitatis, alii iudices ecclesiastici, qui reos de crimine convictos, tradunt curiae saeculari puniendos, non incurrunt irregularitatem, etiamsi ultimo supplicio hi puniantur (cum nec ipsi sententiam mortis in eum pronuntient, nec iudici saeculari iurisdictionem ad hanc inferendam tradant) modo pro eis efficaciter intercedant, ut citra mortis periculum puniantur, ad ostendendam mansuetudinem, et iustitiam ecclesiae, quae ita permittit iustitiam vindicativam, ut lenitatis convenientis non obliviscatur.

§. II. *An accusator criminis morte digni contrahat irregularitatem ratione homicidii publica auctoritate facti ?*

Accusans aliquem de crimine, morte puniendo, si eum criminaliter accusat ad publicam vindictam, et non tantum civiliter ad privatum interesse, ac mors ex illius accusatione sequatur, irregularis fit, non obstante inutili protestatione, quod non petat, ut morte puniatur, (neque enim in accusantis talis potestate est, qua poena accusatus puniendus sit, sed vel a iure statuta est, vel in arbitrio iudicis posita) cum sponte, et libere hic talis in iudicio criminaliter acto sententiae iudicis, iustae quidem, ad mortem tamen condemnanti cooperetur. Quod si tamen clericus iniuriam a laico passus, coram iudice saeculari, de crimine tali, laicum accuset, civiliter quidem, petendo damni illati recompensationem, iudex autem contra eum ad mortis usque sententiam procedat, non erit clericus ob mortem accusati huius irregularis,

etiamsi praeviderit, a iudice mortis poenam infligendam, modo expresse, et exterius protestetur in ipso iudicio, quod non velit agere criminaliter, neque petat vindictam criminis, sed civiliter tantum ad damni sui reparationem, *c. Postulasti*, 21. *h. t. c. Praelatis*, 3. *eodem in* 6. (ne si omnino suos malefactores accusare non possint clerici, nimia detur laicis licentia ad vexandos clericos; et protestatio talis in iudicio civiliter intentato interposita satis caveat lenitati, et mansuetudini status clericalis), unde etiam ipse clericus reum laicum detinere, iudici tradere, locum, ubi lateat, indicare, etc. potest, ad damnum scilicet suum repetendum, et cum expressa, exteriore protestatione, absque irregularitatis incurrendae periculo, cum enim accusatio in tali casu, et cum tali protestatione sit licita, erunt etiam alia media ad hunc finem necessaria, prout etiam colligitur ex *c. Tua nos*, 19. §. *ad ultimum h. t.* et quamvis *cit. c.* 2. *in* 6. tantum de clericis loquatur, quod non fiant irregulares, si civiliter tantum ad sua damna reparanda accusent, etiamsi iudex accusato mortem per sententiam iustam inferat, recte tamen alii constitutionem hanc etiam ad laicos extendunt, qui civiliter tantum ad ius suum prosequendum accusant laicum, quem postmodum iudex mortis sententia punit, modo etiam illi dicto modo protestentur, quod ad vindictam sanguinis nolit agere, sed civiliter tantum ad sua iura retinenda, vel damna reparanda; neque tamen talis protestatio iuvabit illum, et ab irregularitate securum faciet, qui de iniuria, vel damno, non sibi, sed alteri illato accusat aliquem, cum iura tantum eum velint ab irregularitate excusatum, *qui de suis malefactoribus etc. emendam sibi fieri, et provideri vult.* Cum enim defensio proprii iuris sit maxime naturalis, consequenter facilius etiam a iure conceditur. Sunt tamen plures etiam casus, in quibus protestatio necessaria non est. Primo scilicet quando necessaria est accusatio, vel denuntiatio ad impediendum v. gr. reipublicae damnum, quod aliter impediri non potest. Secundo si quis accuset aliquem de crimine levi, ex quo tamen occasionem sumit iudex propter alia crimina gravia, aliunde nota, occidere accusatum. Tertio si iudex ex propria malitia, et culpa excedat limites iustitiae punitivae in occidendo reo, qui ad mulctam tantum pecuniariam fortasse condemnandus fuisset. Quarto si ob contumaciam condemnatus accusatus, quam praevidere non potuit accusator. Quinto denique si coram inquisitionis tribunali, vel coram alio iudice ecclesiastico accusatio instituatur, cum enim hic ad sanguinis sententiam procedere non possit, frustranea esset protestatio.

§. III. *Quaenam personae praeter iudicem, et accusatorem fiant irregulares ratione homicidii talis publica auctoritate, et iuste commissi.*

Primo dubitatur de testibus, utrum illi, si in causa sanguinis testentur, irregulares fiant? cui dubio *Resp.* fieri eos irregulares, si in causa criminali, criminaliter acta, contra accusatum, testimonium ferant, et mors exinde sequatur, sive clerici, sive laici illi fuerint, sive protestati fuerint, sive non; cum protestatio in tali casu, ubi quis ferendo testimonium movet iudicem ad ferendam mortis sententiam, et consequenter moraliter in mortem condemnati influit, sit contraria facto, non autem fiunt irregulares, si pro

innocentia accusati, vel in causa civiliter intentata, testimonium ferant, etiamsi ex aliis deinde motivis ad mortem condemnet accusatum iudex, cum in tali casu non sint causa moralis movens iudicem ad ferendam mortis sententiam.

Secundo dubitatur de advocato, an si contra accusatum in causa sanguinis patrocinetur pro accusatore, irregularis fiat, si postmodum sententia mortis, et mors accusati sequatur. *Resp.* fieri irregularem in tali casu, etiamsi inutiliter protestatus fuerit, cum in tali casu valde efficaciter ad sententiam influat, prout sumitur etiam ex *cit. c. 2. h. t. in* 6. si tamen pro reo stet advocatus, et eum defendat, reus autem nihilominus condemnetur, immunis est ab irregularitate, ob contrarium fundamentum: sicuti etiam non fit irregularis, si pro reo stetit, accusator tamen, eo quod succumbat, poena talionis puniatur, cum in tali casu non tam ad punitionem accusatoris, quam ad innocentiam rei defendendam concurrerit.

Tertio dubitatur de illis, qui in loco supplicii assistunt executioni sententiae capitalis, utrum incurrant hi irregularitatem. *Resp.* si assistant tantum spectandi causa, nullam incurrunt irregularitatem; si vero assistant, ut sua praesentia auctoritatem praestent executioni supplicii, vel cooperentur, incurrunt irregularitatem, quia in illo casu nihil ad occisionem illam concurrunt, concurrunt autem in casu posteriori: putant tamen aliqui, clericis *c. pen. Ne clerici vel monachi etc.* simpliciter prohibitum esse, non quidem graviter, secluso scandalo, sine rationabili causa assistere, et spectare cruentae talis sententiae executionem.

§. IV. *De homicidio contingente in bello, et irregularitate ex eo proveniente.*

Qui in bello iniusto pugnantibus cooperantur, qualecunque auxilium ferendo, arma praebendo, adhortando eos ad pugnam, sarcinas militum custodiendo etc. fiunt irregulares, si vel unicus occidatur, et ipsi propriis manibus non pugnaverint *can. Si quis*, 4. *distinct.* 51. *c. Sicut dignum*, 6. §. *final. h. t. et c. Quod in dubiis*, 5. *iuncta glossa v. Incitant. de poenis.* Cum omnes isti velut una causa moralis, ad occisionem occisi concurrant. Qui vero laici in bello iusto pugnant, aut taliter pugnantibus cooperantur, si bellum mere defensivum sit, ad patriam suam, suorumque vitam, et magni momenti bona defendenda etc. non incurrunt irregularitatem, quamvis plures occidant, cum ob necessariam defensionem haec talia fiant, quae si privatis personis licita est, etiam cum occisione iniusti invasoris, modo moderamen inculpatae tutelae non excedatur, ut dictum, longe magis erit talis necessaria defensio licita contra iniustum aggressorem, si publica auctoritate fiat. Dixi laicis hinc non imminere periculum irregularitatis, de clericis enim dubitatur, si propria manu occiderint alios, etiam iustae defensionis causa, propter *c. Petitio*, 24. *h. t.* ubi dicitur, ut, si de interfectione cuiusquam in illo conflictu, defendendae patriae causa, suscepto, conscientia illum remordeat, ab altaris ministerio (ut irregularis) abstineat, cum in huiusmodi dubio, ut ait pontifex, consultius sit abstinere, quam temere celebrare; quamvis enim in tali bello, alios ad pugnam hortari pos-

sint, tamen in propria persona pugnare non possunt, iuxta plura iura *causa* 23. *q. ultim.* excepta necessitate omnino inevitabili. Si tamen bellum sit iustum quidem, sed tamen offensivum, sive aggressivum, irregulares fiunt, ex defectu perfectae lenitatis, qui propriis manibus alios interficiunt, uti probatur ex *can. Si quis*, 4. *iuncta Glossa v. Militaverit*, *dist.* 51. quia sunt quasi ministri iustitiae; et quamvis dent operam rei licitae, sunt tamen proxima causa homicidiorum talium, qualis proxima causa non sunt adhortantes tantum ad bellum tale, aut alio modo, sine occisione tamen aliorum cooperantes.

SECTIO V.

De mutilatione, et dispensatione in praedictis duabus irregularitatibus.

§. I. *Quid sit mutilatio, et qualis irregularitas ex ea contrahatur ?*

Mutilatio proprie dicta, non est tantum vulneratio, aut sanguinis effusio, vel partis alicuius abscissio, digiti v. gr., cartilaginis auricularum, narium etc. sed amputatio membri alicuius, ita tamen, ut membri nomine, in ordine ad hunc finem, intelligatur pars humani corporis, quae propriam functionem, sive distinctum ab aliis membris officium habet, prout oculus v. gr. est ad videndum, auris ad audiendum, manus ad palpandum etc. cuius mutilationis v. g. si quis causa sit physica, vel moralis, irregularis erit, sive iniusta causa sit, sive iusta ex auctoritate publica, ad vindictam criminum instituta, prout de occisione dictum est, ex defectu scilicet perfectae lenitatis, vel ex delicto mutilationis iniustae, cum in iure, quoad irregularitatem incurrendam, aequiparentur inter se homicidium, et mutilatio membrorum, *c. In archiepiscopatu*, 4. *de reptoribus*, *et Clement. uni. iunct. gloss. v. Mutilat. h. t.*

§. II. *An qui membrum debilitat, vel aridum, et inutile mutilat, vel abscindit, vel seipsum mutilat, fiat irregularis ?*

Qui membrum aliquod inutile tantum facit ad suas functiones, laedendo v. gr. illud, aut aliter vulnerando, absque membri talis abscissione, irregularis non fit, cum aliud sit membrum debilitare, et aliud abscindere, huic est posita in iure irregularitas, non autem illi prout probari etiam potest ex *can. Sicut*, 47. *caus.* 1. *q.* 1. quod si tamen quis abscindat membrum tale sibi, hic et nunc inutile, et plane mortuum, ac carens anima, non sit quidem talis irregularis, cum haec abscissio proprie mutilatio non sit, quae dicit abscissionem membri vivi; irregularis tamen erit, si tale membrum hic et nunc quidem inutile, et aridum, vitam tamen humanam adhuc habeat, quia vere mutilat corpus humanum membro aliquo: quoties tamen alium mutilando fit aliquis irregularis, toties etiam fit irregularis seipsum mutilando, immo ad incurrendam irregularitatem sufficit nonnunquam sibi ipsi partem corporis etiam occultam abscidisse, uti patet ex *l.* 1. *decret. tit.*20.

§. III. *De dispensatione in irregularitate contracta, et homicidio, et mutilatione.*

Cum homicida iniusto, et indirecte voluntario in irregularitate, quam propterea incurrit, nemo dispensare potest nisi summus pontifex, sive publicum illud sit, sive occultum, prout colligitur ex *can. Miror*, 4. *dist.* 50. *iuncta glossa*, *v. Miror*, et expresse statuitur in *Trident. sess.* 24. *c.* 6. *De reform. et sess.* 14. *c.* 7. *De reformat.* nisi urgeat necessitas ad dispensandum cum occulto homicida. In irregularitate, quae oritur ex mutilatione voluntaria, et illicita, si occulta sit, probabiliter dispensare potest episcopus, cum facultas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, concessa sit a concil. Tridentin. episcopis, nisi proveniat ex homicidio occulto; cum ergo verba licentiam hanc concedentia universaliter loquantur, et homicidii nomine proprie non intelligatur mutilatio, consequenter restrictio Tridentini non videtur extendenda ad mutilationem, cum verba restringentia velut odiosa stricte sint intelligenda: prout etiam probabile est, quod episcopus dispensare possit cum homicida occulto, qui non ex proposito, et directe intenderet homicidium, sed in rixa subito contingente, ita succensus, auctorem rixae occidit, vel homicidium commisit casuale tantum, cum neque hoc homicidium sub rigida acceptione homicidii voluntarii veniat; et satis probabile sit, quod etiam post Tridentinum dispensare possit episcopus in homicidio casuali mixto (saltem ad ordines minores, et beneficium simplex) sicuti poterat de iure antiquo, quamvis publicum illud, et notorium sit.

In irregularitate vero, quae provenit ex homicidio, defensionis causa facto quidem, cum excessu tamen moderaminis inculpatae tutelae, eoque occulto, certior sententia docet, quod possit dispensare episcopus, cum concilium tantum excipiat homicidium directe, et simpliciter voluntarium, quale non est hoc, quod illicitum tantum est ob excessum inculpatae tutelae. Contra vero valde probabile est, quod in irregularitatibus ex defectu perfectae lenitatis provenientibus, quamvis iuste, et publica auctoritate, et cum exercitio virtutis fiant illa homicidia, dispensare non possit episcopus, cum in concilio non detur facultas episcopis dispensandi in quibusvis irregularitatibus, sed tantum in illis, quae ex delicto proveniunt, qualis non est irregularitas, quae provenit ex defectu perfectae lenitatis, et incurritur sine ullo delicto: neque tamen contrariae sententiae sua etiam neganda est probabilitas, ita ut facile concedam, etiam illos in irregularitate ex defectu lenitatis orta dispensare posse, quibus ex privilegio conceditur potestas dispensandi in omni irregularitate, excepta bigamia, et homicidio voluntario, cum homicidii voluntarii nomine, in rigore loquendo, veniat iniustum, et directe intentum, nisi privilegium tantum diceret, quod dispensare quis possit in homicidio casuali, quo in casu in irregularitate ex defectu lenitatis dispensare non posset, cum homicidium tale non possit dici casuale; et universim praxi talium dispensationum non facile uti debent privilegiati, circa factum notorium, aut deductum ad forum contentiosum, cum timeri possit, ex praxi tali, offensa ordinariorum.

TITULUS XIII.

DE TORNEAMENTIS.

Prohibentur in hoc titulo detestabiles illae feriae, quae vulgo torneamenta vocantur, in quibus ex condicto convenire solent plures, et ad ostentationem virium suarum, et audaciae, temere congredi, cum magno saepius tam vitae, quam animarum periculo, ita ut his, qui taliter moriuntur, poenitentia quidem, et sacrum viaticum, si petant supervivcntes, non negetur, in poenam tamen temerariae, et periculosae huius ostentationis negetur illis sacra, et ecclesiastica sepultura, nisi talia torneamenta cum tali moderamine fiant, ut cesset periculum mortis, quamvis raro, et per accidens etiam illa nonnunquam, aut gravis saltem vulneratio sequatur.

TITULUS XIV.

DE CLERICIS PUGNANTIBUS IN DUELLO.

§. I. *Quid sit duellum, et quando sit prohibitum, vel licitum; et de poenis iure statutis in eos, qui ineunt illicitum duellum?*

Duellum quasi *duorum bellum est* (singularis scilicet pugna duorum inter se ex condicto suscepta) illicitum, et omni iure, tam naturali et divino, quam humano, civili, et canonico prohibitum, sive deinde assumatur ad probandam aliquam veritatem, et criminis purgationem (cum alia media ad hoc habeantur) sive assumatur ad vires corporis ostentandas; sive assumatur ad litem aliquam dirimendam; sive assumatur ad defendendum proprium honorem; sive assumatur ad spectantium animos exhilarandos, sive denique ad vindictam privatam assumatur. Sunt tamen etiam aliqui casus, sed pauci, et rari, ac bene examinandi, in quibus subinde licita esse possunt duella, praesertim iuxta regionum quarundam, tribunalium, et iuris antiqui praxim, de quibus vide auctores.

Poenae autem, quae de iure in duellantes, aut duellis cooperantes, statutae sunt, ex Tridentino praecipue desumuntur, *sess.* 25. *c.* 19. *De reformat.* ex quo loco habetur primo quod excommunicati sint imperatores, reges, duces, principes, comites, et alii quicunque domini temporales, qui locum concedunt in suis terris ad duellandum. Secundo quod privandi sint illi iurisdictione, et dominio civitatis, castri, vel loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserunt, si locum talem ab ecclesia in feudum v. gr. obtinent. Tertio quod duellantes, et eorum patrini excommunicationis, honorum omnium proscriptionis, et perpetuae infamiae poenam incurrant, et iuxta ss. canones, ut homicidae puniri debeant. Quarto si in ipso conflictu decesserint, quod carere debeant sepultura ecclesiastica. Quinto denique quod excommunicationis vinculo etiam teneantur illi, qui consilium ad duellum tam in iure, quam in facto dederunt, qui (ex condicto scilicet) spectatores adfuerunt. Et quamvis has poenas Tridentinum incurri tantum voluerit ab illis, qui publica, et solemnia duella, adhibitis pluribus solemnitatibus chartularum v. gr. provocantium submissione, armorum electione, adhibitis patrinis etc. habuerunt, aut his cooperati sunt, extendit tamen easdem poe-

nas Gregor. XIII. *in sua Bulla Ad tollendum*, ad duella etiam privata, quae ex condicto quidem, statuto tempore, et loco, sine patrinis tamen, et sociis adhibitis, ac sine aliis solemnitatibus fiunt: et adhuc magis Clemens VIII. decretum Tridentini extendit, quia tamen bullarum harum extendentium, vel nulla est in Germania nostra memoria, vel nulla earum praxis, quod receptae scilicet nunquam fuerint, hinc censurae tam graves vix extra duella solemnia incurruntur.

§. II. *Quae poenae in iure canonico statuta sint in clericos pugnantes in duello?*

Quod tales clerici sint deponendi, sive suspendendi per sententiam iudicis ab officio, et beneficio, de iure antiquo statuitur in *c. Porro*, *1. h. t.* sive ad duellum, quod hic, et nunc committunt, provocaverint ipsi, sive provocati sponte acceptaverint, et comparuerunt, cum neutrum liceat. Quod si tamen mors ex tali duello, vel mutilatio nulla sequntur, potest cum tali ratione suspensionis scilicet dispensare episcopus, prout ex fine illius capit. patet, iuncta *gloss. cap. Deponendus;* non tamen ratione irregularitatis, si quam ratione mortis, vel mutilationis, quamvis per alium certaverit, et occiderit, incurrit *c. Henricus*, *2. h. t.* iure tamen novo Tridentini taliter in duello pugnans clericus ipso iure est excommunicatus, ne scilicet iura benigniora sint erga clericos duellantes, quam erga laicos, cum tamen illorum delictum gravius sit.

TITULUS XV.

DE SAGITTARIIS.

Prohibet quidem in hoc titulo artem illam odibilem, et mortiferam sagittariorum contra catholicos exerceri sub poena anathematis, hoc tamen tantum prohibitum intelligitur in bello iniusto, in bello autem iusto licitum est quibuscunque armis contra hostes uti, quia tamen vix aliquis huius artis amplius usus est, et Barbosa putat, per sagittarios hic intelligi eos, qui foedere cum daemone inito, animam illi, et corpus addicunt, si illius opera quam longissime dissitos ferire, et traiicere possint, hinc ulterior mentio necessaria non est.

TITULUS XVI.

DE ADULTERIIS, ET STUPRO.

SECTIO I.

De crimine adulterii, et eius poenis.

§. I. *Quid sit adulterium, et quibus modis committatur?*

Adulterium est *alieni thori violatio*, duplicem malitiam continens, unam luxuriae, in quantum est copula viri cum foemina extra coniugium, et iniustitiae, quia est cum foemina alterius uxore, huic, ut suo marito ab auctore naturae Deo adstricta, cui iuri cedere non potest maritus, aut uxor. Quodsi

tamen solutus rem habet cum uxorata, aut coniugatus cum soluta, simplex dicitur adulterium, et de iure civili poenae in adulteros constitutae in tali casu locum non habent, sicuti locum habent etiam de iure civili, si coniugatus cum coniugata aliena copulam habent, quod adulterium duplex dicitur tam ex parte viri, quam ex parte foeminae.

§. II. *De accusatione criminis adulterii.*

Ante omnes alios ad accusandum crimen adulterii admittitur innocens maritus, (cum huius vel maxime intersit, fidem coniugalem sibi servari) nisi colludere magis cum uxore adultera videatur, aut ex alio capite infamis arguatur, ut non accusare possit iure mariti, sed iure extranei, quo in casa praeferretur, quoad accusandum adulterium, pater adulterae, qui, etiam nolente marito, agere ad accusandum filiae suae adulterium admittitur, et post eum propinqui alii, ac tandem extranei, cum adulterium inter crimina publica numeretur, ad quae accusanda quilibet de populo admittitur, dummodo sit mas, et maior 25. annis. Neque tamen ad accusandum mariti adulterium de iure civili, si criminaliter ad legalem poenam agat, tam facile admittitur uxor adulteri huius, cum maior ab uxore debeatur reverentia marito, et maius delictum uxor committat adulterando, quam maritus etc. de iure tamen canonico, secundum quod pari iure damnatum est tam viri, quam mulieris adulterium, hoc non procedit, cum utrique parti innocenti plena potestas sit de adulterio criminaliter etiam accusandi iuxta *canon. Si quis*, 4. *caus.* 32. *quaest.* 1. *iunct. gloss. v. Ad imparia*, ubi dicitur, quod vir, et uxor in adulterio deprensi non iudicentur ad imparia quoad debitum reddendum, divortium, et accusationem.

Debet autem accusatio adulterii fieri, si fiat a marito iure speciali, aut a patre, si nolit accusare maritus, inter 60. dies utiles, a die soluti per divortium matrimonii, ita ut, prioribus cessantibus, post elapsos 60. dies, etiam extranei admittantur, intra 4. menses utiles, et accusari potest de adulterio non tantum adulter, et adultera, modo sciverit eam partem, cum qua copulam habet, coniugatam alteri esse (nam adulterium sine dolo malo non committitur) sed etiam qui talibus adulteriis cooperantur, quaestum v. gr. ex adulterio facientes, lenocinium exercentes, prostituendo ad adulterium uxores, domum concedendo ad talia admittenda etc. et si agatur criminaliter ad poenam sanguinis, aut mortis, solus iudex saecularis potest cognoscere, ob periculum irregularitatis; quoad alias vero poenas legales mixti fori hoc delictum est; si vero ad divortium tantum civiliter agatur, ad iudicem ecclesiasticum tantum pertinet talis cognitio, prout ex dictis iam patet.

§. III. *Quomodo probandum sit adulterium?*

Quod non possit directe probari per testes, vel per documenta, aut instrumenta, sed indirecte tantum ex solis praesumptionibus, flagitii huius occulte committi soliti turpitudo facit. Et quamvis ad plenam probationem adulterii non sufficiat quaelibet probabilis suspicio, sed requiratur violenta praesumptio, saltem ad condemnandum, quae moralem certitudinem facit, et

virum prudentissimum inducere potest ad iudicandum adulterium esse commissum, plures tamen enumerantur a Menochio *de praesumpt. l. 5. praesump. 41. et a Sanchez lib. 10. de matrim. disp. 12. et disp. 22.* ubi videri possunt, lib. apud auct. Method. hoc §.

§. IV. *An maritus teneatur uxorem adulteram non resipiscentem dimittere, nec eam sibi reconciliare, nisi post peractam poenitentiam, et emendationem?*

Resp. affirmative ex *c. Si vir*, 3. *h. t.* quia patronatus censetur turpitudinis, qui crimen celat uxoris, *argu. l. 2. eod. Ad legem Iuliam de adulter.* non quidem, quasi obligatio se separandi ab uxore adultera oriatur ex adulterio praecise, quia penes innocentem est divertere, vel non divertere; neque quod oriatur praecise ex praecepto correctionis fraternae, quia huic praecepto satis fieri posset, admonendo uxorem; sed ex praecepto vitandi scandali, ne vir patrocinari videatur adulterio uxoris, si aliis mediis vitari illud non possit, et causa iusta urgeat retinendae adulterae. Neque tamen potest uxori adulterae resipiscenti maritus denegare alimenta necessaria, cum hoc medium ad finem omnimodae emendationis obtinendum, sit nimis acerbum, et occasionem praeberet turpis quaestus faciendi.

§. V. *Quae sint poenae adulterii tam criminales, quam civiles?*

Antiqui testamenti poenae in adulteros statutae, et quae de iure civili caesarea decreta est adulteris poena gladii, et quae denique de iure canonico in adulteros statuta est poena excommunicationis, vel omnino sunt abrogatae, vel saltem in nostra Germania non sunt in usu, ubi pleraeque non tantum adulterorum poenae, sed aliis etiam delictis statutae, arbitrariae sunt et in poenam commissi adulterii hodie adulter, et adultera tribus diebus dominicis, vel festis ante fores templi cum accensa face, vel candela stare debent. De clerico vero statuunt ss. canones, ut, si adulterium commisisse confessus, seu convictus fuerit, ab officio, et ordine clericali deponatur, ac communione fidelium privetur, et in monasterio (vel carcere hodie) ad agendam ibi poenitentiam collocetur, prout habetur ex *c. Si quis, 10. dist. 81.* quamvis merito dubitari possit, utrum huius etiam poenae aliqua hodie praxis supersit. Vide plura de his poenis apud auct. Met. §. cit.

§. VI. *An, et quando adulterium unus coniugis compensetur cum adulterio alterius?*

Compensari per adulterium coniugis, prius coniugis alterius adulterium, non tantum quoad divortium, ut ex dictis iam patet, sed etiam quoad alias poenas civiles, probatur ex *l. Viro, 39. ff. soluto matrimon. et ex c. Intelleximus, 6. h. t.* quia in causis civiliter actis datur delictorum mutua nonnunquam compensatio. Quodsi vero post divortii latam sententiam coniux prius innocens adulterium committat, probabile quidem est, quod non obstante sententia divortii, petere possit, ut admittatur ad consortium dimissi, coniux separatus, cum in sententia lata divortii, ea clausula subintelligatur, *si vir v. gr. servaverit continentiam:* quae si non observetur, ius suum

acquirit iterum dimissis; valde tamen probabile etiam est, quod nulla competat actio ad repetendum coniugem dimissum, a quo propter adulteriom separatus iusta sententia quis fuerat, etiamsi post sententiam divortii, coniux prius innocens adolteriom commisit, cum in tali casu nulla fiat iniuria per adulterium post senteotiam divortii commissum, quae est fundameotum mutuae compensationis, quamvis possit iudex ecclesiasticus ex officio suo redintegrare prius matrimooium, et eos inter se reconciliare, ob animae periculum, et ad vitanda peccata.

§. VII. *De aliis causis excusantibus a poenis adulterii.*

Cessant etiam poenae adulterii tam civiles, quam criminales, si uxor v. gr. violenter fuit oppressa; si adulteriom commissum fuit cum consensu viri, qoi eam prostituit; si post adolterium inoocens nocentem retinuit, et sibi reconciliavit; si propria auctoritate uxorem in adolterio deprehensam occidit maritus; si moriator maritus ante accusationem adulterii; si tempus accusationi praefixum, quod solet esse, durante matrimonio, quinquenoium a die commissi criminis sit elapsum, etc.

SECTIO II.

De stupro, eiusque poenis.

§. I. *Quid sit stuprum stricte, et specifice sumptum, et quotuplex, sive quot modis committatur?*

Stuprum late acceptum pro omni illicito concubitu masculi cum foemina sumitur, proprie tamen, et stricte dictum, de qoo hic sermo est, est illicita virgioum defloratio; et qoidem si hoc fiat cum violentia, propriissime dictum stuprum est, si tamen volenti virgioitas corporis auferatur, stuprum quidem est, sed noo violentum. Illud malitiam specie distinctam a simplici fornicatione cootinet, contra iustitiam; non autem hoc (cum volenti, et consentienti non fiat iniuria) sive deiode ioterveoerit etiam consensus parentom, aut tutorum, sub quorum cura puella cooseotiens vivit, cum penes puellam v. gr. sit sui corporis usum alii concedere.

§. II. *Quae sint poenae stupri decretae de iure civili, ac canonico?*

Quae poenae de iure civili io stupratorem sunt latae, in terris imperii vix locum habent, cum etiam hae hodie factae sint arbitrariae, sed servator poena, quae de iure canonico lata est, si civiliter scilicet contra stupratorem agatur: nempe, quod virginem stupratam dotare, vel in uxorem ducere debeat, prout colligitur ex *c.* 1. *et* 2. *h. t.* dotaodo scilicet eam, si nubere illi nolit, aut pater eam tradere nolit, ad quod neutra pars compelli potest, et dotando eam iuxta qualitatem personae, ut aeque beoe nubere possit, ac si corrupta non esset. Et quamvis de clerico stupratore ss. canones statuant, quod ab officio ille sit deponeodus, hodie tamen etiam huius poena est arbitraria.

§. III. *Ad quid praeterea stuprator virginis in variis casibus obligetur ad stuprum illatum, vel non?*

Si per vim, fraudem, minas, aut metum iniuste incussum consensum puellae in sui deflorationem extorsit stuprator, teneri hunc ad omnia damna illi exinde subsecuta reparanda, ius naturae docet, vel per matrimonium cum illa contractum, si stuprata velit, vel per dotem competentem illi subministratam, vel per argumentum dotis, ut aeque bene nubere possit, ac si corrupta non fuisset, ita ut penes violatam sit eligere, quam satisfactionem fieri sibi velit, et post sententiam condemnantem iudicis, ad talem determinate satisfactionem obligetur stuprator, modo huic non notabiliter maius damnum ex tali reparatione immineat. Quodsi tamen nullum ex tali stupro stupratae damnum pretio aestimabile sequeretur, ita ut aeque commodas nuptias habeat, ac si corrupta non fuisset, aut si libere, et sponte sua, nulla fraude, aut vi inducta consensit in sui violationem, vel blanditiis tantum, munusculis, precibus, etc. persuasa fuit, ad nihil tenetur stuprator, cum ubi nullum damnum datum est, nulla possit esse damni reparandi obligatio, neque volenti fiat iniuria, quae reparanda sit; et quamvis parens, sub cuius potestate constituta est filia, dotem augere debeat, ut aeque bonas nuptias obtineat, ac si deflorata non fuisset, si tamen volens illa fuit ad sui deflorationem, nihil patri restituere debet stuprator, cum damni causa non sit stuprator, sed filia libere consentiens in sui deflorationem, penes quam etiam libertas est bene, vel male nubendi.

§. IV. *Ad quid teneatur, qui stupravit virginem, sub spe, ac promissione matrimonii?*

Si serio animo promisit matrimonium, et illa hac promissione inducta in copulam consensit, tenetur promittens eam ducere (quia reciprocus, et onerosus est contractus talis, ita ut alter etiam obligetur ad fidem servandam, nisi de novo intervenerit dirimens impedimentum aliquod, quod contrahere matrimonium tale non permitteret) etiamsi promittens voto simplici castitatis, aut religionis obstrictus sit, cum votum non obliget in praeiudicium iuris, quod foemina corrupta sub promissione matrimonii acquisivit; neque Deo placeat voti facti observatio, quod sine gravi alterius iniuria servari non potest: quin etiam, si ficte promittendo matrimonium, consensum in stuprum obtinuit, tenetur eam ducere, si ipsa velit; nec satisfaciet suae obligationi pecuniam dando, pro damno per stuprum illato, quia ex contractu oneroso ex una parte impleto, ad matrimonium determinate obligatur per aequivalens non implendo, nisi ipsa violata consentiat, aut notabilis excessus sit promittentis, supra conditionem foeminae, praesertim si de eo excessu ipsi etiam violatae constitit, aut ex verbis ambiguis promittentis, vel ex aliis circumstantiis, fallacem animum facile colligere potuit; aut promittens etiam a violata, quae fingebat se virginem, deceptus fuisset; aut alia notabilis mutatio interveniret, vel scandalum, vel malus etiam exitus ex tali matrimonio timeri posset.

§. V. *An stuprum sit crimen mixti fori, et quomodo probandum?*

Contra clericum stupratorem cognoscit iudex ecclesiasticus, contra laicum stupratorem iudex saecularis; et quamvis sit crimen mixti fori, ita ut si poena canonica tantum puniendus sit stuprator, ecclesiasticus iudex etiam contra laicum stupratorem procedere possit; si vero poenae civiles in stupratorem a iure civili, aut recepta consuetudine statutae, imponendae sunt, ad iudicem laicum cognitio huius criminis pertinet: ita tamen ut violata in foro externo praesumatur fuisse virgo, si communiter pro tali tempore stuprationis habita fuit, et stuprator, si neget eam virginem fuisse, tempore, quo cum ea rem habuit, debeat hoc probare, quia praesumptio stat pro puella in re ista, de qua merito gloriantur puellae, et multum sollicitae sunt: quae tamen praesumptio, si iudicem quidem inducat ad dotem v. gr. solvendam puellae a stupratore, falsa tamen sit, probari tamen falsa non possit, non potest in foro conscientiae dotem illam retinere puella; prout etiam retinere non potest, si falso asserat, invitam se, et fraudibus inductam, in sui violationem fuisse, cum sententia iudicis falsa nitatur praesumptione, quae in foro conscientiae cedit veritati. Probatur autem stuprum eisdem fere indiciis, et praesumptionibus, quibus coniugatae adulterium probatur, cum etiam huius vitii turpitudo vix aliam admittat probationem.

SECTIO III.

De aliis delictis carnis, eorumque poenis.

Agit auct. Method. de hac materia tribus §§. huius sectionis, quia tamen vel civilia tantum sunt, vel ex theologis moralibus satis intelligi possunt, vel poenae delictorum talium arbitrariae sunt, nulla videtur ulterior necessaria explicatio.

TITULUS XVII.

DE RAPTORIBUS, INCENDIARIIS, ET VIOLATORIBUS ECCLESIARUM.

Agitur in hoc titulo non tantum de raptoribus v. gr. bonorum, sed etiam personarum, et hinc explicari etiam debet illud impedimentum dirimens, quod raptus dicitur. Sit ergo

SECTIO I.

De raptu, et raptoribus, tum personarum, seu corporum, tum etiam rerum, seu bonorum.

§. I. *De raptu, et raptoribus virginum, et aliarum mulierum, eorumque poenis.*

Raptus proprie quidem, in genere tamen loquendo, censetur committi, quando virgo, vel etiam alia mulier, sive vidua, sive coniugata, sive soluta sit, modo ingenua sit, ac honesta, et libera (non ancilla, aut quae impudice vivit) libidinis, aut matrimonii contrahendi causa per vim abducitur, sive vis illa illata sit ipsi foeminae abductae, sive parentibus, aut tutori-

bus illius, sub quorum cura adhuc est, sive utriusque. Poenae autem in raptores tales a iure civili statutae sunt plures, capitis supplicium scilicet, praesertim si Deo fuerint dedicatae abductae, amissio omnium bonorum, quod matrimonium nullum contrahi possit raptorem inter et raptam, etc. de iure canonico vero raptor punitur poena servitutis, et si clerici sint, vel raptores, vel raptorem adiuvantes, deponendi sunt a gradu suo clericali, si vero laici sint, sunt excommunicandi, et bona talium, si rapta religiosam vitam vixerit, ecclesiae, vel monasterio sunt applicanda, in quo rapta vivebat, etc. nescio tamen utrum poenarum harum tam civilium, quam canonicarum usus hodie adhuc vigeat.

§. II. *Quaenam conditiones requirantur, ut raptores incurrant poenas iure communi civili, vel canonico in eos statutas?*

Quatuor ex communi requiruntur. Primo, ut raptus fiat cum violentia illata, vel ipsi raptae, vel eius parentibus, aut tutoribus, in quorum est potestate: si tamen parentibus tantum invitis violenta abductio facta est, mitior poena imponenda est raptoribus, vel nulla etiam incurritur (saltem de iure canonico), si tractatus de matrimonio contrahendo, sive sponsalia cum rapta praecesserint *c. Cum causa*, 6. *h. t.* quamvis invitis parentibus, ipsa tamen volens ad matrimonium cum ea contrahendum fuerit abducta. Secundo requiritur, ut fiat raptus talis, exercendae libidinis causa, quia raptus personae proprie loquendo est species luxuriae. Tertio requiritur, ut mulier traducatur de loco in locum, abducendo scilicet eam a loco, ubi habitabat, ad alium locum. Quarto denique requiritur, ut mulier rapta sit honestae vitae, raptor enim meretricis poenas allatas non incurrit, sed extraordinaria poena, arbitrio iudicis puniendus est; in foro tamen conscientiae non est distinctio facienda inter honestam mulierem, et meretricem, cum in utroque casu sit violenta abductio.

§. III. *De matrimonio contracto inter raptorem, et raptam.*

De iure civili matrimonium absolute nullum est inter raptorem, et raptam, ut dictum, et constat ex *l. unica cod. De raptu virgin. et ex Authent. de raptis mulieribus, collat.* 9. *novella* 143. De iure autem canonico prohibitum quidem olim fuit matrimonium inter raptorem, et raptam, aut quamcunque aliam, ut constat ex *concil. Tolet. can. Statutum*, 34. *caus.* 27. *q.* 2. (si tamen alienam sponsam de praesenti rapuit), validum tamen fuerat, si postea in raptorem libere consensit rapta, quamvis in raptoris potestate adhuc existeret, *can. Tria*, 8. *caus.* 36. *q.* 2. *et c. Accedens*, 7. *h. t.* cum per consensum consequentem tolleretur vitium praecedens: attendenda tamen hodie sunt, quae Tridentinum concilium statuit. De quo.

§. IV. *Quid iure novo concilii Tridentini statutum sit circa matrimonium inter raptorem, et raptam initum, et quae poenae ob illum raptum sint decretae?*

Statuit Tridentinum *sess.* 24. *c.* 6. *De reform. matrim.* nullum posse consistere matrimonium inter raptorem, et raptam (etiamsi ille non physice

rapuit, sed tantum rapi aliquam mandaverit, ut cum hac matrimonium iniret) nisi haec in loco tuto, et libero constituta, extra omnem raptoris potestatem, illum in virum habere libere consenserit. Ex quibus verbis colligitur, quod raptus, qui fit invita abducta, sit impedimentum dirimens matrimonium inter raptorem, et taliter raptam, etiamsi haec in raptoris potestate adhuc existens libere in eum consentiat; sunt quidem et aliae poenae ab hoc concil. Tridentino loc. cit. in raptores, vel qui auxilium, etc. raptoribus praebent, statutae, excommunicatio scilicet, perpetua infamia, incapacitas ad dignitates, obligatio dotandi raptam, etiamsi cum ea contraxerit matrimonium etc. debeat tamen rigide raptus intelligi ad poenas illas incurrendas, et non incurrantur, si volens puella, sive post sponsalia de futuro abducta fuit, aut si abducta tantum fuit ignorantibus parentibus v. gr., cum in neutro casu violentia intervenerit, quae tamen ad raptum proprie dictum requiritur.

§. V. *De rapina, et raptoribus bonorum, eorumque poenis iure civili statutis.*

Rapina proprie loquendo dicitur, iniusta rei alienae mobilis per vim ablatio. Distinguitur a furto rapina in ratione iniuriae, quantum furto proprie dicto superaddit violentiam. Poenae autem in rerum talium raptores de iure civili plures statuuntur, quae apud civilistas videri possunt, cum illarum praxis varia sit, et proprie in poenas arbitrarias abiverint.

§. VI. *Quomodo puniantur raptores bonorum de iure canonico?*

Plura quidem extant capitula, quae de poenis his statuunt. Sic in *cap. De illis*, 1. *h. t.* statuitur in eos ferenda excommunicatio, ab eo etiam episcopo, ubi rapinas exercent, proprio deinde episcopo illius raptoris significanda, ut ad locum, ubi rapinas fecerunt, redire cogantur, et satisfacere. *In c. Super eo*, 2. *h. t.* statuitur, ut raptoribus talibus, et ecclesiarum violatoribus poenitentia denegetur, nisi prius ablata restituerint, si tamen possint restitutionem facere, ita tamen ut saepe sufficiat firmam, et plenam securitatem emendandi praestitisse, et in articulo mortis, quamvis ad hunc usque articulum contumax in sua malitia persistiterit, poenitentia ei negari non debeat, si humiliter eam petiverit, nec sepultura ecclesiastica, si satisfecerit, vel certe emendandi securitatem praestiterit, etc. vide, quae de hoc ipso capitulo plura adhuc habet, uti et de *c. Communicationi*, *h. t. auct. Metho.* cum horum capitulorum hodie non sit usus vel saltem valde rarus, et magis moderatus iuxta bullam Coenae Domini, etc.

§. VII. *De potestate, quam habent praelati ecclesiastici iudicandi de raptu, et aliis criminibus, eaque puniendi.*

Quod possint praelati ecclesiastici laicos criminosos punire, ex vi delegatae etiam illius potestatis a magistratu laico, modo punitio non requirat poenam sanguinis, *ex c. In archiepiscopatu*, 4. *h. t.* patet, praesertim si delegatio talis fiat a principe laico in favorem ecclesiarum, ac salutem animarum; si tamen mixti fori crimen sit, non tantum ex vi factae sibi dele-

gationis, sed ex ordinaria sua iurisdictione spirituali iudicare, et punire illud potest episcopus.

SECTIO II.

De incendiariis, et violatoribus ecclesiarum.

§. I. *De incendiariis, et eorum poenis.*

Incendiarii proprie dicuntur illi, qui data opera apposito igne, scientes, et prudentes civitatem, domum, aut praedium alienum, etc. incendunt, sive urbanum hoc sit, sive rusticum, sive ex odio, et vindicta, sive ullo dolo malo hoc faciant, aut mandatum, vel auxilium, etc. ad hoc faciendum praestent, nisi belli iura tales excusent. Poenae autem, quas incurrunt hi incendiarii, de iure civili sunt poena capitis, vel exitii, vel levior etiam castigatio, iuxta leviorem fortassis culpam, aut negligentiam admissam, etc. De iure vero canonico incendiarii sacrorum locorum sunt ipso iure excommunicati *can. Canonica*, 107. *caus.* 11. *q.* 3. a solo papa absolvendi post eorum denuntiationem factam *c. Tua nos*, 19. *de sent. excommunica.* aliorum vero aedificiorum non sacrorum incendiarii, sicut et mandantes, et qui auxilium illis praebent, praeter damni dati restitutionem, sunt per sententiam iudicis excommunicandi *can. Si quis*, 31. *caus.* 23. *q.* 8. et nonnunquam etiam privantur sepultura ecclesiastica, nisi in morte poenitentes, et absoluti moriantur, *c. In litteris*, 5. *h. t.*

§. II. *De violatoribus ecclesiarum, et eorum poenis?*

Violatores ecclesiarum hic dicuntur, qui ecclesias, vel alia loca religiosa, et pia violenter effringunt, ac spoliant. In quos poena excommunicationis latae sententiae statuta est, *c. Conquesti*, 22. *de sentent. excommuni.* Neque sunt admittendi ad poenitentiam, si manifeste fuerint deprehensi, nisi prius damna reficiant, vel de illis caveant, aut sint in articulo mortis constituti, ita tamen ut ad poenitentiam tum quidem admittantur, clericis tamen prohibitum sit, eorum interesse sepulturis, aut eleemosynam ab illis accipere, sub poena depositionis ab ordine, et privationis beneficiorum, prout etiam de raptoribus statutum est, iuxta *cit. c. Supra eo*, *etc.*

TITULUS XVIII.

DE FURTIS.

§. I. *Quid sit furtum, et quotuplex?*

Furtum a iurisperitis definitur, quod sit *contrectatio fraudulosa, lucri faciendi causa, vel ipsius rei, vel usus, possessioni suae*, quod lege naturali prohibitum est admittere; clarius, ac brevius a theologis furtum definitur, quod sit *occulta acceptio rei alienae, invito domino*, ita ut ad furtum punibile in foro externo non sufficiat sola voluntas furandi, aut consilium dedisse ad furtum faciendum, nisi acceptio rei alienae secuta fuerit, (intelligendo tamen acceptionis nomine, etiam detentionem rei alienae) neque sufficiat sola acceptio rei alienae, quae fit v. gr. vidente et nihil contradicente

domino, sed debeat esse fraudulosa, vel occulta: neque sufficiat tantum iniuste rem alterius destructam v. gr. fuisse, cum iniuriae reus potius hic sit, quam furti, quod fit lucri faciendi causa, et debeat esse rei alienae acceptio, vel usus, vel possessionis, quia in re sua nemo proprie furtum committit, nisi usus, aut possessio ad alium pertineat, uti fit in usufructu, in iure pignoris, etc.

Furtum autem aliud manifestum est, aliud non manifestum. Manifestum est, quando quis cum re furtiva in loco, ubi furtum fecit, vel in ipso actu furandi deprehenditur; non manifestum est, quando fur non est visus in tali loco, vel actu, cum re furtiva. De divisionibus furtorum plura adhuc alii.

§. II. *Quibus modis, et a quibus committatur furtum, vel non?*

Ex dictis iam patet furtum committi non tantum si quis utitur re aliena, contra voluntatem domini, quod fieri potest in usu depositi, pignoris, etc. et pluribus aliis casibus, de quibus civilistae, propter varias de iure civili statutas poenas. Et quamvis de iure canonico etiam ille furti reus habeatur, qui furti conscius est, et hoc non indicat domino, cui res ablata est, si tamen sine suo gravi incommodo possit, *c. Qui cum fure, 4. h. t. et argu. c. Quantae, 47. de sentent. excommuni. ac c. Dilecto, 6. eodem in* 6. nulla tamen in tali casu ex iustitia est obligatio, sed tantum ex charitate, nisi ex officio talis ad manifestandum teneretur, aut ex praecepto legitimi magistratus per inquisitionem generalem procedentis. Vide plura de his apud theologos morales, vel auct. Metho. h. §.

§. III. *De poenis furti iure civili statutis.*

Pro diversitate furtorum, aut personarum de furtis rearum, variae sunt de iure civili actiones, et poenae, quas rectius apud civilistas videre est.

§. IV. *Quomodo puniantur furta de iure canonico?*

Clerici in furto deprehensi, aut convicti de eo infames fiunt, et deponuntur ab officio clericali, prout statuitur in *can. Presbyter. 12. dist. 81.* et si depositus ob furtum incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, et tandem si in contumacia perseveret; traditur puniendus saeculari potestati per exilium v. gr. aut aliam similem poenam. Et quamvis ratione infamiae, quam incurrit, promoveri non possit ad ordines, si tamen sponte fuit crimen confessus, et laeso satisfecit, neque publice furto infamatus fuit, poterit post peractam poenitentiam promoveri, si alias sit idoneus *arg. c. ult. De tempor. ord. iunct. gloss. v. Promoveri*, aliae poenae vix sunt in usu. Videatur de his poenis canonicis Bernardinus Biaz. in sua practica criminali canonica.

§. V. *De aliis diversis furtorum generibus, eorumque poenis.*

Inter furta numeratur etiam primo sacrilegium, quod est furtum rei sacrae, auferendo scilicet rem sacram de loco sacro, vel de loco non sacro, vel non sacram auferendo de loco sacro, si custodiae, aut securitatis causa in loco sacro res talis non sacra deposita sit. Poena autem sacrilegii, praesertim si res sacra auferatur, est extraordinaria, et arbitraria. De iure

canonico autem imposita est poena pecuniaria, *can. Quisquis*, 21. *caus.* 17. *q.* 4. perpetua infamia, ut tradantur carceri, vel in exilium perpetuum relegentur, et nisi cito se correxerint, anathemate feriantur, usque ad congruam satisfactionem.

Secundo numeratur inter furta, plagium, quod aliud non est, quam liberi hominis, qui sui iuris est, abductio, animo celandi illum, et hinc qui taliter abductum, tanquam servum v. gr. vendit, plagiarius dicitur. Poena autem plagii olim de iure civili fuit pecuniaria, hodie est gravior, pro personarum tamen, quae plagium committunt, qualitate augenda vel minuenda. De iure tamen canonico videatur talium poena excommunicatio, vel alia, citra mortem tamen, iuris poena.

Tertio numeratur inter furta peculatus, qui nihil aliud est, quam furtum pecuniae publicae, ita ut nomine pecuniae intelligantur res omnes ad aerarium reipublicae, aut fiscum principis, aut ad ecclesiam pertinentes. Poena huius criminis de iure civili est arbitraria, usque ad ultimum supplicium. De iure canonico autem poena huius criminis est, si a clerico committatur, excommunicatio, aut depositio.

Quarto numeratur inter furta etiam abigeatus, ita ut qui pecora ex armentis, pascuis, aut gregibus abducunt, abigei dicantur, et crimen abigeatus committere. Poena horum si frequentius delinquant, est gladius, ita tamen ut nonnunquam in personis honestioribus temperetur poena, et gravior etiam illa sit, si effractis v. gr. stabulis pecora fuerint abiecta.

Quinto denique inter furta graviora numerantur furta commissa in incendio, vel naufragio; quae poena extraordinaria puniuntur pro qualitatibus personarum.

TITULUS XIX.

DE USURIS.

SECTIO I.

De usuris in genere.

§. I. *Quid sit usura, et quotuplex?*

Usura duplici modo accipi potest, vel pro ipso contractu usurario, vel pro lucro, quod ex contractu usurario acquiritur. Priore modo accepta describitur, *quod sit actus voluntatis dandi vel accipiendi lucrum aliquod temporale, ultra sortem ex vi, et causa mutui principaliter.* Posteriore modo accepta, est ipsum lucrum immediate ex mutuo proveniens, tanquam debitum, ita ut id, quod mutuo datur, capitale sive sors dicatur; quod ultra vero accipitur, sit usura, vel foenus, aut lucrum supra sortem, ita ut hoc nomine intelligatur quaecunque res pretio aestimabilis temporalis, si in pactum illius datio deducatur. Dividitur autem usura in genere primo in mentalem, et realem. Mentalis est, quando quis mutuat actu externo, ut acquirat ex mutuo lucrum aliquod, tanquam ex iustitia debitum, quamvis nullum interveniat pactum expressum, vel tacitum; realis est, quando quis in pactum deducit, expresse vel tacite, ut ultra sortem, ratione mutui talis, lu-

crum sibi solvatur. Secundo dividitur in formalem seu expressam, et virtualem seu palliatam. Illa est, quando expresse mutuum do, ut lucrum inde ex pacto habeam. Haec est, quando sub praetextu v. g. alterius contractus, venditionis verb. gr. pignoris etc., lucrum iniustum supra sortem quaeritur. Tertio dividitur in compensatarias, ubi paciscor v. gr. de solvendo aliquo supra sortem, ob damnum, periculum sortis, lucrum cessans etc., ratione mutui mihi evenientis; in punitarias, ubi sub certa poena me obligo ad solutionem mutui tempore praefixo faciendam; et in mere lucratarias, ubi lucrum praecise ratione mutui ex pacto quaeritur.

§. II. *Quo iure sint usurae prohibitae?*

Resp. Usuras lucratarias, quae proprie usurae dicuntur, sive formales illae, et expressae sint, sive palliatae, et virtuales, omni iure tam naturali, quam positivo, tam divino, quam humano prohibitas esse, iuxta illud *Lucae* 6. ***Mutuum date, nihil inde sperantes;*** et iuxta plurimos ss. canonum textus, ac ipsam rationem naturalem, quae contra iustitiam commutativam in hoc lucro exigendo, et accipiendo peccari, clare ostendit. Et quamvis sint, qui velint, certas usuras a iure civili permissas esse, melius tamen dicunt alii, leges tales civiles, ad maiora mala cavenda, permittentes avaritiae hominum certas usuras (prout hodie pro 100. permittuntur 5. floreni, quamvis lucrum hoc 5. florenorum, proprie loquendo usura non sit) a iure canonico correctas esse, in quantum talium usurarum exactio peccatum continet. Neque dici potest, quod volenti, et consentienti non fiat iniuria, ergo nec usuras solventi, cum volens consentiens sit, ad illas solvendas. Transeat enim axioma illud antecedentis, si sponte, libere ac simpliciter consentiens talis sit, negatur autem si coactus quasi, et invitus est, sicuti est solvens usuras, nunquam has soluturus, si mutuum sine usuris habere possit.

§. III. *An usurae licite possint exigi, et accipi, ob favorem piae causae, vel aliud opus bonum, saltem dispensative?*

Resp. Negative, prout sumitur ex *c. Super eo*, 4. *h. t.* cum usuratum crimen, ut ait pontifex, utroque testamento novo, et veteri, prohibitum sit, in quo dispensari non potest, neque facienda mala sint, ut eveniant bona, aut auferendum divitibus aliquid, ut detur pauperibus etc., et hinc non possunt principes supremi facere licitas usuras (quamvis poenam usurariis subeundam remittere possint) si v. g. a iudaeis pecunia mutuo accipitur, aut illis datur: quod enim iure naturali prohibitum est, non potest positiva principis voluntate licitum fieri.

§. IV. *Utrum dominium usurarum transferatur in usurarium?*

Qua in re certum est, si solvens usuras non habeat voluntatem dominium usurarum transferendi in usurarium, quod usurarum talium non fiat dominus usurarius, ob defectum scilicet voluntatis transferendi dominium (prout facere potest solvens usuras, non ut transferat dominium, sed ut exterius fidem datam servet) nisi res tales usurariae in pondere, mensura, aut numero consistentes cum rebus suis eiusdem qualitatis commiscuisset usura-

rius, abi dominium talium usurarum acquireret asurarius titulo permixtionis. Si tamen ab hac voluntate solventis usuras, aut permixtione asurarii, abstrahatur, dubium adhuc manet, utrum dominium usurarum acquirat usurarias, quod in utramque partem probabiliter disputatur. Ita nt communior quidem sententia nullum usurarum talium per se dominium concedat usurario, cum sine titulo iusto, qualis hic nullas apparet, non transferantur dominia; alii tamen probabiliter doceant, acquirere quidem domiaium rerum per asuram acceptarum usurariam; sed iaefficax, et revocabile, ita ut obligatus sit ad restituendum, quidquid per usaram accepit, cum penes solveatem usuras absoluta quidem voluntas sit, eas usurario solvendi, proat ex pacto, et coaventione debentur, voluntas tamen haec sit aliquo modo lavoluntaria, et consequeater talis solveas usuras se habeat, sicuti se habet ex gravi metu promissa solvens, quoram quidem dominium ia promissarium, sed revocabile, et inefficax transfertur.

De aliis rebus, quas per usuras sibi comparavit usurarius, emendo v. g. agros ex pecunia per asaram accepta etc., si quaeratur, an domiaium illarum rerum sibi acquirat usurarius, Resp. primo si per pecuniam ex usuris acceptam, negotiando v. gr. illa, aut ea ludendo etc., sibi aliquid acquisivit, domiaiam rei taliter acquisitae habet, ita at non teneatur eam restituere aut mutuatario, aut cuiquam alii, cum iusto pretio eam sibi comparaverit, quamvis pecuniam ex usuris acceptam teneatur mutuatario restituere, tanqaam inique acquisitam.

SECTIO II.

De pactis tum illicitis, et usurariis, quae contractui mutui adiici nequeunt, tum liciti, quae apponi possunt absque usura.

§. I. *De pactis, ob quae contractui mutui adiecta, is efficitur usurarius?*

In genere dici potest, qood per omne pactum, seu coaveationem, per qaam praeter sortem, praecise vi mutui, et propter id, quod mutuo intrinsecum, et proprium est, lucrum exigitur, seu gravamen, ac oaus qualecnnque imponitur, sive aova obligatio ex iustitia, ad quam alias non tenebatur, reddatur contractus mutui usararias, cum iaiuste exigatur, qaidquid in mutai contracta supra sortem exigitur, quae sors si solvatar, contractum debitnm ad aeqaalitatem compensatur, et extiaguitur. In specie tamea.

Usurarium est primo aliquid ultra sortem accipere, pro obligatioae non repetendi ante certum tempus pecuniam mutuo concessam ad certum tempus, et de eo pacisci: haec enim obligatio non repetendi mutuum ante tempus, ad quod coacessum est, est iatriaseca, et substantialis mutuo, at ne transeat in precarium, et ne videatur frustra mutuasse, et quae gratis in tali mutuo extenditur liberalitas, turpissima avaritiae, et iniustitiae nota maculetur.

Secundo usurarium est, si ille, cui matuum concedo, mutuatarias scilicet ex pacto obligetur ad vicissim postea mutuum dandum mutuanti, qaia in tali casu onus aliquod pretio aestimabile impoaitur a matuante mutuatario, quod est supra sortem; quodsi tamen pro mutuo dato ia praesenti exigas

vicissim a mutuatario mutuum, ut v. gr. si pecunias velit hic, et nunc a te mutuas habere, vicissim ille frumentum, vel vinum tibi mutuo concedat, usurarium non est, quia potes merito beneficium petere ab eo, cui beneficium praestas; modo non sit speciale onus, et nihil supra sortem exigatur; sic potes etiam pro obligatione mutuandi pecunias in te suscepta, obligare alterum ad mutuum tibi dandum frumentum, si petas, cum in tali casu, par utrinque servatur obligatio, penes te quidem ad dandas pecunias, penes alterum vero ad dandum frumentum, et nihil oneris pro mutuo dato imponatur, aut accipiatur.

Tertio usurarium est, mutuare cum pacto, ut mutuarius mutuanti beneficium aliquod, aut officium publicum conferat, aut obtineat, quia supra sortem exigitur in tali casu aliquid, tanquam iustitiae debitum; si enim propter mutuum concessum benevolentiam tantum alterius, et gratitudinem expectes absque pacto obligante, nulla usura committitur, cum in tali casu nulla iustitiae obligatio interveniat, qua supra sortem solvi quid debeat.

Quarto usurarium est, mutuare cum pacto; ut mutuatarius condonet iniuriam ipsi a mutuante, vel alio huic coniuncto illatam, quia imponitur onus, quasi ex iustitia debitum, quod in sortem non computatur, aut computari solet, et exigitur pro mutuo, aliquid pretio aestimabile supra sortem, remissio scilicet iuris, quod habet iniuria affectus ad compensationem, et poenam petendam.

Quinto usurarium est, mutuum dare cum pacto, ut mutuatarius obligatus sit ad fideiubendum pro mutuante, ob onus scilicet novum, quod est supra sortem, nisi fideiussio non tam ut pretium mutui exigatur, quam ut conditio, sine qua nolit quis mutuare. Plures casus videri possunt, in quibus usura committitur apud theologos.

§. II. *An mutuans aliquid ultra sortem, seu rem mutuo datam exigere possit ratione damni emergentis?*

Resp. Affirmative: neque enim teneor cum meo damno alteri mutuo dare, cuius ego ad damnum meum avertendum indigus sum, ita ut mutuatarius, si fortassis in mora fuit solvendi mutui, quod potuisset solvere, ac mutuans interea damnum in rebus suis passus fuit, quod praecavere potuisset, nisi morosus mutuatarius moram traxisset in solvendo, teneatur ad omne damnum tale reparandum, cum in tali casu nullum lucrum supra sortem accipiat mutuans, aut ad onus aliquod obliget mutuatarium, ad quod ex naturae iure non est obligatus, sed damni sui praecise reparationem quaerat, et accipiat.

Ut autem sit obligatio, aut possit in pactum deduci obligatio damni reparandi, requiritur primo, ut mutuum sit causa damni, si enim aliunde mutuans habeat, unde possit damnum sibi imminens praecavere, nihil a mutuatario ratione damni peti, aut accipi potest, quasi debitum ex iustitia. Secundo debet mutuans mutuatarium praemonere de damno emergente, quia fortassis nollet cum tali onere accipere mutuum. Tertio requiritur, ut damnum, si quod eveniat ante tempus solutioni praefixum, sit deductum in pactum, saltem sub generali clausula solvendi aliquid supra sortem; alias sibi imputare debet mutuans, quod non melius damno suo caverit, nisi coactus

fortasse ad mutuandum fuerit, quo in casu interesse damni emergentis exigere potest, etiamsi nihil de eo conventum sit.

§. III. *An, et quomodo in mutuo aliquid licite, et sine usura exigi, vel accipi possit ultra sortem, ratione lucri cessantis?*

Si lucro suo privatur mutuans, eo quod pecuniam v. g. quam ad lutum faciendum destinaverat, mutuam dare debuerit alii, aut lucrum perierit mutuanti, eo quod mutuatarius in culpabili mora solvendi fuerit, tenebitur ratione lucri taliter cessantis mutuatarius satisfactionem facere, etiam ultra sortem dando aliquid iuxta prudentis arbitrium, neque ulla in tali casu usura committitur, etiamsi nihil de lucro cessante reparando in pactum deductum fuerit, cum lucro suo iniuste in tali casu a mutuatario privetur mutuans. Quod si tamen sponte mutuam dederit v. gr. pecuniam ad lucrum faciendum destinatam, potest de lucro cessante pacisci, cum mutuario, mutuans, et tenebitur ille ex pacto ad lucrum cessans reparandum, si quod cessavit mutuanti ante solutionis tempus elapsum, et quod in pactum deductum est, supra sortem solvendo aliqnid, absque usurae periculo pro ratione pacti, in quod mutuatarius cum mutuante convenit, neque enim in tali casu supra sortem solvitur aliquid praecise ratione mutui, sed ratione lucri cessantis, quod in gratiam illius, cui mutuum datum est, subit mutuans. Bene tamen observandum est primo, ut lucri cessantis fieri possit pactum, et haberi ratio, non tantum in spe remota debere esse lucrum cessans pecuniae scilicet talis, quae hic, et nunc mutuo datur, impendendae fortassis ad lucrum faciendum, si aliqua daretur huius occasio, (cum lucri adeo incerti nulla sit habenda ratio) sed quod pecunia talis iam distincta sit ad lucrum faciendum, vel negotiationem v. g. neque aliunde haberi possit hoc lucrum, si pecunia talis mutuo detur.

Observandum est secundo, ut non plus exigatur ratione lucri cessantis, quam spectatis omnibus circumstantiis, et expensis faciendis, spes lucri, quod hic et nunc cessat, valeat, nisi malit tantum indeterminate lucri cessantis compensationem in pactum deducere.

Tertio denique observandum, quod interesse lucri cessantis non debeat statim, et anticipato a mutuatario exigi, sed tempus solvendi mutui expectati, ne palliata, in tali casu anticipatae solutionis, committatur usura.

§. IV. *An ratione periculi, cui mutuum exponitur, licite possit aliquid supra sortem exigi?*

Si periculum sit, ne res mutuata pereat, eo quod vel per maria transferenda sit, vel per vias, et itinera periculosa etc., et propterea mutuans aliquid supra sortem exigat, tum contractus usurarius non est, cum in tali casu non tam vi mutui supra sortem accipiatur aliquid, sed propter assecurationem, quam praestat mutuans mutuatario, periculum alienum, rei scilicet mutuatae, et in dominio mutuatarii iam existentis, perdendae, in se suscipiens; sicuti enim sine usura potest rei alienae periculum in se suscipere, et propterea ab eo, in cuius gratiam tale periculum subit, accipere aliquid, cum assecuratio talis rei alienae sit pretio aestimabilis, sic potest

etiam pecuniae v. g. mutuo alteri datae, et in dominium illius translatae, assecurationem ex pacto pro pretio aliquo in se suscipere, sine usurae periculo (quamvis ex sententia probabili iuxta *c. Naviganti*, 19. *et ultim. h. t.* contractus talis assecurationis, in foro externo ecclesiastico, praesumitur usurarius, factus scilicet ad palliandam usuram supra sortem et mutuo accipiendi aliquid, nisi post longum iam mutuatae pecuniae tempus talis assecurationis contractus primum superveniat, quo in casu nulla usura in tali assecuratione praesumi posset), si tamen periculum sit perdendi mutui non ratione rei mutuatae taliter periculose transferendae, sed quod mutuatarius sit in periculo inopiae, fraudulentus, et non usque adeo bonae fidei debitor, ut merito timere possit mutuans, sortis etiam in tali casu perdendae periculum sibi imminere, aut certe non sine multis incommodis, et expensis acquirendae, potest pro periculo sortis, aliquid per pactum assecurationis exigere ultra sortem sine usura, modo non cogatur ad hoc mutuatarius, sed ad invitationem quidem mutuantis, libere tamen, et sua sponte pactum tale ineat, cum enim periculum in tali casu in se suscipere sit pretio aestimabile, consequenter nulla iniuria fit, pretium in tali casu pro periculo assecurationis accipere.

§. V. *An in mutuo licitum sit pactum, ut mutuatarius, si tempore statuto non solverit mutuum, teneatur certam poenam solvere ultra sortem?*

Resp. affirmative, neque ullam in tali poena statuenda, aut solvenda intervenire usuram (quia poena talis ultra sortem non solvitùr vi mutui, sed ob moram, et culpam non soluti mutui); si tamen debitor sit in mora notabili, et culpabili, aut tempus ita breve solvendi mutui praefigatur, ut possibile non videatur, intra hoc solutionem a mutuatario expedire posse (quo in utroque casu, in fraudem videtur apposita talis poena ad palliandum lucrum usurarium), et quod poenae loco exigitur, sit moderatum, et culpae proportionatum.

§. VI. *An pactum adiectum mutuo, ut res mutuata restituatur, in eadem mensura, et bonitate, etiamsi pretium eius creverit, sit usurarium?*

Qua in re certum est primo, si tempore dati mutui aeque dubium sit, aut tempore solutionis pretium, seu valor rei mutuatae maior, aut minor sit futurus, licitum esse pactum tale, et nullam usuram continere, in tali casu aequalis est utriusque contrahentis conditio, tam quoad lucrum, quam quoad periculum, per accidens et casu fortuito eveniens, quale pactum tamen licitum non esset, si augendi pretii moralis habeatur certitudo. Secundo certum est, licitum etiam esse tale pactum, si mutuans rem illam, quam hic et nunc mutuam dat, in tempus illud servaturus fuisset, quo tempore maius illius pretium est, cum ex charitate, qua mutuum hic et nunc dat, non debeat suarum rerum pati damnum. Tertio certum videtur, si probabiliter praevideatur, rem hic et nunc mutuo datam minus valituram tempore solutionis, quod possit mutuans ad praecavendum sibi damnum pacisci cum mutuatario, sine usura, de restitutione facienda mutui, in ea qualitate v. g. in qua nunc accepit, ut viginti sibi scaphas frumenti v. gr. reddat, cui hic et nunc decem scaphas mutuas dedit, si tempore solutionis huius faciendae

viginti scaphae pretium adaequent decem scapharum mutuó datarum, quia in tali casu non petitur aliud, quam pretium aequale illi, quod mutuo dedit, ergo nihil supra sortem, ergo nullius usurae periculum est (et contractus hic potius innominatus dicendus est, do, ut des; quam mutui contractus); modo ad tale pactum secum ineundum non cogat mutuatarium mutuans. Quarto dicendum videtur, si tempore rei mutuo datae, nihil conventum sit de facienda solutione mutui secundum modo currentem, aut tempore solutionis futurum valorem, neque quidquam de augendo, vel minuendo pretio praevisum sit, recte praesumi intentionem contrahentium fuisse, ut iuxta conditionem mutui, res mutuata reddatur in eadem specie, mensura, ac bonitate, sive pretium creverit, sive non creverit, prout mutuo data fuit, ut supponi videtur in *l. Vinum*, 22. *ff. De rebus credit.* Videantur de hac re civilistae, quoad forum externum, et quoad forum conscientiae theologi, cum nulla iuris capitula de re hac agant.

SECTIO III.

De usuris, quae committuntur in venditione, et emptione; et an contractus censualis sit usurarius.

§. I. *An sit usura rem pluris iusto pretio vendere ob dilatam pretii solutionem; et vicissim rem minoris emere, quam valet, quia praesenti pecunia emitur?*

Rem pluris vendere, quam valeat, eo quod differatur solutio pretii; et rem minoris emere, quam nunc valeat, eo quod praesenti, et numerata pecunia emat a venditore per se, et spectata rei natura, ac in foro conscientiae, usura est (palliata), in foro tamen externo tanquam usurarius talis conveniri ac condemnari non potest; cum enim taliter vendens, vel emens, sine ulla causa a iusto pretio recedat, consequenter lucrum illud, quod supra, aut infra iustum pretium acquirit, videtur habere ex vi mutui, sub venditione, aut emptione hac palliati, et latentis; quae prava voluntas, cum in opere externo non appareat, excusat quidem talem in foro externo, quominus usurarius conveniri, aut condemnari possit, non tamen excusat coram Deo, qui scrutator est cordium; nisi ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, vel ex simili causa, aut quod dubium sit, utrum tempore solutionis, aut traditionis, res pluris, aut minoris sit aestimanda, et in tale tempus venditionem, aut emptionem dilaturus esset venditor vel emptor etc., videatur *cap. In civitate*, 6. *h. t. c. Consuluit*, 10. *et c. Naviganti final. eodem.* Qua tamen in re bene etiam notandum est, quod in *cit. c. In civitate*, monet pontifex, melius saluti suae consulere, qui a talibus contractibus abstinent.

§. II. *De venditione, et emptione censuum, sive redituum annorum in genere.*

Vix amplius his temporibus, quibus omnes lucris inhiant, aliqua proprie dicti mutui est ratio; et quamvis multi clament, pecunias suas, seu res alias suas mutuas se dedisse; quod tamen proprie loquendo mutuum non fecerint,

ex spe acquirendi inde lucri colligitur, cum illorum mens non sit, mutuum dare, et nihil inde sperare, prout mutuum fieri debere, Christus ipse *Lucae* 6. docet, sed pecunia sua, sterili per se, lucrum facere; et hinc in locum mutui frequentissimus hodie usus est, emendorum censuum, in quantum scilicet per pecuniam alteri datam, ius sibi comparavit dans talem pecuniam, ad annuum censum, sive pensionem ab altero, cui pecuniam talem dedit, exigendam, pro centum florenis v. g. datis, censum 5. florenorum, ita ut ille, qui recepta pecunia ad annuos reditus solvendos se obligavit, censuarius dicatur, ille vero, qui ob datum pretium, percipit tales census, censualista vocetur.

Dividitur autem census in reservativum, et consignativum. Reservativus est, quando quis dominium etiam directum rei suae in alium transfert, reservata sibi pensione aliqua, vix ab emphyteusi distinctus contractus, nisi quod in hoc contractu dominium tantum utile, in contractu vero census reservativi etiam directum dominium transferatur, et emphyteuta suo tempore non solvens pensionem, sua emphyteusi excidat, ut dictum alibi, non autem censuarius, census reservativi, sed ad omnes pensiones debitas, et non solutas obligatus maneat. Consignativus vero census, cuius hodie frequentissimus usus est, et de quo potissimum hic agetur, censetur esse, quando quis certo pretio ius annuae pensionis ex re alterius percipiendae sibi emit, pro centum florenis v. g., emendo sibi scapham frumenti, aut quinque florenos in singulos annos solvendos. Subdividitur autem hic consignativus census primo in realem, qui super re aliqua frugifera constituitur, super agro v. gr. horto, domo etc., ita ut pensionis solvendae obligatio rei illi, ad quemcunque demum pervenit, adhaereat; et in personalem, qui super certa persona constituitur, quao ratione suae artis v. gr. utilitatem affert; et in mixtum denique, in quo tam res aliqua quam persona obligata manet, ita ut census talis non pereat, alterutro pereunte. Secundo subdividitur in censum perpetuum, et temporalem; ille non finitur per mortem censuarii, sed transit ad haeredes; hic ad certum tantum tempus obligationem suam extendit. Tertio subdividitur in censum fructuarium, ex fructibus solvendum, et in censum pecuniarium, ex pecunia solvendum. Quarto subdividitur in censum irredimibilem, qui ratione pacti adiecti ex neutra parte redimi potest; et in censum redimibilem, qui intra certum tempus, vel absolute, si placuerit v. gr. venditori, aut emptori, aut utrique pro diversitate pacti redimi potest.

§. III. *Utrum licitus sit census realis, sive perpetuus, sive temporalis tam redimibilis, quam irredimibilis; an vero sit usurarius, et illicitus?*

Respondetur primo licitum esse, et nullam usuram includere censum realem, sive perpetuus ille sit, sive temporalis, sive vitalitius, sive aliter redimibilis, si per emptionem, et venditionem in re frugifera constitutus sit in fructibus vel pecunia solvendus, modo pretium sit iustum, tale scilicet, quod vel lege taxatum est, vel consuetudine approbatum: prout constat ex *Extravag. Regimini*, 1. *et* 2. *de empti. et vendit. inter communes:* Neque enim contractus talis est mutuum, quomodocunque demum apud germanos

vocetur, sed vera emptio, et venditio; et consequenter sicuti totum usumfructum ex re aliena percipiendum emere, et vendere quis potest, ita potest etiam emere, et vendere partem fructuum ex praedio alieno, in fructibus, vel in pecunia solvendum, quod fit in contractu censuali reali; et quidem sive in perpetuum ille constitutus sit, sive ad certum tempus (quamvis enim si in perpetuum, aut ad longum tempus census constituatur, et ematur, plurimum saepe excedant pensiones solvendae, pretium, quod expositum est, pro iure eas pensiones percipiendi, quia tamen in tali casu non tam ipsae pensiones, quam ius eas percipiendi emitur v. g., ius autem tale multis periculis, et incommodis saepe obnoxium sit, consequenter multo minus aestimatur ius tale, quam pensiones solutae, et potest esse inter pretium expositum, et ius tale aequalitas sufficiens) sive irredimibilis ille sit, sive redimibilis (cum omnes aliae venditiones cum pacto redimendi sint licitae) ita tamen ut pro censu utrinque redimibili (praesertim si pactum assecurationis in se susciplat etiam venditor) maius pretium solvi debeat, quam in censu ex parte venditoris tantum redimibili, cum in illo casu onus aliquod imponatur venditori speciale (onus scilicet ad placitum emptoris recipiendi ius census, quod vendidit, reddito pretio, pro illo iure dato, aut onus assecurationis, transferendo scilicet censum, si res censui subiecta casu fortuito pereat, in aliam rem) quod utrumque pretio aestimabile est. Neque tamen contractus censualis utrinque redimibilis, vel saltem redimibilis ex parte emptoris, tolerari facile debet, ob intentionem usurariam, et pericula usurarum sub tali contrahendi modo saepe latentia, et hinc tam in constitutionibus summorum pontificum Martini V. et Calixti III. quam in constitutione Caroli V. Augustae in conciliis imperialibus anno 1548. edita, contractus tales censuales, quibus conceditur emptori facultas redimendi, prohibiti sunt ex praesumptione usurarum.

§. IV. *An licitus, et iustus sit census personalis perpetuus tam irredimibilis, quam redimibilis ex parte solius venditoris ?*

Quod census personalis non ita possit constitui in persona libera, ut si ea non sit solvendo, creditor possit debitorem vendere, vel servituti subiicere, sicuti praedium vendi potest, et vendicari, certum est, sicuti enim homo liber non potest pignori dari cum periculo venditionis *c.* 2. *De pignor.*, sic nec potest census, cum tali periculo, in eo constitui. Quod autem licitus, et iustus sit census personalis, ita ut persona talis, et eius haeredes, si census sit perpetuus, sint obligati, ex laboribus verb. gr. suis, et operis, ad pensionem annuam solvendam, et censuario ius acquiratur ad illam pensionem exigendam, sive redimibilis talis contractus sit, sive irredimibilis, consuetudo in multis provinciis recepta probat, et a paritate census realis ostenditur. Argumenta in contrarium vide apud auctor. Meth. soluta §. 5.

§. V. *De conditionibus ad contractum censualem requisitis.*

De iure naturae quatuor conditiones requiruntur, ut iustus, et licitus sit contractus censualis. Primo requiritur, in re sufficienter frugifera, vel quae pro tali habetur, annuus census constituatur, ut suo tempore haberi

pensio possit, sive deinde in re immobili, sive mobili constituatur, modo usus illius non sit consumptio illius, et separari possit dominium ab usu rei. Secundo requiritur ut iusto pretio (de lege, vel consuetudine taxata, ut dictum, vel si haec non habeantur, iuxta prudentis arbitrium) census talis, vel ius ad pensionem ematur. Tertio requiritur, ut si res, ex qua pensio solvitur, reddita sit infructuosa v. g. vel omnino perierit sine culpa censuarii, censualista damnum ferat, secluso speciali assecurationis v. gr. pacto, cum enim censualista si dominus iuris percipiendi pensionem, sive censum, res autem domino suo pereat, consequenter etiam hoc ius, si pereat domino, censualistae scilicet perire debet. Quarto denique de iure naturae non potest res censui subiecta, inscio censualista, alienari, ne ius censualistae fiat deterius, aut difficilius. De iure vero positivo ecclesiastico *in Extravagant. Martini V. et Calixti III. inter communes de empt. et vendit.* requiritur, primo ut res immobilis, certa, et fructifera designetur, cui census imponatur. Secundo ut illa sola obligata maneat pro censu, et non persona, aut alia illius bona. Secundo ut pretium iustum solvatur, quod varium potest esse, iuxta varias conditiones. Quarto ut pretium, quo census emitur, statim solvatur praesenti pecunia. Quinto ut venditor ad redimendum censum non adstringatur quidem, relinquatur tamen ipsi libertas vel totum censum redimendi vel per partes etc., plures adhuc conditiones a Pio V. in bulla super hac re, requisitae fuerunt, prout apud *Tanne. tom. 3. de iust. disp. 7. dub. 4.* vel apud *Less. de iust. c. 22.* videri possunt, quia tamen in nostra Germania, aut bulla haec promulgata nunquam fuit, aut usu contrario abrogata, census in his partibus non tam secundum illius bullae tenorem, quam iuxta receptam consuetudinem instituuntur, quae observari debet, modo nihil iuri naturae contrarium fiat.

SECTIO IV.

De usuris quae committuntur circa pignora, et hypothecas

Quae prioribus duobus §§. ab auctore Method. hic examinantur, sufficienter colligi possunt ex *tit. 12. lib. 3. Decretal.* §. 5. et ex prioribus in hoc *tit.* §§. sit ergo.

§. I. *An contractus, sive pactum antichriseos sit illicitum, et usurarium, et an etiam montes pietatis usuram contineant?*

Pactum antichriseos, ut tamdiu creditor fructus pignoris lucretur, salva sorte, donec debitum solutum fuerit, illicitum, et usurarium est, propter palliatam usuram, quae in tali pignoris contractu latet: et hinc non facile, ad cavendas tales usuras res immobilis, et frugifera in pignus dari debet.

Mons pietatis dicitur pecuniae certa summa, quae a principe aliquo, vel domino loci, aut communitate relicta, collecta, et destinata est, ut semper habeant pauperes v. gr. pecuniam, quam mutuam accipere possint, ad certum tempus, pro certo pignore deposito, et ut mutuatarii pro singulis mensibus exiguum aliquid solvant, supra sortem, ad conservandum montem pietatis, et stipendia ministrorum etc. huiusmodi montes pietatis licitos esse,

et nihil usurarios, probant summi pontifices; approbantes eos, pauperum, qui his iuvantur, necessitas, et communis utilitas.

SECTIO V.

De obligatione restituendi usuras.

§. I. *An, et quibus teneantur usurarii restituere usuras?*

Usuras restituendas esse, et quidem illis, a quibus fuerunt extortae, vel eorum haeredibus, ius naturale probat, quod vult, ut iniuste laesus restituatur, et bona illi sua, quorum dominium non amisit, solvendo usuras, reddantur. Quod si tamen nec illi, a quibus usurae extortae fuerunt, neque eorum haeredes supersint, et de acceptatione usurarum non constet, nisi in foro conscientiae, vult pontifex in *c. Cum tu*, *h. t.* ut in pauperes, vel ecclesias, vel alias causas pias restitutio fiat (ut omni scilicet quo possunt modo, suis dominis usurae prosint, et reddantur) nisi inopia debitoris a restitutione excuset, vel hanc differre patiatur.

§. II. *An omnes usurarii restituere teneantur usuras; etiam haeredes eorum?*

Omnes recipientes usuras obligantur ad restitutionem, sive clerici, sive laici sint *c.* 1. 2. *et* 7. *h. t.* etiam iudaei, tanquam iniqui possessores rei alienae, aut restitutioni obnoxiae, cum iuris naturalis praeceptum de damno alteri non dando, et rebus suis restituendis etc., omnes urgeat. Et probari etiam potest *argum. c. Post miserabilem*, 12. *h. t. et c. Quanto*, 18. *eodem*, et si usurarii tempore vitae suae usuras non restituerunt, debent illae restitui ab haeredibus defuncti *c. Tua nos*, 9. *h. t.* iuxta portiones suas, quas ex haereditate acceperunt; (sicuti enim de aliis damnis iniuste datis a defuncto, obligantur eorum haeredes, ita etiam de usuris, in foro externo iuxta confectionem inventarii, in foro conscientiae autem iuxta vires haereditatis), itaut nonnunquam etiam legatarii ex suis portionibus legatis teneantur.

§. III. *Quinam, et quo pacto cooperantes ad usuras exigendas, vel solvendas teneantur ad restitutionem?*

Quod omnes illi, qui sunt causa efficax ex parte mutuantis, ut usurae exigantur, et accipiantur, ad restitutionem, saltem secundo loco, in defectum usurarii, teneantur; qui vero ex parte mutuatarii usuras solventis se tenent, suggerendo illi subsidia v. gr. ut usuras promissas solvere possit, ad restitutionem nullam obligentur, ex cooperatione efficaci iniusta, vel non iniusta probatur. Et hinc magistratus, qui statutis suis cogunt subditos ad usuras solvendas, vel harum repetitionem, et restitutionem impediunt, quod sub excommunicationem in *Clement. uni. h. t.* prohibitum est, ad restitutionem obligantur, in defectum usurarii nolentis, vel non potentis restituere (nisi ad cavenda maiora mala permitterent tantum usurarum solutionem, vel ex alia iusta causa etiam praeciperent) quam obligationem ad plures etiam alios efficaciter cooperantes se extendere facile cogitanti patebit, et ex generalibus principiis de iustitia colligi potest.

§. IV. *De quibusdam exceptionibus, quas usurarii opponere possunt, vel solent contra petentes restitutionem usurarum?*

Primo, si usurarius excipiat contra mutuatarium petentem restitutionem usurarum, quod liberaliter ab eo sint illae remissae, valida est exceptio, si sponte facta fuerit, et nulla fraus intervenerit, cum quilibet rerum suarum moderator, debitori suo remittere debitum possit, in quibus remissioni ius non resistit. Si vero petenti remissionem solvendarum, aut restitutionem solutarum usurarum, opponatur ab usurario exceptio iuramenti, nulla est talis exceptio, sed potest cogi (saltem ex officio iudicis, vel ad denuntiationem mutuatarii) usurarius, ut mutuatario, vel iuramentum remittat, si nondum sint solutae usurae, vel ut restituat solutas, ut constat ex *c. Tuas*, 13. *h. t.* ne scilicet usurarius ex dolo suo, et iniustitia lucrum referat.

Secundo, si contra repetentem usuras excipiatur, quod vel ipse etiam, vel ille cuius est haeres, et cuius nomine repetit, usuras receperit, et non restituerit, valida est exceptio *c. Quia frustra*, 14. *h. t. c. Michael*, 17. *h. t.* quia frustra implorat legis auxilium, qui in eandem legem, cuius auxilium implorat, committit, neque audiendus est talis repetens usuras sibi debitas, antequam, quas ille debet, restituat. Quod si tamen clericus non proprio nomine, aut ut haeres usurarii, usuras exigat, sed nomine ecclesiae suae, non potest contra illum excipi, quod et ipse usuras extorserit, nec restituerit, quia ecclesiae non debet illius delictum obesse *argum. c.* 1. *De restitut. spoliat.* Prout nec contra procuratorem nomine sui principalis repetentem usuras, excipi utiliter potest, quod etiam ipse ab aliis usuras acceperit, nec restituerit, cum neque huius delictum principali obesse possit.

Tertio, si conventus super usuris restituendis manifestus usurarius appellet, ne cogatur illas restituere, audiendus non est. *cap. Quam perniciosum*, 11. *h. t.* quia talis appellatio manifeste frivola est; aliter tamen loquendum, si de usuris a tali appellante acceptis non constet, et ex iusta causa interponatur appellatio, cum defensio, quae est iuris naturalis, uti est appellatio, criminoso, ante sententiam, neganda non sit. Quaenam vero in specie restitui debeant, resolvit *auct. Meth.* §. 5. qui videri potest; et haec talia, vel apud civilistas, vel apud theologos legi.

§. V. *De usura mentali, et obligatione restituendi ei annexa.*

Usuram mentalem tum committi superius iam dictum, quando quis exterius dat mutuum, et accipit lucrum supra sortem, ea intentione, ut lucrum supra sortem ex vi mutui habeat, absque eo tamen, ut intentionem hanc suam pravam exterius manifestet, aut in pactum deducat. De hac autem usura mentali quaeritur primo, quaenam intentio, aut spes lucri accipiendi ex mutuo supra sortem constituat eam, et secundo quaeritur, an sit ex tali usura restituendi obligatio. Primo quaesito respond. non esse quidem usurarium sperare, et intendere ex mutuo lucrum, ex benevolentia, gratitudine, ac liberalitate mutuatarii obtinendum, quamvis hoc lucrum taliter obtinendum, sit principalis finis mutui, modo absit pactum externum huius lucri ex iustitia solvendi; cum in tali casu nulla appareat ex parte mutuantis iniusti-

tia, quae nsuram constituit; usura tamen committitur, si mutunm detur, cum ea intentione, siue pacto quidem externo, iu animo tamen habita, ut lucrum obtineatur a mutuatario vi mutui, non ex illius liberalitate, et gratitudine, sed ex iustitia, ut pretium, ct compeusatio dati mutui, quia in tali casn, ex parte mutuantis apparet iniusta intentio, pretium, sive lucrum supra sortem ex obligatione iustitiae intendens, ubi nihii pretio aestimabiie datur, et de hoc casu procedit secunda quaestio, an scilicet ex tali usura mentaii oriatur obligatio restituendi acceptas usuras? Cui quaesito resp. affirmative, iuxta *c. Consul.*, 10. *h. t.* si mutuatarius, aliunde sciens ex signis, vel ex indole mutuantis, nuiium facile mntuum eum dare, nisi lucrum supra sortem ilii numeretur, lucrum hoc uou intendit ilii donare gratis, sed ut debitum dedit ex vi mutui; ueque enim in tali casu suas fecit mutuans usuras tales, sed illae sunt mutuatarii, in debitum solveutis. Quae restitutionis obiigatio in eo casu usurae meutalis etiam locum habet, si dubitet mutuans, quo animo dederit mutuatarius id, quod supra sortem dedit, ntrum scilicet dederit, nt mutui pretium, vel ut gratuitum donum, sicuti enim qui dubia fide rem possidere incipit, rem illam retiuere nou potest, sic nec mutuaus talis usnras, quas dubia mente recipit, ita tamen, nt in tall casu, si bona fide caepta fuit talis supra sortem dari possessio, etiamsi postea dubium superveniat, quod attendeudo etiam varias circumstantias resolvi nou potest, retinere, et consumere tales usuras possit.

SECTIO VI.

De iudice criminis usurae, et probatione eiusdem, ac poenis usurariorum.

§. I. *Quis sit iudex competens in crimine usurae, et quomodo probetur quis esse usurarius manifestus?*

Usurae crimen mixti fori est, et potest de ea, sive iuris, sive facti quaestio est, cognoscere tam ecclesiasticus, quam saecularis iudex inter laicos sibi subditos, cum hoc crimen nou habeat maiorem spiritualitatem, quam crimeu aduiterii, furti, et simiiia deiicta contra iustitiam, debet tamen etiam iudex saecuiaris in boc crimine iudicando procedere iuxta ius canonicnm, quod in multis ius civiie correxit. Mauifesti autem usurarii dicuntur illi, qui manifeste taies sunt facto, vel iure, itaut per facti evideutiam coustet, paiam nsuras exigendo, usurarios illos esse, vel per iudicis sententiam, ant factam in iudicio confessionem, quae iuris evidentia est, de crimine nsurae confessi, vel condemnati sunt, vel per legitimos testes de visu, aut de fama, et opiuione communi deponentes, per conicturas alias, aut iudicia aperta, ac gravia, ex libris rationum v. gr. petita, quod soleat merces supra iustum pretium vendere ob dilatam solutionem, vel quod res emat cum pacto de retrovendeudo, quando maius eorum pretium erit, vel quod fructibus sibi reservatis iuste vendere talia possit etc. probentur usurarii.

§. II. *De poenis iure statutis in usurarios manifestos?*

Multae sunt poenae in utroque iure statutae in nsurarios manifestos, quia tameu nemo vult hoc vitio hodie manifeste laborare, nulla est earum

referendarum necessitas, praesertim cum multae poenae hodie sint arbitrariae; videatur de his auctor. Method. hoc, et sequent. §§. 3. 4.

TITULUS XX.

DE CRIMINE FALSI.

§. I. *De crimine falsi in genere.*

Falsum in genere dici potest *immutare veritatem:* ad crimen autem falsi tria requiruntur. Primo, ut pervertatur veritas. Secundo, ut dolo malo id fiat, sive animo corrumpendae veritatis in alterius fraudem. Tertio ut falsitas talis committatur cum notabili damno alterius: sive deinde dicto, seu verbo, sive scripto, sive re, seu facto (falsam v. g. monetam cudendo, falsa pondera faciendo etc.) sive usu, aut potius abusu committatur, falsis probationibus utendo etc. Poena autem criminis falsi de iure civili hodie arbitraria est, maior, aut minor pro diversitate delicti, et circumstantiarum.

§. II. *De crimine falsi, quod committitur circa testes.*

Crimen falsi a teste committi dicitur, si falsum ille testimonium sciens, et dolo malo in iudicio deponat, aut veritatem occultet, aut supprimat, vel subornet alium ad dicendum falsum testimonium, prout ex *c. Falsidicus*, 1. *h. t.* patet, et quamvis de iure civili eadem poena sit talis testis falsum deponentis, quae est alterius falsarii, de iure tamen canonico clericus falsum deponens, ab officio deponitur, et alias poenas canonicas incurrit, uti videre est apud auct. Method. hoc §. ubi alia etiam annotantur.

§. III. *Quibus modis falsentur rescripta, seu literae apostolicae?*

Novem referuntur modi, quibus literae apostolicae falsentur, *in c. Licet*, 5. *h. t.* hodie tamen non omnes sunt in usu, legat cit. cap. qui varios hos modos novisse vult, et *c. Quam gravi*, 6. *h. t.* Ex quo colligi potest, observandum in rescriptis talibus stylum curiae, et hinc, cum pontifex episcopos, vel illius superiores fratres appellet; alios vero minores illis, etiam sacerdotes, filios; reges vero appellet charissimos filios; alios vero principes, dilectos filios; Iudaeos vero, et alios infideles tali filiorum nomine non dignetur etc. si praeter hunc stylum aliqua inscriptio fiat, de falsitate suspecta est illa.

§. IV. *An literae papales ob rasuram modicam in eis factam, possint argui falsitatis?*

Actum hac de re in genere iam aliquid in *tit.* 22. *De fide instrumentorum lib.* 2. *Decretal.* §. 12. circa apostolicas literas in specie sciendum, reprobari illas, si in loco suspecto tenuem etiam parvarum literarum (immo etiam unius literae cum sensus immutatione) rasuram habeant; in narratione iuris v. gr. in propriis nominibus iudicum, in annotatione datae, vel indictionis etc. iuxta *c. Inter dilectos*, 6. *de fide instrum. et c. Cum venerabilis*, 7. *de religios. domi.* Quod si tamen rasura talis modica facta sit in loco non suspecto, non redduntur falsae literae apostolicae, *c. Ex con-*

scientiae, 7. *h. t. iunct. gloss. v. In casu.* Vel si certum sit rasuram factam a cancellario, aut alio ex officialibus, quorum est corrigere, si supplicationi v. gr. non respondeant, aut ab eo, cui commissa est rescripti talis expeditio, ant in literis apostolicis, quae clausae redditae sunt, sit facta rasura, in hoc enim casu non nocet rasura, praesertim si in his ipsis literis fieret mentio factae rasurae.

§. V. *De poenis iure statutis in falsantes literas, aut bullas apostolicas?*

In *c. Ad falsariorum*, 8. *h. t.* statuitur non tantum, ut omnes, qui volunt uti literis apostolicis, diligenter examinent, falsae illae num sint, an verae, et nulla illis ignorantia patrocinari possit, ad evitandas falsariorum poenas, si examen tale non praemiserint, sed statuitur insuper, ut in poenam hi tales falsarii, qui literarum papalium falsarii sunt, incurrant excommunicationem latae sententiae, cum omnibus factoribus suis, et defensoribus, qui per se, vel per alios, vitium falsitatis (etiam semel tantum) exercent; et si clerici sint, sint omnibus suis beneficiis, et officiis perpetuo privati, ac si per se ipsos vitium falsitatis exercuerint, a magistratu ecclesiastico degradati, curiae saeculari puniendi tradantur. Si vero non falsarunt literas apostolicas, falsis tamen scienter utantur, si clerici sint, non quidem ipso facto suis beneficiis excidant, per sententiam tamen iudicis his privandi sint, uti et si penes se literas tales falsas detineant, ac eas intra viginti dies non lacerent, vel restituant. Videatur etiam bulla Coenae Domini contra hos falsarios literarum apostolicarum.

§. VI. *An in dubio praesumendum sit, falsitatem esse commissam in literis impetratis a sede apostolica?*

Si in rescriptis impetratis de simplici iustitia alicui administranda, reperiatur falsitas, non debet praesumi de falsitate commissa ab ipso impetrante, *c. Accedens*, 8. *h. t. iunct. gloss. v. In casu*, cum tales literae non tantum facile possint obtineri, sed nec magni sint praeiudicii. In literis gratiae vero impetratis, si reperiatur falsitas, attendenda est qualitas personae impetrantis, et gratiae quantitas, an magna sit, nec ne; et secundum has circumstantias de falsatione praesumendum.

§. VII. *De falsitatibus, quae committuntur in aliis instrumentis, seu literis, et de poenis falsantium sigillum principis?*

Notarium crimen falsi committere, et ut falsarium puniendum, si falsum instrumentum conficiat; vel apponat aliquid in instrumento, quod verum non est; vel omittat solemnitates requisitas; aut super re illicita instrumentum conficiat etc.; si testamentum, codicillum, aliudve instrumentum, sive literas, publicas, aut privatas, ad alium spectantes, immutavit, laceravit, combussit, delevit, vel dolose celavit, aut suppressit, ne earum veritas innotescere possit, aut, si se vel alium suae potestati subiectum, haeredem, aut legatarium, in alterius testamento scripsit; vel si alienum chirographum imitatus fuit, rationes, aut instrumenta alia rasura falsaverit, vel signum amoverit etc., ex iure civili habetur, et ex *c. Cum olim*, 33. *de offic. iud.*

deleg. ubi poena extraordinaria puniendus dicitur, qui dolose literas alterius, cum damno huius, et iniuria aperuit, aut testamentum clausum.

Qui vero sigillum principis falsat, si clericus sit, deponendus est verbaliter, et signum illi aliquod, sive character imprimendus, quo discernatur, ut falsarius, (nescio tamen an haec poena hodie sit in usu) et in exilium eiiciatur. *c. Ad audientiam*, 5. *h. t.*

§. VIII. *De falsatione monetae, et aliis modis, quibus crimen falsi in aliis rebus committitur?*

De variis modis, quibus falsatur moneta, et quae poenae in tales falsarios statutae sint, melius petitur ex iure civili, quam ex iure canonico, cum de hac materia, aut parum agant iura canonica, aut antiquata iam sint, aut ad certum regnum sint restricta, videatur *Extravag. Prodiens Joan. XXII. h. t. et Spondent unic. inter communes h. t.* De modis autem aliis, quibus in diversis rebus crimen falsi committitur, quamvis non semper poena falsariorum tales puniantur, videatur *Molin. tract.* 2. *d.* 701. *vel Farina in praxi criminali q.* 150.

TITULUS XXI.

DE SORTILEGIIS.

§. I. *An, et quibus casibus sint licita sortilegia, vel illicita?*

Sortilegia sive sortes dicuntur, cum aliquid eo fine agitur, ut ex eius eventu considerato aliquid fiat, aut occultum innotescat, et hinc triplices sunt sortes tales. Divinatoriae, quae adhibentur ad futurum, vel occultum cognoscendum, quod naturaliter sciri non potest: consultoriae, quibus divina voluntas circa rem aliquam inquiritur: et divisoriae, per quas quaeritur, quid cuivis tribuendum sit. Divinatoriis sortibus non licet uti, cum in illis multae lateant superstitiones, et ad talia occulta, vel futura cognoscenda sint medium improportionatum, prout patet ex pluribus iuribus, *causae* 26. *quaest.* 5. *et ex c. In tabulis*, 1. *h. t.* consultoriae vero sortes per se quidem, quando gravis urget necessitas, licitae sunt, regulariter tamen, et ordinarie adhibendae non sunt (et hinc sub excommunicatione prohibentur *in can. Sortes, caus.* 26. *quaest.* 5. cum ad specialem, et extraordinariam Dei providentiam non sit necessitas recurrendi, ita ut ad tentationem potius illicitam prohibitam recursus talis revocetur. Divisoriae denique sortes secundum se quidem etiam licitae sunt, et in multis casibus a iure civili adhiberi iubentur, semper tamen cavendum, ne illicitae quaedam, et superstitiosae circumstantiae, cum aliqua sacrarum rerum irreverentia, admisceantur, quae sortes etiam tales illicitas faciunt.

§. II. *An sit licitus usus sortium in electionibus ad praelaturas, et alia beneficia ecclesiastica?*

Respondetur negative, prout constat *ex capit. Ecclesiae*, 3. *h. t.* ex quo capit. habetur, quod generaliter prohibitus sit sortium usus in electionibus

ad officia, vel administrationes ecclesiasticas, ita ut nec compromissarii ad eligendum, possint forte constitui, ut ne scilicet ecclesia damnum ferat per indigni electionem.

§. III. *De poenis sortilegorum, et de iudice competente criminis sortilegii ?*

Clerici, si bono zelo, et ex simplicitate sortilegio usi fuerunt, suspendi iubentur ad tempus ab altaris ministerio, et divinis *in cap. Ex tuarum*, 2. *h. t.* si vero ex malitia sortilegia talia exerceant, verbaliter deponendi sunt, et ad perpetuam poenitentiam condemnandi, graviori etiam poena afficiendi, si gravius peccaverint etc.

Iudex autem competens circa hoc crimen cognoscendum, et iudicandum, est iudex ecclesiasticus, etiam cum sit crimen mixti fori, ab utroque iure damnatum, sub certis, et proportionatis poenis.

TITULUS XXII.

DE COLLUSIONE DETEGENDA.

Collusio est *inter actorem, et reum latens, et fraudulenta conventio*, ut delicta vel maneant impunita, vel impune committantur, ita ut ea collusio tam in causis civilibus, quam criminalibus, tam ecclesiasticis, quam temporalibus, et non solum per partes principales, clericos, vel laicos, sed etiam per advocatos, et procuratores committi possit, et a iudice ex officio inquiri debeat, si accusator ab accusatione desistit, an per collusionem cum reo destiterit, *capit. Script.* 1. *h. t.* neque crimina semel audita manere debent indiscussa, iuxta *glossam hic, verb. Gregorius*, etsi reus a criminibus, de quibus fuit accusatus, aut denuntiatus per collusionem absolutus sit, de novo accusari, et contra illum inquiri potest, ubi de collusione constiterit, *capit. In tantum*, 4. *h. t.*

Poena autem clericorum colludentium in causa beneficiali, sumitur *ex c. Audivimus*, 3. *h. t.* ut beneficiis scilicet suis, super quibus collusum est, perpetuo priventur, ne malitia scilicet, his taliter colludentibus sit lucrosa, cum praeiudicio collatorum legitimorum, aut patronorum.

TITULUS XXIII.

DE DELICTIS PUERORUM.

Quod pueri, sive impuberes ob delicta puniantur quidem, sed mitiore poena quam maiores, ex titulo hoc patet; quam mitiorem puniendi rationem etiam ad minores 25. annis extendunt communiter AA. ob defectum maturi satis iudicii: et hinc regula iuris, 108. *ff.* dicit, *in omnibus fere poenalibus iudiciis, et aetati, et imprudentiae succurritur:* neque pater ratione delicti a filio impubere commissi conveniri, aut puniri, mulcta etiam pecuniaria potest *cap. Referente*, 2. *h. t.* (nisi fortassis ex delicto filii locupletior factus fuisset pater, quo in casu conveniri posset, in quantum locupletior factus est,) cum bona patris non sint pro delicto filii obligenda.

TITULUS XXIV.

DE CLERICO VENATORE.

Clericis prohibitum esse sub certis poenis, canes, accipitres, aut talia ad venandum conducentia habere ex *cap.* 1. *h. t.* patet, et in *cap.* 2. venationes, et silvaticas vagationes cum canibus, falconibus, etc. (si scilicet cum tumultu, seu magno strepitu armorum, clamore canum, et frequenter hoc fiat) prohibitas esse clericis statuitur: quam prohibitionem etiam Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 12. *De reformat.* renovavit, eo quod clericorum statum, et professionem, haec talia, multum a rebus ecclesiasticis avocantia, non deceant. Moderatae tamen venationes, si sine tali strepitu instituantur, solius etiam recreationis causa, et non nimium sint frequentes, non prohibentur clericis. De poenis tamen prohibitarum talium venationum videatur Bernardinus Diaz in sua Practica criminali, cum non tantum hae poenae, sed lex etiam venationem prohibens, hodierna consuetudine videatur abrogata.

TITULUS XXV.

DE CLERICO PERCUSSORE.

Clericos, non tantum in minoribus constitutos, sed qui in sacris etiam, sive maioribus constituti sunt, ab episcopo, cui subditi sunt, si deliquerunt, verberibus etiam corrigi, punirique posse, ex *can. Cum beatus*, 8. *distinct.* 45. *et can. ult. dist.* 35. *iuncta glossa, verbo Corporali* patet; non quidem quasi episcopo liceret eum propriis manibus verberare, cum talis correctio non deceat dignitatem episcopalem, sed per alium clericum; ne si per laicum talem verberationem fieri mandet, tam ipse mandans episcopus, quam laicus executor excommunicationem incurrat.

Praelati vero inferiores episcopo etiam per se, respectu clericorum sibi subditorum delinquentium exequi poenam hanc verberationis possunt cum debito tamen moderamine, ne si notabiliter excedant, poenam excommunicationis incurrant; alii autem clerici a percussionibus illicitis etiam laicorum, quod abstinere debeant ex *capit. Si quis*, 1. *h. t.* habetur, ubi tales percussores corripiendi sunt pro crimine, et si se non emendaverint, deponendi, cum clericos magis deceat imitari mansuetudinem Christi, quam ut adeo inhumani, et feri sint; et hinc pontifex *in capit. Praesentium*, 3. *h.t.* etiam eum clericum sacerdotem voluit per biennium a celebratione Missarum abstinere, qui in conflictu ex parte eorum, qui vim illatam repellebant, stetit, quamvis neminem percusserit ille, si tamen in eo conflictu occisi fuerunt aliqui.

TITULUS XXVI.

DE MALEDICIS.

§. I. *De maledicis, et maledictis in papam, et imperatorem, eorumque poenis.*

Maledicere in genere aliud non est, prout refertur ad homines, quam dicere malum aliquod de praesenti, vel de praeterito; et fieri hoc potest tri-

plici modo; vel enunciative affirmando malum de altero, vel imperio malum alicui infligendo, prout iudex alicui maledicit, dum poenam innocenti infligi iubet, vel per modum optantis, aut imprecantis alicui malum.

Poena autem maledicentis papae, ex *capit.* 1. *h. t.* desumitur, quod sit arbitraria, iuxta qualitatem personae, verborum, loci, etc. ut ne alii in contemptum ecclesiae romanae in similia verba prorumpant; qua poena arbitraria puniendi etiam sunt illi iuxta canonistas, qui superiori quidem suo, inferiori tamen summo pontifice, maledicunt, si tamen in ecclesiam redundet maledica talis lingua, cum in causa suae ecclesiae competens iudex sit praelatus talis.

Si quis autem in imperatorem, aut alium principem supremum maledicam linguam exeruerit, hic pro arbitrio principis talis puniendus est, prout volunt iura civilia, cum *in lege unica c. Si quis imperatori maledix.*, remittendum eum velint ad principem talem supremum, si per iniuriam, et malo animo cum maledixerit.

§. II. *De maledictione in Deum, et blasphemia in Sanctos, eorumque poenis.*

Quid sit blasphemia in Deum, ac sanctos accuratius examinent theologi morales, quos consule. Poenae autem in tales blasphemantes de iure canon. statutae, quamvis multae sint, et graves, uti videre est *Levit.* 24. *v.* 16. *can. Si quis,* 10. *can.* 22. *q.* 1. *et cap. Statuimus*, 2. *h. t.* vix tamen eorum videtur hodie esse aliquis usus, quamvis sub Leone X. in conc. Later. 1514. renovatae illae sint: quae vero de iure civili in tales blasphemantes constitutae poenae sunt, arbitrariae hodie videntur.

TITULUS XXVII.

DE CLERICO EXCOMMUNICATO, DEPOSITO, VEL INTERDICTO MINISTRANTE.

§. I. *Quae sit poena clerici depositi ministrantis, vel exercentis actum ordinis, aut officii sibi prohibiti, et quae sit poena clerici excommunicati, suspensi, vel interdicti celebrantis divina officia?*

Quae hoc tit. dicuntur, rari usus, et praxis sunt: ut notitia tamen aliqua circa hanc materiam habeatur, sciendum primo, quod *in cap. Si quis episcopus*, 1. *hoc tit.* quod est ex canonibus apostolorum desumptum, et *in c.* 2. *eodem* statuatur, ut si quis clericus iuste depositus (verbaliter) actum ordinis, aut officii, a quo depositus est, exerceat, praecedente monitione, excommunicari debeat. Secundo sciendum, quod clerici excommunicati, suspensi, vel interdicti, si divina tamen celebrent, perpetuo sint deponendi ab officio, et beneficio, ut constat ex *cap. Clerici*, 3. *h. t.* modo de cessatione ab hac temeritate moniti fuerint, et non destiterint in continenti, quidquid glossa in contrarium putet; qui tamen in loco interdicto divina officia celebrant, si clerici tantum sint, privandi sunt suis beneficiis; si religiosi sint, in arctius monasterium detrudendi, *cap. Postulastis*, *h. t.* ut ne scilicet ecclesiasticae disciplinae securitas perturbetur.

§. II. *An qui dubitat se excommunicatum esse, qui per solam famam audivit sententiam excommunicationis contra se latam esse, si postea celebret divina, incidat in poenas canonicas, contra excommunicatos celebrantes officia divina decretas?*

Respondetur affirmative, attendendo iuris rigorem, quamvis ex misericordia, cum illo dispensari possit a papa, uti habetur ex *cap. Illud Dominus, 5. h. t.* ex quo capitulo etiam habetur, poenam de rigore iuris talem incurrere, si coram se divina celebrari faciat, tum quod tutior via sit eligenda in talibus casibus, tum quod etiam in posteriore casu videatur contemnere excommunicationem.

§. III. *An excommunicatis possint conferri beneficia ecclesiastica, et quae poena imponi debeat illis, qui beneficia his talibus conferunt?*

Non posse his talibus conferri beneficia ecclesiastica, ex dictis iam patet, et ex *cap. Postulastis, 7. h. t.* cum enim beneficia ecclesiastica praecipue dentur propter officium, officium autem talis excommunicatus praestare non possit (cum sit ab officii executione suspensus) sine irregularitatis periculo, consequenter nulla est facta illi beneficii collatio, sive publice, sive occulte sit excommunicatus, sive a iure, sive ab homine, sive per sententiam generalem, sive specialem, sive sit denuntiatus, sive non sit, sive noverit ille, qui confert beneficium, hunc talem, cui confert, excommunicatum esse, sive non noverit, etc. quia subiectum secundum se est incapax ad beneficium accipiendum: et quamvis ignorantia possit excusare a poenis, non facit tamen actum, qui invalidus est, validum (cum in tali casu locum non habeat lex barb. *ff. de offic. praet.*) nec retineri potest ab eo beneficium, cui in excommunicatione collatum hoc fuit, si postmodum ab excommunicatione absolutus sit (quod enim ab initio non subsistit, tractu temporis non convalescit, *iuxta regul. 18. in 6.*) nec pensionem spiritualem in beneficio obtinere, cum etiam haec detur propter spirituale officium, cuius est incapax; de poena vero, quae conferentibus beneficia excommunicatis a iure imponitur, ita statuit *citat. cap. Postulastis*, quod hi tales sint suspensi a collatione beneficiorum, donec super hoc veniam consequantur; si tamen scienter his talibus beneficia contulerint, prout iura loquuntur, cum ignorantia, licet nullitatem non tollat, ut dictum, poenam tamen non incurrit.

§. IV. *Proponuntur, et resolvuntur aliae quaedam quaestiones, circa collationem beneficiorum excommunicatis factam?*

Cum eo, qui in excommunicatione beneficium accepit, dispensari potest, et quidem ab episcopo, ut retinere illud possit, prout colligitur etiam ex *citat. cap. Postulastis,* nisi hic ipse episcopus tale beneficium contulisset, quia cum ipse peccaverit in conferendo, non est dignus, cui gratia dispensandi concedatur: et quamvis haec dispensatio non necessario fieri debeat, sed sit mera gratia, si tamen bonum publicum, aut vitandum grave scandalum, vel aliud incommodum etc. eam exigat, negari non debet. Quod si tamen excommunicatus quidem ille fuerit, cui beneficii collatio facta est, absolutus

tamen fuerit ante collationem factam, vel factam sibi ante excommunicationem collationem, excommunicatus postmodum, acceptaverit tantum, collatio in utroque casu valida est, cum in illo casu praecedat quidem collationem excommunicatio, praecedat tamen etiam absolutio ab excommunicatione, et consequenter habilis ad omne officium spirituale hic factus est; in altero vero casu acceptatio beneficii fiat quidem ab eo, qui in excommunicatione positus est, collatio tamen habili fuit facta. Neque tamen sufficit ad hoc, quod in primo casu dictum est, fuisse talem vi privilegii tantum, aut bullae Crucintae pro foro conscientiae absolutum, cum pro foro externo, sive contentioso talis absolutio nihil illi prosit, ergo pro hoc foro habebitur adhuc ad beneficium obtinendum inhabilis, prout dicitur etiam declarasse sacra congregatio Concilii nisi in ipso privilegio v. g. dicatur, quod absolutio, vi illius data, etiam in foro externo prosit.

§. V. *An, et quando excommunicatus, suspensus, vel interdictus clericus exercens actum ordinis sibi prohibiti, fiat irregularis, et quae conditiones requirantur ad hanc irregularitatem incurrendam?*

Si excommunicatus maiore excommunicatione scienter exerceat actum proprium, saltem maioris ordinis solemniter, et ex officio; ipso facto fit irregularis, uti colligitur *ex capit. ultim. h. t.* quae irregularitas etiam a suspenso, et personaliter interdicto, incurritur, si ille solemniter actum ordinis sacri, a quo suspensus est, exerceat, vel si hic solemniter exerceat actum ordinis sacri, a quo interdictus est. Ad hanc autem irregularitatem incurrendam duae conditiones requiruntur. Prima est, ut exerceat actum proprium ordinis sacri, a cuius exercitio prohibitus est per censuram, quam patitur. Secunda est, ut solemniter talem actum exerceat, id est, cum ea solemnitate, qua secundum ius, aut consuetudinem ecclesiae actus talis ab habentibus ordinem talem exerceri solet: et hinc etiamsi diaconus excommunicatus, suspensus vel interdictus, cantet evangelium, sine stola tamen, aut subdiaconus taliter censuratus canat epistolam sine dalmatica tamen, vel sine manipulo, non incurrit hanc irregularitatem, cum nec actum proprium ordinis sibi prohibiti, qui quoad substantiam ab alio exerceri non possit, nec solemniter exerceat, cum illo scilicet apparatu, qui proprius est diaconis, vel subdiaconis etc. et si sacerdos censura tali ligatus baptismum privatum alicui conferat, non fit irregularis, cum non exerceat actum proprium ordinis, qui a laicis conferri non possit; et universim non fit irregularis, si praecise actum iurisdictionis exerceat, fit tamen irregularis, si sacramentaliter absolvat, si sine solemni apparatu eucharistiam consecret etc. quia hi actus ita proprii sacerdotalis ordinis sunt, ut nunquam a non sacerdote fieri possint.

§. VI. *An si clericus censura ligatus exerceat actum minorum ordinum, irregularitatem incurrat: et quando, sive in quibus casibus talis clericus irregularis non fiat, etiamsi actum proprium ordinis exerceat?*

Ad primam quaestionem Resp. affirmative, uti colligitur ex rubrica *h. t.* universaliter loquente, *de clerico excommunicato etiam ministrante etc. et*

ex capit.2. h. t. dicente, *si quis presbyter, vel alius clericus;* si tamen solemniter, et ex proprio officio tanquam ministri deputati a legitima potestate ad haec talia ecclesiastica ministeria fuerint, qui cum sint rari, passim laicis haec talia facientibus, rarus etiam huius irregularitatis casus est.

Ad secundam quaest. responderi potest primo, ignorantiam probabilem censurae, posse talem ab irregularitate excusare, cum haec irregularitas in poenam imponatur, et iura dicant, eam incurri, si damnabiliter se ingesserit divinis *capit. de sentent. et iudic. in* 6. probari etiam potest *ex cap. Apostolicae*, 9. *h. t.* Secundo subinde excusari aliquos ab incurrenda irregularitate, si censurati actus exerceant proprios ordinum suorum, ad cavendum grave scandalum, aut gravem infamiam, quae tali timenda esset, si censuratum se manifestaret, aut actum talem omitteret. Tertio excusabitur per appellationem interpositam a sententia latae censurae, si legitima illa sit, vel si sententia censurae contra eum latae nulla sit etc.

§. VII. *An etiam excommunicatus excommunicatione minore fiat irregularis celebrando Missam, vel alios actus ordinis exercendo, et an eligere possit, vel eligi ad beneficia ecclesiastica?*

Ex *capit. finali h. t.* habetur primo quod irregularis non fiat, qui minore excommunicatione ligatus celebrat missam, aut alios proprios actus ordinum exercet, tum quia haec irregularitas nullibi in iure expressa est, tum quia taliter excommunicatis non est prohibitum exercere actus ordinis, sed solum suscipere sacramenta v. gr. Secundo ex eodem cap. habetur, quod ligatus minore excommunicatione, non prohibeatur eligere ad beneficia, scienter tamen eligi non possit ad beneficia; illud quidem concessum est illi, quia eligere est actus iurisdictionis, et non participatio tantum passiva sacramentorum, qua sola privat excommunicatio minor; eligi vero ad beneficia ecclesiastica non potest, cum sit a participatione sacramentorum impeditus, quarum tamen perceptio ratione beneficii saepius ipsi necessaria est: probabilius tamen est, quod talis electio non sit ipso iure nulla, sed irritanda per iudicem ecclesiasticum, etiamsi scienter facta sit, uti habetur *ex cap.cit. finali*. Quod si tamen ignorantia eligentium, et electi intervenisset, probabilius est, quod irritanda ea non esset, cum *cap.* saepius relatum irritandam tantum velit scienter factam; et taliter impeditum non reddat absolute inhabilem; prout probabilius conceditur, quod ad beneficia simplicia ecclesiastica eligi possit, cum ratio in capitulo allata pro eo, quod ad beneficia ecclesiastica eligi non possit, non urgeat pro beneficiis simplicibus ecclesiasticis.

§. VIII. *An, et quomodo peccet ligatus excommunicatione minore, conferendo, vel administrando sacramenta?*

Peccare quidem (saltem venialiter) talem administrando sacramenta, valida tamen haec esse, *in cap. hoc ult.* dicitur §. *Peccat autem:* quamvis enim administratio activa sacramentorum prohibita graviter tali minore excommunicatione ligato non sit, sed sola passiva sacramentorum perceptio, negari tamen non potest, quod excommunicatio talis indecentiam aliquam afferat in

ordine etiam ad administranda active sacramenta, hinc venialis saltem culpa committitur, nisi administrando active, passive etiam ipse excommunicatus sacramenta percipiat, prout fit ab eo, qui Missam legit.

TITULUS XXVIII.

DE CLERICO NON ORDINATO MINISTRANTE.

Clericus, qui ministrat in ordine, quem non habet, excommunicandus est, et fit irregularis, ut non possit ad altiores ordines sine dispensatione promoveri, ac ad certum tempus biennii, vel triennii, pro arbitrio episcopi, ab ordinis etiam, quem proxime suscepit, executione, suspenditur, *cap. Si quis, et cap. Ex literis*, 2. *h. t.* si vero laicus actus tales ordinum (maiorum scilicet, de minoribus enim excusat consuetudo) quos non habet, exerceat, ex probabili sententia, nullam incurrit irregularitatem, cum nulla in iure pro laico taliter ministrante statuta sit. Plura autem requiruntur, ut clericus etiam in ordine non suscepto ministrans, irregularitatem incurrat. Primo scilicet, ut actum proprium ordinis alicuius exerceat, qui ab alio, qui ordinem talem non habet, exerceri (licite) non potest. Secundo, ut scienter in tali ordine ministret. Tertio ut ministret in ordine, quem nec quoad substantiam valide suscepit. Quarto, ut serio in ordine, quem non habet, ministret, ita ut actio illa non sit ludicra tantum. Quinto ut ministret solemniter. Sexto, ut non tantum exerceat actum iurisdictionis, quam non habet, ratione cuius nulla irregularitas incurritur, sed ut exerceat actum ordinis. Videatur etiam *bulla Clement. VIII. Et si alias. quarto decemb.* 1601. *data*, ubi de eo, qui non sacerdos missas celebrat, aut confessiones audit, statuitur, ut sacris inquisitoribus, vel locorum ordinariis tradatur, degradandus, si quos ordines habet, et curiae saeculari puniendus tradatur.

TITULUS XXIX.

DE CLERICO PER SALTUM PROMOTO.

Per saltum promotus dicitur, qui superiorem ordinem accipit, non praemisso inferiore; et quamvis superiorem hunc ordinem valide acceperit, qui taliter per saltum promotus est, illicite tamen fecit, uti colligitur *ex can. Sollicitudo*, 2. *dist.* 52. *iuncta gloss. communiter recepta v. Subdiaconatus:* neque tamen, si non ministravit in ordine per saltum suscepto, irregularis est, (cum nulla legatur in iure in tales statuta irregularitas), sed suspensus tantum ab ordinis per saltum suscepti executione, donec ordo inferior praetermissus suppleatur, uti habetur *ex cap. Tuae, uni. h. t.* ubi conceditur episcopo, ut cum tali, si ordinem praetermissum susceperit, dispensare possit, quod possit in suscepto per saltum ordine ministrare, quod ipsum confirmari etiam potest ex *Trid. sess.* 23. *c.* 14. *de reformat.*

—

TITULUS XXX.

DE EO, QUI FURTIVE ORDINEM SUSCEPIT?

Furtive ordines suscipere dicuntur, qui sine licentia, et consensu proprii episcopi, sine praevia examinatione per dolum se ingerunt ordinandis, aut ignorante episcopo ordinatore ordines recipiunt, vel simul eodem die duos (saltem sacros) ordines recipiunt sine dispensatione.

Poena furtive recipientium ordines, est suspensio ab ordine suscepto furtive, uti colligitur *ex c. Veniens*, 1. *h. t.* qua durante ad altiores ordines ascendere non possunt. Quod si sub poena excommunicationis prohibitus fuisset aliquis ordines suscipere, hoc in casu suspensus manebit ab executione omnium ordinum susceptorum *c. Cum illorum*, 32. *de sent. excomm.* et cum eo non poterit iure suo dispensare episcopus, sicuti potest in priore casu, neque ad altiores ordines ascendere poterit, nisi intraverit religionem. Poena vero eorum, qui simul eodem die plures ordines sacros receperunt (minores enim ordines eodem die simul omnes suscipere ius commune antiquum concedit, et in quibusdam episcopatibus licitum etiam facit consuetudo, ut eodem die minores, et subdiaconatus conferantur) est suspensio, ut in ordinibus sic receptis ministrare non possint, nisi cum eis episcopus dispensaverit, vel si religionem ingressi laudabiliter in ea vixerint, et a suo praelato fuerint dispensati, vel si sub excommunicatione prohibiti sint, furtive taliter ordines suscipere, poena eorum est suspensio ab omnium ordinum prius susceptorum executione, donec cum illis dispensatum fuerit.

TITULUS XXXI.

DE EXCESSIBUS PRAELATORUM, ET SUBDITORUM.

§. I. *Qualiter possint ac soleant praelati ecclesiastici excedere, seu delinquere in clericos subditos?*

Primo delinquunt episcopi, vel praelati in subditos clericos, si talliis vel exactionibus indebitis vexent eos, et non solventibus divina interdicant, censuras iniuste in eos ferant, et alias viliter, et inhoneste tractent, ut laicis fiant despicabiles *cap. Pervenit*, *h. t.* Secundo delinquunt episcopi, si sine legitima causa ecclesiam alteri inferiori praelato subiectam ab eius subiectione, et obsequio liberent *cap. Ad haec*, 2. *h. t.* Tertio delinquunt, si ecclesias vel beneficia ad eorum ordinationem vel collationem spectantia sibi retineant, vel conferant *cap. Ad aures*, 3. vel si conferant in indignis *cap. Inter dilectos*, 11. *h. t.* vel si impediant privilegia subditorum, *cap. Sane*, 5. *h. t.* ita ut excommunicatio in tali casu facta, contra eum, qui vi privilegii sui non parebat praecipienti, non teneat *c. Cum ad quorundam*, 7. *h. t.* Quarto graviter excedit, et delinquit episcopus, si directe causam praestet homicidio, ita ut privari debeat officio pontificali, et sacerdotali, et ab episcopatus administratione amoveri *c. Ex literis*, 10. *h. t.* Quinto excedunt graviter, si sacerdotales sibi subiectos cogant ad revelandam poenitentiam, vel peccatum in confessione auditum, *cap. Dilectus*, 13. *h. t.*

§. II. *De quibusdam specialibus excessibus seu delictis praelatorum episcopo inferiorum.*

In genere dici potest, prohibitum esse inferioribus praelatis, ne violent, et turbent iurisdictionem superiorum; et hinc primo sine consensu episcoporum non possunt inferiores praelati unire ecclesias sibi subiectas *c. Sicut*, 8. *h. t.* Secundo non possunt cognoscere de causis matrimonialibus; neque possunt poenitentias publicas, et solemnes imponere, nec possunt indulgentias concedere, etc. *iuxta cap. Accedentibus*, 12. *h. t.* nisi specialiter privilegium, aut concessio, vel praescripta legitime consuetudo, maiorem illis etiam circa haec facultatem concedant, aut omnimodam, et plenissimam iurisdictionem in clerum suum, et populum habeant abbates a iurisdictione episcopi plenissime exempti, et nullius dioecesis.

§. III. *De gravaminibus, quae praelati, aliique ecclesiastici interdum inferre solent religiosis?*

Plura de hac materia legi possunt *in cap. Nimis iniqua*, 16. *h. t.* ubi quindecim eiusmodi gravamina enumerantur; et in *c. Nimis prava*, 17. *h.t.* ubi duodecim gravamina enumerantur, quae Minoribus, et Praedicatoribus inferebantur; *et in Clement. Frequens unica h. t.* ubi 30. talia gravamina afferuntur.

§. IV. *De excessibus, seu delictis subditorum in praelatos, seu superiores suos?*

Delinquunt in primis in praelatos suos subditi, si violent interdicta ab illis lata, prout constat ex *cap. Tanta*, 18. *h. t.* Secundo delinquunt, qui cum clerici subditi sint, praelatum tamen, seu episcopum suum negant esse dominum suum, sive verbo, sive facto id negent, vel ad saecularem iudicem in causa spirituali trahunt, aut consilium praebent adversariis eiusdem contra ipsum, *cap. Gravamen*, 15. *h. t.* Tertio delinquunt clerici subditi privati, et singulares, si sine consensu superioris commune sigillum collegii habent, eoque utuntur, *cap. Dilecta*, 14. *h. t.* Quarto delinquunt etiam vicarii ecclesiarum, si personatum ecclesiasticum sibi usurpent contra fidem, et iuramentum praestitum *cap. Illud*, 6. *h. t.* Quinto prohibetur in hoc titulo clericis, ne de gravibus criminibus publice glorientur *cap. Quam sit*, 9. *h. t.* Sexto denique prohibetur sub gravissimis poenis in clericos degradationis, et excommunicationis in laicos, crimen nefandum, propter quod ira Dei venit, ut ait pontifex *in cap. Clerici*, 4. *h. t.* in filios diffidentiae (sive de quorum salute diffidendum est,) et quinque civitates igne consumptae.

§. V. *De prohibitione facta religiosis mendicantibus, ut non possint nova loca acquirere ad habitandum, nec antiqua alienare, vel mutare?*

De hoc constat ex *cap. Cum ex eo, uni. h.t. in* 6. ubi ea, quae in §.1. tituli enumerata sunt, illis prohibentur, ad plura scilicet, quae ex contrariis factis saepius eveniebant, scandala evitanda: illis tamen, qui eremiticam, sive solitariam vitam duxerint, cum superiorum suorum licentia con-

ceditur, ut nova habitacula, et cellas sibi acquirere, et mutare talia loca possint, sine alia licentia, cum tantum scandali periculum in his casibus non sit : neque tamen haec prohibentur illis, qui specialia privilegia a summo pontifice habent, ad haec talia agenda (vel saltem sufficit illis episcoporum licentia) prout etiam hac prohibitione non impediuntur a suis monasteriis in eodem loco reaedificandis, reficiendis, etc.

TITULUS XXXII.

DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE.

§. I. *De novi operis nuntiatione, eiusque materia, forma, et aliis causis, ac circumstantiis.*

Nuntiare novum opus, aliud non est, quam illi, qui de novo in alterius praeiudicium aedificat, prohibere, ne opus novum fiat, vel ne in eo coepto pergatur, donec de iure aedificationis constet. Locum autem habet haec novi operis nuntiatio in rebus solo adhaerentibus, et immobilibus, quae terrae scilicet coniuncta, vel coniungenda sunt, et ideo fiunt, ut in eodem solo permaneant, ac in illis casibus, in quibus de novo aedificatur aliquid (quamvis sit ecclesia, *c. Intelleximus*, 1. *h. t.* vel pristina facies operis immutatur; neque enim ad opera praeterita, et iam facta haec novi operis nuntiatio extenditur, cum in isto casu alii interdicto locum esse sciant civilistae.

Potest autem novum opus nuntiare non tantum ille, qui dominus est rei, cui damnum imminet, sed ille etiam, qui utile dominium talis rei tantum habet, qui superficiarius, vel hypothecarius est rei, cui damnum imminet, vel qui servitutem realem habet in fundo, in quo de novo aedificatur, prout pluribus plura alia videre est apud civilistas; iuxta quòs, quolibet die etiam festivo fieri potest haec novi operis nuntiatio, ibi facienda, ubi fit opus saltem illis, qui operi ibi insistunt, quamvis absint illi, quorum nomine fit novum opus, vel verbis expressis inhibendo, ne id opus fiat; vel per lapilli iactum in eum locum, ubi opus fit, verbis simul inhibendo opus ulterius, vel praetorem, aut iudicem adeundo, et petendo ab eo, ut opus inhibeat.

§. II. *Quis sit effectus novi operis nuntiationis?*

Primarius effectus est, ut totum id destruatur iterum sumptibus ipsius aedificantis, quod post novi operis nuntiationem aedificatum est, sive iuste, sive iniuste aedificaverit, de quo postmodum examinata causa patebit: prout etiam statutum est *in c. Cum ex iniuncto*, 2. *h. t.* ita ut non sufficiat, si permittat tantum, quod aedificatum fuit, post novi operis nuntiationem, demoliri aedificans, sed suis sumptibus demoliri id debeat, et per exceptionem oppositam repelli possit prius, quam omnia in pristinum statum restituantur, etiamsi probare vellet de iure suo, ne cum perturbatione quietis publicae rixarum detur occasio.

§. III. *Quibus casibus, ac modis cesset nuntiatio novi operis, ita ut vim, et effectum non habeat?*

Primo cessat, si nuntians remiserit, vel expresse, vel tacite (morte scilicet naturali, et re adhuc integra) uti colligitur *ex citat. capit.* 2. *h. t.* Secundo cessat, si nuntians cautionem receperit a nuntiato, quod demoliri velit opus, si constiterit, nullum illi ius competere, vel per nuntiatum non stet saltem per tres menses oblatae talis satisdationis quo minus satisdet, quia competentem satisfactionem obtulit, quae tamen acceptata non fuit; ad quam acceptandam non tenetur nuntians, si intra tres menses probare velit, quod iure prohibeat, prout habetur *ex c. Significantibus*, 3. *h. t. et c. Is cui*, 4. *eodem.* Tertio cessat, si nuntians nolit iurare coram iudice de calumnia, si tamen is, cui nuntiatio facta est, exigat iuramentum tale. Quarto cessat, si sit periculum in mora, ita ut dilatio aedificii v. gr. grave damnum probabiliter allatura videatur, quia ut dicitur, *l. De pupillo*, 5. §. *praeterea ff. h. t.* multo melius est omitti novi operis nuntiationem, quam impediri operis necessarii urgentem exstructionem: intelligendo hoc, si periculum toti v. gr. communitati ex intermisso tali aedificio immineat, ut advertit *glossa v. Periculum.* Quinto cessat, si praetor revocavit nuntiationem permissam. Et sexto denique cessat, si manifestum sit, quod iniuste novum opus prohibet nuntians.

TITULUS XXXIII.

DE PRIVILEGIIS, ET EXCESSIBUS PRIVILEGIATORUM.

SECTIO I.

De privilegiis, in communi.

§. I. *Quid sit privilegium, et an ad illius substantiam requiratur scriptura, et quomodo a dispensatione differat?*

Privilegium, quamvis late loquendo accipi possit pro privata lege, speciale aliquod beneficium, vel favorem concedente; stricte tamen ac proprie dictum privilegium dici solet, *rei alicuius scilicet iuris specialis contra, vel praeter ius commune ex principis benevolentia concessio.* Et quamvis ad substantiam illius non requiratur scriptura, cum dentur vivae vocis oracula, ad probationem tamen privilegii, et huius firmitatem plurimum saepe conducit scriptura. A dispensatione vero differre videtur privilegium tanquam species a genere, quod privilegium sit contra vel praeter ius, dispensatio vero sit contra ius, et quod privilegium sit quid permanens (saltem ordinarie) non autem dispensatio, saepe pro uno tantum actu licito faciendo concessa.

§. II. *Quotuplex sit privilegium, sive quomodo dividatur, et quis possit concedere privilegium, et quibus concedi possit?*

Privilegium aliud est personale, quod immediate, et directe personae conceditur, cum hac exspirans; aliud est reale, quod immediate, et directe ipsi rei conceditur, durans, quamdiu res durat; aliud denique mixtum

est, quod certo v. gr. generi personarum, minoribus v. gr. filiis familias, foeminis, etc. est concessum, ita tamen, ut etiam ad haeredes transeat, aut alios successores in officio, statu, dignitate, etc. et quamvis tota haec realium, et personalium privilegiorum diversitas ex intentione concedentis dependeat, si tamen dubium est, personale, an reale sit privilegium, et ex coniecturis de intentione concedentis nihil appareat, recte censendum erit privilegium reale, favorabile si sit, et merum favorem contineat; odiosum vero si sit, cedens in praeiudicium aliorum, personale censendum erit, ob odia restringenda, et favores ampliandos. Dividi etiam potest privilegium, in perpetuum, et temporale; illud absolute, et sine limitatione temporis conceditur, hoc ad certum tempus restringitur, etc. quarum divisionum maiorem explicationem, et numerum, videre est apud varios auctores.

Concedere potest privilegium solus, et omnis ille, qui legem ferre, et concedere potest (cum etiam privatarum legum, seu privilegiorum concessio pertineat ad potestatem legislativam) ita tamen, ut hanc suam privilegia concedendi potestatem tantum exercere possit, circa materias dispositioni illi subiectas. Neque tamen illis tantum, qui subiecti sunt, privilegia concedi ab illis possunt, sed etiam non subditis, sive extraneis, qui tamen respective, et quoad rem saltem, et circa quam privilegium confertur, inferiores sunt concedenti, cum concessio privilegiorum non sit proprie actus iurisdictionis, sed merae gratiosae liberalitatis. Requiritur autem, ut sit licita concessio privilegii, iusta causa, ne concedens privilegium, aut peccet contra iustitiam legalem, eximens aliquem a communi iure, sine iusta causa, aut acceptionis personarum reum se faciat.

§. III. *De interpretatione privilegiorum.*

Respondetur primo, quod privilegia praeter ius commune concedentia aliquid, si nulli praeiudicent, sed sint merae gratiae, et beneficia principis concedentis, sint late interpretanda *iuxta reg.* 15. *in sexto, et cap. Olim,* 16. *de V. S. et cap. Quae circa,* 22. *h. t.* Si vero privilegia concessa sint contra ius commune, et huic derogent, strictae interpretationis esse debent, et restringenda potius, quam extendenda, iuxta citatam *regulam* 15. prout colligitur etiam ex *cap. Cum dilectus,* 8. *iuncta glossa v. Iuri communi, de consuetudine.* Quae enim a iure communi exorbitant, quamvis illis, quibus concessa sunt, sint favorabilia, absolute tamen odiosa censentur (ut quae propter ius singulare, laedunt ius commune) nisi talis derogatio iuris communis in favorem religionis causae piae, vel boni publici cederet, cui latam explicationem favor talis conciliat, aut sit privilegium tale in corpore iuris clausum (quod eandem ut sic habet auctoritatem cum iure communi, cui derogat) aut sit privilegium concessum motu proprio, vel ex certa scientia, etc. quae clausulae liberalem principis mentem indicant: quod si vero concessum privilegium praeiudicat tertio, stricte interpretandum est, si iuri iam acquisito deroget, cum concedentis mens non sit, graviter praeiudicare tertio, nisi hoc ipsum exprimat, et necessaria causa iubeat.

Circa hanc tamen privilegiorum interpretationem, sive lata illa sit, sive stricta, bene attendendum primo, ut non fiat interpretatio contra mentem

concedentis, mens enim legislatoris, iuxta communissimum effatum, est anima legis; et hinc, si verba privilegii ambigua sint, et dubia, ad concedentem privileginm pro huius explicatione recorri debet, cum illius sit explicare privilegium, cuius fuit concedere. Secundo attendendum, ut ne fiat contra proprietatem verborum (iuxta usitatum modum loquendi, proprietatem verborum sumendo, vel iuxta proprietatem iuris, cui privilegium tale subservit) quae non minus in hac privilegiorum explicatione, quam in interpretatione legum observari debet, nisi grave tertii praeiudicium aliter explicari iubeat, aut ex aliis circumstantiis de alia mente concedentis colligi aliquid possit, aut si iuxta proprietatem suam verba sumerentur, privilegium redderetur inutile, quod fieri non debet. Vide plura in *lib. I. Decret. De legum interpret.*

§. IV. *De extensione privilegiorum.*

Etiam haec materia ex dictis de extensione legum colligi potest, cum utrobique eadem ratio, et auctoritas pugnet. Et primo quidem extensio non est facienda ab una persona, cui concessum est privilegium, ad aliam personam non expressam *c. Sane*, 9. *h. t.* (neque enim in exemplum pro omnibus trahi debet, quod uni v. gr. ex speciali ratione, aut favore concessum est) et hinc nomine filiorum in privilegiis personalibus non intelliguntur nepotes, et quod concessum filio non debet extendi ad filiam, nisi aliter de mente concedentis constituerit. Neque secundo extendendum est privilegium propter paritatem rationis ad non expressa, quia ratio privilegii non tam in ratione, quam in mente concedentis radicatur, nisi non tam extenderetur privilegium, quam explicaretur, hoc contineri in illo, velut accessorium in principali.

SECTIO II.

De privilegiis in specie, et in primis de privilegiis exemptionis a iurisdictione ordinarii.

§. I. *An ex solutione annui census papae facta privilegium exemptionis ab ordinario probetur, et quibus modis, vel verbis?*

Respondetur, ex solutione tali non probari exemptionem a iurisdictione ordinarii, nisi appareat, quod in signum immediate subiectionis, ac perceptae libertatis, non autem in signum tantum perceptae protectionis census talis solvatur, prout sumitur ex *c. Recepimus*, 8. *h. t. et ex c. Ex parte*, 18. *eodem*, sicuti enim census solutio plura significare potest, subiectionem scilicet, vel exemptionem, vel protectionem (quae etiam sine exemptione ab ordinarii potestate haberi potest, cum nullam dicat ex se superioritatem, ita quid significet, aliunde probari debet. Quibus autem modis, formis, clausulis, vel verbis privilegium exemptionis a iurisdictione ordinariorum probetur, declaratur in *c. Si papa*, 10. *h. t. in* 6. quod videri potest. Neque tamen per formulas tantum in hoc cap. allatas exemptio probatur, sed etiam per alias non expressas probari ea potest, modo constet de mente papae: si tamen ecclesia aliqua in dioecesi existens suo ordinario longo tempore cen-

sum annuum persolvit, merito praesumitur, quod fiat haec solutio in signum subiectionis ob fundatam in iure intentionem episcopi, in omnes ecclesias suae dioecesis.

§. II. *An per privilegium concessum alicui monasterio, ut fructus ecclesiae sibi subiectae in suos usus possit convertere, ecclesia illa censeatur eximi a iurisdictione ordinariorum?*

Respondetur negative, prout sumitur ex *c. Pastoralis*, 19. *h. t.* et hinc colligitur, sicuti non possunt religiosi tales fructus ecclesiarum sibi subiectarum in proprios usus propria auctoritate convertere, sine licentia papae, vel saltem episcopi, et consentientis capituli, ex iusta causa, ita etiamsi haec licentia circa fructus tales illis concedatur, ut tamen possessionem, et perceptionem, ac administrationem talium fructuum acquirat, indigebit auctoritate ordinarii, immittentis in possessionem.

§. III. *Proponuntur aliae quaestiones quaedam circa privilegia exemptionis a iurisdictione ordinarii.*

Primo satis certum est, eum qui exemptus est respectu certi loci, vel certae rei, non ideo etiam exemptum esse respectu alterius loci, vel rei, uti habetur ex *cap. Cum capella*, 16. *h. t.* tale enim privilegium respectu certi loci aut rei concessum reale potius, quam personale censendum est, restrictum scilicet ad certum locum, etc. Secundo satis certum est, quod per exemptionem a papa concessam monasterio, non censeantur etiam capellae exemptae, sive ecclesiae eidem monasterio subiectae (nisi specialiter etiam hae exemptae essent, vel essent pleno iure unitae monasterio) cum privilegium exemptionis, odiosum ordinariis, extendendum non sit: et quamvis iuxta commune iuris effatum, de connexis idem sit iudicium, et eodem iure censeri debeat totum, et pars, non procedit tamen hoc in odiosis, et exorbitantibus, quae non sunt necessario connexa, et inseparabilia. Et hinc fieri potest, ut praelatus, qui ratione exempti monasterii iudicem non agnoscit episcopum, coram eo tamen ut legitimo iudice suo comparere debeat, si ratione capellarum unitarum conveniatur. Tertio satis certum videtur, quod exempta ecclesia, quae collegium habet, exempti etiam censeantur praelatus, sive abbas, canonici, monachi, et alii ministri ecclesiae talis, etc. non autem presbyter, qui curam parochianorum habet, quoad ea saltem, quae ad curam pertinent; nec parochiani ipsi censentur exempti *c. Per exempt.*, 9. *h. t. in* 6. Exemptis tamen canonicis, aut clericis talis ecclesiae, non censetur exempta ecclesia, prout *dicto cap.* habetur, illud quidem, quia sub appellatione ecclesiae hi tales veniunt, hoc autem, ob odiosam ordinariorum potestati exemptionem restringendam.

§. IV. *An, et quando exempti a iurisdictione episcopi possint coram eodem conveniri, et ab illo puniri, non obstante privilegio exemptionis?*

De iure quidem antiquo statutum est *in c.* 1. *Volentes*, *h. t. in* 6. ut exempti, quamvis sua a iurisdictione ordinariorum gaudeant libertate, conveniri tamen coram ordinariis possint ratione delicti, vel contractus, aut

rei, de qualis illis movetur, si nimirum delictum commissum sit, aut contractus factus in loco non exempto, aut res litigiosa non sit exempta, aut sita sit in loco non exempto, cum in tali casu non absolute exempti hi tales videantur, ad cavendum nimium praejudicium ordinariorum, sed tantum in ordine ad certum locum, aut rem, etc. quia tamen hodie plerique regulares, quos potissimum exemptionis haec materia concernit, specialibus privilegiis a pontificibus muniti sunt, ut neque in allatis casibus sint coram ordinariis conveniendi: multi autem alii casus ab *auct. Method. l. 1. Decret. tit. 31. sect. 3. §. 10.* enumerantur, in quibus ordinarii, ut apostolicae sedis delegati, post Tridentinum in exemptos habeant etiam iurisdictionem, ut adeo rectius circa hanc materiam, quae fusioris disputationis est, ad auct. Method. vel Erasmum Koch. Roderiques, aut Barbos. quos relato titulo iam citavi, lectorem, si his opus habeat, remittam.

§. V. *An allegantes privilegium exemptionis a iurisdictione ordinarii, possint episcopi sive ordinarii iurisdictionem exercere, donec privilegium exhibitum, et probatum fuerit?*

Respond. alleganti privilegium exemptionis non credi, nisi illud probet *c. Cum persona, 7. h. t.* in 6. et hinc non tantum procedere contra hos possunt ordinarii, non probatis his privilegiis, sed etiam ad exhibenda, et ostendenda haec sua privilegia cogi possunt, qui exemptionis privilegium praetendunt (cum privilegia sint quid facti, et consequenter non praesumantur, sed probari debeant), nisi notorium esset tale privilegium exemptionis quoad titulum, et possessionem, aut in iure communi fundatum, prout privilegium exemptionis fundatum habent religiosi mendicantes, qui ab inferioribus iudicibus ad exhibendum privilegium inutiliter citantur, et comparere non tenentur: et quamvis alias reus non teneatur edere instrumenta, seu documenta contra seipsum *c. 1. De probat.* privilegiatus tamen, sive exemptus, sive agat, sive excipiat, debet probare privilegium, quod allegat, quia praesumptio est contra ipsum, cum ordinarii iurisdictio sit de iure communi fundata, nisi authentice probet aliud.

§. VI. *An ecclesia obtinens duplex privilegium exemptionis, episcopi v. gr. et papae, utroque uti possit?*

Quod possit ecclesia uti duplici privilegio exemptionis, si duplex habeat ab episcopo v. gr. et papa, ita ut si succumbat ex uno, ex altero se defendere possit (cum nullus prohibeatur pluribus defensionibus uti, iuxta *reg. 20. in 6. ex c. Cum olim, 14. h. t.* patet, neque enim impetrans secundum privilegium censetur renuntiare priori privilegio, super eadem re obtento, sed potest uti tam priore, quam posteriore, prout utile videbitur.

SECTIO III.

De aliis privilegiis specialibus, de quibus agitur in hoc titulo.

§. I. *De privilegio immunitatis a solvendis decimis etiam novalium?*

De huius §. 1. materia satis actum videtur in *lib. 3. Decret. tit. 30.* praesertim *sect. 5. et 6.*

§. II. *De privilegio celebrandi, vel audiendi divina officia tempore interdicti generalis?*

Quid sit interdictum generale, infra in tit. de sententia excommunicationis dicetur, ubi etiam, quid fieri possit, vel non possit tempore interdicti generalis, explicabitur. Hic ea tantum quaestio moveri potest, quomodo intelligenda sit illa licentia, qua nonnunquam regularibus conceditur tempore interdicti talis, divina celebrare, et utrum etiam ad episcopos extendi possit privilegium concessum religiosis, ad divina celebranda, interdicti generalis tempore, cui utrique quaesito respondetur primo, licentiam illam, qua conceditur regularibus, ut si eleemosynas conquirendo ad locum aliquem interdictum perveniant, in eorum adventu semel in anno aperiantur ecclesiae, ubi exclusis excommunicatis, et specialiter interdictis, divina illis celebrare liceat, ita intelligendum esse, quod una tantum loci illius ecclesia, et semel in anno, ad divina talia celebranda, aperienda sit; quamvis enim textus *in c. Ut privilegia*, 24. §. *Illud etiam h. t.* in plurali numero loquatur, aperiantur ecclesiae, se ipsum tamen explicat, quod hoc intelligi non debeat de omnibus ecclesiis aperiendis, ne vili pendatur sententia interdicti, sed de una tantum ecclesia in tali loco interdicti aperienda, et de aliqua etiam aperienda in alio loco interdicto; qua explicatione supposita, iam videtur, quomodo verificetur, quod in plurali etiam numero dicunt iura, *aperiantur ecclesiae.*

Respond. secundo, quamvis privilegia regularibus concessa ad episcopos extendenda non sint, cum privilegium ab una persona, cui concessum est, extendi non debeat ad aliam personam ut dictum, quia tamen in peculiari hac interdicti materia, ipsa iura hanc extensionem faciant *c. Quod nonnullis*, 25. *h. t.* ob favorem pontificalis officii, ideo illis licebit eodem modo, cum iisdem restrictionibus, et limitationibus, divina celebrare, talis interdicti tempore, quo licet hoc regularibus. Quod si tamen in loco aliquo interdictum tale in favorem aliquorum positum, non servetur ab illis, in quorum favorem interdictum hoc positum est, neque alii eiusdem loci servare illud tenentur, *c. Petistis*, 20. *h. t.* neque enim legem, quam quis servare negligit, aliis imponere debet, aut ab aliis exigere, quod a se ipso multo facilius exigere deberet.

§. III. *De privilegio sepulturae ecclesiasticae tempore interdicti.*

Concessum esse hoc privilegium quibusdam regularibus, ut qui eorum fraternitati sunt adscripti, et mutato habitu saeculari, eorum ordinum oblati habeantur, vel qui omnia sua bona dederunt talibus regularibus, solo usufructu, dum vixerint, retento, possint interdicti tempore in ecclesia interdicta sepeliri, si parochiani illius ecclesiae sint, aut de iure communi in tali ecclesia sepeliri debeant, neque sepulturam aliam, in loco v. gr. non interdicto, sibi elegerint, modo non sint excommunicati, aut nominatim interdicti *ex cap. Ut privilegia*, 24. §. *Sane, h. t.* patet: cum his talibus, ob favorem religionis, cui se, et sua obtulerunt, speciale quid in tali casu merito concedatur.

§. IV. *De privilegio celebrandi in altari viatico, seu portatili*

Usus altaris portatilis hodie fortasse communior est, quam ius commune concedat, cum in ipsis etiam consecratis, aut divino cultui per episcopum benedictis, aut designatis ecclesiis, altaris portatilis frequens sit usus: quid sit autem altare portatile, et quando consecrationem suam amittat, dictum *in lib.* 3. *Decret. tit.* 40. §. 4. Ex hoc tamen §. habetur, *et ex cap. Quoniam*, 12. *h. t. in* 6. quod de iure communi usus altaris portatilis in ordine ad celebrandum in eo Sacrum, etiam extra ecclesiam, sit concessus episcopis, et qui his superiores sunt, ut vel ipsi in eo, ubivis locorum celebrent, vel celebrare coram se faciant: cum enim hi tales frequenter a suis ecclesiis, ratione negotiorum, totam dioecesim concernentium, abesse debeant, et non habeant facilem occasionem semper alibi in ecclesiis celebrandi, decens autem sit, ut singulis diebus missam vel celebrent vel audiant, consequenter usus portatilis altaris concessus illis fuit, quo pro suo libitu, ubicunque locorum fuerint, etiam extra suam dioecesim, uti possunt. Hodie autem pluribus etiam aliis regularibus usus hic altaris portatilis concessus fuit, sine praeiudicio tamen iurium parochialium, uti patet *ex cap. In his,* 30. *h. t.* et ex specialibus privilegiis regularium, quae noverunt illi, quibus haec privilegia concessa sunt: et cum licentia ordinarii in privatis etiam oratoriis, aut capellis usus altaris portatilis ad celebrandum conceditur, quamvis *Trident. sess.* 22. *in Decreto de observan. et evitand. in celebrat. miss.* multum hanc facultatem restrinxerit, si non omnino sustulerit, ut volunt aliqui.

§. V. *De privilegiis studii generalis in curia romana.*

Quae privilegia sint eorum, qui in romana curia iuri utrique dant operam, viderint illi, qui Romae ad haec studia incumbunt, videatur *etiam c. Cum de diversis*, 2. *hoc tit. in* 6.

§. VI. *Quae sint praerogativae sive privilegia principalium sedium* 4. *patriarchalium?*

Videatur de hac materia, parum nobis scitu necessaria, *c. Antiqua,* 23. *h. t.* ubi ordo etiam harum patriarchalium ecclesiarum ponitur, ut post romanam, quae mater omnium ecclesiarum est, primum locum habeat Constantinopolitana; secundum Alexandrina; tertium Antiochena; quartum Ierosolymitana, quae tamen quatuor patriarchales ecclesiae hodie, vel haeresi, vel schismate infectae sunt, vel saltem sub turcico iugo gemunt.

§. VII. *De privilegiis archiepiscoporum, episcoporum, aliorumque praelatorum inferiorum.*

Neque huius §. materia multum scitu necessaria est sacrorum can. studiosis, cui labor hic inservire potest. Viderint illi quorum interest, quae privilegia talium maiorum dignitatum *Clement. Archiepiscopo*, 2. *h. t.* habentur *et in cap.* 1. *eodem*, *ac in cap. Abbatis,* 3. *et cap. Apost.* 6. *eodem in* 6.

SECTIO IV.

De praescriptione, innovatione, usu, et effectu privilegiorum.

§. I. *Quanto tempore praescribatur adversus privilegia ?*

De iure antiquo *in c. Si de terra*, 6, *h. t.* ad praescribendum contra privilegia ecclesiae alicuius sufficiebant 30. anni, per *cap.* tamen *Accedentibus*, 15. *h. t.* correctum hoc fuit, et alia non admittebatur contra ecclesiae privilegia praescriptio, nisi 40. annorum, quo tempore etiam alia iura ecclesiarum praescribi possunt, nisi privilegia talia sint, quibus renuntiari non potest, uti est privilegium fori, aut sint statuta generalia, quibus ecclesia regitur, quae semper inviolata, et immutata manere debent, ut ait *gl. in can.* 1. *caus.* 6. *q.* 3. *v. Temporibus.*

§. II. *De innovatione privilegiorum.*

Innovationem privilegii concessi fieri quidem posse, nullum tamen per talem innovationem novum ius conferri, ex dictis iam patet, *et ex c.* 13. *ac* 29. *h. t.* et *ex c. Dilecto*, 4. *De confirmatione utili*, ita tamen, ut de tali innovatione eodem modo videatur loquendum, quomodo de confirmatione in forma communi, aut ex certa scientia locuti sumus, iuxta quam duplicem confirmationem duplex etiam innovatio, vel in forma communi, quae nullum novum ius tribuit, vel ex certa scientia, aut aequivalente clausula, quae novum ius facit, fieri potest. Et quamvis pari modo opponere se possit pars adversa contra petentem privilegium, cuius authenticum scriptum amiserat privilegiatus, sicut se opponere potest contra petentem confirmationem, si illius intersit ad cavendas lites neutrum fieri, si tamen contra petentem talem laicum v. gr. nemo se ingerat, et hic probet instrumentum, in quo continebatur privilegium, fuisse amissum; et si probet tenorem instrumenti perditi ac alias illius solemnitates; et demum si probet, caruisse illud omni vitio, innovari potest.

§. III. *De usu*, *et effectu privilegiorum.*

Nemo quidem cogitur uti suo privilegio, prout sumitur *ex cap. Si de terra*, 6. *h. t.* (cum liberum sit cuivis, favori pro se introducto cedere) nisi sit privilegium tale alicui communitati concessum, cui privata persona renuntiare non potest; aut aliunde superveniat obligatio utendi tali privilegio, prout fieri posset si concessum fuisset alicui privilegium, ut tempore interdicti missam audire possit, hic in diebus festis missam, si haec etiam interdicti tempore legeretur, audire deberet, et sic uti suo privilegio.

Ut autem privilegium suum sortiatur effectum et ius aliquod privilegiato conferat, requiritur, ut privilegiatus (vel saltem procurator eiusdem ad hoc sollicitandum, vel acceptandum constitutus) habeat eius notitiam, et acceperit, *c. Ex parte*, 13. *h. t. et c. Si tibi*, 17. *h. t. de praebendis in* 6. (neque enim invito datur aut prodest privilegium) et uti hoc poterit etiam extra territorium concedentis, si personale illud privilegium ab homine, epi-

scopo v. gr. concessum fuerit, cum privilegium tale personale cohaereat personae, et ipsa privilegii concessio sit actus iurisdictionis voluntariae, quae extra territorium concedentis suum robur etiam obtinet.

SECTIO V.

De variis excessibus, seu de abusibus privilegiatorum, prohibitis iure Canonico.

§. I. *Qui sint excessus seu delicta privilegiatorum, et quomodo puniendi?*

Longum satis catalogum contexit pontifex *in c. Cum plantare*, 3. *h. t.* de excessibus, quos committunt privilegiati religiosi in abusu suorum privilegiorum, praesertim contra episcopos, quos in relato cap. prohibet sub poena interdicti in eorum ecclesias statuendi; et in iure communi legi possunt.

§. II. *Quinam praeterea alii sint excessus, sive abusus privilegiatorum?*

Plures adhuc excessus tales in hoc tit. enumerantur *c. Ad haec*, 5. *cap. Patentibus*, 10. *c. Tuarum*, 11. *cap. Auctoritate*, 4. *in* 6. *cap. Episcoporum*, 8. *in* 6. *h. t.* etc. quae iura legi possunt.

§. III. *De aliis quibusdam specialibus excessibus, et culpis religiosorum prohibitis iure canonico, et eorum poenis.*

Videatur de his *Clement. Religiosis*, 1. *h. t.* ubi religiosis quorumdam sacramentorum administratio sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, a qua nonnisi a pontifice absolvi possint, prohibetur, sine speciali licentia parochi, aut speciali privilegio etc. *et in* §. 1. *Quibus etiam* sub praecepto obedientiae, et comminatione maledictionis aeternae inhibetur, ne detrahant ecclesiarum praelatis, ne laicos ab ecclesiarum suarum accessu arceant, ne indulgentias indiscretas promulgent etc. videatur relata Clementina.

§. IV. *De poena abutentium suis privilegiis, et punitione violantium aliena privilegia.*

Resp. quod propter abusum possint revocari privilegia, quia meretur privilegiatus amittere privilegium, qui permissa sibi abutitur potestate, *cap. Ut privilegia*, 24. *h. t.* et si aliena privilegia violant, sive directe, sive indirecte hoc fiat, non tantum suis privilegiis spoliandi dicuntur *c. Dilecti*, 4. *h. t.* (neque enim sunt illis sua iura servanda, qui non metuunt violare aliena, *can. Sic decet*, 22. *ca.* 25. *q.* 2.) sed severe etiam castigandos asserit pontifex *in c. Quanto amplius*, 26. *h. t.*

§. V. *Proponuntur breves summae constitutionum Extravagantium huius tituli.*

Videatur *Extravag. Ioan. Ad nostri*, *h. t.* et inter communes *Extravag.* 1, 2, 3. *et* 4. *h. t.*

—

SECTIO VI.

De amissione, et revocatione privilegiorum.

§. I. *An, et quomodo privilegium finiatur per lapsum temporis, et cessationem causae?*

Finiri privilegium lapsu temporis, ad quod restrictum fuit, certum est *argum. c. De causis*, 4. *De offic. iud. deleg.* prout cessat etiam privilegium conditionatum, cessante conditione, sub qua concessum fuit. Causa vero si cesset, cessat quidem etiam privilegium, si causa illa finalis motiva, et principalis fuerit, et privilegium tale sit alicui praeiudicans, ad cuius conservationem causa etiam requiratur; non cessat tamen, si causa, quae cessat, tantum sit impulsiva, aut mere favorabile privilegium, cuius usus propter mutationem variarum circumstantiarum non est illicitus, et iniustus redditus.

§. II. *An privilegium finiatur per mortem illius, cui concessum est, vel per mortem concedentis; item an per renuntiationem privilegiati?*

Si personae tantum concessum sit privilegium, extinguitur per mortem illius, ita ut ad haeredes non transeat, quia personae cohaeret, et eam sequitur *cap. Privilegium*, 7. *de regul. iuris in* 6. si vero ratione dignitatis v. gr. alicuius, ratione loci, officii etc. concessum sit privilegium, ita ut non tam personale, quam reale sit, non extinguitur per mortem illius, qui hoc privilegio ratione dignitatis v. gr. gaudebat, sed transit ad eum, qui in dignitate, seu officio succedit.

Neque per mortem concedentis amittitur ordinarie privilegium, uti patet *ex lib.* 1. *Decret. titul.* 29. *sect.* 7. §. 5. si semel legitime acquisitum est, cum sit favor principis, qui permanere debet, et liberalis quasi donatio, quae semel facta non exspirat per mortem donantis, nisi aliter sentire, et loqui iubeant verba privilegium restringentia, ultra mentem enim concedentis, quae per verba innotescit, extendendum non est privilegium.

Quia vero quisque suo iuri, et favori pro se introducto cedere potest, si nulli cessio talis praeiudicet, hinc valida, et licita est renuntiatio privatae, et particularis personae, si privilegio sibi peculiariter facto renuntiet, et effectum suum plenum habebit renuntiatio haec, ut poenitere amplius non possit, si a concedente privilegium fuerit admissa renuntiatio; si vero in favorem alicuius communitatis, dignitatis, vel loci fuerit concessum privilegium, non possunt particulares illius communitatis personae tali privilegio renuntiare, cum renuntiatio talis esset in praeiudicium communitatis, dignitatis, vel loci illius. *Argum. c. Cum tempore*, 6. *de arbitris*, *et c. Si diligenti*, 12. *de foro compet.*

§. III. *An, et quando amittatur privilegium per tacitam renuntiationem, sive per non usum, vel per contrarium usum, vel per abusum?*

Quod privilegia affirmativa, quibus datur facultas agendi aliquid, cum gravamine, et onere aliorum, per non usum privativum (voluntarium, et liberum, oblata occasione utendi privilegio) amittantur per viam praescri-

ptionis, et tacitae renuntiationis, passim docent auctores; qualis tamen tacita renuntiatio non censetur ille non usus, quo quis longissimo etiam tempore suo privilegio usus non est, cum nulla fuerit utendi illo aut commoditas, vel occasio, propter absentiam v. gr. infirmitatem etc. si vero sint ad agendum quidem aliquid gratiae, ita tamen, ut in nullius cedant praeiudicium, per merum non usum etiam longissimi temporis non amittuntur *glossa in c. Ut privilegiata*, 24. *v. Semel in anno h. t.* Privilegia autem negativa, quae in non faciendo consistunt, in non dando decimas, in non sistendo se ordinarii tribunali etc. amittuntur, si aliis sint onerosa, per actum directe contrarium, solvendo v. gr. decimas, sistendo se ordinarii tribunali etc. sive deinde hoc fiat per viam praescriptionis legitimo tempore continuatae; sine protestatione contrarium agentis, sive fiat per viam tacitae renuntiationis, ad quam tamen, ut extinguatur per eam tale privilegium, plura requiruntur. Primo, ut actus contrarius fiat ab ipso privilegiato. Secundo ut voluntarie fiat, et animo renuntiandi privilegio, et hinc ignorans se agere contra suum privilegium, aut de actu hoc contrario protestans etc. non renuntiat tacite privilegio suo. Tertio requiritur, ut actus, qui contra privilegium exercetur, sit directe tali privilegio quoad substantiam contrarius, neque in futurum utilis, cum renuntiatio haec sit stricti iuris, non tacite extendenda. Quarto, ut illi, qui per actum contrarium privilegium amittunt, huic renuntiare possint expresse, et illud tollere, ac abolere, etc. quod si autem negativum quidem privilegium aliquod sit, nemini onerosum, aut praeiudicans, non amittitur per actum contrarium, cum liberum sit privilegiato uti, vel non uti suo privilegio.

Per abusum denique privilegii, si delictum aliquod committatur, quod v. gr. per privationem privilegii puniri solet, amittitur in poenam talis delicti privilegium, ut supra dictum: si vero abusus privilegii tantum defectum aliquem non culpabilem in usu privilegii dicat, amittitur interdum totaliter privilegium, subinde pro una tantum vice etc. prout iura vario modo in talibus casibus loquuntur.

§. IV. *An privilegium semel concessum possit revocari a concedente, vel ab aliquo alio etc.?*

Privilegium concessum extraneo non subdito, et ab hoc acceptatum, revocari non potest a concedente, vel eius successore, cum talia privilegia in pactum utrinque obligans transeant, nisi postmodum in notabile concedentis damnum cederet, itaut si ab initio damnum illud adfuisset, iniquum censeri potuisset tale privilegium; si vero a papa v. gr. concessum sit, subdito, omnino gratis, et ad agendum aliquid praeter, vel etiam contra ius commune, vel successore huius, valide quidem, sine causa etiam (cum tale privilegium semper pendeat a voluntate concedentis, et iurisdictionem in subditum semper concedens retineat), non tamen licite, ac decenter, quia decet beneficium a principe concessum mansurum, iuxta *regulam* 6. *in sexto* nisi causa donationis, remunerationis, aut pacti alicuius etc. aliud circa tale privilegium iubeat.

§. V. *Quibus modis privilegium revocetur, et quando revocatio privilegiorum vim suam, et effectum habeat?*

Revocantur autem privilegia expresse, vel tacite; expresse per verba expressa, vel per clausulas speciales, aut generales, nisi sint in corpore iuris clausa, vel specialibus clausulis munita, vel per modum contractus concessa sint; ad talia enim privilegia revocanda non sufficiunt clausulae generales, sed specialis saepius derogatio facienda, et expressa. Tacite vero revocantur per actum principis concedentis, directe contrarium privilegio, cum quo actus talis subsistere non potest (nisi in principe praesumi posset ignorantia privilegii) vel per legem contrariam universalem, si privilegia concessa sint in corpore iuris contenta: neque tamen per mandatum particulare, aut rescriptum principis censetur privilegium, cui contrarium hoc rescriptum est, tolli, si nullam clausulam derogatoriam habeat, *c. Cum ordinem*, 6. *De rescriptis*, nec per privilegium posterius, contrarium priori, revocatur prius speciale, nisi specialis prioris mentio derogatoria fiat *c. Veniens*, 19. *iuncta glossa v. Nullum, de praescrip.* (cum in his casibus non praesumatur princeps scientiam habuisse prioris privilegii, vel certe dici debeat, derogari quidem per tale rescriptum speciale posterius privilegio generali, quoad hunc actum, et hanc vicem, non tamen in genere, et in omni casu) neque per sententiam latam a principe, qui privilegium concessit *c. Sub orta*, 21. *de sent. et re iud.* quo in casu reprobare potius privilegium pro hac vice censetur princeps, quam revocare.

§. VI. *An pereunte re, cui privilegium inhaeret, pereat quoque, et extinguatur ipsum privilegium?*

Respondetur, perire quidem privilegium reale, sive rei adhaerens, pereunte tali re, sicut personale privilegium extinguitur pereunte persona, cui concessum est, ita tamen, ut distinguendum sit, an locus, vel res sacra, ecclesia videlicet, vel monasterium, etc. auctoritate superioris destruatur absque ulla spe restitutionis, vel reparationis, etc. vel utrum pereat ab hostibus v. gr. diruta, combusta, etc. cum spe reaedificationis; in illo casu pereunt privilegia tanquam subtracto in perpetuum fundamento; in hoc autem casu remanent omnia privilegia non tantum, quae solo affixa sunt, sed etiam ea, quae in loco tali sacro exerceri possunt, suspensa tamen manent, usque dum locus talis iterum aedificetur.

TITULUS XXXIV.

DE PURGATIONE CANONICA.

§. I. *Quid sit purgatio in genere, et quotuplex, et a quo indicenda sit purgatio canonica, et quibus indici possit, ac debeat?*

Purgatio, prout hic de ea sermo est, aliud non est, quam ostensio innocentiae de obiecto crimine: duplex autem illa est, vulgaris alia, quae in sequente titulo reprobatur; alia vero canonica, a iure canonico scilicet inventa, et approbata. Indicitur autem haec purgatio canonica a iudice com-

petente, ab episcopo v. gr. qui non tantum clericum, sed in criminibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus, etiam laicum subditum ad purgationem talem faciendam cogere potest *c. Nos inter*, 6. *h. t.* itaut haec indici etiam possit regularibus utriusque sexus, si de crimine infamati fuerint; damnari tamen de hoc non possint ob defectum sufficientis probationis *c. Moniales*, 3. *h. t.* vel si de defectu aliquo, seu impedimento canonico infamati sint, *cap. Accedens*, 14. *h. t.* §. 20.

§. II. *Quando, sive in quibus casibus indicenda sit purgatio canonica, vel non?*

Indici debet ea, quando quis est publice v. gr. de crimine apud viros honestos, et graves infamatus; (quod si enim a malevolis tantum orta sit infamia, nec scandalum ullum sit, non indicitur purgatio canonica), et adsunt plures quidem verosimiles praesumptiones, sive semiplena probatio, sufficienter tamen, et legitime probari illud non potest. Quod si enim crimen sit notorium, itaut celari non possit, vel legitime probatum, non tam canonica purgatio indicenda est, quae in tali casu locum non habet, sed sententia punitiva contra talem pronuntianda erit, vel absolvi debebit, si nihil contra eum probatum est. Quod si tamen in purgatione defecerit, cui purgatio indicta est, deponi debet, et omni beneficio, ac officio privari, prout colligitur ex *c. Cum dilectis*, 15. *h. t.*

§. III. *Quae sit forma purgationis, sive quomodo ea fieri debeat?*

Forma, et modus huius purgationis praescriptus est *in c. Quoties*, 5. *h. t.* primo scilicet, ut ipse purgandus (si ingenua, et honesta persona sit, vili enim homini vix defertur purgatio haec) iuret super sancta Dei evangelia, quod crimen illud, de quo infamatur, non commiserit (saltem eo tempore, de quo est infamia) nec per se, nec per alium, mandando scilicet, consulendo, aut aliter favorem, vel auctoritatem tribuendo, nec suo nomine factum, ratum habendo; et quamvis episcopus ordinarie iurare non debeat tactis sacris evangeliis, sed sufficiat, si iuramentum illi praestandum sit, ut iuret praepositis evangeliis, coram se, in hoc tamen speciali purgationis casu vult pontifex, ut iuret tangendo evangelia. Secundo, ut habeat certos compurgatores, viros honestos, qui sint bonae opinionis, et iurent de credulitate, sive iurent credere se, quod verum iuraverit, qui se canonice purgare debet, prout paulo post pluribus dicetur.

§. IV. *Quomodo procedendum sit contra infamatum de crimine, negligentem famam suam, sive se purgare ab infamia?*

De hac materia *in c. Si quis*, 2. *h. t. et in c. Inter sollicitudines*, 10. *eod.* statuitur, ut si quis de crimine (quod permanens et successivum est) infamatus sit, ipse tamen famae suae negligens infamiam hanc insuper habeat, episcopus contra eum inquisitionem instituat, ut de infamia certitudo habeatur, et si desit accusator, ter lagitime iuxta sanctiones evangelicas monitum, si se non emendaverit, ab officio suspendat, quousque se purgaverit ad arbitrium iudicis, ne populus in eo scandalum patiatur. Si vero

crimen, de quo infamatur, momentaneum sit, et ex integro iam praeterierit, nihil opus est monitionibus praeviis, quae in ordine ad emendationem in tali casu frustraneae essent, sed potest iudex infamato, si legitime constet de infamia, statim indicere purgationem canonicam, in qua si deficiat, tanquam convictus (praesumptive saltem) condemnari debet.

§. V. *De compurgatorum qualitate, iuramento, et numero.*

Omnia haec ex dictis iam colligi possunt: primo scilicet, quod compurgatores hi debeant esse viri honesti, probatae vitae, et qui notitiam illius habent, cuius sunt compurgatores, *c. Cum*, 7. *h. t.* (ut ne occasio detur, aut periculum sit periurii), qui sint vicini, *c. Cum dilectus*, 11. *h. t.* tolerati ab ecclesia, neque in iudicio propter crimen condemnati, *c. Constitutus*, 9. *h. t.*, eiusdem ordinarie cum purgando ordinis, episcopi scilicet, si sint episcopi compurgatores, presbyteri, si pro presbytero compurgatores sint, clerici, si pro alio clerico, etc. vel si hi desint, et haberi aut admitti non possint, alii etiam tam viri, quam foeminae admitti possint *argum. c. Cum in iuventute*, 12. *h. t. et iuxta glossam in canon. Clerici*, 32. *v. Aliqui. dist.* 81. Iurare autem debent hi compurgatores de credulitate, sive quod credant secundum suam opinionem, et conscientiam, verum dicere eum, qui suam infamiam purgat *c. De testibus*, 13. *h. t.* ad cavendum periculum periurii, si de veritate iurare tenerentur. Ad numerum denique compurgatorum quod attinet, varius ille pro diversis purgationibus fuit, prout iura antiqua ostendunt, nunc quinque, nunc septem, nunc plures etiam compurgatores adhibendo, hodie numerus hic est arbitrarius, secundum iudicis, qui purgationem indicit, arbitrium destinandus, spectata qualitate personae purgantis se, et spectata qualitate delicti, et gravitate infamiae.

§. VI. *De effectu purgationis canonicae, et poenis deficientis in illa.*

Effectus purgationis huius est, ut ea legitime peracta, absolvatur, qui se purgavit a suspensione, si quae praecessit, et ab infamia criminis, ratione cuius se purgavit, *c. Habet*, 6. *caus.* 2. *quaest.* 5. et prout sumitur *ex capit. Ex tuarum*, 8. *h. t.* ita ut regulariter non possit purgatus iterum accusari de delicto hoc, nisi nova infamia eiusdem criminis exorta sit, aut absens fuisset, non tamen per contumaciam, accusator, quando purgatio facta fuit, qui plene probare crimen potest, et vult crimen illius probare, qui se purgasse videbatur, cum de eodem crimine quaeri quidem saepius non possit, delicta tamen etiam non debeant manere impunita, praesertim, si per malitiam impunitas acquisita fuit.

Qui vero in purgatione canonica deficit, habetur pro convicto, ut dictum, et eadem poena canonica punitur, ac si de crimine per legitimas probationes convictus fuisset, *c. Cum p.* 7. §. *Deficientem*, *h. t. iuncta glossa v. Privarunt*, cum praesumptio probabilis ex infamia orta transeat in violentam, si reus in se purgando deficiat.

—

TITULUS XXXV.

DE PURGATIONE VULGARI.

Purgatio vulgaris dicitur illa, quae a vulgo inventa, vel usu introducta fuit contra formam canonicam, et a sacris canonibus reprobatur, ut quae magis ex diaboli, quam ex Dei instinctu originem suam accipit: sic a iure canon. reprobatur purgatio facta per duellum *c. Cura*, 1. *h. t.* purgatio facta per iudicium ferri candentis, vel aquae ferventis, seu calidae *cap. Dilecti*, 3. *h. t.* purgatio facta per aquam frigidam, *cap. Ex tuarum*, 8. *de purg. canon.* et plures tales superstitiosae probationes, ita ut sententia ex purgatione vulgari lata retractari possit, et debeat *c. Significantibus*, 2. *h. t.* etiamsi ab ea non fuerit appellatum, cum lata sit ex fallacibus, et reprobatis probationibus.

TITULUS XXXVI.

DE INIURIIS, ET DAMNO DATO.

§. I. *De iniuriis.*

Iniuria prout hic de ea agitur, aliud non est, quam *contumelia dicta, vel facta, vel scripta;* triplici enim hoc modo possum alteri contumeliam facere, verbis scilicet, cum alicui convicior; facto, vel gestu, cum manus alicui infertur, aut medius v. gr. digitus ostenditur; literis, sive per libellum famosum, aut carmen, alterius ad infamiam pertinens; et quamvis ad iniuriam requiratur animus iniuriandi, praesumitur tamen hic semper, si verba, vel facta etc. suapte natura sint iniuriosa, itaut etiam protestatio contraria nihil prosit, aut ab iniuria excuset, ut si dicam alteri, mentiris, salvo tamen honore tuo, et reverentia, cum sit protestatio contraria facto, et consequenter nihil relevet iniuriantem, nec excuset ab iniuria (saltem in foro externo) etiamsi verum sit crimen illud, quod obiicit, nisi bonum publicum exigeret crimen alterius sciri, vel ad puniendum, vel ad inhabilitatem agnoscendam illius ad officium v. gr. promovendi etc. excusatur tamen ab iniuriae actione, qui retorquendo iniuriam sibi illatam in continenti, et cum debito modo contra iniuriantem se, iniuriam illi dicendo, defendit, cum hic non tam iniuriam alteri dicat, quam se defendat. Potest autem in aliis casibus contra iniuriantem duplex actio institui, civilis scilicet, ad aestimationem iniuriae, et poenam sibi adiudicandam, vel criminalis, ad poenam corporalem, aut fisco adiudicandam, aut saltem ad revocationem iniuriae, ita tamen, ut haec actio iniuriarum, etiam tolli possit, ut criminalis est, per lapsum anni, prout sciunt civilistae, et absolute per remissionem expressam, aut tacitam.

§. II. *De damno dato.*

Statuitur quidem *in c. Si culpa*, 9. *h. t.* restituere eum, et resarcire omne damnum debere, quod culpa sua, negligentia, vel imperitia dedit, ita ut nec ignorantia damni eum a restitutione excuset, quia scire debuit,

quod ex facto suo iniuria alteri verisimiliter contingere possit, ita ut animal, quod nocuit, vel noxae dare debeat dominus, vel aestimationem damni praestare, si solum animal absque culpa domini damnum dederit etc. quia tamen haec, et plura alia, quae in hoc §. referuntur, iudiciaria praecepta sunt veteris testamenti, ex lib. Exodi desumpta, quae hodie expirarunt; vel fundantur in quibusdam praesumptionibus, aut poenalibus legibus, et pluribus a theologis explicantur, plura addenda hic non videntur. Videantur theologi in materia de restitutione.

§. III. *De repressaliis, sive pignorationibus.*

Repressaliae sunt literae, in quibus princeps, vel respublica suis subditis, aut militibus iniustum damnum passis, potestatem dat invadendi, et occupandi eorum, qui damnum dederunt, bona, etiamsi ipsi pars quidem sint eius communitatis, contra quam repressaliae conceduntur, innocentes tamen sint, ad damni compensationem; licitas esse has, praxis docet, si debitae conditiones observentur, et primo quidem, ut auctoritate principis, qui bellum indicere potest, iudicantur. Secundo, ut iusta causa sit earum indicendarum, talis scilicet, quae ad indicendum bellum sufficeret. Tertio, ut sit recta illius intentio, cui conceduntur repressaliae. Quarto, ut illatum damnum, et interesse datum, non excedant. Quinto, ut non fiant in personis, sed in rebus tantum, saltem ex principali intentione, quidquid per accidens sequatur. Sexto, ut prius admonitus sit de compensatione danda, contra quem repressalia conceduntur, et tamen non satisfecerit; neque tamen repressaliae concedi possunt contra personas ecclesiasticas, aut bona earum, *c. Etsi in 6. h. t.* uti nec contra scholares, *auth. habita cod. Ne filius pro patre etc.* cum personae tales censeantur privilegiatae, et consequenter contra eas odiosa extensio non est facienda.

TITULUS XXXVII.

DE POENIS.

§. I. *De poenis in genere.*

Poena in genere recte definitur, *quod sit criminum coercitio, seu vindicta ad disciplinae publicae emendationem inducta*, et quamvis semper culpam supponat poena, non tamen semper illius, qui punitur, culpam supponit; sic in crimine laesae maiestatis, liberi etiam nonnunquam puniuntur innocentes, propter delictum patris etc. sunt autem pro varietate delictorum variae etiam poenae; aliae capitales, quibus mors naturalis, vel civilis infertur; aliae non capitales quidem, corporales tamen, sive corporis afflictivae; aliae pecuniariae privatis, vel fisco publico applicandae; aliae ordinariae, et legales, a lege, vel principe, vel consuetudine introductae; canonicae, vel civiles; aliae extraordinariae, sive arbitrariae; aliae positivae; aliae privativae etc. et quamvis inferior iudex teneatur reo, de crimine sufficienter convicto, poenam ordinariam, sive a lege praescriptam imponere, neque possit eam minuere, aut augere ob utilitatem boni publici, potest tamen hoc supremus princeps dispensando in lege, si dispensare in ea pos-

sit, et index nonnunqnam inferior ob varias puniendi circumstantias, itant plerumque hodie poenae sint arbitrariae.

§. II. *De variis poenis in specie, de quibus agitur in hoc titulo.*

Videantur, quae hoc, et sequentibus §§. in hoc tit. explicantur apud auct. Method. quia per se, vel nota sunt, vel non omnibus hodie necessaria scitu sunt, vel etiam ex iure civili peti possunt. Legi etiam potest de poena pecuniaria *cap.* 2. 3. *et* 4. *hoc tit.* de poena conventionali, *cap.* 7. *et* 9. *eodem* de poena depositionis, *c.* 5. *h. t.* de poena degradationis, *c. Degradatio*, 2. *h. t. in* 6. de poena carceris, *cap. Quamvis*, 3. *h. t. in* 6. etc.

TITULUS XXXVIII.

DE POENITENTIIS, ET REMISSIONIBUS.

SECTIO I.

De poenitentiis.

§. I. *De poenitentia in genere.*

Poenitentia triplici modo accipitur, pront est virtus specialis, prout est sacramentum, (de qua utraque acceptione consuiendi theologi), et pront est satisfactio pro commissis. Haec antem duplex est privata, quae in actu sacramentalis confessionis imponitur, et privatim perficitur; ac publica, pro manifestis peccatis, publice scandalosis, publice peragenda, cuius hodie vix usus est. Publica tamen haec poenitentia subdividitur in solemnem, quae fit quadragesimae tempore, certis solemnitatibus observatis, et finitur in coena Domini, a solo episcopo imponenda, iuxa *canonem* 64. *dist.* 50. (quae olim in usu fuit, hodie tamen de ea vix constat aliquid), et in non solemnem, quae publice quidem, et in facie ecclesiae iniungitur, et perfici iubetur, sine certis tamen solemnitatibus; de hac publica poenitentia loquitur *c. Manifesta*, 1. *h. t.* ubi dicitur, *manifesta peccata non esse occulta tantum correctione pugnanda etc.* quia tamen confessionis sigillum per tales publicas poenitentias pateretur saepius, ideo nulla, vel certe rara, et non sine matura deliberatione publicarum poenitentiarum praxis est, sicut et poenarum, quae §. 2. *et* 3. *h. t.* referuntur, et apud auct. Method. videri possunt.

§. II. *De praecepto sacramentaliter confitendi saltem semel in anno, et sacram Eucharistiam recipiendi in paschate.*

Huius §. materia quamvis de ea in *c. Omnis*, 12. *h. t.* etiam agatur, rectius tamen ex theologia morali petitur; uti et quae explicantur *in* §. 4. *ex c. Quod quidem*, 5. *h. t.* an confessio illius, qui dicit se non posse abstinere a peccato, sit admittenda: et quae quaeruntur §. 6. de confessione mulieris, quae partum alienum sibi supposuit, vel proprium ex adulterio suscepit, ex *c. Officii*, 9. *h. t.*

§. III. *An poenitentia, et quaenam alia, tempore generalis interdicti, sint concessa, vel non; et an damnatis ad mortem poenitentia sit concedenda?*

De priore quaestione, cuius decisio etiam *in hoc tit. in c. Quod in te*, 11. habetur, infra dicetur, cum in specie de interdicto movebuntur quaestiones.

Altera quaestio affirmative deciditur *in Clement. Cum secundum*, 1. *h. t.* quod scilicet damnatis ad mortem sacramentum poenitentiae, et eucharistiae concedendum sit, si id petant, non obstante consuetudine in contrarium, quam concilium tanquam abusum damnavit, cum his vel maxime necessaria sint haec sacramenta, ad purius, et fortius moriendum.

§. IV. *De quaestoribus eleemosynarum.*

Vide de his, quae rari usus sunt *c. Cum ex eo*, 14. *h. t. et c. Romana*, 1. *eodem in* 6., *ac Clementina Abusionibus*, 2. *h. t.* et denique *Trid. sess.* 5. *c.* 2. *De reform.*

§. V. *Quinam habeant facultatem, seu privilegium eligendi sibi confessarium?*

Episcopis, et omnibus superioribus etiam non exemptis, nec non minoribus, seu inferioribus praelatis exemptis, ut etiam sine superioris sui licentia providum, ad discretum confessarium sibi possint eligere, conceditur *in c. ultimo h. t.* ne scilicet, ut pontifex ait, propter dilationem poenitentiae periculum immineat animarum; quod si tamen episcopus suo subdito concessit, ut sibi idoneum confessarium eligere possit, nullam tamen hic electus in casus episcopo specialiter reservatos iurisdictionem habet, prout statuitur, in *c. Si episcopus*, 2. *h. t. in* 6.

SECTIO II.

De remissionibus, sive indulgentiis.

Hanc huius sectionis materiam, vel breviter explicatam apud auct. Method. vide, vel fusius traditam apud theologos morales.

TITULUS XXXIX.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS, SUSPENSIONIS, ET INTERDICTI.

SECTIO I.

De prima censura ecclesiastica, nempe excommunicatione.

§. I. *Quid, et quotuplex sit censura?*

Censura in genere dici potest, *poena quaedam spiritualis, ac medicinalis, privans usu aliquorum bonorum spiritualium, per ecclesiasticam potestatem inflicta, delinquenti, donec a contumacia cesset.* Esse autem penes ecclesiam potestatem infligendi censuras, ex evang. *Matth. c.* 16. probatur, et ex ratione, qua quaelibet respublica ius habet, ad certo modo coercendos contumaces, et rebelles etc.

Proprie autem loquendo tres tantum sunt censurae, excommunicatio, suspensio, et interdictum, prout colligitur ex *c. Quaerenti de V. S.* et hinc irregularitas non est censura (qui enim violat censuram fit irregularis, non tamen novam incurrit irregularitatem, qui irregularis cum sit, sacramenta tamen suscipit, vel administrat), sed nec cessatio a divinis, cùm non privet usu divinorum, sed omitti tantum ea velit; nec degradatio, aut deposito etc. quae sunt poenae incorrigibilium.

§. II. *Quid, et quotuplex sit excommunicatio, et qua forma fieri debeat?*

Excommunicatio in genere *est censura ecclesiastica, per quam christianus a communione ecclesiae, seu reliquorum fidelium, separatur;* est autem triplex fidelium communicatio pure interna, pure externa, et mixta. Prima consistit in fide, et gratia, qua membra, fideles scilicet, cum suo capite Christo Iesu coniunguntur, et inter se, ut sibi invicem impetrare de congruo possint specialia beneficia etc., qua non privat, nec privare potest ecclesia, itaut possit pro his privata intentione, privatus orare, sacrificare etc. prout haec opera privati hominis sunt. Pure externa consistit in politica aliqua societate fidelium in colloquio v. g., convictu, commercio etc. Mixta denique est, quae partim interna, partim externa est, et consistit usu, et administratione sacramentorum tam activa, quam passiva, in communibus suffragiis nomine ecclesiae, in aliis publicis officiis spiritualibus, ac ecclesiastica sepultura etc., et hac utraque privare potest ecclesia, diverso tamen modo, et rigore, pro diversitate censurae.

Dividitur autem excommunicatio primo in maiorem, et minorem, uti patet ex *c. Si quem*, 59. *h. t.* Maior est, quae absolute a communione fidelium separat, ut paulo post ostendetur, et poena gravissima est, qua nulla maior est in ecclesia, ac sub nomine excommunicationis absolute positae semper intelligitur, neque substantialiter, seu essentialiter ab anathemate differt, sed tantum accidentaliter. Secundo dividitur in eam, quae fertur a iure, et in eam, quae fertur ab homine; haec per iudicis sententiam infligitur, illa per legem, sive constitutionem perpetuam; quae tamen iterum subdividi potest, in eam, quae ipso facto incurritur, sive per criminis admissionem, ante sententiam condemnatoriam iudicis, et latae sententiae dicitur; et in eam, quae non incurritur ipso facto, sed ad quam incurrendam necessaria est condemnatoria iudicis sententia, et dicitur ferendae sententiae. Tertio dividitur in iustam, et iniustam; iusta est, quae a legitimo iudice, et servato iuris ordine infertur; iniusta est, cum aliquid horum deficit; et harum alia est valida, cui tantum deest circumstantia debiti finis, vel solemnitas aliqua accidentalis, alia invalida, sive nulla, quae fertur a non habente potestatem, vel contra privilegium alterius, vel post legitimam appellationem, vel quae continet errorem intolerabilem. Quarto denique dividitur excommunicatio in generalem, quae fertur in communi, in omnes taliter delinquentes; et in particularem, quae contra specialem personam fertur, expresso eius nomine etc.

Et quamvis ad valorem excommunicationis certa verborum forma non requiratur, et nec scriptura sit de eius essentia, iuxta *cap.* tamen *Medici-*

nali, 1. *h. t. in* 6. ad maiorem sententiae talis maturitatem requiritur, ut in scripto proferatur, et causa exprimatur, ob quam quis excommunicatus est, ac copia excommunicationis detur excommunicato, si ab eo fuerit petita, itaut valida quidem sit futura excommunicatio, si horum aliquid omittatur, iudex tamen eorum aliquid omittens ab ingressu ecclesiae, et divinis officiis per mensem sit suspensus.

§. III. *De effectibus excommunicationis, sive maioris, sive minoris.*

Effectus maioris excommunicationis sunt plures, et varii, quos pluribus examinant, et explicant theologi morales, potissimi sunt. Primo quod sint privati activo usu sacramentorum, ita ut nullus possit sacramentum aliquod administrare (licite saltem, si potestas ordinis tantum requiratur) nisi gravis necessitas urgeat ad quaedam necessaria ad salutem administranda. Secundo, quod sint privati usu passivo sacramentorum, ut nullum sacramentum licite suscipere possint, quamdiu sint in excommunicatione positi, *c. Cum illorum*, 32. *h. t.* Tertio, quod privati sint communibus ecclesiae suffragiis, itaut nullius horum, ut publica, et communia sunt ecclesiae suffragia, fructus in eos derivetur, etsi fortassis in gratiam restitutus esset coram Deo. Quarto, quod sit prohibitum illis divinis officiis interesse, quae communiter fiunt a ministris ecclesiae, ad hoc deputatis. Quinto, quod sint privati omni usu, seu executione iurisdictionis ecclesiasticae, saltem, si tolerati non sint. Sexto, quod sint privati omni communione forensi, ita ut excommunicatus non possit habere officium publicum fori externi, et per exceptionem oppositam excommunicationis in utroque foro repelli possit. Septimo, quod sint privati omni communicatione civili, et politica cum aliis fidelibus, itaut excommunicato non tolerato, quales sunt notorii clericorum percussores, et nominatim denuntiati, non liceat taliter communicare, etiam civili communicatione, prout notissimo illo versiculo probibetur:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Octavo, quod sint inhabiles ad beneficia obtinenda. Nono, quod priventur sepultura ecclesiastica, ita ut in loco sacro sepeliri non debeant, neque solemniter a clero ad sepulturam deduci, quod tamen de solis non toleratis excommunicatis intelligi debet.

Minoris vero excommunicationis duo potissimum effectus sunt: primo, quod taliter excommunicatus sit privatus usu passivo, sive susceptione sacramentorum. Et secundo, quod sint inhabiles ad beneficia obtinenda, quae saepe haberi non possunt sine obligatione ad suscipienda sacramenta.

SECTIO II.

De causis excommunicationis.

§. I. *Quinam possint excommunicare, vel excommunicari?*

Potestatem excommunicandi habent illi omnes, et soli, de iure communi, qui iurisdictionem ecclesiasticam in foro externo habent, prout sumitur *ex c. Cum ab ecclesiarum*, 3. *De officio iudic. ordin.* (in specie tamen cuiusvis ecclesiae consuetudo attendenda est) et hinc laici, clerici coniugati,

foeminae, etiamsi sint abatissae, sine pontificis dispensatione excommunicare non possunt, cum absque hac licentia nulla illis competat ecclesiastici fori iurisdictio, et de abbatissis etiam hoc probat, *cap. Dilecta*, 12. *de maior. et obed.*

Excommunicari autem possunt omnes, et soli homines viventes, baptizati, doli capaces, qui in ecclesia superiorem habent: alii enim, vel non sunt subditi iurisdictioni ecclesiae, vel contumaces contra ecclesiam haberi non possunt, vel non habent, qui in eos possit coercitionem exercere: quin immo, cum gravissima poena sit excommunicatio, non potest simul, et collective integra aliqua communitas, aut universitas aliqua excommunicari, ne innocentes cum nocentibus eadem poena involvantur *c. Romana*, 5. §. *ultim. h. t. in* 6. quamvis singuli, et omnes distributive, qui sunt de communitate, si omnes rei sint, excommunicari possint: neque extranei, in dioecesi aliqua delinquentes incurrunt excommunicationem, si haec generaliter lata sit, ab ordinario loci illius, in omnes hoc, vel illud delictum admittentes, cum taliter sententia generaliter ab illo lata, vel statutum tale eos tantum afficiat, qui subditi sunt illius iurisdictioni, quales non sunt, qui in tali dioecesi sunt peregrini *c. A nobis*, 21. *h. t.*

§. II. *Ob quam causam excommunicatio, vel alia censura ferri possit?*

Maior excommunicatio, aut alia censura ecclesiastica ferri tantum potest, ob peccatum mortale (prout sumitur etiam ex *Trident. session.* 25. *c.* 3. *De reformation.* et proportio inter culpam, et poenam talem gravem probat) inobedientiae, aut contumaciae contra ecclesiam (saltem generalis) et quidem quod in actum externum prodierit (quia ecclesia non iudicat de internis, nisi indirecte, quatenus ille cum actu externo coniunctus est) neque infligitur ob peccatum mere praeteritum (cum infligatur ad frangendam contumaciam rei, quae nulla est, si peccatum mere est praeteritum), et requirit actum, ut incurratur, in eo genere, sub quo prohibetur, perfectum, et consummatum, cum prohibitiones sub poena censurarum sint odiosae, et consequenter strictae interpretationis.

§. III. *An excommunicationem necessario praecedere debeat monitio canonica, et quomodo alias ferri debeat excommunicatio?*

Si ab homine, sive iudice propter peccatum praeteritum, vel praesens, in quo reus contumaciter persistit, vel iure ferendae sententiae excommunicatio infligatur, infligi ea non debet, nisi aliqua praecesserit admonitio *c. Sacro*, 48. *h. t.* (ubi enim nulla praecessit monitio, non est contumaciae locus), et quidem illa vel triplex, post duorum, aut trium dierum intervallum inter unam, et alteram, vel unica quidem, et peremptoria, quae tribus tamen aequivaleat, ob statutum dierum intervallum; et quamvis ad valorem excommunicationis non praerequirantur hae tres monitiones, cum una sufficiat, praerequiruntur tamen illae, aut una aequivalens tribus, ex iuris praecepto, ut iuste feratur excommunicatio, nisi casus excepti sint, de quibus videndus Barbos. *in cit. c. Sacro.*

Si tamen excommunicatio, aut censura alia pro culpa futura, ab ipso

canone, seu iure statuatur, ipso facto incurrenda, non est necessaria ulla admonitio, quam quae a lege statuente habetur, *c. Reprehensibilis*, 26. *De appellat.* cum haec perpetuo moneat, et satis contumax, ac inobediens ecclesiae videatur, qui hanc monitionem negligit.

Neque debet ferri excommunicatio, quamvis monitio competens praecesserit, sine manifesta, et rationabili causa, quae coram iudice ferente probata fuit, ita ut appellare etiam possit, qui sine rationabili causa excommunicatus est, et nisi errorem suum corrigere velit, qui excommunicavit, possit ac debeat superior, vel illum remittere ad excommunicatorem iniustum, cum mandato de eo absolvendo, vel possit ipse per se, vel per alium absolvere talem sufficienti cautione recepta, quod iuri sit pariturus, prout pluribus videre est *in cit. c. Sacro* §. *Caveat.*

§. IV. *Quibus casibus censura excommunicationis, vel alia, sit iniusta; et quibus sit invalida?*

Excommunicatio, vel etiam alia censura illicita quidem, et iniusta saepius potest esse si ex odio, vel alia sinistra intentione feratur, si ordo accidentalis in processu non observetur, si legitima forma non adhibeatur etc., valida tamen est (nisi in iudice deficiat iurisdictio, aut defectus substantialis committatur in iudiciali processu, vel quod de crimine legitime convictus non sit reus, vel quod nullum crimen commiserit, quamvis iuridice crimen de illo probatum sit) ita ut in foro conscientiae non quidem liget, liget tamen in foro externo, et in hoc foro absolutio ab ea, si de ea lata publice constet, petenda sit, et accipienda, ad vitanda scilicet scandala, quae ex contrario casu facile sequi possent.

§. V. *An, et qualis ignorantia, et quis metus excuset ab excommunicatione, vel alia censura?*

Ignorantia facti sub excommunicatione, aut alia censura prohibiti, si excuset a culpa mortali, excusat etiam a censura incurrenda, *c. Si vero*, 4. *h. t.* tum quod ubi culpa non est, poena locum non habeat, tum quod censura sit medicinalis poena, quae scientiam supponit: si tamen sit iuris ignorantia (quod ius prohibet aliquid sub censurae incurrendae minis) quamvis sciat aliquis, factum tale iure naturae, aut divino prohibitum esse, si inculpabiliter tamen ignoret, de iure ecclesiastico, sub poena excommunicationis, aut alterius censurae, prohibitum tale quid esse, vel si sciat quidem ab ecclesia prohibitum hoc esse, nesciat tamen inculpabiliter, quod prohibitum sit illud sub poena excommunicationis, aut censurae, ita ut invincibiliter ignoret poenam talem tali delicto positam ab ecclesia, non videtur incurri excommunicatio, aut censura ab eo, qui contra tale ius prohibens agit, cum in tali casu non sit inobediens, aut contumax talis contra ecclesiam, ad quam tamen contumaciam impediendam latae sunt censurae; aut ullam censurae notitiam habeat, qua posset per eam deterreri a delicto tali committendo: quin immo vincibilis etiam ignorantia, sive iuris illa sit, sive facti, sive poenae, quamvis mortaliter culpabilis sit, dummodo non sit crassa, aut supina, vel affectata, excusat a censura *c.* 2. *De constit. in* 6. quamvis enim talis igno-

rantia a transgressione legis non excuset, excusat tamen a poena incurrenda, quae perfectam contumaciam supponit, prout supponunt censurae.

Metus denique, si excuset a transgressione praecepti ecclesiastici, quamvis peccet talis contra legem divinam, aut naturalem, excusat etiam a censura incurrenda, cum in tali casu taliter delinquens non sit contumax contra ecclesiam, et consequenter nec censuram in contumaces latam incurret.

SECTIO III.

De excommunicatione in specie, et in primis de illa, quae iure decreta est, ob percussionem clerici.

§. I. *Quaenam in iure canonico statuta sint circa percussionem clericorum?*

In *canone Si quis suadente*, 29. *caus.* 17. *q.* 4. statuitur, *ut si quis in clericum, vel monachum manus violentas iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, et nullus episcoporum illum praesumat absolvere, nisi urgente mortis periculo, donec apostolico conspectui praesentetur, et eius mandatum suscipiat:* sicuti autem sub generali acceptione, *si quis*, omnes generatim personae veniunt doli capaces, et baptizati, viri, et foeminae, nobiles, et plebei, magni, et parvi etc., sic sub nomine *clerici* etiam illi intelliguntur, qui prima tonsura sunt initiati, et sub nomine *monachorum* comprehenduntur omnes religiosi utriusque sexus, etiam conversi, et conversae, novitii etc. *c. Religioso*, 21. §. *Quamvis in* 6. *h. t.* et sicuti per τὸ *manus violentas iniecerit*, intelligitur quaevis actio externa, et corporalis iniusta, seu iniuriosa, sive manibus, sive aliis membris, sive fuste, sive gladio facta sit, ita debet illa etiam quoad externam violentiam graviter esse iniuriosa clerico, et mortaliter mala, sive denique facta sit in ipsam personam clerici, vel monachi, sive in res ipsi adhaerentes, tum quod per censuram non tam actio interior, pessima scilicet intentio, quae non cadit sub forum externum ecclesiae, quam actio exterior puniatur, tum quod per iniustam etiam detentionem ipsius clerici, aut equi, cui insidet, vel per violentam ereptionem rerum, illi adhaerentium etc., merito censeantur violentae manus in clericum v. g. iniectae, prout etiam colligitur ex *c. Nuper*, 29. *h. t.* quamvis clericus ipse in hanc violentiam sibi factam consenserit, cum non possit privata persona utiliter cedere privilegio in favorem totius ordinis clericalis concesso *c. Contingit*, 36. *h. t.* ubi etiam talis hic consentiens excommunicandus dicitur. Et quamvis aliae censurae latae contra facientes extendendae non sint ad mandantes, cooperantes etc., in c. tamen *Mulieres*, 6. §. *Illi vero h. t.* ad mandantes etiam, consulentes etc., haec canonis excommunicatio extenditur (nisi congruo tempore mandatum revocasset mandans, aut consulens non influxisset); et *in c. Cum qui*, 23. *h. t. in* 6. etiam ad ratihabentem saltem positae ratihabitionis; et *in c. Quantae*, 47. *h. t.* ad eos etiam, qui cum ex officio, et iustitia teneantur impedire percussionem clerici, hanc tamen non impediunt, quia tales interpretantur iura favere delinquentibus, qui manifesto facinori, cum possint, desinunt obviare.

§. II. *Quis possit absolvere ab excommunicatione canonis, ob percussionem clerici vel monachi?*

Iuxta relatum *can. Si quis suadente*, nemo potest ab excommunicatione ob percussionem clerici v. gr. absolvere, nisi summus pontifex, si gravis, vel enormis illa fuit, considerando non tantum percussionem, quae notabilem corporis maculam affert, vel fit cum mutilatione, laceratione carnis, aut immodica pilorum evulsione, sanguinis effusione etc., sed considerando etiam circumstantias personarum, loci, temporis, percussoris etc. Excipiuntur tamen a communi hac regula casus aliqui, in quibus etiam episcopis conceditur absolvendi potestas a tali excommunicatione. Primo si moraliter illa quidem mala fuit, levior tamen tantum, manu v. gr. exporrecta, cum modica sanguinis effusione, etc. *c. Pervenit*, 17. *h. t.* Secundo si ostiarius potestatis alicuius, non autem si officialis ipse, praetextu officii clericum malitiose percusserit (nisi forte eum graviter vulneraverit) potest ostiarius ab episcopo absolvi (quia percussio illa fortasse contigit casu fortuito, vel solum moderamen excessit talis) non autem officialis, cui nulla in clericum iurisdictio competit *c. Si vero*, 3. *h. t.* Tertio si monachi, vel canonici regulares se invicem in claustro percusserint, per abbatem suum absolvi possunt, modo non sit enormis percussio *c. Monachi*, 2. *h. t.* ut ne talibus detur occasio extra clausuram vagandi: quae licentia absolvendi abbatibus concessa *in c. Cum illorum*, 2. *h. t.* §. *Non igitur*, extenditur etiam ad illos regulares, qui in excommunicationem, ob percussionem clerici regularis inciderunt, ante ingressum religionis (in favorem scilicet religionis), et ad comendatarios hospitalis s. Ioannis Ierosolymitani *in c. Canonica*, 50. *h. t.* qui a suo priore absolvi possunt, nisi ex circumstantiis variis enormis fuisset talis percussio.

§. III. *De nonnullis casibus, in quibus percutiens clericum, vel monachum excommunicationem canonis incurrit.*

Primo qui clericum sibi vim inferentem vi repellit in continenti, non incurrit canonis excommunicationem, quia vim vi repellere omnia iura permittunt, *c. Si vero*, 3. *Si vero clericum h. t.* Secundo non incurrit hanc excommunicationem praelatus, aut magister, correctionis causa percutiens clericum, vel monachum sibi subiectum, seu discipulum; vel qui percutit clericum cum uxore sua, matre, filia, vel sorore turpiter agentem, ob iustam causam doloris ab excommunicatione excusantis, modo percutiant in continenti; vel si impuberes clerici se invicem percutiunt, qui nondum plenum usum rationis habent, vel si adultiores etiam clerici per iocum, aut ludendo inter se percutiant, quia in tali casu nullum peccatum intervenit.

§. IV. *In quibus casibus episcopus dioecesanus possit absolvere ab excommunicatione contracta ob percussionem clerici?*

Praeterea, quae §. 2. dicta sunt, conceditur etiam potestas episcopis absolvendi ab excommunicatione ob clerici percussionem, in articulo mortis, ubi nulla reservatio locum habet, iuxta *Trid. sess.* 14. *c.* 7. et hinc in tali casu simplex etiam sacerdos absolvere potest a censura, si episcopus adiri

non possit. Secundo rescribit in *c. Ea noscitur*, 13. *h. t.* Clemens III. quod mulieres, senes, infirmi, membris destituti, seu mutilati, propter absolutionem ab hac excommunicatione obtinendam, non teneantur Romam excurrere, cum hoc vel istas personas non deceat, vel illis impossibile sit, sed ab episcopis suis absolvi possint, facta prius convenienti satisfactione, et si in infirmitate positi, absoluti fuerint, praestito iuramento de sistendo se, ubi convaluerint, pontifici, vel eius legato, mandata illorum excepturi, ne reincidant scilicet in eandem excommunicationem, prout in *cit. cap.* statuitur. Tertio Romam excurrere non debent propter absolutionem obtinendam, qui non sunt sui iuris, uti sunt servi, mancipia etc., vel sunt valde delicatae personae, ut nequeant laborem eundi Romam etc., in se suscipere etc., qui omnes ab episcopo absolvi possunt, cuius est etiam iudicare de potentia eundi Romam etc., *c. Mulieres*, 6. *h. t.* Quarto inter eos, qui excusantur ire Romam pro obtinenda absolutione, numerantur etiam pauperes *in c. Quod de his*, 26. *h. t.* nisi mendicando saltem venire possint Romam, et talis mendicatio illis consueta sit. Quinto iuxta *c. De caetero*, 11. *h. t.* excusare potest ab itinere hoc Romano quodlibet impedimentum, quod non permittit sine periculo ire Romam, quo in casu, ut et pluribus aliis, qui videri possunt apud auct. Method. tam hic quam sequentibus §§. ubi etiam satis insinuatur, quis modus in talibus absolvendis, si impedimentum perpetuum non sit, sit adhibendus.

SECTIO IV.

De excommunicatis vitandis, vel non vitandis, et prohibita, vel concessa cum eis communicatione.

§. I. *Quinam excommunicati sint vitandi, vel non vitandi?*

De iure antiquo omnes excommunicati maiore excommunicatione vitandi sunt tam in divinis, quam profanis, ita ut cum illis nulla communicatio liceat, *c. Cum non ab homine*, 14. *h. t. et c. Nulli*, 8. *eodem*, *ac c. Cum et plantare*, §. *Excommunicatos, de privilegiis;* post concilium tamen Constantiense, ne nimia vitandorum multitudo difficilem faciat conversationem inter homines, duo tantum sunt genera excommunicatorum, qui vitari debent, publice scilicet excommunicati, et denuntiati, ac notorii clericorum percussores, qui excommunicationem *canonis*, *Si quis suadente* incidunt (prout probatur ex constitutione concilii Constantiensis *Ad evitanda*, etc. ex qua constitutione etiam habetur, quod per eam nullius favor sit factus ipsis excommunicatis, quasi ad communicandum cum non excommunicatis iugerere se possint sine peccato, sed quod alii fideles non excommunicati cum his communicare, si velint, licite possint.

§. II. *Quae personae, et ob quas causas excusentur, ut licite possint communicare cum excommunicato non tolerato, seu vitando?*

Causae, ob quas cum excommunicatis etiam non toleratis communicare liceat, hoc versiculo comprehenduntur:

Utile, lex, humilis, res ignorata, necesse:

ita ut communicationem permittat, primo, utilitas sive communicantis sive excommunicati, tam temporalis, quam spiritualis *cap. Responso*, 43. *h. t.* Secundo, licitam hanc communicationem facit lex, matrimonialis scilicet, *can. Quoniam multos*, 10. *caus.* 11. *q.* 3. ubi absolute asseritur uxorem cum marito excommunicato communicare posse. Tertio, licitam hanc communicationem facit humilitas subiectionis, ita ut qui alicui subiecti sunt, possint eidem communicare, quamvis vitandus ille excommunicatus esset, cum excommunicatio non tollat obedientiam debitam; et hinc liberi, sive naturales, sive adoptivi sint, possunt cum suis parentibus, quamvis excommunicati vitandi sint, communicare; servi, famuli, ancillae, ac villici, cum suis dominis (saltem si ante excommunicationem ad eorum obsequia obligati erant), clerici, qui sunt de familia episcopi, cum hoc suo episcopō, si excommunicatus vitandus sit; religiosi cum suo praelato etc., non quidem in opere criminoso, quod omnibus prohibitum sub poena excommunicationis, neque cum his, eorumque iurisdictionem, quam nullam habent, implorando, sed in aliis negotiis tam divinis, quam politicis. Quarto licitam facit hanc communicationem ignorantia, si nescias scilicet, alterum excommunicatum vitandum, (quia in tali casu non adest contumacia), aut si dubites saltem, utrum alter excommunicatus sit, quia in dubio melior est conditio possidentis. Quinto denique licitam facit hanc communicationem necessitas, sive vera indigentia, sive haec ad animam, sive ad corpus, sive ad famam, sive ad alia bona temporalia pertineat.

§. III. *De communicante cum excommunicato in crimine, eiusque poena, et absolutione.*

Communicamus cum excommunicato vitando in crimine criminoso, ut aiunt iura, (in crimine scilicet, ob quod excommunicatio in ipsum lata fuit participando, scienter scilicet, cum eo in tali crimine, adiuvando illum, praestando illi auxilium, consilium, vel favorem circa hoc crimen etc., et qui taliter communicat, maiorem etiam excommunicationem incurrit, uti constat ex *c. Nuper*, 29. §. *In secunda vero quaest. h. t. et cap. Si concubinae*, 55. *eod.* quia faciens, et consentiens pari poena constringuntur, ut ait pontifex *in cit. cap. Nuper*. Neque absolvi potest per se, nisi ab eo, qui alterum, cum quo communicat, excommunicavit, aut huius superiore; et quidem praestito prius iuramento, de parendo eius mandato, nisi ob iustam causam difficile esset ad excommunicatorem accedere, quo in casu concedit pontifex, ut praestita cautione iuratoria de parendo mandatis excommunicatoris, absolvatur a suo episcopo, vel proprio sacerdote, seu parocho. Quod si vero non in crimine criminoso, propter quod excommunicatus quis est, communicet aliquis cum tali excommunicato vitando, sed in aliis rebus tam sacris, quam profanis, orando v. gr. cum illo, comedendo cum illo etc., non incurrit hic talis maiorem excommunicationem, sed tantum minorem, quae a quolibet etiam simplici sacerdote iurisdictionem ad absolutionem habente, sine alia praestita cautione absolvi potest, uti paulo post dicetur.

§. IV. *Quaenam praeterea statuta sunt de iure canonico circa communicationem cum excommunicatis?*

Multa, quae in hoc §. statuuntur, et referuntur, ex Iure antiquo petuntur, secundum quod omnes excommunicati vitandi sunt, etiam ab episcopis, aliisque praelatis papa inferioribus, antequam absoluti fuerunt, vel si fama sit aliquem esse excommunicatum, priusquam se purgaverit, quamvis excommunicatus talis poeniteat, et paratus sit satisfacere parti laesae, vel etiam satisfecerit, et iuraverit de parendo mandatis ecclesiae *c. Cum desideres*, 15. *h. t.* quae, ut plura alia, utilius legentur apud auct. Meth. quam ut hic sine necessitate referantur, cum vel nulla hodie, post Constant. concil. talium Iurium praxis sit, vel rata, vel ex dictis constent.

SECTIO V.

De absolutione ab excommunicatione.

§. I. *Quinam possint absolvere ab excommunicatione maiore, vel minore?*

Ab excommunicatione maiore, sive a iure illa lata sit, sive ab homine generaliter, si expresse reservata non sit, potest non tantum episcopus, sed quilibet parochus (saltem ex potestate iuris delegata absolvere) *c. Nuper*, 29. *h. t.* cuius enim, ut ait pontifex, absolutionem sibi canonis auctor specialiter non reservavit, eo ipso concessisse videtur aliis. Si vero reservaverit eius absolutionem sibi, vel alii, qui canonem fecit, vel qui in specie excommunicavit, nemo alius ab ea absolvere potest, nisi cui reservata est talis excommunicatio, vel huius superior, aut ab his delegatus, nisi articulus mortis urgeat, ubi cum nulla sit reservatio, consequenter quilibet, qui a peccatis absolvere potest, poterit etiam ab excommunicatione, aut quavis alia censura absolvere.

Ab excommunicatione minore a Iure lata absolvere potest quilibet, qui proprius sacerdos, vel parochus est talis excommunicati: et quamvis iurisdictionem fori externi non habeat, quae tamen requiritur ab absolvendum ab excommunicatione, quia tamen Iura illi hanc facultatem concedunt, recte videtur ex delegatione iuris hoc posse, Ita ut absolvere talem ab excommunicatione minore excommunicatum possit proprius sacerdos, quamvis etiam hic ipse minore excommunicatione ligatus, *c. Duobus*, 56. *h. t.* neque enim absolvendo recipit sacramentum, cuius usu passivo per excommunicationem minorem privatus est.

§. II. *An ab excommunicatione lata ab episcopo suffraganeo in suos subditos possit archiepiscopus, seu metropolitanus absolvere, sive ante appellationem, sive post illam?*

Quod possit archiepiscopus hunc talem a suo suffraganeo excommunicatum absolvere, etiamsi ante appellationem fuerit excommunicatus, *glossa finalis in c. Per tuas*, 40. *h. t.* docet, et quod non teneatur illum remittere ad episcopum excommunicatorem, nisi velit ipsi hoc deferre, prout nonnunquam dignitas episcopalis exigat. Quod si vero excommunicatio a suffraga-

neo lata evidenter iusta esset propter delictum manifestum, metropolitanus seu archiepiscopus hunc talem absolvere non posset, sed remittere eum debet ad suffraganeum, qui excommunicavit, pro absolutione impetranda, iuxta citatum *c. Per tuas*, nisi requisitus hic malitiose absolutionem negaret: illud quidem, ita ut delicta in eo loco puniri appareat, ubi commissa fuerunt; hoc vero, ne malitia alterius alteri poenitenti noceat. Multa adhuc alia in hoc §. disputantur, de nulla, et iniusta excommunicatione: quod in illo casu nulla sit necessaria absolutio, ne ad cautelam quidem; in hoc autem casu sit necessaria absolutio, si agere velit excommunicatus etc., quae apud auct. ipsum rectius videbuntur, in casu ubi necessitas, aut utilitas scientiam illius requirit, videatur etiam *cap. Romana*, 5. *h. t. in* 6. et quae §. 3. sequente apud auct. Meth. disputantur.

§. III. *Qua forma, seu modo fieri debeat absolutio ab excommunicatione ?*

Nulla quidem certa verba praescripta sunt, quibus fieri debeat absolutio ab excommunicatione: quae tamen ordinarie adhibeantur (saltem in foro externo) apud theologos morales videre est; duplex tamen absolutio in tali (non quidem, ut valida sit, sed ut sit licita) praemittenda est cautio, prima quidem per iuramentum fit, de parendo mandatis ecclesiae, vel ipsius absolventis, quod scilicet huiusmodi delictum committere imposterum non velit iu *c.* 10. 11. 12. *h. t.* secunda est de satisfaciendo parti laesae, sine qua satisfactione, aut saltem cautione (licite saltem) absolvi non potest. Neque tamen, qui iuravit se satisfacturum, si postmodum id non praestet, quamvis possit, in priorem excommunicationem ipso iure reincidit, cum hoc in nullo iure expressum sit. Ut autem absolvatur aliquis valide, aut licite, non requiritur quidem illius praesentia, cum sicuti absens ligari potest censura, ita ab eadem absens possit absolvi; requiritur tamen, ut obtineatur absque vi, aut metu iuste incusso] (ita ut de iure ecclesiastico nec valida sit, si vi, aut metu iniuste incusso obtineatur, *c. unico De his, quae vi metuve in* 6.), ne disciplina ecclesiastica damnum aliquod patiatur, si contra illam vis, aut metus praevaleat: et quamvis sub conditione de praesenti, vel de praeterito, valida, et licita sit absolutio ab excommunicatione, si fiat tamen sub conditione de futuro, pendet illius absolutionis effectus, donec conditio impleatur, ex voluntate scilicet ecclesiae statuentis hanc a conditione suspensionem: secus autem fit in sacramentali absolutione a peccatis, ubi ex institutione Christi, a qua sacramentum hoc dependet, nulla dari potest absolutionis in capaci subiecto suspensio.

Sunt alii adhuc duo modi, quibus subinde ab excommunicatione v. gr. absolutio datur, ad cautelam scilicet, et ad reincidentiam: priori modo datur absolutio, si dubium, seu suspicio est, an aliquis censuram aliquam incurrerit, qualis absolutio non tantum ordinarie praemittitur, sacramentali peccatorum absolutioni, ad vitandam scilicet omnem irreverentiam, sed aliis etiam actibus, quorum valor, per censuram v. gr. impediri potest, prout ordinarie in rescriptis romanis in ordine ad electionem, collationem beneficii etc. fieri solet, *c. Venerabilis*, 25. *h. t.* Ad reincidentiam fit absolutio, quando quis propter impedimentum v. gr. legitimum ab inferiore, qui alias absol-

vendi licentiam non habet, absolvitur quidem, cum eo tamen onere, ut cessante hoc impedimento temporali, se praesentet superiori, cui talis absolutio reservata est, sub poena in eandem (moraliter) excommunicationem reincidendi, si se praesentaturus non sit *c. Eos qui*, 22. *h. t. in* 6. ne detur occasio censuram ecclesiasticam impune contemnendi.

§. IV. *Utrum is, qui duabus, vel pluribus excommunicationibus ligatus est, si ab una absolvatur, censeatur etiam absolutus ab aliis?*

Respondetur negative, si ex pluribus diversis causis plures excommunicationes incurrit, et in petitione absolutionis, unius tantum causae meminit, tacendo alias, prout sumitur ex *c. Cum pro causa*, 27. *h. t.* et si a pluribus praelatis, quibus subiectus est, propter plures excessus excommunicatus fuit, non erit absolutus ab excommunicationibus suis v. gr. si ab uno tantum eorum praelatorum absolvatur, sed ab aliis etiam absolvi debet, (nisi hi omnes uni eorum commissionem dedissent, suo etiam nomine absolvendi eum *c. Officii*, 42. *h. t.* cum per hoc, quod uni eorum propter delictum contra ipsum commissum satisfactum fuerit, non censeatur etiam aliis propter delicta in ipsos commissa, satisfactum.

§. V. *De absolutione excommunicati decedentis in excommunicatione?*

Excommunicatum, quamvis multa signa poenitentiae ante mortem dederit, et coram Deo ab omnibus peccatis absolutus sit, coram ecclesia tamen ligatum sua adhuc censura posse manere etiam post mortem, clare colligitur ex *c. A nobis*, 28. *h. t.* et hinc prout ex ipso cap. hoc patet, post mortem etiam absolutio (saltem indirecte) a censuris potest illi dari, et debet, si de ipsius viventis poenitentia per evidentia signa constiterit, ut ecclesiae scilicet suffragiis, et sepultura ecclesiastica gaudeat; et haeredes illius satisfacere pro anima illius debent de iure canonico, etiamsi nihil ex delicto ad eos pervenerit, cum enim vivens ille poenituerit, et quantum in se fuerit, satisfecerit, aut satisfieri voluerit, consequenter voluntatem hanc exequi debent illi, ad quos bona defuncti huius pervenerunt.

§. VI. *Quando excommunicatus habendus sit pro absoluto ab excommunicatione, vel non?*

Ex hoc solo capite, quod quis a suo episcopo excommunicatus ad romanam curiam accesserit, non debet haberi absolutus, etiamsi hoc asserat, nisi literas suae absolutionis ostendat *c. Sicut*, 39. *h. t.* cum nunquam debeat praesumi absolutus, qui semel excommunicatus est, nisi absolutionem probet, ad ecclesiasticam disciplinam conservandam: sed nec absolutus ab excommunicatione papali censeri debet, quem datis ad eum literis, salutat postea pontifex, aut cui benedictionem apostolicam impertit, *c. Si aliquando*, 41. *h. t.* cum haec salutatio, vel per ignorantiam, vel per negligentiam, vel per nimiam occupationem, aut subreptionem, ut ait pontifex, contigisse potuerit. Si tamen scienter pontifex cum excommunicato, verbo vel salute, vel alio quovis modo etc., communicet, et exprimat, quod per haec eum

pro absoluto habere velit, absolutus haberi debet, uti colligitur ex *Clement. Si summus*, 4. *h. t.* et expressa verba probant.

SECTIO VI.

Aliae nonnullae quaestiones circa excommunicationem, aliasve censuras proponuntur, et exponuntur.

Pleraque, quae in pluribus huius sectionis §§. quaeruntur, vel alibi explicata iam fuerunt, vel intelligi satis poterunt ex alibi dictis. Videantur etiam *c.* 6. 12. *et* 14. *h. t. in* 6.

SECTIO VII.

De secunda censura ecclesiastica, nempe suspensione.

§. I. *Quid, et quotuplex sit suspensio ecclesiastica?*

Suspensio proprie dicta, est censura, per quam persona ecclesiastica privatur usu, seu exercitio ordinis, officii, aut beneficii ecclesiastici, quod ipsi competit ratione alicuius potestatis ecclesiasticae; dividitur communiter primo in totalem, et partialem; illa suspendit simpliciter ab officio, beneficio, et ordine; haec suspendit, vel ab ordine tantum, ita ut prohibeatur omne exercitium, aut certum tantum exercitium ordinis: vel a beneficio tantum, simpliciter omni, aut a certo tantum, aut a certa parte beneficii, per quam prohibetur frui suis beneficiis suspensus, aut suo beneficio, aut parte illius beneficii; vel denique ab officio, sive administratione, aut iurisdictione, per quam scilicet prohibetur officii, iurisdictionis, vel administrationis, quam habet, exercitium, quoad totum (quam aliqui suspensionem secundum quid totalem dicunt, prout illae etiam suspensiones dicuntur, quae a toto beneficio, et ab omni ordine suspendunt), vel quoad partem, quae proprie partialis suspensio dicitur. Dividitur secundo in perpetuam, quae non tollitur nisi per absolutionem, et proprie censura dicitur; ac in temporalem, quae fertur ad certum tempus, et elapso tempore tali cessat, ac potius poenae, quam censurae rationem habet. Dividitur tertio in eam, quae a iure fertur, et in eam, quae fertur ab homine etc., de qua divisione iam constat.

Patet autem ex modo dictis, confundendas non esse suspensiones has, cum possit aliquis suspensus esse ab officio, qui tamen nec ab ordine, nec a beneficio suspensus est, et possit suspensus ab officio non tantum in temporalibus adhuc administrare, sed facta etiam beneficii collatio, quamvis illicita sit, et irritanda, sit tamen valida, prout colligitur ex *cap. ult. De cler. excomm.* sicuti privandus est beneficii titulo, qui ob grave delictum perpetuo suspensus est, cum beneficium detur propter officium.

§. II. *Quis possit censuram suspensionis ferre, et in quos, et ob quam causam, et quis ab illa possit absolvere?*

Omnis, et solus ille, qui potest excommunicare, potest etiam suspendere, cum una, eademque potestas sit ad ferendam quamlibet censuram, ita tamen, ut etiam ad suspensionis censuram ferendam, si ob peccatum prae-

teritum, aut futurum feratur a iudice; ad frangendam, vel impediendam rei contumaciam, praevia monitio necessaria sit, ut dictum de excommunicatione.

Possunt autem hac censura suspensionis ligari omnes, et soli clerici praeter papam, cum hi soli capaces sint ecclesiasticae potestatis, et consequenter usu illius potestatis, vel simpliciter, vel quoad partem privari possint, non tantum singuli, sed totum etiam clericorum capitulum, et probabiliter etiam abbatissae, cum sint iurisdictionis spiritualis, saltem ex commissione, capaces: et quamvis episcopi etiam suspendi possint; ex privilegio tamen sibi, ad cavenda multa ecclesiae incommoda concesso, non comprehenduntur sub generali suspensionis a iure latae sententia, nisi specialiter exprimantur *c. Quia periculosum*, 4. *h. t. in* 6.

Non incurritur autem suspensio, sive censura ea proprie dicta sit, sive poena tantum, nisi ob propriam culpam, eamque mortalem, cum tales poenae debeant esse commensuratae culpis, et contumaciae, nisi sit levis tantum ad breve tempus, unius v. gr. diei, vel ab uno tantum actu, ab una v. gr. missae celebratione etc. suspensio, quae etiam propter levem culpam imponi potest.

Tollitur autem suspensio primo per lapsum temporis, ad quem illa ut poena, ob delictum praeteritum, imposita est, vel impleta conditione, sub qua imposita est. Secundo tollitur suspensio, quae proprie censura est, ad frangendam contumaciam imposita, per absolutionem, si suspensus a contumacia cessaverit, quam impertiri potest quilibet, episcopalem iurisdictionem, aut privilegium habens, si non sit specialiter sedi apostolicae reservata, et iuxta *Trident. sess.* 24. *cap.* 6. *De reform.* quilibet episcopus, si ex delicto occulto orta sit.

§. III. *Aliae nonnullae quaestiones circa suspensionem resolvuntur.*

Primo *ex cap.* 1. *h. t. in* 6. habetur, quod graviter peccet, qui actum exercet, a quo suspensus est (si tamen materia gravis sit), et incurrat irregularitatem, si actum ordinis exerceat, a quo suspensus est, ut dictum supra. Secundo satis certum est, quod actus ordinis, si quis ab ordine suspensus eos exerceat, sint validi, exceptis illis, qui ad sui valorem iurisdictionem requirunt, uti est sacramentalis absolutio, cum valorem illorum actuum impedire non possit ecclesia, si requisita omnia, debito modo ponantur. Tertio non est prohibita cum suspenso etiam denuntiato communicatio, cum nullum ius habeatur talem communicationem prohibens, sicuti de vitandis excommunicatis denuntiatis habetur, nisi suspensum inducas ad agendum contra suspensionem, quod ius naturale, et divinum cooperationem ad peccatum prohibens, prohibet. Quarto qui suspensi sunt ab ingressu ecclesiae (de qua suspensione, quae non est proprie censura, et rectius interdictum, quam suspensio diceretur, agit *c. Is cui*, 20. *h. t. in* 6. privati sunt omni participatione divinorum in ecclesia, ita ut talia exercere non possint in ecclesia, quamvis pleraque possint extra ecclesiam, et multa etiam possint in ecclesia privatim peragere, et tempore, quo celebrantur etiam divina, transire possint per ecclesiam. Quinto denique suspensus ab ordine, officio, vel iu-

risdictione in uno loco, utique ab exercitio, vel usu horum, a quibus suspensus est, ubique suspensus est, donec absolvatur, cum censura eum ubiquo comitetur.

SECTIO VIII.

De tertia censura ecclesiastica, nempe de interdicto.

§. I. *Quid, et quotuplex sit interdictum?*

Interdictum est censura ecclesiastica, per quam prohibetur participatio certorum sacramentorum, omnium divinorum officiorum, et ecclesiasticae sepulturae, quatenus haec omnia ad divinum cultum spectant: quae ultima verba definitioni addi possunt, ut clarius destinguatur interdictum ab aliis censuris, cum interdictum privet his rebus sacris, quatenus sacrae sunt: excommunicatio vero illis privet, ut habent communicationis cum fidelibus rationem; suspensio vero his privet, quatenus sunt actus potestatis, aut ministerii ecclesiastici. Dividitur autem interdictum primo in locale, et personale: locale est, cum immediate ipse locus interdicto supponitur, ne functiones sacrae tempore interdicti prohibitae in illo fiant: personale interdictum est, quo immediate ipsis personis prohibetur, ne haec talia agant, et functiones sacras, per interdictum prohibitas, nec hic, nec alibi exerceant. Utrumque subdividi potest primo in generale, et speciale: generale est, quo interdicitur locus generalis, plura alia loca complectens, uti est regnum v. g. provincia, civitas etc. speciale est, quo locus unus particularis, una v. g. certa ecclesia, aut persona certa particularis interdicitur, ita ut quando interdictum generale in civitatem ponitur, neque inter civitatem, neque in ipsis suburbiis liceat divina celebrare (ne vilipendatur interdictum) licet in aliis civitatis eiusdem ecclesiis, si una tantum particularis interdicta sit, divina celebrari possint; et quando interdictum generale in totam communitatem, prout fieri potest, fertur, innocentes etiam sub illo interdicto per accidens pati debeant, quatenus sunt pars interdictae communitatis etc, ne scilicet nervus ecclesiasticae disciplinae facile dissolvatur. Secundo subdividi utrumque potest in totale, quod omnes effectus interdicti habet, et in partiale, quod non omnes effectus interdicti habet, sed certum tantum aliquem, privationem v. g. divinorum, vel privationem sepulturae sacrae etc.

§. II. *Quaenam sub interdicto generaliter promulgato comprehendantur, vel non?*

In *c. Si sententia*, 16. *h. t. in* 6. statuitur, ut si sententia alicuius interdicti in clerum alicuius ecclesiae proferatur, non intelligatur interdictus populus, nec e converso, interdicto populo, clerus interdictus censeatur (nisi illud in ea sententia sit expressum) quia appellatione populi non veniunt clerici, cum laici, et clerici sint genera duo hominum diversae professionis, ita ut ab uno ad alterum in odiosis non debeat fieri extensio: sicuti nec sub clericorum, nec sub populi nomine, si hi interdicantur, religiosi veniunt, nisi aliunde colligatur aliud.

§. III. *Quaenam observanda sint circa administrationem, et susceptionem sacramentorum, quae interdicti tempore est prohibita?*

In *cap. Alma mater*, 24. *h. t. in* 6. ad praecavenda multa pericula, et incommoda, quae facile orirentur, si nulla sacramenta administrari, aut nulla divina officia celebrari possent interdicti tempore, statuit Bonifacius VIII. pontifex. Primo ut interdicti tempore, omnes ad sacramentum poenitentiae admittantur (ob pronitatem scilicet peccantium, et ad plures lapsus praecavendos) nisi sint excommunicati, vel per suam malitiam interdicti causam, aut cooperando auxilium dederint, quos sine cautione saltem data de satisfaciendo non vult admittere. Secundo statuit, quod possint etiam interdicti tempore missae, et alia divina celebrari (ab illis scilicet, qui interdicti non sunt) singulis diebus, submissa tamen voce ianuis clausis, exclusis excommunicatis, et interdictis, et non pulsatis campanis, etc. in festivitatibus vero natalis domini, paschae, et pentecostes, ac assumptione beatae Virginis, divina celebrari permisit solemniter, ianuis apertis, organis pulsatis, alta voce, exclusis quidem excommunicatis, non tamen interdictis, ob singularem dictarum solemnitatum reverentiam, ita tamen ut illi, propter quorum delictum interdictum latum fuit, altari nullatenus appropinquent. Tertio statuitur *cap. Quoniam*, 19. *h. t. in* 6. quod licite (ob periculum morae) etiam conferri possit tempore interdicti, solemniter baptismus, et confirmatio, pueris, et adultis, ac licite confici suo tempore possit chrisma, *et in c. Responso*, 43. *h. t.* asserit Innocentius III. quod coram interdictis liceat verbum Dei praedicare, et ad emendationem eos inducere, convocando etiam populum (saltem semel in hebdomada) ad ecclesiam aliquam, si ita expedire videatur (quia praedicare non est actus sacri ordinis) modo nullum divinum officium coram eis celebretur. Quarto conceditur in *c. Quod inter*, 11. *De poenitent. et remiss.* usus eucharistiae per modum viatici (si probabile sit mortis periculum, sive sit tale periculum ratione infirmitatis, sive ex alia causa, deportando illud cum lumine, campanula, comitatu fidelium; sicuti enim interdicti tempore, non negat ecclesia viaticum moribundis, ita nec cultum debitum ss. eucharistiae tollit. Quinto conceditur etiam in interdicto tam locali, quam personali matrimonium contrahere, etiam inter personas interdictas, quia prohibentur tantum interdicti tempore, quae sunt omnino spiritualia, et actus ordinum, quale non est matrimonium, quod multum participat de contractu mere naturali, et politico, ut adeo interdicti tempore potissima prohibitio sit circa sacramentum extremae unctionis, quod iuxta *citat. cap. Quod in te*, non licet conferre moribundis (cum non sit tanta illius necessitas) et circa sacramenta ordinum, quae nec ipsa interdicti tempore conferri possunt, nisi urgeat magna necessitas, in casu magnae penuriae legitimorum ministrorum ecclesiae, quamvis haec ipsa nonnunquam, et plura alia specialibus privilegiis concessa sint aliquibus, de quibus specialia privilegia consulenda.

§. IV. *Quae observanda sint circa celebrationem divinorum officiorum, et an, ac quatenus ea prohibita, tempore interdicti, vel concessa sint?*

Ex priore §. iam patet, quatenus prohibita, vel concessa sit tempore interdicti divinorum officiorum celebratio, ac auditio, et quae observanda sint; ita ut debeant etiam missas, et divina officia, prout conceditur, celebrare beneficiati, si velint gaudere quotidianis distributionibus iuxta *citat. cap. Alma* §. *Adiicimus*. Divinorum autem officiorum nomine, quae tempore interdicti prohibita sunt, non tantum intelligitur missae celebratio, publica oratio ab ecclesia instituta, sed omnes etiam sacrae publicae benedictiones, quae nomine, et auctoritate ecclesiae a ministris ecclesiae fiunt.

§. V. *De privatione sepulturae ecclesiasticae tempore interdicti?*

Ex *cap. Quod in te*, 11. §. *Licet autem, de poenit. et remiss.* habemus, quod interdicti localis generalis tempore prohibeantur fideles in loco sacro interdicto sepeliri, exceptis illis personis ecclesiasticis, quae specialiter interdictae non sunt, et tamen servaverunt locale interdictum, quibus conceditur, ut possint etiam interdicti talis tempore in loco sacro quidem, sed interdicto, sepeliri, sine pulsatione tamen campanarum, et absque alia solemnitate, nisi fiat sepultura in quatuor supra enumeratis festivitatibus, in quibus solemnitates permittuntur, quin immo omnes tam laici, quam clerici, qui specialiter interdicti non sunt, neque culpa sua causam interdicti dederunt, vel, si personaliter interdicti sint, denuntiati tamen non fuerunt, nec impoenitentes mortui sunt, possunt in quocunque loco sacro, non interdicto, sepeliri, quamvis parochiani sint ecclesiae specialiter interdictae, cum in tali casu non sint interdictae personae secundum se, sed tantum respectu loci certi, in hoc vero casu non sint vitandi, aut communicatione fidelium exclusi.

§. VI. *De violatione interdicti, et poenis iure decretis in violantes.*

Interdictum personale violant clerici personaliter interdicti, si actus proprios sui ordinis, a cuius exercitio interdicti sunt, exerceant, et uti dictum, incurrunt in tali casu irregularitatem, si intersint divinis, vel percipiant sacramenta prohibita, si permittat alios personaliter interdictos divinis interesse, aut ea celebrare etc. Locale vero interdictum violant, si celebrent divina, non observata moderatione *cap. Alma*, si permittant alios divina celebrare in loco interdicto, cuius regimen illis commissum est etc. nisi specialia privilegia plus illis concedant.

De poenis, quas incurrunt laici etiam, qui, vel ipsi violant interdictum, vel cogunt violare, et de poenis, quas incurrunt religiosi violantes interdictum, vide Clement. I. II. et III. has enim poenas circa hanc materiam rari usus, multum moderantur concessa variis, religiosis praesertim, privilegia.

§. VII. *De causis interdicti, et relaxatione eiusdem.*

Ferre potest interdictum in personas, aut locum sibi subiectum, qui excommunicare potest propter delictum grave, quod est totius communitatis, quae interdicitur, vel principis, aut magistratus, qui in tali loco, aut tem-

poralem, aut spiritualem iurisdictionem exercet, et sua malitia totam communitatem inficit, *c. Non est*, 11. *de sponsalibus*, *c. Si sententia*, 16. *h. t. in 6. c. Sane*, 11. *de officio deleg.* Tollitur autem, vel relaxatur interdictum, primo quidem elapso tempore, ad quod positum est interdictum, vel posita conditione, quam urget interdictum, ita ut ab episcopo relaxari illud prius non possit per dispensationem, nisi interdictum proveniret ex delicto occulto, vel quod non esset ad forum contentiosum reductum, vel non esset specialiter reservatum, vel plus alicui concessum esset, per speciale privilegium etc. vide auct. Method. hoc §.

§. VIII. *Proponuntur Extravagantes constitutiones huius tituli*

Videat harum expositiones, qui earum notitiam parum necessariam habere cupit, apud auct. Method. hoc §.

§. IX. *De cessatione a divinis, quid et quotuplex sit, et quomodo differat ab interdicto?*

Cessatio a divinis est ecclesiastica prohibitio, ob quam clerici cessare debent in certo loco a celebratione divinorum officiorum, et sacramentorum administratione, nisi in quantum necessitas postulat. Duplex autem est haec cessatio, generalis alia, alia particularis, ea prope ratione, qua de interdicto locuti fuimus. Differt tamen ab interdicto locali, primo quod cessatio haec nec poena sit proprie dicta, nec censura, sed nuda prohibitio in signum gravissimi doloris, ex iniqua divini honoris laesione posita. Secundo quod cessatio nullam in specie personam afficiat, sicuti interdictum, quod respectu eorum, qui causam interdicto locali dederunt, interdictum personale dicitur. Tertio quod violans cessationem, graviter quidem peccet, non incurrat tamen irregularitatem, sicuti incurrit qui violat interdicti censuram. Quarto quod privilegia concessa circa interdictum extendi non debeant ad cessationem a divinis, cum a diversis ad diversa non fiat illatio. Quinto denique quod tempore cessationis a divinis, concessa tamen maneat omnibus sepultura sacra, modo haec fiat sine officiis funeribus, quae cessationis tempore prohibita sunt: qui autem interdictum in locum aliquem ponere possunt, possunt etiam, ob delictum tamen gravissimum, cessationem a divinis ponere, ita ut violantes talem cessationem ipso facto sint excommunicati, iuxta *Clement.* 1. §. *In cessationibus vero generalibus h. t.*

Quae in sequentibus duobus titulis, tam antiquis, quam in 6. habentur de Verb. Signif. et de reg. iuris, omisit auctor Method. explicare, eo quod putaret, haec omnia cum ex corpore iuris desumpta essent, ex variis titulis, et cap. in variis decretalium libris explicatis, satis intelligi posse, vel certe ea, quae in sequente tit. de V. S. dicuntur, et explicantur, rectissime peti posse ex variis iuris lexicis, et vocabulariis, quo etiam nos lectorem remittimus. Quae vero in ultimo tit. de reg. iuris, tam in antiquis, quam in 6. habentur, placuit hic breviter annectere, ut regulae illae, quae plurium saepe iurium summam continent, ab illis, qui corpus iuris canonici non habent, haec tamen succincta ss. canonum doctrina non displicet, non

ignorentur, (non quidem quasi omnes regulae iuris sint afferendae, quae toto Corpore iuris sparsae innumerae prope sunt, sed quod potiores sint afferendae, prout sub hoc titulo continentur) et simul ex glossa ostendere, unde regula talis desumpta sit, et petenda fusior illius explicatio. Sit ergo

TITULUS XLI.

DE REGULIS IURIS.

Regula iuris recte describitur, quod sit brevis iurium narratio, ex variis iuribus saepe desumpta, complectens plures casus, in quibus eadem ratio, convenientia identitatis, aut paritatis etc., reperitur, ita tamen, ut si in aliquo vitietur (quoad identitatem scilicet, convenientiam, aut paritatem, vel si in iure, quo ad aliquem casum, expresse statutum fuit aliquid contrarium tali regulae), talis regula pro tali casu nihil probet; et hinc nulla etiam iuris regula sine exceptione universaliter probat, et pleraeque in multis saepe fallunt, uti videre licet apud glossam, et passim apud auctores. Sunt autem iuris regulae aliae in antiquis, aliae in 6. De illis sit.

SECTIO I.

De regulis iuris in antiquis.

I. Est: *Omnis res per quascunque causas nascitur, et per easdem dissolvitur.*

Desumpta dicitur haec regula ex s. Chrysostom. in *cap.* 52. *Operis imperfecti in Matth.* Locum vel maxime habet in contractibus, et talibus obligationibus mere temporalibus, quae ex positiva tantum humani iuris constitutione vim suam habent. Fallit tamen in matrimonio ex iure divino indissolubili, et in aliis pluribus etc.

II. *Estote misericordes, sicut pater vester caelestis misericors est; nolite iudicare, et non iudicabimini.*

Hoc loco nihil aliud praecipi existimo, ait Beda *lib.* 2. *in Lucam*, *c.* 34. nisi, ut ea facta, circa quae dubium est, quo animo facta sint, in meliorem partem interpretemur; quod enim scriptum est, *ex operibus cognoscetis eos*, de manifestis dictum est, quae non possunt bono animo fieri, ut stuprum, blasphemiae, furta, ebrietates, de quibus nobis permittitur iudicare.

III. *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.*

Ita ut haec regula ex Beda, vel s. Hieronymo desumpta, aliud non dicat, quam quod propter scandalum praetermittendum sit quidem omne, quod praetermitti potest, modo salva maneat triplex veritas; bonae vitae scilicet veritas, quae ad quemlibet pertinet; veritas iustitiae, quae ad iudicem spectat; ac veritas disciplinae, quae ad praelatum pertinet: rectius tamen advertunt alii, in his etiam scandalum nonnunquam permitti posse, si nihil patiatur haec triplex veritas, in quantum est de necessitate salutis, ita ut in rebus consilii tantum, aut maioris perfectionis etc., suas exceptiones haec regula patiatur.

IV. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.*

Intelige, si tantum illicita talia sint, ex lege positiva, sive divina illa sit, sive humana tantum; nam ut ait venerab. Beda, ex quo haec etiam regula desumpta est: et sabbatum custodiri praeceptum est, (iure divino positivo), Machabaei tamen sine culpa sua in sabbatho pugnabant; sic etiam hodie, si quis ieiunium fregerit (quod iure ecclesiastico positivo praeceptum est) aegrotus, reus voti (vel praecepti transgressi) non habebitur; si enim ex lege divina naturali illicita sint, et prohibita, quia mala sunt, prout est haeresis, adulterium etc., nullo casu licita fieri possunt.

V. *Quod latenter, aut per vim, aut alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.*

Ita Gregorius VII. tum quod suspecta sint de malo, quae clam, et latenter fiunt, tum quod per vim, et metum gravem facta, vel ipso iure nulla sint, vel revocari debent, iuxta *tit.* 40. *lib.* 1. *decretal. De his, quae vi, metu vel causa etc.*

VI. *In ipso causae initio non est a quaestionibus inchoandum.*

Per tormenta scilicet veritatem inquirendo, quod hac regula prohibitum voluit Gregorius VII., cum tormenta, sive tortura adhiberi non debeant ad veritatis indagationem, nisi in subsidium, quod aliter veritas adhiberi non possit, et quod semiplena probatio praecesserit. De qua re videantur, qui de iudiciis criminalibus agunt.

VII. *Quidquid in sacratis Deo rebus, et episcopis iniuste agitur, pro sacrilegio reputatur, quia sacra sunt, et a quoquam violari non debent.*

Ut adeo duae species sacrilegii habeantur, iuxta Stephanum I. pontificem, qui hanc regulam posuit, una scilicet in rebus Deo sacratis, altera in personis Deo consecratis, quibus exhibita irreverentia sacrilegium dici potest.

VIII. *Qui ex timore facit praeceptum, aliter facit, quam debeat, et ideo iam non facit.*

Intelligendo scilicet regulam hanc a sancto Augustino traditam de timore servili, qui facit, quod praeceptum est, non amore iustitiae, quam positive excludit, sed timore tantum poenae, a qua sola hic, et nunc movetur.

IX. *Defleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus.*

Non quidem, quasi in quovis peccato contineretur omnium peccatorum malitia, quatenus peccatum conversio est ad creaturam, sed quod ratione aversionis a Deo eundem substantialiter reatum incurrat per unum peccatum commissum peccator, quod incurrit de omnibus reus (quoad substantiam scilicet, non autem quoad intensionem) reatum scilicet poenae aeternae.

X. *Non enim potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et pastor nescit.*

Ita loquitur Gregorius in *registr. lib.* 2. *epist.* 52. *cap.* 91. neque enim excusat ignorantia, ut ait Panormitanus in hanc regulam, quando quis tenetur diligenter indagare, custodire, et praecavere.

XI. *Indignum est, et a romanae ecclesiae consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.*

Quod enim stricte dictum homagium est, prout de eo loquitur haec regula, magis ex consuetudine ecclesiae, quam ex scripto iure desumpta, in

temporalibus tantum locum habet; ac illum, qui homagium alteri praestat, eius vassallum facit, ad temporalia obsequia praestanda, nonnunquam obligatum, qualia obsequia pro spiritualibus praestare, simoniacum esset; et hinc multa differentia est inter iuramentum fidelitatis, ac obedientiae, quod his episcopis v. gr. et praelatis, tanquam patribus, praestant clerici.

SECTIO II.

De regulis iuris in *Sexto*.

I. *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine canonica institutione obtineri.*

In titulum scilicet, quin per canonicam electionem, postulationem, collationem, praesentationem, proprie dictam institutionem, aut aliam legitimam provisionem, eum acquisiverit, nisi triennalis, bonae fidei, quieta, pacifica, ac continuata possessio per regulam cancellariae iuvet aliquam, ubi pontifex penitus tollit, et extinguit lites super talibus beneficiis taliter possessis post triennium motas, si non fuerit eorum acquisitio simoniaca, vel intrusi non fuerint beneficiati. Videantur *tit. de postulatione praelat. de electione, de praebendis, de dignit. de institut. de concessione praebend. etc.*

II. *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.*

Ita ut ille, qui conscientiam certam habet, rem illam, quam possidet, et sibi praescribere vult, alienam esse, nec longissimi temporis praescriptione iuvetur, contrariam legem civilem, corrigente iure canonico, ob animae periculum, videatur *tit. de praescript. in utroque iure.*

III. *Sine possessione praescriptio non procedit.*

Sine possessione, vel quasi possessione, iuris scilicet, a iure adminiculum habente (ita ut praescribens sit capax possessionis, quomodo capax non est laicus iura spiritualia possidendi) civiliter non interrupta per se, vel per alios suo nomine possidentes, debito tempore continuata. Videantur iura pro priore regula citata, ex quibus tam prior, quam haec regula desumpta fuit.

IV. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*

Verba sunt sancti Augustini *causa* 14. *quaestion.* 6. *can.* 1. relata: quae regula non tantum de remissione peccati quoad Deum intelligi debet, quod ea scilicet non fiat, nisi restituatur ablatum, si restituendi facultatem quis habeat, vel nisi serium propositum habeat de re tali restituenda, ubi poterit, nisi restitutio remissa fuerit; neque tantum intelligi debet de furto, aut violenta ablatione, sed de quovis damno iniuste dato, et quod potissimum huius loci est, de vitio etiam reali, quo afficitur res furto ablata, ita ut res tales furto ablatae praescribi non possint, nisi per restitutionem domino factam vitium fuerit purgatum. Videatur etiam *c. Cum tu*, 5. *De usuris*, *et c. Quamquam*, 2. *eodem in* 6.

V. *Peccati venia non datur, nisi correcto.*

Sumitur haec regula ex *can.* 2. *Gelasii pontificis caus.* 24. *qu.* 2. et intelligitur de venia culpae, et aeternae poenae; quod haec scilicet non con-

cedatur, nisi correcto; non autem de poena temporali tantum, quod huius scilicet venia non detur, nisi correcto, cum saepius venia temporalis talis poenae in hac vita subeundae, etiam non correcto (ad scandalum vitandum, aut ex alia causa) concedatur.

VI. *Nemo potest ad impossibile obligari.*

Sive iuris, sive facti, sive naturae impossibilitate impossibile sit, ita ut talium promissio nullam secum trahat obligationem, etiamsi iuramentum illi accesserit, cum illud, quod nec est, nec esse potest, dari, aut fieri non possit, ad quod tamen tendit obligatio: videatur *l. Impossibilium* 185. *ff. de reg. iuris*, *et l. Inter stipulantem* §. *Sacram.* 183. *ff. de verb. oblig.*

VII. *Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.*

Privilegium scilicet, quod immediate personae concessum est, et cuius proxima causa est persona: sumitur autem haec regula ex *c.* 2. *de auct. et usu pallii*, ubi respondet pontifex, non debere archiepiscopum successori suo, aut alteri metropolitano suum a pontifice sibi concessum pallium commodare, aut relinquere, sed cum eo esse sepeliendum, cum pallium (velut personale privilegium) a persona in personam non transeat; et ex multis legibus civilis iuris, ubi haeres mariti, patris, militis, patroni, etc. non gaudet iisdem privilegiis, quibus pater, patronus, miles, aut maritus, etc. gaudet quod idem saepe statuitur circa rescripta personalia, circa personalia pacta, personales transactiones, etc. quae saltem cum personis extinguuntur, licet etiam alia quaedam dicantur in *tit. de privileg. de rescriptis. de pactis, de transact. etc.*

VIII. *Semel malus, semper praesumitur malus.*

Praesumptionibus niti hanc regulam, patet, quae cum saepe fallant, et veritati cedant praesumptiones, saepe etiam in foro externo fallitur, qui temere in quolibet casu hac regula utitur: desumpta est haec tamen regula ex *caus.* 22. *q.* 5. *can. Parvuli*, 14. et pluribus aliis iuribus, ubi non admittitur in testem, qui semel falsum deponendo peieravit.

IX. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.*

Prout habetur, et dicitur in *c. Cum quis*, 23. *de sentent. excommunic. in* 6. ubi dicitur ille, excommunicationem canonis non incurrere, qui percussionem clerici sui inimici, ab alio, non tamen nomine illius factam, postmodum multum laudavit, in illa sibi complacuit, et eam probavit, cum non possim, ut ait pontifex, ratum (proprie loquendo) habere id, quod meo nomine gestum non est, et iura, quae contraria afferuntur, non tam de ratihabitione, quam de nova concessione vel novo consensu intelligi debent.

X. *Ratihabitionem retrotrahi, et mandato aequiparari, non est dubium.*

Si, quod ratum habeo, nomine meo gestum est, ut ne videatur haec regula priori contradicere, ut taceam alias, quas multas patitur exceptiones, et hinc inde in variis iuribus videri possunt, ex quibus habetur, quod potissimum locum haec regula habeat in materia iudiciorum *c. ult. de iureiurand. in* 6. *et l. Licet*, 56. *ff. de iudiciis*, ubi per procuratorem agitur, et in maleficiis, quae per alium fieri possunt, *c. Cum quis*, 23. *de sentent. excomm. in* 6. in materia contractuum etc.

XI. *Cum sint partium iura obscura, reo favendum est potius, quam actori.*

In decisione scilicet causae (quia in principio litis favetur actori, cui conceditur verba ambigua in suo libello posita interpretari) iuxta *c. Inter dilectos*, 6. *de fide instrument. ad finem*, *etc.* nisi actor foveat favorabilem causam matrimonii, libertatis, testamenti, dotis, etc. ubi favendum est actori, iuxta *can. Si quis accepit.* 3. *caus.* 33. *q.* 1. *et cap. Ex litteris*, 3. *de probation.*

XII. *In iudiciis non est acceptio personarum habenda.*

Sive coram iudice ordinario, sive coram delegato litigetur, ita ut personae in dignitatem, vel officio constitutae, amico, vel inimico etc. favore personae non debeat deferre iudex a iustitia recedendo, vel saltem a modo procedendi in iudicio *cap. Novit.* 13. *de iudiciis*, et *cap. Statutum*, 11. §. *Insuper de rescript. in* 6. statuitur; in aliis tamen, uti in assurgendo, sedendo etc. et poenis etiam imponendis, saepius, et recte defertur dignitati, et personae *cap. ult. de transact. et argum. cap. Cum quidam*, 12. *de iureiurand. can. Non oportet*, 15. *dist.* 93.

XIII. *Ignorantia facti, non iuris excusat.*

Sic iuxta glossam in hanc regulam ex *can. Si sacerdotes*, *caus.* 16. *quaest.* 3. habetur, sacerdotibus successoribus in monasterio sancti Cypriani etc. concedi posse, quod possint ecclesiam suo monasterio donatam, a laico, sine episcopi auctoritate, et consensu capituli praescribere, cum tamen praelatus, cui donationem talem accepit, praescribere non possit, eo quod hic iuris ignorantiam habuerit, requirente scilicet iure, ut legitima sit ecclesiae alicuius donatio a laico facta, auctoritatem episcopi, et consensum capituli: successores vero in facto tantum erraverint, scientes nullam esse donationem talem a laico factam, si sine consensu episcopi, et capituli fiat, rati tamen, eum intervenisse, prout ex pluribus etiam aliis titulis patet, ex quibus haec regula desumpta est. Consule glossam, si plura velis.

XIV. *Cum quis in ius alterius succedit, iustam ignorantiae causam censetur habere.*

Si cum ipso successore agatur, non autem si ipse agat, cum ille, qui ad iudicium provocat, certus debeat esse de facto suo; et ideo deliberatoriae dantur reo, non autem actori: intelligi tamen debet haec regula de ignorantia facti, prout colligitur ex variis iuribus, ex quibus haec regula desumpta est, *can. Si sacerdotes*, 10. *caus.* 16. *q.* 3. *cap. Cura*, 11. *de iure patronatus.*

XV. *Odia restringi*, *et favores convenit ampliari.*

Iuxta *cap. Tua*, 25. *de decimis*, ubi decimae novalium non accrescunt laicis habentibus decimas in feudum; et iuxta plura alia, ubi odiosa restringuntur: ac iuxta *c. Licet*, 11. *de privileg. in* 6. ubi privilegium favorabile, de celebrando, vel audiendo missam, interdicti tempore, certae, et singulari cuidam personae concessum, ad eius etiam familiares domesticos extenditur etc.

XVI. *Decet concessum a principe beneficium esse mansurum.*

Late sumendo beneficii nomen pro privilegio scilicet, et quidem reali,

ne regula haec contradicere videatur regulae septimae, prout et iura indicant, ex quibus haec regula desumpta est, *c. Sed si cui*, 36. *de praebend. in* 6. ubi gratia de conferendis beneficiis alicui concessa, non dicitur exspirare morte concedentis. Quando autem dicitur mansurum hoc privilegium, intelligitur hoc, etiamsi causa finalis concessionis cesset, modo remaneant aliquae reliquiae, et non aliunde ex delicto v. gr. aut propter abusum, vel norme praeiudicium ablatum sit privilegium.

XVII. *Indultum a iure beneficium non est alicui auferendum.*

Sic vidua prohiberi non potest, quo minus intra annum luctus post mortem sui mariti, ad secunda vota transire possit, quia a sacris canonibus, et ab apostolo hoc illi indulgetur, quidquid contradicat ius civile; sic clericus ad ecclesiam parochialem promotus, urgeri non potest promoveri ad sacerdotium, cum a iure sit annus illi concessus, intra quem ordinari debeat *cap. Licet, canon.* 14. *de electione in* 6. sic aliae induciae saepius a iure concessae ad appellandum, ad deliberandum abbreviari non possunt ab homine (nisi gravis causa urgeat) cum sint a iure concessae, et indultae: in multis tamen etiam ista regula cessat, et locum non habet.

XVIII. *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.*

Quod a principio scilicet nullum est ipso iure, tractu solo temporis non convalescit; secus autem si non esset nullum, sed tantum annullandum, uti colligitur ex *cap. Bonae*, 4. *de postulat. praelat. et ex cap. Quod sicut*, 28. *de electione etc.* sicuti enim tempus solum nec inducendae obligationis, nec tollendae modus est, sic nec reparandae, sed consensu subsequente opus est interdum tacito, interdum expresso, si causa impedimenti sublata fuerit *c.* 1. *De despons. impub. in* 6. *et can. Principatus*, 25. *caus.* 1. *et q.* 1. *etc.*

XIX. *Non est sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet.*

Sic clericus, aut monachus, ostendendo fortitudinem suam, aut dexteritatem (proiiciendo v. gr. in ludo cum saecularibus lapides, vel sagittas emittendo ad scopum, aut chirurgiam exercendo) casu occidens aliquem, fit irregularis, quia immiscuit se actui, statui suo non convenienti *can. Clerico*, 37. *dist.* 50. *cap. Continebatur*, 8. *de homicidio*, *cap. Tua nos*, 19. *eodem etc.*

XX. *Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.*

Etiam contrariis, uti patet ex *cap. Auditis*, 15. *de praescript.* ubi duabus exceptionibus contra actorem episcopum reus utitur, quod sit exemptus a iurisdictione ordinarii, et tanto tempore ius episcopale possederit, ut legitime praescripserit contra ordinarium; (si autem exemptus est, ex speciali summae sedis privilegio, nulla est praetensa praescriptio) *et ex l. Interpositas cod. de transact.* ubi replicans transactionem praetensam nullam fuisse asserit, tum quod metu fuerit extorta, tum quod ille, cum quo facta fuit transactio, servus transigentis fuerit etc. nisi iura expresse pluritatem talem prohibeant.

XXI. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.*

In iudicio scilicet *c.* 1. *De iudiciis*, in casu matrimoniali, *canon. Hor-*

rendus, *caus.* 32. *qu.* 5. in iuramentis, *cap. Quemadmodum*, 25. *de iureiurand.* In electionibus, *cap. Nulli*, 8. *de elect. in* 6. *etc.* Fallit tamen haec regula in pluribus casibus, praesertim, si nova causa supervenerit, vel ad notitiam pervenerit, prout pluribus glossa in hanc regulam ostendit.

XXII. *Non debet aliquis alterius odio praegravari.*

Per *can. Si habes*, 1. *caus.* 24. *quaest.* 3. ubi negatur, quod filius excommunicari debeat, si pater delictum admisit excommunicatione dignum; et per *cap. Si compromissarius*, 37. *de elect. in* 6. ubi canonici, qui in arbitros certos compromiserunt, non privantur tamen iure eligendi, si arbitri postmodum indignum eligant, etc. quamvis in delictis quibusdam ob delictum v. gr. patris etiam filii dignitatibus excidant, quod ipsum in pluribus etiam casibus in iure exprimitur.

XXIII. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est puniendus aliquis.*

Est virtualiter duplex regula, primo, quod non debeat aliquis puniri sine culpa; secundo, quod possit quis puniri sine culpa etiam, si causa subsit. Pro prima regulae parte facit *canon. Satis perversum*, 7. *dist.* 56. *et cap. Cognoscentes*, 2. *dict. constit.* et plura alia iura. Pro secunda parte regulae, sive exceptione, facit *can. Si cuius*, 11. *dist.* 34. *cap. Tua*, 4. *de cler. aegrot.*

XXIV. *Quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.*

Ergo, qui in casu aliquo non habet necesse parere, eo quod ad officium illius tale quid non pertineat, doli reus esse potest, prout videtur de illo laico dicendum, quem excommunicationem incurrisse dicit pontifex in *c. Universitatis*, 24. *de sentent. excommunicat.* quamvis ex mandato abbatis monachum verberaverit. In casibus tamen, ubi parere necesse est, regulam probat *can. Miles*, 12. *cau.* 23. *quaest.* 5. *cap. Cum voluntate*, 54. §. *Si qui vero*, *de sentent. excommun.*

XXV. *Mora sua cuilibet est nociva.*

Ut autem quis dicatur morosus, debet scire, quod debeat, vel saltem ab homine, aut die interpellatus fuisse, et solvendi possibilitatem habuisse *l. Quod te*, 5. *ff. de rebus creditis*, et tunc tenetur morosus debitor de casu etiam fortuito, quamvis, ut probabilis sententia asserit, eodem modo res apud dominum peritura fuisset. Videatur *can. Decimae*, 66. *caus.* 16. *q.* 1. *cap. unic. de commodato etc.*

XXVI. *Ea, quae fiunt a iudice, si ad eius non spectet officium, viribus non subsistunt.*

Quamvis bonum sit id, quod facit iudex, si tamen ad huius officium non spectet, viribus non subsistit, prout colligitur ex *can. Bene quidem*, 1. *dist.* 96. bonum enim est statuere, quod res ecclesiae alienari non possint, et alia plura, quae in illo canon. recensentur; laicorum tamen etiam imperatorum, super his rebus statuta nihil valebant, quia ad eorum officium haec statuere non pertinebat. Caeterum regula illa locum non habet in spiritualibus, quae potius ex potestate ordinis dependent, quam iurisdictionis; sic quamvis episcopus clericum alienum valide ordinare sacerdotem possit, non potest tamen hoc inferior episcopo, cum ordines sacerdotales conferre, non

tam ex officio iurisdictionis, quam ex ordine dependeat. Vide quae dicuntur *can. Quorum vices*, 6. *dist.* 68. *cap. Indulgentia*, 3. *de poenitent. et remiss. in* 6.

XXVII. *Scienti, et consentienti non fit iniuria, neque dolus.*

Ita ut haec duo copulative requirantur, non tantum disiunctive, et si cedere iure suo possit, qui consensit, quamvis per dolum malum circumventus fuerit ad consentiendnm, prout pluribns explicant theologi. Vide etiam *can. Si foemina*, 5. *caus.* 29. *q.* 2. *etc.*

XXVIII. *Quae a iure communi exorbitant, ad consequentiam non sunt trahenda.*

Et hinc quamvis laicis per ecclesiam concessnm sit, ut sint capaces iuris spiritualis, patronatus scilicet, quo facilius ad fundandas, dotandas, et aedificandas ecclesias inducantur, hoc tamen privilegium a iure commnni exorbitans, extendendum non est, ut possint etiam iudicare de iure patronatus *cap. Quanto*, 3. *de iudiciis*, et quae passim in iure cuilibet conceditur fidei iubendi obligatio, fallit in muliere, iuxta *leg.* 1. *ad Velleianum, etc.* et quae singulariter uni conceduntur, ad alios, quamvis eiusdem dignitatis, extendi non debent *can. Hinc est etiam*, 39. *caus.* 19. *q.* 1.

XXIX. *Quod omnes iungit, debet ab omnibus approbari.*

Ita tamen, ut alia sint, quae omnes tangunt quidem, ut unius tamen universitatis membra sunt, et ut collegium est: alia vero sint, quae omnes tangnnt, ut singulares personae sunt, et ut singuli: in priore casu reqniritur, ut singuli illius communitatis consentiant ad decidendum aliquid, sed sufficit, ut maior pars communitatis consentiat. In posteriore vero casu omnes, et singuli conseutire debent. De illo casu loquuntur iura in *tit. de his, quae fiunt a maiore parte capit.* et plura alia iura. De posteriore casu loquitur *c. Cum omnes*, 6. *de constitution.* regulariter in talibus casibus, qui plures, uti singulos concernunt, observandum: quamvis saepius etiam fallat, uti videre est in casu, quo plures arbitri ad unam rem decidendam electi fuerunt, ubi sufficit ad lites abbreviandas maioris partis consensus; in praesentando a pluribus persouis ad ecclesiam vacantem, quo in casu admittitur praesentatio, quae a maiore patronorum parte facta est, ut ne longiori tempore cum periculo vacent ecclesiae.

XXX. *In obscuris minimum est sequendum.*

Non quidem quasi statim, quod minimum est, attendere debeamus, sed quod verisimilius est, et plerumque fieri consnevit, ita ut primo inspiciamus, quod expresse agitur, vel quod tacite ratione rei, personae, vel consuetudine; et si ex bis nihil sciri possit, inspiciamus id, quod minimum est, *cap. Ex parte* 18. *de censibus*, attendenda tamen etiam nonnunquam est iuxta alia iura mediocritas, uti colligitur *ex can. Hoc ius*, 2. *caus.*10. *q.* 2. *et cap.* 1. *de Officio custod.*

XXXI. *Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet.*

Quamvis nonnnuquam fieri possit, ut ei, qui scit fieri aliquid, denuntiari debeat quod fit, non nt sciat, sed ob alios fines, prout fit in casu evictionis, in casu citationis ad eiectionem, in casu quo iudicis, qua talis, officium imploratur, ad cautelam etc. pro regula tamen faciunt *can. ult.*

dist. undec. verb. Saepe dilectionem tuam, cap. Si duobus, 7. *de appellat. l.* 1. *ff. de act. empt. et vend.*

XXXII. *Non licet actori, quod reo licitum non existit.*

Snnt enim rei favorabiliores, quam actores, et ob hoc, quod actori licet, multo magis reo licet, non tamen contra *cap. Prudentiam*, 2. *de mut. petit. authent. offeratur canonizata caus.* 3. *q.* 3.

XXXIII. *Mutare consilium quis non potest, in alterius detrimentum.*

Quando scilicet ex mutatione voluntatis, vel placiti, alteri impedimentnm, vel detrimentum affertur, *can. Dilectissimi*, 2. *caus.* 8. *q.* 2. *cap. Publicato*, 58. *de elect. etc.* si tamen ex mntatione tali nullum alteri praeiudicinm fiat, conceditur illa, sicut et in pluribus aliis casibns.

XXXIV. *Generi per speciem derogatur.*

Huius regulae exempla quidem habemus *ex cap. Studuisti*, 2. *de offic. legat. ex canon. ultim. distinct.* 93. in privilegiis tamen saepe haec regula fallit, ubi saepe speciale contra generale non obtinet, nisi mentio fiat generalis privilegii cum huius derogatione: et quamvis negari nou possit, locum hanc regulam potissimum habere in rescriptis, sive primum sit generale, et secnndum speciale, sive contrarium fuerit factum, fallit tamen etiam nonnnnquam in his ipsis rescriptis, vel quod de iure expressa mentio rescripti alterius requiratnr, vel qnod virtute generalis potestatis in rescripto communicatae, iam promissum sit ad dispensandnm, antequam literas meas speciales praesentaverim, et caeperim illis uti, vide *cap. Pastoralis*, 14. *de rescriptis, et glossam in cap. Ex tua*, 9. *de filiis presbyt.* et bene adverte, qnae sub generali nomine veniant.

XXXV. *Plus semper in se continet, quod est minus.*

Plus quantitatis scilicet (quod enim plus est, utiqne tanti est) non autem quod plus qualitate includat etiam illud qnod minus est qualitate. Sumitur antem haec regula *ex can. Si quis dederit*, 41. *caus.* 24. *q.* 1. *cap.* 1. *de arbitris, et* §. *actus, instit. de servit.* quae autem contra hanc regulam opponuntur, plerumqne se aliter habent, vi formae mandati, quod certum quid praescribens, accurate servandum est.

XXXVI. *Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.*

Quoad damnum sui scilicet, non antem quoad commodum, et ut in tantum teneatur, qni dolo desiit possidere, in quantnm possidens: non tamen tenetnr taliter, cum contra possidentem detur actio directa, contra eum tamen, qui dolo desiit possidere, tantum utilis *l. Electio* §. *ultim. ff.de noxa etc.* Quae tamen actiones cum in substantia non differant, *l. Actio*, 47. *ff. de negot. gestis*, ideo in effectu habetur pro possessore, qui dolo desiit possidere, ut regula dicit, vide *cap. Ecclesia s. Mariae*, 3. *ut lite pendente etc.*

XXXVII. *Utile non debet per inutile vitiari.*

Prout probatur ex *can. Si quis deservit*, 57. *caus.* 12. *quaest.* 2. ubi manumissio servi bene meriti approbatur, revocatur autem id, quod manumissio talis ultra manumittens dedit *ex cap. Dilectus*, 19. *de praebend. et dignit.* ubi factum legati in uno approbatur, et confirmatur, non autem in alio: et ex pluribus aliis iuribus apud glossam relatis; intelligi tamen haec

regula non debet universaliter, cum in multis casibus a glossa relatis fallat, sed quod regulariter utile per inutile non vitictur, si tamen a se invicem utile, et inutile separari possint, et iura speciale quid circa casum aliquem non praescribant, quod sit contra hanc regulam, prout pluribus ostendit glossa.

XXXVIII. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.*

Et hinc, qui dicit decretales epistolas non esse authenticas, nullam pro se utiliter allegabat, *can. Si romanorum*, 1. *dist.* 19. et qui impugnat compositionem, beneficium ex ea non consequitur *cap. Olim*, 30. *de censibus* (si tamen in impugnando perseveraverit), et qui impugnat testamentum tanquam inofficiosum, ex hoc nec rem legatam habebit, si succubuit, *l. Papinianus*, 8. *ff. de inoffic. testam.* quam tamen regulam sane intelligendam monet glossa, ob multa in contrarium.

XXXIX. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quae sequuntur ex illo.*

Sic cui prohibita ecclesiae communio, in qua est stipendiatus propter contumaciam, aut delictum suum, prohibita censentur etiam stipendia ordinaria illius ecclesiae, *cap. Pastoralis*, *de appellat.* et qui suspensus ab officio, in consequentiam a beneficio suspensus videtur, *c. Eos*, 18. *dist.*81.

XL. *Pluralis locutio duorum numero est contenta.*

Sunt tamen plures casus, a glossa in hanc regulam enumerati, in quibus plures, quam duo, sub plurali locutione veniunt; regulam tamen etiam illi casus probant, in quibus iura duos intelligi putant sub plurali numero, prout habetur in *cap. Is cui*, 19. *de praebend. in* 6. ubi dicitur, quod virtute dispensationis ad plura beneficia obtinenda, si nihil aliud exprimatur, duo obtinere possim; *et in leg. libertas* §. *post annos*, *de manumiss. testament.* ubi dicitur, quod, cui libertas in testamento legata est post annos, per duos saltem annos exspectare debeat etc.

XLI. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.*

Ei scilicet, qui debet appellationem prosequi infra annum; qui debet promoveri ad sacerdotium infra annum; qui rem emit sub pacto legis commissoriae, si legitimo impedimento impeditus fuit, et consequenter per eum non stetit, quo minus suo tempore solveret, quo minus intra annum promoveretur, quo minus intra annum prosequeretur appellationem etc. elidit enim obligationem impossibilitas, non quidem in perpetuum, cum cessante tali impedimento ad factum praestandum teneatur, sed pro illo tantum impotentiae tempore.

XLII. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*

Sic cui committitur causa principalis matrimonii diiudicanda, committitur etiam causa dotis velut accessorii, *cap. de prudentia*, 3. *de donationibus inter virum, et mulierem etc.* et si principale, contractus v. g. cadit, cadit etiam iuramentum *l. Non dubium cod. de legibus,* si accessorium tantum sit, ad confirmandum praecise contractum additum; in multis enim casibus de iure canonico, ubi iuramentum per se stat, et sine periculo animae

servari potest, sine vi, et dolo praestitum, ac nihil in alterius redundans praeiudicium etc. servari debet, etiamsi contractus sit nullus *cap. Cum contingat*, 13. *de iure iur.*

XLIII. *Qui tacet, consentire dicitur.*

In rebus scilicet favorabilibus, prout communiter regulam hanc intelligunt Auctores; et hinc regula sequens.

XLIV. *Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.*

Si de casibus odiosis intelligatur, nihil priori contradicit, prout etiam iura probant, ex quibus haec regula desumpta est, sic *in can. Anteriorum*, 28. *caus.* 2. *q.* 6. non habetur pro consentiente, contra quem lata est sententia, cum possit adhuc inter definitum tempus appellare; sic non habetur pro consentiente dominus, qui tacet ad rei suae venditionem, ab alio factam, *l. rem alienam*, 28. *de contrahenda empt. et vendit.* Sic praelatus non habetur pro consentiente, si sine scandalo contradicere non possit, *cap. Nihil prodest*, 2. *de praescript.* Intelligi tamen debet haec regula, ita ut etiam nec facto, aut signo fateatur, vel contradicat, et nisi a iure expresso habeatur pro consentiente, aut contradicente tacens, quales casus sunt frequentes in iure, in ordine ad contumaciam contrahendam v. g. in ordine ad poenam incurrendam, etc.

XLV. *Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.*

Sic contra mulierem post longum matrimonialis cohabitationis tempus, contra matrimonium suum reclamantem, et se incognitam esse asserentem, praesumitur quod sit cognita, quia hoc est verosimilius, *per can. Si quis accepit*, *cap.* 23. *q.* 1. Sic *in cap. Inter dilectos*, 6. *de fide instrum.* praesumitur pro lit. I. potius quam pro litera O. ex maiori scilicet verosimilitudine; sic in *authent. Non licet parenti, Cod. de inoffic. test.* praesumitur iniuste exhaered. filius, quod non sit verosimile ingratitudinem in patrem eum commisisse.

XLVI. *Is qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debebit.*

Nisi privilegio tantum personali munitus fuerit antecessor, quod cum persona exspirat, iuxta regulam 7. supra allatam, vel pacto tantum personali *cap. Nisi*, 21. *de praebend.* vel prorsus alienae personae essent per rescriptum conveniendae, *cap. B. et G.* 40. *de off. delegat.* quae nec iuris fictione eaedem sunt cum expressis: sumitur autem haec regula *ex can. Eleutherius*, 30. *caus.* 28. *q.* 2. *cap. Dilecti*, 17. *de foro compet. etc.*

XLVII. *Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.*

In illis scilicet casibus, in quibus nec scire, nec indagare rem aliquam tenetur ignoratam aliquis, neque publice de re aliqua constat, aut iuris naturalis casus est, in quibus casibus praesumitur scientia, nisi ignorantia probetur: probatur autem ignorantia, vel per iuramentum, vel si probetur, me ignorasse id, ex quo necessario, vel valde verosimiliter sequitur alterius etiam ignorantia, ita tamen, ut haec ignorantia facilius probetur in facto alieno, quam in facto proprio.

XLVIII. *Locupletari non debet aliquis, cum alterius iniuria, vel iactura.*

Iuxta *can. Apostolicae caus.* 17. *q. ult.* ubi non ditatur monasterium,

cum iactura cathedralis ecclesiae, et iuxta *cap. Quid per novale*, 21. *de V. S.* ubi dicitur privilegium ita intelligendum, nt ne alteri enorme praeiudicium proferatur, et iuxta *l. naturaliter ff. de condict. indeb.* nbi pnpillns, si mutuum accepit, et locupletior inde factus solvit, non repetit. Fallit tamen haec regula, etiamsi particula disiunctiva, vel idem in ea dicat, quod particula collectiva, et, ut putant mnlti in praescriptionibus, usucapionibus, et aliis casibus.

XLIX. *In poenis est benignior interpretatio facienda.*

Sic nonnunqnam, ubi privatio aliqua in poenam imponitur, intelligitur tantum privatio esse temporalis, quandiu durat v. g. contnmacia, cui poena talis statuitur, etc. si nihil aliud de perpetnitate, aut diutius duratura dicatur, *cap. Ex literis*, 11. *de constit.* et nonnunquam, cum quis ob dolum commissum, vel ob negligentiam ab administratione removeri possit, si in sententia amotionis nihil exprimatur, ob dolum scilicet, an ob negligentiam amotus sit, benignior interpretatio praesumitur, quod ob negligentiam scilicet amotus sit, ad cavendam infamiam, quam incurreret, si rigidius iudicaretur, quod ob dolum scilicet amotus sit *argum. leg. Hoc enim* §. 1. *ff. de suspect. tutor.*, et non praesumitur, ut calumniator, de quo iudex tantum pronuntiavit, quod temere accusaverit *can. Si quem*, 8. §. *Notandum caus.* 2. *quaest.* 3. et hinc ex multiplici poena expressa eligimus mitiorem *can.* 41. *Si quis dederit*, *causa* 24. *quaest.* 1. et si verbum potest importare poenam perpetuam et temporalem, eligimus temporalem *can. Non oportet*, 10. *causa* 33. *q.* 4. nec in materia poenarum ad similia arguimus *can. Poenae*, *dist.* 1. *de poenitent. etc.*

L. *Actus legitimi conditionem non recipiunt*, *neque diem.*

Illi scilicet actus legitimi, de quibus *in l. Actus legitimi ff. h. t.* emancipatio scilicet, acceptilatio, haereditatis aditio, servi optio, tutoris a iudice datio etc. electio, postulatio, sententia iudicis, etc. et hinc per *cap. In electionibus*, 2. *de elect. in* 6. vota conditionalia, alternativa, et incerta in electionibus, postulationibus, et scrutiniis penitus reprobantur, et per *can. Solet quaeri*, 6. *caus.* 32. *q.* 2. matrimonium nullum dicitur, quod ad certam usque diem cum Bertha contractum est, etc. sicuti tamen haec regula in contractibus locum non habet, sic in multis aliis casibus fallit.

LI. *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.*

Si ligna v. g. ecclesiae destructae non possunt ad usum mere profanum adhiberi iuxta *can. Ligna*, 38. *de consecr. dist.* 1. sic fragmenta ex lacera v. g. casula non possunt adhiberi ad crumenam pecuniariam v. g. *can. Vestimenta*, 42. *eodem*; sic calix consecratus non est reddendus domino, qni cum ecclesiae dedit, ad usus civiles, et profanos, etc. Fallit tamen haec regula in rebus animatis, quae, dum se consecrari v. g. patiuntur, invito domino, delinquunt, et dominis suis restitui debent, uti patet *ex tit. l.* 1. *Decret. de servis non ordinand.* et saepe in rebus aliis etiam consecratis inanimatis, saltem confractis, et amissa consecratione.

LII. *Non praestat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.*

Nisi in poenam sit prohibitum, aliquid propter crimina v. g. quae im-

pedimentum praestant promovendis, quamvis a iure improbentur *can.* 1. 2. *et* 3. *d.* 50. aut nisi fiat novi operis nuntiatio, quae sive iusta sit, sive iniusta, suum praestat nuntiato impedimentum, *cap.* 1. *de novi operis nunt.* aut nisi in casu appellationis, rescriptorum, etc. falsa causa, aut mendacium intervenerit, quae quamvis nullum de iure sortiantur effectum, suum tamen praestant subinde impedimentum: probat autem regulam matrimonium nullum, quod non impedit, quo minus validum secundum fieri possit; electio nulla, quae secundam non impedit; sponsalia nulla, quae alia sponsalia, si fiant, non impediunt, etc.

LIII. *Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus.*

Sic dicitur in *can. Ecce*, 6. *dist.* 95. licere utique sacerdoti benedicere simpliciter populum in fine missae, quod minus est, cum illi, quod plus est, concessum sit, conficere Corpus Christi scilicet, sic in *cap. Ex parte* 3. *de decimis* conceduntur religiosis quibusdam decimae novalium, quod minus est, cum illis competant in illo loco antiquae decimae, quod plus est; fallit etiam tamen tam in aliatis casibus, quam in aliis regula haec, cum nec semper, quod qualitate, aut quantitate plus est, includat minus, et saepe in casibus specialibus, minus ex causa prohibitum sit, aut forma mandati aliter agere iubeat.

LIV. *Qui prior est tempore, potior est iure.*

Locum habet haec regula *in cap.* 1. *de maior., et obed.* in casu subscriptionis, sessionis, processionis, et in casu optionis, et assecutionis praebendae, etc. ubi potior habetur plerumque, et caeteris paribus, qui tempore prior est, nisi consuetudo, aut voluntas constituentis, vel etiam iura, aut privilegia specialia impediant, et aliud ordinent.

LV. *Qui sentit onus, sentire etiam debet et commodum, et e contra.*

Exempla huius regulae sumi possunt *ex can. de lapsis*, 5. *caus.* 16. *q.* 6. ubi monasterio bona clerici ob criminis poenam in monasterium (iuxta ius antiquum) perpetuo detrusi, adiudicantur, ut sentiat etiam commodum, in usu bonorum illorum, cum onus sentiat in alendo tali incluso, et *cap.* 1. *de sepult.* ubi ecclesiae parochiali sua portio adiudicatur ex bonis defuncti parochiani, qui alibi sepulturam elegit, ut commodum aliquod habeat ex defuncto parochus, qui vivo debuit sacramenta ministrare, et *ex cap. Significatum*, 11. *de praebendis*, ubi clericus beneficiatus in divinis ministrare debet, et suum servitium praestare ecclesiae, de cuius fructibus, et emolumentis vivit, etc. Excusat tamen saepius ab hac regula ratio aetatis, aut personae, vel materia contractuum, aut speciale pactum, in quibus fallit regula.

LVI. *In re communi potior est conditio prohibentis.*

Sic inter duos coniugatos, uno vovere volente, altero prohibente, potior est causa prohibentis *can.* 1. *caus.* 32. *q.* 5. sic uno prohibente, ne procedatur per viam compromissi, potior est ipsius conditio *cap. Quia propter*, 42. *de elect.* sic duobus communem habentibus parietem, non potest hic eum destruere, altero prohibente, *leg. Parietem ff. de servit. urb. praed.* si tamen huius intersit, eum non destrui, aut favor religionis aliquid aliud iubeat.

LVII. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.*

Cap. in praesentia 8. *de probat.* ubi, quod obscurius dictum est, contra dicentem, explicatur; et in *l. Cum in lege ff. de contrah. empt. et vend.* ubi contra eum deciditur, qui apertius rem declarare potuit, etc. vide glossam in hanc regulam.

LVIII. *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum iuramentum.*

Sicuti enim non tenet turpe pactum, quod est contra bonos mores, sic nec valet iuramentum accessorium, quod non potest esse vinculum iniquitatis, quale esset, si prohibita (non praecise in favorem personae alicuius, cui favori illa cedere potest) propter sui turpitudinem, vi iuramenti praestanda essent; sic utique illius iuramentum non valet, qui iuravit patrem occidere, vel simile quid facere *can.* 1. *caus.* 22. *q.* 4. qui iuravit uxorem, et liberos expellere *cap. Quintavallis*, 53. *de iure iurand.* qui iuravit, cum uxore nunquam agere rerum amotarum causa *l. Illud convenire*, 5. *ff. de pact. dota.*

LIX. *Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eidem.*

Sicuti autem haec regula locum non habet in possessoriis, in quibus spoliatus rem, qua spoliatus est, petere debet, quamvis in petitorio ad eam restituendam condemnandus sit, ita locum non habet in eo casu, quo peto, quod alii, et non eidem, a quo peto, restituere debebo; commodatarius enim repetit rem a fure, quamvis domino restituere eam debeat; et vir soluto matrimonio a socero dotem petit, quamvis eam uxori, et liberis illius restituere debeat: sumitur autem haec regula *ex caus.* 14. *q.* 4. ubi censuris prohibetur, petere a debitore usuras, quia onus restitutionis ipsi incumbit, etc.

LX. *Non est in mora, qui potest se exceptione legitima tueri.*

Si in mora non est dominus, qui servum, se ignorante monachum factum, intra triennium non reperit, legitima postmodum utens exceptione infirmitatis v. gr. aut viae longinquae *can. Si quis incognitus*, 3. *caus.* 17. *q.* 2. neque clericus dici potest in mora, non solvendo partem decimarum quartam, si tueri se possit, exceptione praescriptionis, *cap. De quarta*, 4. *de praescript.* neque illi sunt in mora, qui exceptionem pro se habent legitimam dilatae sortis, *leg. Lecta est* §. *Sed cum sortis ff. si certum petatur.* Nescit enim se debere, qui legitimam pro se habet exceptionem.

LXI. *Quod ob gratiam alicui conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.*

Juxta leg. *Non eo minus cod. de procurat.* ubi dicitur minoribus aetas in damnis subvenire, in rebus tamen prospere gestis non obesse, *et iuxta leg. Si iudex ff. de minoribus*, ubi dicitur, cogi minorem non posse, ut beneficio restitutionis in integrum contra contractum sibi concesso, et *iuxta cap. Ad apostolicam*, 16. *de regularibus*, *etc.* nisi ad instantiam tantum petentis; non autem motu proprio princeps concessit aliquid.

LXII. *Nullus ex consilio, dummodo non fraudulentum fuerit, obligatur.*

Quamvis enim mandans obligetur mandando, tanquam causa moralis

operis, ex vi mandati positi, non tamen consulens obligatur consulendo tantum (cum alter non teneatur consilium sequi) nisi dolosum consilium dedisset, circa contractum, aut quasi contractum quo in casu de dolo ei teneretur, cui consilium tale fraudulentum dedit, *leg. Quod si cum scires ff. de dolo*, vel consilium dedisset circa maleficium, aut quasi maleficium, hoc enim in casu teneretur consulens de tali maleficio illi, contra quem consilium dedit, si tamen ex vi consilii maleficium datum est, sumitur regula *ex lege* 2. *ff. de mandatis, et ex can. Quisquis praeceptis*, 3. *caus.* 14. *q.* 1. *et ex cap. Cum olim*, 7. *de arbitris.*

LXIII. *Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarii confiteri.*

Putant aliqui regulam hanc locum tantum habere in exceptione non numeratae pecuniae, vel facti tantum, aut intentionis exceptionibus, satis tamen bene glossa probat per *cap. Cum venerabilis*, 6. *de except. et per legem Non utique ff. eodem, etc.* eam in aliis etiam casibus, probare, quamvis saepe etiam fallat.

LXIV. *Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi.*

Non quidem quae contra ius simpliciter tantum prohibens fiunt, cum multa sint prohibita, quae tamen facta tenent *cap. Ad apostolicam*, 16. *de regular.* et hinc volunt aliqui, hanc regulam tantum in illis casibus locum habere, ubi prohibetur aliquid, et simul invalidum statuitur; alii volunt, in illis tantum locum habere, quae perpetuam habent prohibitionis causam, non autem temporalem tantum; alii volunt, in illis tantum casibus locum habere, ubi ius plene resistit, nullibi assistentiam exhibens; alii denique volunt, in illis locum habere, quae alias sortiri saltem possunt suum effectum, quomodo se habent maleficia, prout refert, et refutat glossa, si universaliter exceptiones hae intelligi velint, cum per *cap. Non solum*, 2. *de regular. in* 6. nulla sit professio regularis, et per *cap.* 2. *de testibus*, nulla sit eorum receptio, et per *cap.* 1. *de rebus eccles. non alienand.*, nulla sit alienatio, etc. quia contra ius haec facta sunt. Fateamur ergo necesse est, fallere quidem hanc regulam saepe, suam tamen etiam in quibusdam casibus habere veritatem.

LXV. *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.*

Scilicet, quando utraque pars deliquit, dando v. g. vel recipiendo, ob turpem causam, pecuniam, propter stuprum v. g. obtentum, pro sententia iuris iniqua a iudice obtinenda, pro usuris, etc. si eam postmodum repetat, quibus in casibus iura volunt, ut pro possessore stetur.

LXVI. *Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.*

Et hinc iuxta *can. Si quaelibet*, 20. *caus.* 22. *q.* 2. Abraham paratus quidem ad filium suum iuxta Dei imperium immolandum, impeditus tamen per angelum, perinde, quoad meritum, habetur ac si immolasset, et per *cap. Quoniam frequenter*, 5. §. *Porro, ut lite non contest. etc.* habetur pro citato a iudice, qui impedivit executores a iudice constitutos, ne possent ipsum citare.

LXVII. *Quod alicui non licet suo nomine, nec alieno licebit.*

Locum habet haec regula potissimum in maleficiis, indecens enim est,

ut ait glossa, crimen suum alienis commodis impendere; sic cum non possit nomine proprio, sive in snam utilitatem usuras aliquis exercere, neque licebit eas alieno nomine, sive in alterius utilitatem *can. Sicut non suo*, 10. *dist.* 46. et sicuti poenam legis *Si quis de iurisdictione omn. iudicum*, iure incidi, qui proprio nomine album praetoris corrumpit, ita eandem etiam poenam incurrit, qui nomine alieno, sive ad mandatum alterius hoc facit; et sicut per *cap. Ad falsariarum*, 7. *de crim. falsi*, falsare nemo debet literas papales suo nomine, ita nec licet nomine alieno.

LXVIII. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.*

Sic potest quis per alium iurare *can. Tibi Domino*, 33. *dist.* 63. potest per alium matrimonium contrahere *cap. ult. de procurat.* per alium administrare negotia, iudicare, contrahere, et plura alia, ita tamen, uti in multis etiam fallat haec regula; in factis v. g. levioribus, et in delegationibus, ubi industria personae electa fuit; in eo, qui veniam aetatis impetrat; in negotiatione, etc. Videatur glossa in hanc regulam.

LXIX. *In malis promissis fidem non expedit observari.*

Dicitur in malis promissis fidem non servandam, et consequenter non negat haec regula fidem servandam in illis, quae male quidem promissa sunt, per dolum v. g. aut metum extorta, sine dispendio tamen aeternae salutis servari possunt; et si accesserit iuramentum, saepe etiam ob reverentiam sacramenti servari debent, cum aliud sit malum promissum esse, quod simpliciter observari non potest, et aliud sit, male promissum quid esse, cuius tamen observatio culpabilis non est.

LXX. *In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum impleri.*

Et hinc in *cap. unico. De plus petent.* dicitur, plus petere causa eum, et de expensis condemnandum, qui ex duobus alternative debitis, praecise petit alterum; et in *cap. Inter literas*, 4. *de rescript.* Summa dicit: si Papa mandat in rescripto: de duobus inquiri alternative ad certum effectum consequendum, sufficere alterum probari; et in *cap. Significavit*, 48. *de appellat.* iustificatur appellatio, si una saltem causa inter complures allatas pro appellatione concedenda vera probetur. Sunt tamen quaedam alternativa, ubi ordo servari debet vi mandati v. g. talem, aut talem ordinem requirentis, aut quod culpabilis mora intercedat.

LXXI. *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.*

Nisi actio, et exceptio tendant ad diversa, *cap. Inter dilectos*, 11. *de excess. praelat.* vel nisi aliquid subsit, quod repellat exceptionem *c. Debitores*, 6. *de iure iur.* vel nisi in possessorio tantum agatur; in aliis vero casibus iuxta regulam, *Cui licet plus*, actio v. g., *et minus licet*, exceptio v.g. praesertim cum exceptio concedatur, cui non datur actio, excommunicato scilicet, *cap. Cum inter priorem*, 5. *de except.* et ubi actio tempore tollitur, perpetuo durat exceptio, *leg. Duae* §. *ult. ff. de dolo.*

LXXII. *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum.*

Per aliquam scilicet iuris interpretationem, cum vere loquendo factum etiam ab eodem, diversis tamen temporibus, non repraesentet identitatem

eiusdem facti *l. Si non sortem*, §. *Libertus*, *ff. de condict. indeb.* Vide regulam 68. *Potest quis*, etc.

LXXIII. *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.*

Sic matrimonium legitime contractum dissolvi non debet, ob impedimentum dirimens postea superveniens *cap. penult. De eo qui cogn. consang. uxoris suae;* vel ob supervenientem mariti v. g. insaniam *can. Neque furiosus*, 26. *caus.* 302. *q.* 7. Non negatur tamen, quod subinde ob supervenientem causam effectus illius, quod legitime factum fuit, impediatur *can. Communiter* 3. *dist.* 33.

LXXIV. *Quod alicui gratiose conceditur, trahi ab aliis non debet in exemplum.*

Concordat cum hac regula, quod supra dictum fuit, circa privilegium personale reg. 7. et quod dictum fuit in reg. 28. *Quae a iure*, etc. et quod infra dicitur in reg. 78. *In argumentum trahi*, etc.

LXXV. *Frustra sibi quis fidem postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.*

Quae regula locum maxime habet in promissionibus reciprocis, prout exempla, et iura probant, nisi partes sub poena sibi invicem promisissent aliquid, et potius ab eo, qui primo fidem fregit, poena videatur exigenda; quo in casu exigens poenam ob fidem ab altero fractam, fidem alteri servare debet, si poenam accipiat, cum taliter solvendo poenam promissioni videatur satisfactum.

LXXVI. *Delictum personae non debet in detrimentum ecclesiae redundare.*

Sic, quamvis ob delictum, quod commisit episcopus, debeat hic deponi, bona tamen ecclesiae non rediguntur ad fiscum *can. Si episcopus*, 3. *caus.* 16. *q.* 6. et quamvis procurator falsaverit instrumentum, causam tamen non perdit ecclesia *cap. Cum venerabilis*, 6. *de except.* intelligi debet tamen haec regula, quod delictum personae in faciendo, regulariter non praeiudicet ecclesiae, non autem, quod delictum in omittendo non praeiudicet ecclesiae iuxta *can. Placuit*, 15. *caus.* 16. *q.* 3.

LXXVII. *Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.*

Certe filius, et haeres patroni, qui ius patronatus ab hoc haereditario iure acquirit, tenetur non minus defendere ecclesiam, si opprimatur, quam patronus tenebatur, *can. Filiis, vel nepotibus*, 31. *caus.* 16. *q.* 7. et praelatus, qui succedit in honore suo antecessori, succedit etiam in onere debitorum solvendorum pro ecclesiae utilitate contractorum *cap.* 1. *de solut.* et iudex successor, iudice antecessore mortuo, ad idem iudicandum obligatur (caeteris paribus) ad quod obligabatur iudicandum antecessor *l. Mortuo iudice*, *ff. De iudiciis.*

LXXVIII. *In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa.*

Sic, quae ob paucitatem, et defectum saeculariu[illegible]g. sacerdotum, saecularia beneficia collata olim fuerunt regularibus, de[illegible]saecularibus post-

modum conferri, si nullus amplius saecularium sacerdotum defectus est, *can.* 1. *dist.* 55. et quae concessa est propter necessitatem redimendorum captivorum, alienatio sacrorum vasorum, trahi non debet ad alienationem in aliis casibus faciendam, *l. Sancimus*, *cod. de ss. ecclesiis.*

LXXIX. *Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscat.*

Et hinc quamvis bona fide possideam rem aliquam, si tamen illa aliena sit, vendendo illam, non transfero in emptorem rei talis dominium, cum hoc ipse non habeam, nemo autem dare possit, quod non habet.

LXXX. *In toto partem dubium non est contineri.*

Et hinc, si pro te lata fuit sententia de domo, quam totam petivisti, exceptio rei iudicatae nocebit postea mihi, si partem tantum illius domus petam, cum in toto pars contineatnr utique.

LXXXI. *In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

Sic commissio generalis a papa facta legato, non extenditur ad causas fidei, *can. Frater noster*, 52. *caus.* 16. *q.* 1. et quamvis concesserit episcopus subdito suo generalem eligendi confessarii facultatem, electus tamen talis circa casus episcopo specialiter reservatos nihil potest, *cap. Si episcopus*, 2. *de poenit. et remiss. in* 6. Sicuti enim in obscuris inspicimus, quod est verisimilius iuxta reg. 45. supra traditam, ita etiam in generalibus, ubi verisimiliter ea non veniunt, quorum difficilis, aut inhumana est separatio, et ad quem specialem affectionem quis habet.

LXXXII. *Qui contra iura mercatur bonam fidem praesumitur non habere.*

Quae enim ecclesia parochialis recipit decimas in aliena parochia, praesumitur malam fidem habere, et qui de manu laici ecclesiam recipit, mala fide agere praesumitur, *can. Si quis deinceps*, 12. *caus.* 16. *q.* 7. vel enim sciebat haec talia a iure prohiberi, et sic, si contra agat, mala utique fide agit; vel non scit, haec talia a iure prohiberi, et ignorantiam clari iuris habere censetur, quae malam fidem iuridicam facit.

LXXXIII. *Bona fides non patitur, ut semel exactum, iterum exigatur.*

Ita ut neque ecclesiae hoc liceat, *can. Fraternitas caus.* 12. *q.* 2. et locum etiam in poenis haec regula habeat, quae semel exactae, ab eodem iterum exigi non debent *cap. Et si clerici*, 4. *de iudiciis*, si tamen unica exactione finiatur omnis ohligatio.

LXXXIV. *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.*

Sic rem, quam alienare prohibitus es, non potes in pignus obligare *argum. cap. Nulli liceat*, 5. *de rebus ecclesiae alien.* Sic pater prohibitus administrare, nec ut curator administrare potest, per *l. Scire oportet* §. *Si mater. ff. de curat. et tutor.* sic patroni prohibentur, beneficiorum non vacantium promissiones facere, ne per talem promissionem mors alterius procuretur, *cap. Detestanda*, 2. *de concess. praebend. in* 6.

LXXXV. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.*

Ita ut luxta [illegible]ghta dicatur pactum rumpere leges; et hinc quamvis ex

legibus depositarius de dolo, et culpa lata tantum teneatur, potest tamen vi conventionis etiam obligari de levi, et levissima, immo etiam de casu fortuito *cap.* 2. *de deposit. et l.* 1. §. *Si conveniat ff. Depositi.* Debet tamen conventio, ex qua legem accipit contractus, esse honesta, et non contra bonos mores.

LXXXVI. *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.*


Sic per *can. Displiceat*, 38. *caus.* 23. *q.* 4. sibi iubetur imputare, si quis ad iudicem ductus, sua culpa de equo se praecipitet, et laedat, quod laesus fuerit: et clericus sibi imputare debet, si negligat praebendam petere, cum vacat, *cap. Si clericus*, 11. *de praebend. in* 6.

LXXXVII. *Infamibus portae non patent dignitatum.*

Tam ecclesiasticarum dignitatum quam saecularium, tam iuris, quam facti infamia infamibus, ut saepe dictum, cum ex omnium iudicio pessime collocetur dignitas in persona infami, prout per *can. Tantis Daniel*, 3. *dist.* 81. *et per cap. Inter dilectos*, 11. *de excess. praelat.* et plures utriusque iuris textus patent.

LXXXVIII. *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.*

Sic quia iuxta legum voluntatem, et mentem, quidquid pretio aestimabile supra sortem ex mutuo accipitur, usura dicitur, de usura condemnatur in *can. Plerique*, 3. *caus.*14. *q.* 3. qui aliquid supra sortem accipit, quodcunque demum illud sit, aut quocunque nomine veniat; et in *cap. Avaritiae*, 51. *de elect. in* 6. cum iura prohibeant ante confirmationem electionis celebratae, administrationi ecclesiarum se ingerere, etiam ille in hanc prohibitionem committere censetur, qui sub oeconomi, aut procuratoris nomine administrationem prohibitam exerceat. Vide etiam *leg. Quamvis*, §. *Si cum essem ff. ad Velleianum*; et quas fallentias saepius in has regulas advertit glossa, ex qua desumpta haec fuerunt, quae pro fundandis, et explicandis his regulis hactenus allata fuerunt.





INDEX MATERIARUM

SEU SECTIONUM, ET PARAGRAPHORUM, IN COMPENDIO PIRHINGIANO, SECUNDUM LIBROS, ET TITULOS DECRETALIUM, CONTENTORUM.

LIBER SECUNDUS.

DECRETALIUM.

LIBER TERTIUS.

DECRETALIUM.

LIBER QUARTUS

DECRETALIUM.

LIBER QUINTUS

DECRETALIUM.

REIMPRIMATUR — *Fr. Angelus Vincentius Modena O. P. S. P. A. M. Socius.*
REIMPRIMATUR — *Jo. Canali Patriarcha Constant. Vicesgerens.*



ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCXLIX.

